COMPENDIUM
JURIS ECCLESIASTICI

AD USUM CLERI,

AC PRÆSERTIM PER IMPERIUM AUSTRIACUM

IN CURA ANIMARUM LABORANTIS.

SCRIPSIT

D^R. SIMON AICHNER

EPISCOPUS BRIXINENSIS ET PRINCEPS, PRÆLATUS DOMESTICUS S. S.

EDITIO SEXTA.

ALMA COLLEGE
348.02
LIBRARY
AC 36
Alma, California

BRIXINÆ.

TYPIS ET SUMPTIBUS BIBLIOPOLEI WEGERIANI.

1887.

5699

PROPRIETAS LITTERARIA.

PRAEFATIO.

Ut scopus et indoles hujus libri omnibus statim innotescat, ex praefatione editionis prioris haec transscribenda esse censui.

„Scopus, quem mihi in exarando hoc opusculo praefixi, alius non erat, nisi ut tam publicis scholis inserviret, quam etiam (prout ipse titulus indicat et in priorum editionum prooemiis praefatus sum) ut ea succincte contineret, quae ad usum praxis sacerdotalis pertinent, ac pro casibus obviis solvendis necessaria sunt. Quia nimirum animarum curatoribus pro expediendis quaestionibus canonicis, quae subito saepe emergunt, nec tempus suppetit, nec subsidia litteraria statim prae manibus sunt, ideo in animo erat, librum in lucem edere, in quo facili opera (inserviente etiam indice verbali) inveniri possit, quid leges dictent, quid ecclesia statuerit, quid ex ipsius mente in casibus particularibus tenendum agendumve sit. Hoc ut assequerer, non satis visum est, summa dumtaxat doctrinae canonicae lineamenta ob oculos ponere, sed necessarium insuper erat, ad singula quoque descendere et hinc inde etiam excurrere, prout dicitur, ad casuistica, seu ad consectaria ex summis principiis non privata interpretatione sed ecclesiae auctoritate deducta. Quodsi tali modo liber ratione materiarum aliquantum increvit, hoc nemo aegre feret, quia ceteroquin tantum brevitati dare adlaboravi, quantum licuit. Nam nec velitationibus controversiarum immoratus sum (licet quaestiones arduas et salebrosas nullatenus evitaverim) nec plerumque ipsam disquisitionem, sed illius dumtaxat summam lectoribus exhibui. Idem hoc brevitatis studium fecit, ut non semper nec pro quavis sententia citationes adduxerim, praesertim circa res communiter receptas et extra omnem controversiam positas.

In hac nova editione adornanda, quantum quidem rationes meae patiebantur, nec labori nec operae peperci, nihilque intermittendum putavi, ut, qui denuo in publicum edendus esset liber, diligentius emendatus et perpolitus prodiret. Haud pauca in hac editione correcta, mutata et aucta esse, ex comparatione ejusdem cum priore editione confestim intelligi poterit. Multa, quae nostro praesertim tempore magni sunt momenti, ampliata aut noviter inserta lector inveniet. Etiam leges recentiores politico-ecclesiasticas respicere opus erat. Praeterquam enim quod nonnullae leges civiles apud nos jam partem juris particularis efficiunt (prout e. g. sunt leges circa titulum mensae, circa reparationes eccle-

siarum etc.), etiam illas, quae placitis ecclesiae repugnant, viris ecclesiasticis non licet ignorare, ne ob ignorantiam majus detrimentum sive ipsis sive ecclesiae inferatur. Hinc leges praesertim Austriae citerioris, et frequenter etiam ulterioris adduxi, quin et aliarum ditionum leges non prorsus neglexi. Haec etiam fuit causa, cur legem Austriacam d. 7. Maji 1874 (de relationibus externis ecclesiae catholicae) in calce adjiciendam curavi, quia hujus legis dominationi, utut contraria sit Concordato abolito, nos subducere non possumus. Ne tamen canonicae explanationis series praecidatur, leges civiles plerumque non in ipso textu, sed maxima ex parte in annotationibus infra textum positis adjectae vel saltem in fine §§ sunt adpositae."

His praenotatis nonnisi pauca quantum ad mutationes hujus sextae editionis sunt adjungenda. Nimirum in hac quoque editione nonnulla sunt correcta, alia vero addita. Quasdam siquidem sententias exactiori examini subjiciendas, reformandas seu corrigendas esse existimavi. Additiones tum materiam juris canonici, tum leges saeculares respiciunt, quas ignorare fatalis necessitas juxta superius exposita non permittit.

Hisce additum esse volo, in excudenda hac editione virum in re canonica versatissimum, videlicet Theod. **Friedle** Canonicum et Cancellarium Brixinensem, singulari adjumento mihi fuisse. Si quae sunt in hac editione correcta, alia de novo adjecta, id operae ab ipso praestitae in acceptis potissimum referri debet.

In ultima libri hujus revisione haud pauca errata typographica reperisse mihi dolet. Faveat benevolus lector ad erratorum indicem, ad calcem voluminis rejectum, recurrere.

„Denique si forte contra meam intentionem in quacunque re s. matris ecclesiae mentem non assecutus sim, tam sensa quam scripta mea illius ac *cathedrae principalis* judicio ea, qua par est, reverentia submitto, quippe cum aliud mihi non proposui, nisi ut Deo sit *gloria in ecclesia et in Christo Jesu* (Ephes. 3, 21.)"

BRIXINÆ die 21. Aprilis 1887.

AUCTOR.

PROLEGOMENA.

§ 1. Notio et origo juris.

Juxta monitum Epicteti: *Initium doctrinae sit consideratio nominis,* quaedam praeambula tum de *jure* generatim, scilicet de notione, de origine, de diversis speciebus juris, tum de *jure ecclesiastico* in specie praemitti debeut.

Jus etymologice.

1. Jus etymologice derivari solet 1. a *jussu* seu *jubendo,*[1]) quasi jus idem sit ac jussum superioris, vel lex tamquam regula justi seu id, quod *rectificat;* in hoc sensu v. g. dicitur: *corpus juris, ignorantia juris, jus naturale, positivum* etc. Derivatur 2. a *justitia,*[2]) quae est humanarum actionum cum lege conformitas, sive illud, quod legi convenienter et proin *recte factum est.* — Accuratius loquendo jus tum *objective* tum *subjective* considerari potest. Jus *objective,* seu in se consideratum, est norma, per quam jus subjectivum determinatur, seu est systema normarum, per quas ordo exterior vitae socialis hominum ad finem proximum societatis dirigitur. Videlicet omne jus ex hominum socialitate oritur. Etenim Deus homines socialiter vivere fecit et certo ordine colligatos esse voluit. Quilibet autem homo in societate humana constitutus duplicem habet relationem seu connexionem, scilicet *primo* ad singulares personas, *deinde* ad societatem (sive domesticam sive civilem), cujus ille membrum existit.[3]) Jam vero huic duplici relationi etiam actiones externae uniuscujusque respondere debent, ita, ut quilibet homo ceu ens sociale quaedam agere, quaedam vero omittere teneatur. Idcirco certis regulis seu legibus

Jus objective sumtum.

---

[1]) *Suarez* de legg. l. 1. cap. 2.

[2]) *Ulpian* l. 1. D. de just. et jure: «est autem jus a justitia appellatum.» — *S. August.* in ps. 145. »jus enim est, quod justum est.» — Exinde ulteriores hujus nominis derivationes explicantur, secundum quas jus denotat vel sententiam a judice pronuntiatam *(jus dicere),* vel ipsum locum seu forum, ubi causae agitantur *(in jus vocare, in jus ambulare),* vel artem seu scientiam juris (*„Jus est ars boni et aequi“* l. 1. D. de J. et J.) et similia.

[3]) «Justitia (jus) ordinat hominem in comparatione ad alium, quod quidem esse potest dupliciter: uno modo ad alium singulariter consideratum, alio modo ad alium in communi» s. Thomas 2. 2. qu. 58. art. 5.

opus est, quibus mutua civium relatio et exterior operatio rectificatur. Ex observatione harum legum, quae partim a Deo partim a legitima auctoritate humana descendunt (§ 2.), ille ordo juris in externa hominum consociatione enascitur, qui, ut societas subsistere possit, plane necessarius est.[4]) Est ergo jus *complexus normarum (sive a divina sive ab humana auctoritate derivatarum), quibus actiones exteriores singulorum in relatione tum ad alias personas singulares, tum ad societatem ordinantur, ut societas et conservari et finem suum assequi possit.*[5])

Jus subjective consideratum.

Ex jure *objective* sumpto manifestum fit, quid sit jus *subjective* seu in certo subjecto consideratum. Est nimirum *facultas moralis aliquid agendi vel omittendi, aut postulandi, ut alter aliquid agat vel omittat.* In hoc sensu dicitur aliquis *conservare jus suum, uti jure suo, jus suum transferre in alium, laedere jus alienum* etc. Sub hoc respectu omnibus hominibus jus seu quaedam mensura juris competit; quod sic probatur. Homo ad imaginem Dei conditus, et libere ad aeternam destinationem tendens, ex una parte quadam *relativa independentia* seu libertate frui debet, vi cujus nemini concessum est, personam, vitam, libertatem, bona fortunae famaeque illius laedere aut ipsum usum horum bonorum perturbare. Ex altera parte alios ab aliis *dependentes* in societate conspicimus, qui proin ea omnia praestare tenentur, quae huic dependentiae congruunt. Ex dicta hominis *independentia* oritur facultas ea omnia libere agendi vel omittendi, quae limites hujus independentiae non excedunt; *ex dependentia* vero aliorum ab ipso enascitur facultas, eosdem obligandi, ut ea praestent vel omittant, quae vi hujus dependentiae praestare vel omittere tenentur. Igitur unicuique certa libertatum moralium mensura seu *sphaera juris* competit, quam ceteri omnes revereri tenentur.

---

[4]) Eodem prorsus modo, quo ordo physicus legibus physicis dirigitur.

[5]) Ex quibus pronum est concludere: 1. Quod jus stricte neque circa ea, quae ad Deum sunt, neque circa ea, quae ad ipsum agentem sunt, tamquam circa suam materiam versetur. Nemo enim intuitu sive Dei sive sui ipsius proprie jus habere dicitur. Siquidem jus, quia ordinat hominem in iis, quae ad alterum sunt, quandam aequalitatem supponit ideoque relationem inter duas personas humanas exposcit. «Illud enim in opere nostro dicitur esse justum, quod respondet secundum aliquam aequalitatem alteri, puta recompensatio mercedis debitae pro servitio impenso» s. Thomas l. c. qu. 57. art. 1. «Deo non possumus aequivalens recompensare.» Idem 2. Quod per jus nonnisi actiones externae ordinentur, nam sensa pertinent ad ordinem moralem. 3. Quod nec omnes ipsae actiones externae subjiciantur ordini juris sed illae tantum, quae, ut societas subsistere possit, absolute urgeri debent quaeque illud sibi peculiare habent, ut per aliquam aequalitatem mathematice determinatae sint et praeterea vi physica evinci possint. Ex quibus clarescit, quomodo ordo moralis et ordo juris ab invicem differant. 4. Quod jus *proxime* nonnisi temporalem destinationem respiciat, nempe pacem, tranquillitatem et securitatem civium.

Jus activum et passivum.

Jus seu potestas obligandi alterum ad actionem vel omissionem actionis vocatur *activum*, actio vero vel omissio actionis ab altero praestanda dicitur jus *passivum*. Jus passivum unius est correlativum juri activo alterius, quia alterum alteri respondet, non in eodem subjecto sed in diversis, seu juri respondet obligatio aliquid faciendi vel omittendi; atque hoc jus passivum vocatur *officium juris* seu *debitum*. In jure canonico, prout in cujuslibet juris disciplina, tum libertates tum obligationes explicandae veniunt.[6])

Ex ordine juris rite servato resultat *justitia*, quae est vel *generalis* vel *particularis*. Justitia *generalis* est virtus boni civis, per quam ordinantur actus omnium virtutum ad bonum commune.[7]) Justitia *particularis* definitur, quod sit constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.[8]) Et haec est vel commutativa vel distributiva vel legalis, quibus speciebus demum vindicativa adjungi solet.[9])

I. Sententiae falsae.

2. *De origine et fundamento juris.* Quaestio maximi momenti est, quae agitatur de origine et ultima ratione juris. Catholice sentientes jus ab ipso Deo repetunt, adversarii vero Deum, religionem, ipsam vel morum honestatem a jure exterminare nituntur. Hi nempe, ab hominis adaequata consideratioue recedentes, et a Deo omnis juris fonte deficientes, diversa de juris origine systemata statuunt aut omnino falsa, aut saltem inadaequata, quibus nimirum *ultima* juris ratio haud explicatur.

Systemata inadaequata.

a) *Ultima* juris ratio non explicatur in sententia eorum, qui omne jus inter homines deducunt aut ex hominum socialitate, aut ex necessitate salutis publicae, aut ex dictamine rationis vel conscientiae etc. Hujusmodi causae sunt quidem *proximae*,

---

[6]) Cfr. *Zallinger* instit. juris natur. p. 31. — Ceterum libertates et obligationes haud raro coincidunt, quotiescunque nempe aliquis jus suum activum non solum *potest* sed etiam *tenetur* exequi, cujus generis e. g. pleraque praesulum ecclesiasticorum sunt jura, quibus citra piaculum renuntiare non licet.

[7]) *S. Thomas* l. c. qu. 58. art. 5, 6.

[8]) *S. Thomas* l. c. art. 1.: «Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit.»

[9]) Justitia *commutativa* ordinat cives in communitate ad invicem, ut quilibet servet jus alterius. Huic proprium est, ut servet aequalitatem perfectam et arithmeticam, scil. ut quantum acceptum fuerit, tantundem vicissim detur aut restituatur. *S. Thomas* l. c. qu. 60. art. 2. *Schmalzgrueber*, Jus. canon. Prooem. n. 12. Justitia *distributiva* ordinat communitatem ad cives, quippe quae distribuit tam onera quam bona reipublicae juxta proportionem meritorum, facultatum et virium. Hinc eadem non constituit aequalitatem perfectam et arithmeticam, sed geometricam et proportionalem. Justitia *legalis* ordinat cives ad communitatem, quippe quae respicit primo et per se bonum communitatis, cujus quis membrum existit, obtinendum per legum observantiam. Justitia *vindicativa* per inflictionem poenae commeritae bonum commune procurat. Haec justitiae legalis executivam constituit.

sed non sunt *ultimae*, quia statutis hisce sententiis, ulterior semper quaestio exurgit: Cur socialitatis causa certa jura servari oportet? cur salus publica curanda est? cur rationis lumen aut conscientiae ductum sequi tenemur? etc. Recta et *ultima* horum ratio est voluntas Dei, qui vult, nos aliorum jura revereri ac salutem publicam pro viribus procurare, in omnibus denique ductum rationis sequi.

Systemata falsa.

b) Systemata prorsus falsa sunt:

α) Doctrina *Hobbesii*, qui fundamentum omnis juris ponit in jure conservandi se quibuscunque modis. Ex tali egoismi principio nedum jus sed potius bellum omnium in omnes fluere, manifestum est.

β) Doctrina moderna *pseudo-politicorum*, quorum alii jus omne ab imperantium, alii a populi voluntate deducunt, docentes, hoc praecise jus esse, quod legibus reipublicae statuatur et hisce legibus absolute obtemperandum esse. Sed doctrina haec (necessario fluens ex principio status, qui dicitur atheus) qua statuitur voluntatem humanam qua talem esse fontem juris, non tantum religioni,[10]) sed etiam rectae rationi adversatur. Sana etenim philosophia docet, dari aeterna et immutabilia juris principia, quibus omnes leges humanae, ut jus efficiant, necessario congruere debent. Quaecunque hominum ordinationes, si istis principiis adversantur, tam parum exhibent juris ideam, ut istiusmodi leges potius *injusta* sint hominum placita, neque ullam obligationem possint inducere. Igitur cujusque hominis, vel societatis humanae voluntas non potest esse fons ultimus juris. Ideoque (praecise et in se) prorsus falsum est dicere: *Jus est quod lex* (humana) *dictat*, sed potius dicendum: *Lex dictare debet, quod juris est.*[11]) Dici vix potest, quam perversa, quam exitiosa sit haec aevi nostri doctrina.

γ) Doctrina a modernis *pantheismi, materialismi* et *fatalismi* discipulis proposita, qua jus cum potestate physica, vel cum violentia feliciter perpetrata, plane confunditur. Ipsorum antesignanus est Spinoza, qui docuit: «Qui imperium tenent, jus habent ad omnia.» Hi fontem omnis juris

---

[10]) Syllab. n. 39: «Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.» In Alloc. sub 8. Dec. 1864 perstringitur sententia docens: «voluntatem populi, publica, quam dicunt opinione, vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem, ab omni divino humanoque jure solutam.»

[11]) «Est enim lex secundum Isidorum (Etym. lib. V. cap. 3.) constitutio scripta: et ideo lex non est ipsum jus proprie loquendo, sed aliqualis ratio juris.» *S. Thomas* l. c. qu. 57. art. 1.

ultimum nunc jura *virium* esse dicunt, nunc facta, uti dicunt, *consummata,* nunc *fortunatam facti injustitiam* i. e. ipsam laesionem juris prospere in exitum deductam. Jus vero ab honestis gentibus conditum omnino contemni et everti posse, si utilitas hoc poposcerit. Hujusmodi principia religioni, sanae rationi, societati humanae e diametro adversari, luce meridiana clarius est. Hinc haud semel a Ss. D. N. Pio IX. sunt proscripta.[12])

II. Vera sententia

Sententia unice vera est, ultimam juris rationem a Deo ipso esse repetendam, seu Deum esse auctorem et institutorem juris, et quidem duplici modo: 1) Deus est omnis juris *causa efficiens.* Nam Deus hominem ad imaginem suam creavit, certis facultatibus et bonis instruxit, cum aliis hominibus socialiter vivere fecit, voluitque, ut in certo statu ad aeternam beatitudinem adspiraret. His omnibus positis firmus simul ordo juris positus est, ex his rerum complexionibus sponte proveniens, posita est *sphaera juris* unicuique competens, ab aliis reverenda, positum est ergo jus; proindeque Deus ipse est auctor juris. — 2) Deus est *causa* juris *exemplaris.* Nimirum lex increata in Deo, quae nihil aliud est, nisi sapientia divina, dirigens creaturas ad suum finem, est exemplar, cum quo humanae leges congruere debent, et a quo justitiam et aequitatem accipiunt. Probatur ex antecedenti. Nam si voluntas Dei est primarius fons juris, omnes humanae leges ad voluntatem Dei, seu ad legem Dei aeternam conformari debent. Quodsi ab ea deflectant, injustae sunt. Confirmatur ex sententia proscripta: «Minime opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant» (Syllab. n. 56.). — Ergo jus sub omni respectu Deum habet auctorem, seu summa et ultima ratio omnium libertatum et obligationum in jure fundatarum a Deo capienda est,

Corollaria: a) Jus et religio, utut ab invicem differunt, ex uno eodemque tamen fonte dimanant, ideoque arctissimo nexu conjunguntur. — b) Observantia juris est pars officiorum, quae homini christiano incumbunt. — c) Ex dictis clarescit, quam perverse sentiant, qui abstrahendo a Deo et ultima hominis destinatione, fundamentum juris inquirunt, divinique Numinis metum ac religionem a jure eliminare student. Tali ratione omne robur adimitur juri, illudque necessaria sanctione privatur; sicque fundamento jurium everso, totum jus humanum imo vel ipsa humana societas corruat, necesse est.

---

[12]) Alloc. 18. Mart. 1861; 9. Juni 1862; 8. Dec. 1864; Syllab. n. 59: «Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta vim juris habent.» N. 61: «Fortunata facta injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.»

§ 2. Diversae juris species.

Juris divisiones.

Jus generatim sumtum in varias species distribuitur.

Jus naturale.

1. Dividitur in naturale et positivum. *Jus naturale* est lex aeterna et immutabilis a Deo tanquam naturae humanae auctore emanans, per lumen rationis cognita et ad operandum convenienter dirigens. Itaque lex naturalis 1mo ex creaturarum essentia manat et *necessario* existit; 2do lex naturalis ita hominum naturae congenitum est, ut cuilibet rationis capaci ejusdem principia saltem primaria innotescant.[1]) Ceterum jus naturae quodammodo fons est omnis alterius juris et haec est ratio, cur Tullius naturam stirpem omnium jurium adpellaverit.

Jus positivum.

Jus positivum est, quod ab aliqua auctoritate per speciale effatum conditur. Discrimen utriusque per se patet. Jus enim naturae immutabile est et ex rerum essentia et constitutione intrinseca provenit. Jus vero positivum variabile est, quia ex libera legislatoris voluntate descendit, qui leges suas locorum, temporum, personarum aliarumque circumstantiarum exigentiae accomodat.

Divinum et humanum.

2. Jus positivum subdividitur in *divinum*, quod a Deo vel Christo homine-Deo, et *humanum*, quod proxime ab humana auctoritate conditum est. Utrumque cum sit accidentale et potuerit non constitui, rationis humanae lumine haud innotescit sed aliis mediis promulgari debet.

Species juris humani.

3. Humani juris triplex distinguitur species: jus ecclesiasticum, jus gentium et jus civile.

Jus *ecclesiasticum* ex parte potiori quidem est humanum. Primaria autem principia a Christo constituta ideoque auctoritatis divinae sunt ac praeterea codices ecclesiastici haud pauca continent decreta juris divina tum naturalis tum positivi.

Jus *gentium* (a Grotio aliisque post ipsum scriptoribus in specialem disciplinam redactum) est illud, quo gentes fere omnes saltem cultae in suo convictu utuntur. Jus gentium ex parte quidem *naturaliter* a Deo mentibus hominum inditum est et lumine rationis innotescit; sed, humanis utilitatibus aut necessitatibus exigentibus, populi praeterea vel moribus et usu constanti vel expressis verbis in quaedam mutua commercia et jura convenerunt ad ipsorum felicitatem et commoditatem ordinata (jus

[1]) Hinc s. Paulus (Rom. 3, 15.) dicit, hanc legem scriptam esse in cordibus hominum; cui et ipsi gentiles assentiunt. «Est ergo (ita Seneca [epist. 65. ad Lucilium] jus naturae describit) a Deo tamquam naturae auctore impressum inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicae actus humanos liberos ad bonum justumque dirigimus.» Cicero (pro Milone) jus naturale dicit «legem non scriptam, quam non didicimus, legimus, verum ex ipsa natura hausimus, accepimus, expressimus; ad quam non docti sed facti; non instituti sed imbuti sumus.»

gentium primarium et secundarium). Hujus exempla sunt: inco-lumitas legatorum, jus bellum gerendi ad vindicandam injuriam aut ob damnum ab alio populo illatum; belli solemnis denuntiatio; jus sepulturae, vi cujus cadavera terrae mandari debent etc.

Jus *civile* stricte sumtum constat legibus positivis in bonum temporale civium alicujus reipublicae auctoritate civili latis. Jus civile fundatur jure naturali quod per illud tum explicatur tum indigentiis civium vario accomodatur.

§ 3. Juris ecclesiastici notio.

Definitio.

1. Jus ecclesiasticum objective spectatum definiri potest: *Complexus legum a legitima auctoritate conditarum, quibus ordo externus ecclesiae determinatur et actiones fidelium diriguntur ad finem ecclesiae proprium.*

Dicitur a) *Complexus legum.* Jus ecclesiasticum non continet consilia tantum et suasiones,[1]) sed leges stricte tales ad quas observandas fideles etiam judicio externo et poenis cogi a rectoribus ecclesiae possunt. Et hae leges determinant tum jus objectivum ecclesiae tum singulorum et libertates et juris officia.

b) *A legitima auctoritate conditarum.* Nimirum legislatores legitimi in ecclesia sunt episcopi ac praesertim Romanus Pontifex. Pontifex et concilia oecumenica leges universales statuunt. Leges vero particulares ab episcopis singulatim a synodis particularibus etc. dantur.[2]) Summi Pontificis tanta est potestas, ut omnes leges ecclesiae *universales* vim non obtineant, nisi aut immediate ab eo condantur, aut, accedente ipsius auctoritate, adprobentur ac firmentur.[3]) —

[1]) «Auctorem fidei» n. 5. Nonnulli canonistae moderni in concipienda juris eccles. notione aberrant, eo quod jus ecclesiae intrinsecum et natura sua proprium non agnoscant, alia jura ipsi non addicentes, quam quae a societate civili ei tribuantur. Hi aquam jam ab initio, seu jam in primo fonte turbidam faciunt. Cfr. § 1. 2. b. γ. et infra § 27.

[2]) Canonistae antiquiores has leges *particulares* ad jus canonicum non solent referre, sed eas dumtaxat leges, quae ab auctoritate in universos fideles jurisdictionem habente conditae vel firmatae sunt. Hinc jus eccles. paulo arctius concipiunt tanquam systema legum a *suprema auctoritate* conditarum etc., dum nonnulli ex recentioribus juris eccles. conceptum latius sumunt, illud definientes: *Complexio legum a quocunque, potestatem legislatricem in ecclesia habente, conditarum.*

[3]) Insignis isthaec Pontificis potestas ab auctoribus interdum in ipsa definitione exprimi solet. Jus canonicum, ajunt, est «jus positivum, quod a summis Pontificibus constitutum vel adprobatum ecclesiae traditum, fideles proxime ad cultum divinum, pacem et justitiam christianam conservandam, ultimato autem ad aeternam beatitudinem tanquam ad ultimum finem consequendam dirigit.» Schmalzgrueber in Proem. — Bouix (de principiis juris canonici Monaster. 1853. p. 53.) jus can. definit: «Complexio legum auctoritate Papae *firmatarum*, quibus fideles ad finem ecclesiae proprium dirigantur.»

In sensu latiori ad *jus ecclesiasticum* etiam illae normae pertinent, quae a *potestate civili* in ordine ad politiam ecclesiasticam salubriter sunt sancitae. Verum, quod bene notandum, leges a potestate civili injuste editae perperam ceu pars juris ecclesiastici considerantur, eo quod potius usurpationem juris quam jus contineant.

c) *Quibus ordo externus ecclesiae determinatur.* Non omnia ecclesiae praescripta (saltem in sensu stricto) ad jus ecclesiasticum pertinent, sed ea dumtaxat, quae ordinem juris seu politiam ecclesiae spectant. Hinc actus, quorum objectum externe cognosci haud potest, e. g. effectus, essentia, dispensatio Sacramentorum non sunt proprie de materia juris canonici.[4]) Consequenter non *quaevis* transgressio normae alicujus ecclesiasticae involvit violationem *juris,* sed illa dumtaxat, qua ordo ecclesiae essentialiter laeditur. Haec sola poenis ecclesiae subjacet.

d) *Fidelium actiones diriguntur ad finem ecclesiae proprium.* Quibus verbis enuntiantur juris ecclesiastici subjectum, objectum, forma et finis. *Subjectum* sunt omnes fideles. *Objectum materiale* sunt actiones fidelium, dirigendae per leges. *Forma* seu *objectum formale* est rectitudo, quae per legum directionem in fidelium actus inducitur. *Finis proximus* est bonum societatis christianae, seu justitia christianorum, maxime in actibus externis relucens. *Finis remotus* est aeterna beatitudo.

2. Varia sunt nomina, quibus jus ecclesiasticum donari usuvenit. Dicitur

Varia nomina: Jus sacrum.

a) jus *sacrum* ab *auctore* suo, qui est persona sacra, nempe Christus et ecclesiastica potestas ab ipso instituta; a *materia,* de qua tractat; a *fine,* ad quem dirigit, qui est commune bonum et beatitudo aeterna fidelium.

Jus divinum.

b) Jus *divinum,* non quod vere divinum sit (est enim a parte potiori humanum), sed quia *vel* continet quaedam decerpta ex s. litteris, *vel* quia leges sunt conclusiones deductae ex principiis legis divinae, *vel* quia influente Spiritu s. ab ecclesia sunt conditae.

Jus pontificium.

c) Jus *pontificium* partim ut opponatur juri caesareo seu civili, partim ut hac denominatione auctoritas Papae in condendis ecclesiae legibus significetur, quae tanta est, ut omne jus universale a sola ipsius voluntate suum robur obtineat ab eoque conditum, vel approbatum esse debeat, juxta antea dicta.

[4]) Generatim sacramenta, caeremoniae etc., *per se* non sunt stricte materia juris sed eatenus tantum, quatenus istiusmodi actiones relationem aliquam juridicam connexam habent e. g. *baptismus,* quatenus est janua, per quam homo ingreditur in ecclesiam certaque jura adipiscitur; *ordinatio* in tantum est materia juris, in quantum illius tum *conditiones* tum *effectus* juridice considerandi sunt.

d) Jus *canonicum* a voce graeca *canon,* quae proprie architectorum instrumentum ad lineas dirigendas indicat, tropice vero regulam seu normam, cui actiones nostrae debent conformari, denotat. Etymologice hoc nomen omnes leges, etiam civiles, comprehendit, sed ex recepto stylo *canones* ad solas constitutiones ecclesiasticas restringuntur, voce autem *legum* ordinationes etiam civiles denotantur.[5]) In hoc sensu exclusivo jam concilia Ancyranum (314) et Nicaenum I. etc. nomen canonis usurparunt. — Nomenclatio *juris canonici,* jam saeculo 8. usitata, frequentari coepit, ex quo variae juris collectiones *liber canonum, corpus canonum* inscribi solebant. Jus canonicum.

e) Tandem vocatur jus *ecclesiasticum* tum ratione materiae, quia agit de rebus et personis ecclesiasticis, tum ratione originis, quia a superioribus ecclesiasticis sancitum est. Nomina *juris canonici* et *juris ecclesiastici* a nonnullis scriptoribus promiscue usurpantur. At stricte loquendo in eo differunt, ut *jus canonicum* restringatur ad leges in corpore juris canonici contentas, *jus* autem *ecclesiasticum* etiam extendatur ad leges, quae clauso jam corpore juris usque ad hoc tempus sunt confectae.[6]) Jus ecclesiasticum.

3. Jus canonicum diversimode considerari ac dividi potest. Divisio.

Et quidem dividitur

a) Ratione *materiae* in jus *publicum* et *privatum. Illud* ecclesiae totius illorumque, qui ecclesiastica potestate instructi sunt, *hoc* singulorum ecclesiae membrorum jura et obligationes determinat, In qualibet enim republica quaedam publice utilia sunt, quibus salus reipublicae continetur, alia vero ad commodum et utilitatem singulorum pertinent. Jus publicum rursus in internum et externum dividunt; *internum,* quod exhibet constitutionem ecclesiae nexumque rectores ecclesiasticos inter et subditos qua tales; *externum,* quod relationes ecclesiae ad reliquas societates et jura inde profecta explicat. Ratione materiae.

---

[5]) *Gratianus* ad D. 3. in princ. § 1: «Ecclesiastica constitutio canonis nomine censetur.» Ib. ad c. 2: «Canonum alii sunt decreta Pontificum, alii statuta conciliorum.»

[6]) In hoc sensu *jus canonicum* strictius sumendum est, quam *jus ecclesiasticum,* quia hoc non solum in Corpore j. c., sed etiam in recentioribus fontibus continetur. Ex altera vero parte *jus canonicum* latius patet, quam *jus ecclesiasticum,* quia Pontifices in Corpore j. c. plura constituerunt, quae non stricte ad jus ecclesiae sed etiam ad ordinem civilem pertinent. (Cfr. *Vering,* Lehrbuch der K. R. Ed. II. p. 7.) — Hincinde hodie *jus canonicum et jus ecclesiasticum* ita ad invicem comparantur, ut ad illud stricte leges ab auctoritate ecclesiastica conditae recenseantur, ad hoc vero etiam leges potestatis civilis legitime et in bonum ecclesiae editae.

Ratione extensionis.

b) Ratione *ambitus* et quidem *primo* ratione *extensionis localis* in *universale* et *particulare*. Illud pro tota ecclesia latum est et per se ligat universos fideles, eo non obstante, quod nonnulli titulo dispensationis, privilegii et consuetudinis legitimae accidentaliter a communi obligatione eximantur. Nam propterea non cessat ratio et denominatio juris universalis. Particulare vero certis tantum personis vel locis e. g. dioecesibus, provinciis et regnis proprium est atque domesticum. Ratione *extensionis personalis* dividitur in jus *generale* seu jus quod suppositis supponendis semper et pro omnibus ceu regula valet et *speciale* quod contra vel praeter regulam pro certis casibus statutum est, ita, ut in aliis similibus casibus nequeat in exemplum deduci. Ad leges speciales pertinent etiam privilegia. Jus generale dividitur in jus *commune* et jus *singulare*. Jus *commune* obligat omnes in communi, quia nititur rationibus universalibus ideoque practice coincidit cum jure universali. Jus vero *singulare* ex rationibus aequitatis singularia statuit pro certis personarum classibus et institutis e. g. pro clericis, religiosis, exemtis etc.[7])

Ratione originis.

c) Ratione *originis* est vel *divinum*, quod a Christo aut ab apostolis nomine Christi latum, vel *humanum*, quod a magistratibus ecclesiae conditum est.

Ratione temporis.

d) Ratione *temporis* dispesci solet in *antiquum*, quod leges ecclesiasticas inde ab ecclesiae incunabulis usque ad Gratiani decretum (1151) editas continet: in *novum*, quod leges continet a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum editas: in *novissimum*, quod leges a Concilio Tridentino sancitas et post hoc tempus editas complectitur. Nonnulli *juris novi* epocham a falsarum decretalium collectione, quae circa medium saeculi 9. in lucem prodiit, exordiuntur. Isti volunt, per falsas decretales veterem disciplinam in deterius commutatam novumque jus canonicum per eas inductum fuisse. Sed perperam, ut suo loco dicetur (§ 14. 3. f.). Rigorose loquendo quoad substantiam idem semper jus est, potestque haec distinctio nonnisi in hunc finem admitti, ut historicae juris ecclesiastici vicissitudines aliquo modo significentur.[8])

§ 4. Jus canonicum quatenus est disciplina peculiaris.

1. Disciplina juris canonici, ab ipso jure canonico, seu a complexu legum, eodem discrimine differt, quod inter religionem

---

[7]) Cfr. *Vering* K. R. p. 5. *Schulte* v. d. Quellen d. K. R. p. 22.

[8]) Nonnulli epochas ita distribuunt, ut jus *antiquum* adpellent, quod ante concilium Tridentinum vigebat, *novum*, quod statuit dicta synodus, *novissimum*, quod decretis deinceps usque in praesentem diem editis constat. Haud minus in exordienda novissimi juris epocha interlimitatio vacillat.

et religionis scientiam intercedit. Jus canonicum quoad summa capita cum ecclesia ipsa conditum est; juris autem scientia post saeculorum demum decursum excoli coepit, nimirum cum leges ecclesiasticae ab hominibus doctis in ordinem systematicum redigerentur.

Definitio.

Igitur disciplina, quae versatur in explicandis juribus ecclesiasticis legibusque, quibus definiuntur, jurisscientia ecclesiastica vocatur, quae proinde non est, nisi *scientifica exhibitio seu cognitio legum ecclesiasticarum* vel prout Zechius eam definit, *systema legum sacrarum*. Patet, haec duo ad scientiam juris sacri pertinere: eruditam et solidam legum ecclesiae cognitionem (in docentibus etiam expositionem) et materiarum dispositionem systematicam, quamvis in jure canonico plus referat, singulas leges bene nosse, quam earum conspectum systematicum mente tenere. — Scientia juris ecclesiastici a nonnullis cum *jurisprudentia* confunditur; sed haec, accurate loquendo, potius habitus practicus est, nimirum illa dexteritas seu facilitas leges practicas rite interpretandi occurrentesque casus principiis canonicis applicandi, quae subinde etiam *jurisperitia* nuncupatur.

Munus et officium.

2. De munere juris canonici et methodo, quae in eo tradendo adhiberi debet, haec pauce attigisse sufficiat.[1]) Munus seu officium disciplinae canonicae in eo consistit, ut juris ecclesiastici exhibeatur substantia, historica evolutio, singularum partium connexio, aliis verbis: necesse est ut 1) leges vigentes fideliter exponantur; 2) ut earundem discrimina et mutationes per decursum temporum ostendantur; 3) denique ut singula jura legesque apto ac genuino ordine pertractentur. Ex quo sequitur, triplicem methodum in institutionibus canonicis adhibendam esse: practicam, historicam, philosophicam. Methodus *practica* legitimo ordine leges vigentes conspectui exhibet, ut ii, qui huic studio incumbunt, claram et distinctam canonum cognitionem sibi acquirant. Methodus *historica* explicat progressum juris, qua ratione leges et institutiones hodie existentes ad praesentem statum devenerint. Denique methodus *philosophica* in eo versatur, ut leges ecclesiae in sua connexione ad invicem, nec non in sua relatione tum ad ideam et spiritum ecclesiae tum ad universalis juris sacri principia explicentur, nec non ut ostendatur, quem influxum tum temporum tum gentium conditio habuerit in formationem juris ecclesiastici. Denique refert, ut doctus canonista claras distinctasque legum notiones formet, singula legitimo ordine evolvat, eaque, quae ad eandem materiam pertinent, suo loco collocare studeat. Tali modo certa, distinctaque ac pragmatica legum cognitio a discentibus

[1]) *Walther*, K. R. § 4.

haud difficulter acquiri poterit, et quidem talis, ut individualia a fundamentalibus, accidentalia ab essentialibus, temporaria ab immutabilibus distingui possint. Sic demum reverentia canonum et *rationabile* erga eos *obsequium* egregie promovetur.[2])

3. Jurisscientiae sacrae *necessitas, utilitas* et *praestantia* ex rationibus qua internis qua externis facile probari potest.

Rationes intrinsecae.

Utilitas pro laicis.

a) Res, quae jurisprudentiae sacrae objectum constituunt, scitu tam utiles atque dignae sunt, ut vel *laicorum* cultorum studia excitare debeant. Mira quippe legibus s. inest sapientia, maturitas et ad suum finem aptitudo. Admirabilis porro est canonum cum dogmatibus congruentia, ita ut leges corollaria ex principiis dogmaticis deducta esse videantur. Hujus conformitatis cognitio magnam animo ingerit erga ecclesiam aestimationem, quia ex ea perspicuum fit, disciplinam canonicam esse quasi apologiam practicam religionis catholicae. Certe laudem merentur homines cultioris ingenii qui leges suae rei publicae politicae addiscere student; tanto magis decet viros catholicos leges suae ecclesiae nosse, maxime vero illos, qui causas dicunt, vel reipublicae adsunt. —

Necessitas pro clericis.

Praeprimis vero *theologiae studiosis* canonum scientia necessaria est. Nam jus ecclesiasticum cum theologia ita cohaeret, ut (ait Berardi),[3]) qui insalutata canonum disciplina theologus audit, theologiae dimidium tantum possideat. — Summae vero tum utilitatis tum necessitatis est studium juris canonici pro *praxi sacerdotali*. Jurisprudentia s. merito Theologia rectrix nuncupatur, quia omnis clerici et sacerdotis vita et activitas per eam dirigitur. Ex ea sola hauriuntur, quae sacerdoti circa munia, beneficia, jura privilegiaque clericis obvenientia scitu necessaria sunt. Pro administrando etiam poenitentiae sacramento canonum studium egregie prodest, quia permultas implicatissimorum conscientiae casuum solutiones suppeditat, quas sacerdos sine suo et poenitentium

Pro praxi sacerdotali.

---

[2]) Verum sedulo cavendum ab excessibus et abusibus in adhibenda methodo tum historica tum speculativa. Methodo *historica* haud recte utuntur, qui jus certa epocha efformatum exemplar ac prototypum omnium temporum esse opinantur atque volunt, ut jus ecclesiae semper et ubique ad normam illius aevi reducatur. Sic e. g. Protestantibus status ecclesiae apostolicae ita placet, ut disciplina deinceps efformata nonnisi corruptela et atra caligo ecclesiae splendorem obnubilans ab ipsis reputetur. Alii vicissim medii aevi disciplinam saeculo etiam nostro attemperari desiderant. — Methodo *philosophica* abutuntur, qui non ex fontibus genuinis, sed ex suo ingenio ideam ecclesiae ejusdemque jus naturale, uti dicunt, sibi fingunt sicque ex falsis principiis falsum deducunt juris canonici systema. Cum ecclesia a Christo peculiarem formam et constitutionem acceperit, nihil absurdius cogitari potest, quam si tractationis canonicae exordium ab imaginaria ecclesiae idea desumatur.

[3]) Comment. in jus eccles. praefat.

detrimento ignorare non potest.[4]) — Ad munus *parochiale* rite gerendum canonum scientia maxime est necessaria, quia officia pastoralia non juxta placita proprii sensus, sed juxta normas ab ecclesia praescriptas peragi debent. Haud raro etiam sacerdoti curato cum magistratu civili certa negotia pertractanda sunt. Idcirco nexum utriusque potestatis ex asse cognitum atque perspectum habere debet, ne aut aliena jura invadat aut propria dimittat. «Hujus igitur studii praesidio destitutus vix communibus clerici officiis rite perfungi, nedum munus aliquod publicum decenter gerere quiverit.»[5]) Pro cura animarum externa.

Summi autem momenti est studium canonicum hac ipsa, qua vivimus, aetate, eoquod inimici ecclesiae nihil inexpertum omittunt, ut ejusdem jura subvertant.

b) Juris canonici utilitatem et excellentiam magnis encomiis doctores celebrant,[6]) dicentes, canones proximum post s. scripturae thesauros locum habere, dignitateque sua et usu omnes alias scientias longe superare ac propterea s. jurisprudentiam vere posse nuncupari scientiam scientiarum. Sed efficacius quam hominum privatorum sententiae (quas enumerare omittimus) nos movere debet ecclesiae auctoritas, quae studium juris canonici clericis non commendavit tantum, sed et imperavit.» Sciant sacerdotes (concil. Tolet. 4. can. 26) scripturas s. et canones et omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat.»[7]) «Nulli sacerdotum liceat canones ignorare.»[8]) Concludimus cum sententia cl. Pirhing: Quantumcunque labor hic sit difficultate ferreus, utilitate tamen est aureus. Rationes extrinsecae.

§ 5. Scientiae subsidiariae juris canonici.

Scientiae, quae ad utilitatem studii canonici conferunt, sunt cum sacrae tum profanae.

1. Imprimis *disciplinae theologicae* cum jure ecclesiastico ita cohaerent, ut dum aliae lucem iu jus canonicum diffundunt, aliae, nimirum Theologia moralis et pastoralis, lucem et subsidia mutuentur a jure canonico. Igitur egregias studio s. jurisprudentiae suppetias ferunt: Disciplinae auxiliares. 1. theologicae,

a) *Exegesis biblica,* quia s. scriptura continet quasi lineamenta juris ecclesiastici, sicut vice versa canones (ut ait Petrus Blesensis) sunt supplementa evangeliorum et prophetiarum.

---

[4]) *Philipps,* K. R. I. p. 25.
[5]) *Schenkl,* Instit. p. 60.
[6]) Cfr. *Bouix* de principiis juris can. p. 59.
[7]) C. 1. D. 38.
[8]) C. 4. ejusdem Dist.

b) Studium *s. Patrum* et *conciliorum,* quia et Patres et concilia sat amplam, quibus jus canonicum constituitur, fontium partem efficiunt.

c) *Theologia dogmatica,* tum quia generatim dogmata sunt fundamenta canonum, tum quia in specie ad complures quaestiones canonicas solvendas principia dogmatica in subsidium vocari debent.

d) Fortissimum praesidium et potentissimum subsidium jus canonicnm sibi emendicat ab *historia ecclesiastica.* Ea magistra ac duce ortum et progressum juris, incunabula, fata, vicissitudines disciplinae ecclesiasticae edocemur; illa facem praefert, ne tenebris circumfusi in syrtes et scopulos incidamus. — Pariter illae disciplinae, quae studio historiae adjumento sunt, per hoc etiam juri canonico inserviunt, veluti geographia ecclesiastica, scientia statistica, numismatica, heraldica, sphragistica, diplomatica ac praesertim archaelogia, per quam status juris et disciplinae antiquitatis ex professo dilucidatur.

Profanae. 2. Disciplinas profanas quod attinet, juris canonici cultor praeprimis studio tum *juris naturalis* (supra § 2. 1)[1]) tum *juris civilis* incumbat necesse est. Jus canonicum scite a cl. Phillips annulus nuncupatur, quo jus civile cum theologia connectitur. Sicut enim juris civilis peritus canonum notitia carere nequit, ita nec canonistae jus profanum negligere licet. Quod ex obvia consideratione patet. *Primo* canonistam in jurisprudentia publica universali versatum esse oportet. Undenam enim modos loquendi juridicos addiscet, nisi ex institutionibus juris civilis? Quomodo leges canonicas rite intelliget recteque interpretabitur, si ingenium *juridice* excultum non habet? Quomodo denique in praxi et tribunalibus suam doctrinam exercebit, nisi prima juris civilis elementa calluerit? *Secundo* in specie jurisprudentia tum Romana tum Germanica canonistae necessaria est, quia utraque arcto nexu cum jure ecclesiae cohaeret. Quippe cum ecclesia per imperium Rom. primo diffusa esset, ecclesiae leges et Romanorum jus mutuo sese per plura saecula compenetrarunt, complures insuper leges civiles in jus ecclesiasticum transsumtae sunt, utrumque demum jus in publicis Academiis explanatum est. Hinc ingens *utriusque juris* commercium et frequens apud canonistas ad jus civile Romanum recursus.[2])

[1]) «Jurisprudentia naturalis aliis disciplinis largiter dat mutuum, ut adeo, si qua existit jurium ambiguitas, aut si qua gravior in scholis controversia agitatur, ea vix habeat exitum, nisi dirimente naturali jure, aut certe quidem consilium ac velut lumen subministrante.» (*Jac. Zallinger:* de usu et systematica deductione juris naturalis et eccles. publici § 4.)

[2]) Satis notum est illud: «Ecclesia vivit lege Romana.» — De codice juris civilis Romani haec pauca annotasse sufficiat. Cum in imperio Romano

Multum porro lucis affunditur juri ecclesiastico ex moribus, consuetudinibus et legibus antiquis *Germanorum,* maxime ex Capitularibus regum Francorum, utroque speculo Suevico et Saxonico, in materiis de feudis, de judiciis, criminibus, juramentis etc., circa quas ecclesia haud pauca Germanorum moribus propria suae legislationi inseruit.[3])

Insuper notitia juris civilis domestici studium juris canonici insigniter juvat, quod per se intelligitur. Nec denique praetereundum, in jure Mosaico aliquarum ecclesiae legum et institutorum initia esse quaerenda.

§ 6. De juris canonici adminiculis.

Praeter scientias subsidiarias juris s. studioso praesto sunt quaedam adminicula, quae propius huic studio inserviunt, libri nempe et scripta, in quibus de rebus canonicis ex professo disseritur. Vix datur disciplina uberius exculta, quam s. jurisprudentia. Innumeri quippe doctores in ea explananda et perpolienda tempus ac vires insumsere. Equidem tum saeculo 18. ad finem vergente tum primis decenniis studium canonicum haud parum elanguit, quin et in errores deflexit; at hoc tempore hoc studium denuo laetissime reflorescere coepit atque optimae notae doctores hunc campum excolere adlaboraverunt.

Scripta juris s. studiosis inservientia non ejusdem sunt generis et ordinis. Sunt nimirum haec potissimum:

1) Libri in jurisprudentiam canonicam, in ejus historiam, litteraturam fontesque introducentes.[1])

---

novae semper leges ad veteres accessissent (e. g. leges 12 tabularum, plebiscita, senatus consulta, edicta praetorum, placita principum etc.), adeo in immensam tandem excreverunt molem, ut duo pene millia librorum implerent. Quapropter reductio, quam meditatus jam erat Julius Caesar, facta est primo sub Adriano Imperatore, deinde (401) sub Theodosio minore, donec tandem Imperator Justinianus (circ. a. 593) jus universum in unum corpus variis libris distinctum per jurisperitos redigi fecit, quod sub nomine «corporis juris civilis Romani» omnibus notum est. Ejus auctoritas saeculo 12. maxime crevit, quippe cum per totam ferme Europam in scholis et judiciis publice usurpari coepisset. Corpus juris civilis clausum partibus quatuor constat: 1. Digestis seu Pandectis; 2. Institutionibus; 3. Codice; 4. Authentico seu Novellis. Plura desuper habet *Bouix* l. c. p. 40. seq. — *Vering,* Geschichte und Pandecten des röm. und heutigen Privatrechtes. Mainz 1875. — *Vidmar,* Introductio in corpus utr. juris Viennae 1886 p. 95. seq.

[3]) *Phillips,* deutsche Reichs- und Rechtsgeschichte, München 1845.

[1]) E. g. *Bouix,* de principiis juris can. (Monast. 1853); *Doujat,* Historie du droit canonique 1677; *Riegger,* Introd. et prolegomena ad jus eccles.; *Zech,* praecognita jur. can. 1766 etc. Cfr. *Schulte,* Lehrbuch (ed. 3. § 13. seq.), ubi diversi generis scripta ad jus eccl. pertinentia, plene et perfecte enumerantur. *Hurter,* Nomenclator litterar. inde a Conc. Trid. Oenip. 1872 seq.

2) Collectiones fontium juris canonici, nempe conciliorum tum generalium tum particularium. Ex his alio loco quae notatu sunt dignissima indicabuntur.[2])
3) Collectiones diversarum juris canonici materiarum, repertoria (ordine alphabetico plerumque disposita), scripta periodica, quae continent lucubrationes canonicas.[3])
4) Dissertationes in capita quaedam juris s. singularia, quas monographias vocant. Earum mentio in decursu operis fiet.
5) Opera systematica juris canonici vel breviori vel fusiori calamo exarata, sive ordinem Decretalium imitantes, sive alia ratione digesta.[4])

---

[2]) *Maassen,* Geschichte d. Quellen und der Literatur des Kan. Rechts im Abendlande bis zum Ausgange des Mittelalters. Graz t. 1. 1870—1871. *Walter,* fontes juris ecclesiastici antiqui et hodierni. Bonn 1861.

[3]) *Ferraris* prompta bibliotheca jur. canonici. Ed. Rom. 9 Voll. in 4. Ed. noviss. Mont. Cassin. 1844; *Andr. Müller,* Lexicon des Kirchenrechts. 5. t. 8; Opera *Benedicti XIV.* praesertim opus «de synodo dioecesana» et «institutiones ecclesiasticae»; *Schmidt Ant.,* Thesaurus jur. eccles. Würzburg 1772—79; *Aschbach,* Kirchenlexicon; *Freiburg,* Kirchenlexicon. Ed. rec.; *Anacleta juris pontificii,* Rom. 1855 seq.; *Acta* ex iis decerpta, quae apud s. sedem geruntur etc. Rom. 1865 seq.; Collectio brevior: *Nuntius Romanus,* Rom. 1882. Salv. *Pallotini,* Collectio omn. conclusionum et resolutionum, quae . . . s. Congr. Conc. Trid. interpretum 1564—1860 prodierunt ordine alphab. digesta Rom. 1868; *Moroni,* Dizionario di erudizione storico — eccles. 1839 seq. (compl. 103. vol. 8); *Moy* et *Vering,* Archiv des Kirchenrechtes. Innsbruck 1857—60 et deinceps Moguntiae. — Sparsim de rebus canon. tractant plures ephemerides catholicae e. g. der Katholik; Tübingen Quartalschrift; Linzer Monatsschrift; Innsbrucker Zeitschrift für kathol. Theologie; Pastoral-Blatt von Augsburg, Bamberg; Brixner Kirchenblatt etc.

[4]) Inter auctores antiquiores memoratu dignissimi sunt; Paul. *Laimann* † 1635; Augustin. *Barbosa* † 1649; *Gonzalez Tellez* † 1670; Ludov. *Engel* † 1674; Ernest *Pirhing* (Diling. 1675); ejusdem *Synopsis* Rom. 1849 edita; *Prosper Fagnani* (doctor caecus oculatissimus); Anaclet. *Reiffenstuel* † 1704; Jac. *Wiestner* † 1705; Fr. *Schmalzgrueber* † 1746; Laur. Vigil. de *Nicollis* Salisb. 1729; Vit. *Pichler* † 1733; Ubald. *Giraldi* Rom. 1769; Car. Seb. *Berardi* Venet. 1789; Gr. *Zallwein* † 1766; Joann. *Devoti,* Instit. canon. l. 4. Rom. 1785. Ed. 5. Gandae1852; ejusdem Juris canon. univ. l. 5. (incomplet.); *Van Espen* Jus eccles. universum (Jansenista.); Jac. *Zallinger,* Instit. juris eccles. Aug. Vind. 1793. Inter auctores hujus saeculi hos laudasse sufficiet; Ex Italis: *Soglia,* Instit. jur. publ. eccles. Lauret. 1844. Instit. jur. priv. et publ. Paris 1859 seq.; *Tarquini,* Instit. jur. publ. Rom. 1868; *Pecorelli,* Jur. eccles., maxime privati Instit. cet. Neapoli 1847; *Ferrante,* Elementa jur. canon. Rom. 1854; *Ferrari,* Summa instit. canon. Genuae 1847; *Nardi,* Elementi di diritto eccles. Padova 1854; *Vascotti,* Enchirid. jur. canon. Rom. 1852; *Phil. de Angelis,* Praelect. jur. can. ad method. decretalium Gregorii exactae etc. Rom. 1877. seq. (Opus incompl.); *Santi,* Praelectiones jur. can. L. I. et II. Ratisb. 1886; *Maschat,* instit. canon. Ed. Florentina 1854 et IV. 4. Ex Germanis: *Frei,* Krit. Commentar d. Kirchenrechtes. 1823—26; *Schenkl,* Instit. jur. eccles. Ed. 11. Ratisb. 1853; *Walter,* Lehrbuch d. Kirchenrechtes. 14. Aufl. 1871. v. Gerlach; *Permaneder,* Handbuch d. Kath. Kirchenrechtes 4. Aufl. v. Silbernagl; *Phillips,* Kirchenrecht Regensb. 1845. seq. (Opus incompl.

Per se patet, eos solos juris canon. scriptores tuto et inoffenso pede a tironibus jurisprudentiae s. percurri posse, qui jus ecclesiae secundum ipsius sensum enucleare studuerunt, et a praeconceptis falsis opinionibus prorsus sunt immunes.[5]) Neque illos auctores negligere licet, qui peculiarem patriae disciplinam respiciunt.[6])

constans tom. 7. Continuatur a cl. Vering.) *Ejusdem:* Lehrbuch d. Kirchenrechtes 2. tom. Ed. 2. absol. 1862. In idioma latin. transl. a *Vering.* Ratisb. 1865; *Rosshirt,* Kan. Recht. Schaffh. 1857; *Schulte,* System d. allgem. Kath. Kirchenrechtes. Giessen 1856; *ejusdem:* Die Lehre von d. Quellen d. Kath. Kirchenrechtes. Giessen 1860; *ejusdem:* Lehrbuch d. Kath. Kirchenrechtes. Ed. 3. Giessen 1873; *Gerlach,* Lehrbuch d. Kath. Kirchenrechtes. Paderborn. 3. Aufl. 1876. *Winkler,* Lehrbuch d. Kath. Rechte, mit besonderer Rücksicht auf die Schweiz. Lucern 1862; *Vering,* Lehrbuch d. Kath., Orient. und Protestant. Kirchenrechtes. Freib. 1881. 2. Aufl.; *Silbernagl,* Lehrbuch d. Kirchenrechtes 1880. Ex coetu Protestantium praesertim, eoquod juris cath. quoque rationem habeant, nominandi sunt: *Richter,* Lehrbuch d. Kath. und Evang. Kirchenrechtes. Ed. 8. 1878. (Dove); *Otto Mejer,* Instit. d. gemeinen deutschen Kirchenrechtes. Götting 1856; *ejusdem:* Lehrbuch d. Kirchenrechtes 1869; *Em. Friedberg,* Lehrbuch d. Kath. und Evang. Kirchenrechtes. Leipzig 1878. (Opus eccles. cath. inimicum.) *Scherer,* Handbuch d. Kirchenrechtes t. 1. dimid. Graz 1885. Ex Gallis: Card. *Gousset,* Exposition des principes du droit. can. Paris 1859; *Bouix,* Instit. canon. in varios tractatus divisae. Paris. Lecoffre; *Dupin,* Manuel du droit publ. eccles. franc. Paris 1847; *Craisson,* Manuale totius j. c. Ed. 2. Rom. et Bruxell. 1865. Ludov. *Hueguenin,* Expos. methodica jur. canon. Paris 1867 (non immunis a vitio plagiatus). *Maupied,* Juris canonici univ. Compendium. Ed. Paris. Migne 1863. tom. 2. in 4.

[5]) Auctores, qui in *Curia Romana* magni habentur sunt: 1. *Ex Italis:* Fagnani, Monacelli, Card. Petra, Card. de Luca, Ferraris, Riganti, Devoti etc. 2. *Ex Hispanis:* Gonzalez Tellez, Barbosa, Suarez. 3. *Ex Germanis:* Pirhing, Engel, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Zallinger, Leuren etc.

[6]) Omnes fere juris s. scriptores jus patrium singulariter attendere solent, sed non omnes aeque diffuse. In Imperio Austriaco auctores ratione tam temporis quam doctrinae in duas classes distribui possunt. Prior eos comprehendit, qui doctrinas ab Imperatore Josepho II. nomen mutuatas defendunt, e quorum numero sunt: *Eibel. Rautenstrauch, Riegger, Pehem, Rechberger* aliique, quos Febronianos rectius quam catholicos dixeris. Praedecessorum suorum placita minus recta mitigavit quidem, sed non prorsus rejecit: *Helfert,* Handbuch d. Kirchenrechtes etc. 3. Aufl. Prag 1845. Ad alteram speciem pertinent, qui novissimo hoc tempore, sanioribus innixi principiis, campum jurisprudentiae cum singulari ad jus patrium attentione excoluerunt. Nimirum: *Theodor. Pachmann,* Lehrbuch d. Kirchenrechtes. Wien 1863, 1866. 3. Aufl. J. A. *Schöpf,* Handbuch d. Kath. Kirchenrechtes. Schaffhausen 1866. tom. 4. *Ginzel,* Handbuch d. neuesten in Oesterreich geltenden Kirchenrechtes. Wien 1857—62. tom. 2. *Cherrier,* Enchiridion juris ecclesiastici etc. Pest 1855. *Porubsky,* Jus ecclesiasticum Catholicorum. Ed. 2. Agriae 1858. Hi duo auctores disciplinae regni Hungarici peculiarem rationem habuerunt.

Subjungimus seq. auctores juris ecclesiae *orientalis* catholicae: *Papp-Szilagyi,* Enchiridion. M. Varasdini 1862; *Nilles,* Ἑορτολόγιον πρόλειρον . . . Calendarium manuale utriusque ecclesiae. Oenip. 1879; *Denzinger,* Ritus Orientalium, Coptorum etc. in administr. Sacram. Wirceb. 1864; *Hariesiewicz,* Annales eccles. Ruthenae gratiam et communionem cum Sede Apost. habentis etc. Leopoli 1862; *Malinowski:* die Kirchen- und Staatssatzungen bezüglich d. Ritus der Ruthenen in Galizien. Lemberg 1864.

§ 7. Ordo dicendorum.

Varia systemata.

1. Ut jus canonicum fructuose pertractetur, justus ac genuinus ordo necessarius est, quo materiae ita disponuntur, ut omnia in uno quasi conspectu posita videantur. Varia apud varios auctores systemata rerumque partitiones reperiuntur. Complures auctores, imprimis ex vetustioribus, in libris suis eum sequuntur ordinem, quem Gregorius IX. in quinque libris Decretalium adoptavit, quique in subsequentibus corporis juris canonici partibus pariter observatur. In hac partitione universa s. jurisprudentia ad quinque capita reducitur, quae versu continentur:

«Judex, judicium, clerus, connubia, crimen.»

Praeter hanc partitionem diu invaluit et adhucdum in usu est systema illud, quod ab institutionibus Justiniani desumtum, universam materiam in tres partes, nempe de *personis, rebus* et *actionibus* dispertit. Celebris itidem est partitio, qua Schenkl, Rechberger aliique quam plurimi usi sunt, qui jus ecclesiasticum dividunt in *publicum* et *privatum,* cujus divisionis jam supra (§ 3) mentio facta est. Omissis aliis jus s. partiendi modis, a recentioribus auctoribus saepe ingeniose magis quam utiliter excogitatis, ordinem in hac nostra tractatione servandum breviter indicabimus, quia rerum nexus in sermonis decursu per se apertius in oculos cadet.

Systema hujus libri.

2. Igitur universum jus canonicum in duas partes principaliores secabimus.

In parte generali agetur de juris eccl. fontibus tum *cognoscendi,* tum *essendi,* ergo I. de fontibus juris ecclesiastici in sensu proprio. II. De principiis generalibus juris s., seu de jure tum fundamentali tum sociali ecclesiae ad extra.

In parte speciali jura ecclesiae specialia duobus libris explanabuntur. Nam prout omnia etiam civilis reipublicae jura ad haec duo referuntur, scilicet ad ipsius *constitutionem vel* ad ejus *gubernationem,* sic idem plane valet intuitu ecclesiae. Quaeritur enim 1°, quomodo a Salvatore constituta et organice disposita sit et quae jura ex originaria ejus constitutione fluant; 2do quomodo regatur et quoad omnia administretur. Duo ergo genera jurium discerni queunt: eorum, quae cum ecclesiae *constitutione* cohaerent, et eorum quae ad *gubernationem* ecclesiae referuntur. Itaque libro I. *constitutionem* ecclesiae juraque cum illa cohaerentia enucleabimus, acturi de singulis, quibus ecclesia constituitur membris, scilicet tum de laicis tum de clericis, et quidem hos considerando in sua relatione ad ipsorum statum, ad officia et ad hierarchicam gradationem. Libro vero II. jura ad rectam ecclesiae gubernationem pertinentia exhibebimus; ita, ut clare appareat, qua ratione potestas ecclesiae propria, nec non singula objecta ad illam pertinentia administrentur.

PARS GENERALIS.

LIBER I.

De fontibus juris ecclesiastici.

§ 8. Praenotanda.

1. *Punctum quaestionis.* Prima quaestio, quae in limine studii canonici consurgit, est: Quinam sunt fontes genuini, e quibus jus ecclesiae hauriri debet? Haec quaestio duplicem habet sensum. Quaeritur primo: Quaenam est *causa efficiens,* quae jus eeclesiasticum in suo esse produxit eique vim obligatoriam conciliat, seu quis est ultimus quasi latex, ex quo singularum legum rivuli scaturiunt? Respondendum, ultimum quasi fontem juris canonici esse primario voluntatem Christi ecclesiam constituentis, secundario vero auctoritatem legislativam, ecclesiae a Christo concessam. Hae enim duae causae jus canonicum quoad specialem ipsius essentiam, qua exstat, producunt. Christus enim ecclesiae a se stabilitae simul jus essentiale impressit sicque auctor primarius juris ecclesiastici censendus est. Ecclesia vero potestate legislativa ab ipso instructa, et autorisata fuit ad ulteriores juris essentialis determinationes et remotiores exinde conclusiones faciendas. Ergo voluntas Christi et potestas ecclesiae legislativa sunt fontes ultimi juris canonici, seu uti exprimi solet, sunt juris canonici *fontes essendi.* Quaeritur vero secundo: Unde voluntas Christi et ecclesiae legislatio sumenda est, seu quaenam sunt *legitima depositoria,* ex quibus singulae leges rite possunt depromi? Et haec proprie est quaestio, quae in hoc libro nos occupat, nempe investigandi sunt *fontes cognoscendi juris canonici.*[1])

Juris eccl. fontes essendi

2. *Momentum hujus investigationis* per se patet. Si enim ad fictos falsosque fontes recurritur, necessario falsum juris canonici systema inde prodibit. Si non genuinus fons, nec genuinae erunt

fontes cognoscendi. Momentum.

[1]) Etiam *Dogmatici* prius, quam singula dogmata evolvunt, de *locis theologicis* tractant, quae quasi armamentarium sunt, ex quo argumenta sua ad debellandos ecclesiae hostes mutuantur. Locis istis theologicis aequiparantur fontes juris canonici, qui non sunt, nisi singularum legum sedes et promptuarium.

singulae leges. Hinc qui a falsa jurium origine orditur, in duplicem erroris scopulum impinget: rejiciet fontes genuinos, quia ipsos pro legitimis non habet (quemadmodum e. g. haud pauci decreta summorum Pontificum vel congregationum Romanarum rejecerunt aut vilipenderunt); simul vero eos, qui non sunt legitimi, amplexabitur et veneratione prosequetur indebita.[2])

Conspectus.

3. *Conspectus dicendorum.* Sectione I^ma^ recensebimus fontes in ecclesia receptos, at generaliter tantum et quasi in abstracto. Sunt vero fontes isti vel scripti vel non scripti. Ad scriptos pertinent: s. scriptura, decreta conciliorum, constitutiones summorum Pontificum, concordata et leges civiles et variae demum leges particulares. — Ad non scriptos spectant: traditio, consuetudo legalis, auctoritas doctorum, usus forensis et stylus curiae. Omnes fontes *non* scripti primo ex spiritu legum scriptarum et ex idea juris homini insita prodierunt. Nihil tamen obstat, quominus jus *non* scriptum deinceps literis consignetur.

Sectione II^da^ historia fontium delineabitur ostendeturque, quinam fontes *in concreto* cursu temporis in usum deducti fuerint et adhucdum sint in vigore.

SECTIO I.

Enumeratio fontium juris canonici et auctoritas.

A. Fontes scripti.

§ 9. 1. S. scriptura.

Fontem non quidem uberrimum, at omnium sacratissimum juris canonici s. paginae utriusqe Testamenti constituunt, cum notabili tamen utriusque Testamenti differentia. Nam:

V. T. proprie non est fons.

1. Scriptura veteris Testamenti proprie loquendo non est *fons* juris canonici, sed *adminiculum* tantum. Non est fons, inquam: quia lex antiqua, mortuâ synagogâ et cum honore sepultâ,[1]) quoad maximam partem pariter mortua est seu abrogata, imo ut Patres ajunt, mortifera quoad ea, quae renovari in ecclesia sine peccato non possent. Triplex scilicet legum genus in illa antiqua salutis oeconomia distinguitur: leges ceremoniales, judiciales et morales. *Lex ceremonialis,* umbra futurorum, seu typos continens venturi Messiae, sole veritatis mundo irradiante, per se sublata est. Similiter *praecepta judicialia,* quibus jura civilia theocratiae Mosaicae determinabantur, sublata synagoga, vigore suo exciderunt. *Lex moralis* non cessavit, sed perpetuo manet; at pauca continet, quae

[2]) *Bouix* l. c. p. 83.

[1]) S. Thomas et s. August. v. Devoti I. p. 29.

lege *naturali* non praecipiantur, et valde infrequens est in jure canonico ad antiquam legem moralem recursus. Nihilominus est V. T., etsi non fons, tamen adjumentum, leges ecclesiae in multis capitibus clarius cognoscendi. *Primo* enim ecclesia aliquas leges V. T., quae ad rectum christianae reipublicae regimen conducere videbantur, in canonum numerum recepit e. g. quoad poenas, quae sancitae fuerant in Exodo (cap. 21. et 22.) contra homicidii, stupri, furti, injuriarum reos. *Secundo* ecclesiae catholicae constitutio in multis similis est societati religiosae Mosaicae A. F., et proinde initia plurium institutorum ecclesiae quaerenda sunt in scriptis A. T., prout v. c. ordo ministrorum hierarchicus, privilegia sacerdotum, irregularitates, immunitates. Igitur etiam hic regula valet: «In vetere Testamento novum latet, in novo vetus patet.» At bene semper notanda est observatio canonistae Devoti: «Si quae adhuc vigent (ex V. T.), ea servantur, quod ab ecclesia recepta sunt, non tamquam Mosaicae legis reliquiae, sed tanquam Apostolorum et ecclesiae mandata.»[2])

sed tamen adminiculum juris eccl.

2. Econtra libri N. T. vere et proprie juris ecclesiastici fontem constituunt et quidem ex eo potissimum, quod iis jus ecclesiae *fundamentale* et *constitutivum* continetur, ut omnino verum sit, quod in concilio Later IV. de s. scriptura dicitur: *„Ex auctoritatibus V. et N. Testamenti . . . processerunt canonicae sanctiones.“*[3]) Quae sententia intuitu N. T. paucis dilucidanda est. Nomine juris constitutivi et fundamentalis veniunt illa jura principalia, quae a Christo ipso tanquam summa lineamenta ecclesiae ipsius indita sunt. Dicuntur *fundamentalia,* quia iisdem omnis ulterior legislatio velut suo fundamento inaedificatur. Vocantur porro *constitutiva,* quia cum ipsa ecclesiae constitutione cohaerent, seu ipsa idea constitutionis comprehenduntur. Sunt vero haec tria ecclesiae constitutiva sive ecclesiam in suo esse constituentia:

N. T. continet jus eccl. fundamentale.

a) Potestas magisterii, ministerii et imperii a Christo instituta;
b) Organismus seu ecclesiae formatio exterior, qua non ex mera fidelium aggregatione sed ex membris invicem sociatis et subjectis consistit;
c) Character seu forma ecclesiae socialis, vi cujus veri nominis societatem juribus socialibus instructam constituit.

Ex hisce tribus constitutivis profluunt jura primaria seu tum leges tum obligationes fundamentales quibus ecclesia ab ipso suo auctore instructa fuit, ut suo loco demonstrabimus (§§ 22—28). Quae cum nobis ex s. scriptura N. T. (utique mediante inter-

---

[2]) L. c. p. 28. — Exemplum habes in conc. Trid. sess. XXIV. canon. 3. de matrim.

[3]) C. 24. X. (V. 1.)

pretatione infallibili magisterii Petroapostolici)[4] innotescant, libri N. F. fontem oppido principalem et nobilissimum juris canonici constituunt, imo recte *instrumenta authentica et tabulae fundationis* ecclesiae vocantur.[5]

§ 10. 2. Conciliorum decreta et summorum Pontificum constitutiones.

Collata est in ecclesiam potestas, legibus fundamentalibus alias plures pro opportunitate temporum et locorum adjiciendi. Residet autem haec potestas in episcopatu, nempe in summo Pontifice pro universa ecclesia; in episcopo pro dioecesi; in congregatione episcoporum item vel pro universa ecclesia, vel pro majori aut minori ejusdem parte. Hinc

Concilia.

1. *Decreta conciliorum* largum juris ecclesiastici fontem efficiunt. Dicuntur vero decreta disciplinaria in conciliis edita *canones* (*κάνονες, θεσμοί, ὅροι*), decreta autem de fide *dogmata* (*διατυπώσεις*) vocantur. Concilium vero Tridentinum ab usu loquendi hactenus usurpato nonnihil recessit. Disciplinaria quippe statuta a se condita *decreta* appellavit; illas vero sententias breves, quibus haereticorum doctrinam perstrinxit, et quae olim anathematismi nuncupatae fuerant, *canonum* nomine superscripsit. Etiam in concilio Vaticano *canones* in hoc sensu usurpantur. Obligant concilia vario modo: conciliorum generalium decreta a Sede apostolica confirmata atque promulgata tamquam *canones Spiritu Dei conditi* habentur[1] et vim legis omnes Christianos obligantis obtinent. Verum hujusmodi canones disciplinares, uti postulat ratio temporum, non raro immutantur, quo spectat illud Augustini: *„Concilia plenaria priora posterioribus immutantur."*[2] Synodi vero particulares per se nonnisi regionem aliquam aut provinciam adstringunt. Permulta tamen decreta conciliorum particularium facta sunt leges universales, accedente auctoritate Pontificis illa extendentis ad universam ecclesiam.[3]

Constitutiones R. Pontificum.

2. Alteram partem juris ecclesiastici scripti efficiunt *Constitutiones summorum Pontificum*. Constitutiones sunt vel dogmaticae vel disciplinares. Disciplinares, de quibus solis loquimur, iterum pro varia sua forma et materia differunt. Nam quod attinet *formam*

[4] S. Scriptura in se ipsa spectata atque avulsa a magisterio authentico non est fons juris canonici. Siquidem Christus eam non tamquam codicem legalem ecclesiae suae reliquit. Jus fundamentale in ipsa contentum quidquid habet auctoritatis, id totum habet ex authentica interpretatione ecclesiae.

[5] *Zallinger*, jus publ. p. 632.

[1] V. gr. «secundum sanctorum Patrum canones, *spiritu Dei conditos* et totius mundi reverentia consecratos» c. 5. C. XXV. qu. 2.

[2] De bapt. l. 2. c. 3.

[3] Cfr. § 5. n. 2.

a) litterae apostolicae nunc *in forma* solemni seu *bullae* nunc *in forma* minus solemni seu *brevis* expediri solent. *Bullae* sunt litterae pontificiae apertae, quae in solemni forma et quidem regulariter in cancellaria pontificia conficiuntur. Nomen habent a capsula seu sigillo plumbeo, quod documento in filo serico aut canabino appenditur. Scribuntur in pergamena crassa, charactere vetere gothico vel gallico, lingua utplurimum latina.[4]) Absque alia inscriptione statim incipiunt cum titulo: «Servus Servorum Dei.» Negotia minoris, interdum vero etiam majoris momenti per *brevia* expediuntur, quae sunt litterae pontificiae, annulo piscatoris cera rubra obsigillari solitae. Scribuntur in Secretaria brevium in charta vel pergamena alba, charactere latino moderno, nomine Pontificis superscripto. Bullae. Brevia.

Decrevit Leo XIII. (29. Dec. 1878 Archiv t. 41, p. 399), ut Bullae in futurum tantum charactere latino, non gothico scribantur; pariter abrogavit capsulas de Bullis pendentes, quae tantum in Bullis majoris momenti retinendae sunt e. g. in Bullis de fundatione, divisione, collatione episcopatuum. In Bullis minoris momenti capsulae substituitur impressio sigilli rubri coloris, cum imaginibus S. S. Petri et Pauli et superscriptione nominis Pontificis regnantis.

b) Spectata materia seu argumento litterae pontificiae sunt vel constitutiones generales vel rescripta. Constitutiones generales ad universam ecclesiam vel saltem ad unam pluresve provincias diriguntur, et quidem variis nominibus, quoad sensum parum discrepantibus,[5]) quae sunt e. g. constitutiones, decreta, litterae decretales, encyclicae. Rescripta pro certa causa, persona, loco et tempore quidpiam determinant jusque efficiunt nonnisi pro singulis.

Ex hac distinctione *vis obligatoria* decretorum Pontificiorum varia oritur. Scilicet alia omnes omnino obligant, alia particularia tantum sunt. *Omnes* obligant 1. Constitutiones *generales,* quas Pontifex expresse ad universam ecclesiam dirigit, cum intentione omnes obligandi. Hoc patet ex summa potestate legislatoria, qua Papa instructus est (ut suo loco demonstrabimus). 2. Etiam illae Constitutiones pontificiae sunt *generales,* quae non *motu proprio* Constitutiones generales.

---

[4]) Notentur 1. *Bullae dimidiatae,* quas Papa emittit, antequam coronatur. Nomen inde est, quia pars dimidiae Bullae vacua est; 2. *Bullae Consistoriales,* quae in Consistorio Cardinalium eduntur et quibus subscribitur a Papa et Cardinalibus in negotiis maximi momenti.

[5]) *Constitutiones* dicuntur, quatenus aliquid permanenter pro ecclesia decernunt; *decreta,* quae motu proprio; *litterae decretales,* quae ex aliorum relatione vel consultatione eduntur (motus proprii et responsa); *encyclicae,* quatenus ad omnes vel totius orbis vel certae regionis episcopos diriguntur.

Papae sed ex relatione, consultatione aut postulatione episcoporum sive aliorum edi solent, quae nempe *responsa* vel epistolae decretales nuncupantur, quoties ex mente Pontificis expressis verbis *ad omnes* extenduntur.[6]) 3. Quando ad omnes non divulgantur, vim legis quidem ex defectu promulgationis stricte non habent, sed tamen ab iis, qui certam earum notitiam acceperint, habendae sunt tamquam legis *interpretationes authenticae.* Communiter eo consilio eduntur, ut ad decidendos similes casus inserviant, *quum* ait Innocentius III., *in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare.*[7]) Constitutiones vero *particulares,* quae singulos tantum concernunt e. g. concedendo privilegium, pro singulis tantum valent; tunc enim pertinent ad *rescripta,* de quibus modo dicendum.

Rescripta.

Nimirum illae litterae pontificiae, quae etiam *rescripta* dicuntur (in sensu strictiori), faciunt jus solummodo *particulare.* Rescriptum definitur esse responsum Principis (Papae) scripto datum ad instantiam alicujus pro casu particulari vel pro persona privata. Sunt vero rescripta alia *justitiae,* quibus consulenti jus dubium explicatur, casus deciditur, vel ad alicujus petitionem judex delegatur; alia *gratiae,* quibus indulgentia, beneficium, privilegium, aut gratia quaecunque conceditur; alia denique *mixta,* quibus et gratia e. g. beneficium ecclesiasticum conceditur et simul executor contra refractarios in hunc finem constituitur.[8])

---

[6]) Glossa Jo. Andreae (Cfr. c. 3. C. de legg. et const. I. 14.) sic habet: «sunt haec signa cognoscendae generalis constitutionis: a) cum edicti vocabulo nuncupatur . . . b) si mittatur venerabili coetui: c) si praecipitur per omnes populos divulgari, scriptura publice procedente: d) si dicatur idem in similibus observandum: e) si lex vel canon appelletur generalis: f) si jubetur expresse ad omnes pertinere.»

[7]) C. 19. X. (II. 27.)

[8]) Quoad *rescripta* hae potissimum regulae (X. et VI. lib. I. tit. 3. Clem. L. I. tit. 2.) sunt notandae: 1. Rescripta *gratiae* principis liberalitatem continent in materia sibi undequaque subjecta et sine ulla partium contentione; in rescriptis justitiae agitur de negotio judiciali inter partes contendentes explendo, ac Papa vel causam ipse decernit vel judicem designat pro causa definienda. Ergo tale quoque rescriptum quodammodo exhibet gratiam principis. — 2. *Executio* rescriptorum *gratiae* distinguitur in *voluntariam* et *necessariam.* Executor *necessarius* summarie perquirit res in precibus expositas, deinde edit decretum, innuitque preces veritate niti et demum dispositionem summi Pontificis applicat. Talis executor, cognita precum veritate, non potest gratiam denegare. Executor *voluntarius* locum habet in hypothesi gratiae non factae, sed faciendae ab ipso executore. Executio haec dicitur in *forma commissoria,* ejusque formula est «cognita veritate precum, si expedire tibi visum fuerit» vel similiter. Hoc in casu non solum debet inquiri in veritatem precum, sed etiam in valorem causae pro gratia concedenda; executor in hoc casu ipse debet rationabile judicium ferre et auctoritate sibi commissa gratiam facere. — 3. Rescripta gratiae comitti possunt exequenda episcopo vel ejus vicario generali. Si commissio facta fuerit *Ordinario* loci, executio fieri potest tum ab episcopo tum ab ejus vicario

§ 11. Fontes juris eccles. particularis.

Fontes juris particularis vel a sola potestate ecclesiastica, vel a sola potestate civili, vel ab utriusque cooperatione derivantur.

Decreta conciliorum.

1. A sola potestate *ecclesiastica* conduntur *decreta conciliorum provincialium,* quae jus efficiunt pro tota provincia; jus dioecesanum constituunt *statuta synodorum dioecesanarum, litterae pastorales* ab episcopo sive ad omnes fideles sive ad clerum tantummodo emissae, *mandata, constitutiones, ordinationes* etc. sive ab ipsis episcopis sive a collegiis episcopalibus i. e. ab ordinariatibus aut consistoriis editae. Denique collegia seu societates minores ab ecclesia adprobatae, veluti capitula metropolitana et cathedralia, ordines religiosi, aliaque instituta ecclesiastica[1]) proprias sibi leges condere possunt, quae *statuta* nuncupantur.

leges dioecesanae, statuta.

Leges civiles.

2. A sola potestate *civili* dimanant *leges civiles* ad ordinem ecclesiasticum pertinentes. Hae fontibus juris ecclesiastici non eo sensu adnumerantur, quasi potestatem in sacra solis episcopis

---

generali. Si autem facta fuerit *episcopo,* non potest vicarius virtute mandati generalis negotium executionis perficere, nec vice versa episcopus poterit exequi rescriptum vicario commissum. *Santi* Prael. juris can. t. 1. p. 26. — 4. Rescripta nulla et valoris expertia censentur: a) ex defectu solemnitatis vel authentiae, puta si desideretur legitima inscriptio, salutationis stylus, sigillum, filum etc. b) Si a personis illegitimis, scil. ab excommunicatis aut haereticis fuerint impetrata. Ceterum rescripta non solum gratiae sed *hodie* etiam justitiae (*Schulte,* Quellen p. 68.) a quovis etiam pro aliis personis impetrari queunt. c) Ex defectu aut falsitate precum, si nempe preces aut seriem facti non contineant aut veritate non nitantur. Executor rescripti in veritatem precum inquirere, eâque haud inventâ executionem omittere tenetur. Et quidem *dolus* sive per obreptionem sive per subreptionem (puta sive per mendacium sive per reticentiam veri) commissus rescriptum quoad omnes suas partes vitiat. Statuit enim Innoc. III. (c. 20. X. I. 3.) ut qui «per fraudem vel malitiam . . . falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suae perversitatis poenam nullum ex iis litteris commodum consequantur.» Obreptio autem vel subreptio per simplicitatem aut ignorantiam commissa, rescriptum quoad eam partem tantum, in qua et quidem circa causam *finalem* seu principalem (non vero ob causam secundariam seu impulsivam) error contigit, irritum reddit. — 5. Rescripta valida effectum variis modis sortiuntur. Nimirum gratiae rescripta a die *datae* seu expeditionis in curia Romana factae, e contra rescripta justitiae a die *praesentatae* seu insinuationis effectum consequuntur. — 6. Rescripta *gratiae* (nisi tempus praefixum sit a rescribente) quocunque tempore praesentari possunt executori, quem rescribens designavit. Rescripta etiam justitiae tamdiu praesentari possunt judici a rescribente designato, quamdiu durat jus agendi vel jus excipiendi, in omnibus casibus saltem infra annum. c. 23. X. (I. 3.) — 7. Exspirant rescripta inter alia: morte concedentis re adhuc integra, si sint rescripta *justitiae,* aut *gratiae faciendae,* secus si *gratiae factae;* morte ejus, cujus personae nomin atim executio demandata est; morte illius, qui rescriptum *gratiae* pro se impetravit, secus est in rescriptis *justitiae* re non amplius integra. Quid sit, si occurrat error nominum, vid. Acta s. S. tom. V. p. 27. nota.

[1]) Ad haec olim studiorum universitates, confraternitates etc. pertinebant.

propriam participent principes, sed ob illud praecipue, quia plurimae leges civiles v. gr. in corpore juris civilis vel in capitularibus regum Francorum contentae inter *canones* ecclesiae relatae seu *canonizatae* sunt.[2]) Praeterea leges saecularis potestatis vim habent: a) ubi princeps qua ecclesiae advocatus leges ecclesiasticas sanctione quoque civili tuetur urgetque, vel eas ad exitum deducit[3]); b) quando privilegia ab ecclesia concessa confirmat, vel nova concedit[4]); c) quoties circa res sacras, quae quidpiam civile admixtum habent, ea quae civitatem respiciunt, determinat; d) ubi effectus civiles attribuendi sunt legibus et institutionibus ecclesiae;[5]) e) quoties ecclesia tamquam persona privata adinstar aliorum civium in foro civili consideratur, e. g. ubi agitur de normis in bonorum acquisitione observandis. Ex quibus clarescit, haud infrequenter hodie in jure sacro ad leges profanas regionum recurri oportere.[6])

Concordata.

3. *Concordata* (Tractatus, Conventa, Concordiae, Conventiones) *sunt pacta inter praesules ecclesiasticos et principes civiles inita, quibus nexus utriusque societatis quoad res mixtas determinatur.* Principia:

Paciscentes.

a) *Paciscentes* ex una parte sunt principes saeculares, ex altera parte episcopi illius territorii, maxime vero summus Pontifex. Et quidem ex parte ecclesiae Concordata, prout hodie in usu sunt, solus Pontifex inire potest, quia ille solus ceu caput ecclesiae potest tum privilegia imperantibus concedere tum disciplinam regionum determinare. Episcopi non possunt statuere nisi quaedam specialia, intra terminos jurisdictionis suae. Ex parte societatis civilis illi intervenire debent, qui potestate rectoria et legifera pollent. Ubi potestas legislativa inter populum et principem divisa est, ibi quantum ad causas mixtas aut res civiles, de quibus juxta regni constitutionem princeps ex se disponere non valet, scilicet quando ob receptionem Concordati vel novae leges vel novae populi contributiones necessariae evadunt, etiam comitia populum repraesentantia consentire oportet. Sed semper attendenda est uniuscujusque ditionis constitutio fundamentalis. Verumtamen ejusmodi potestatis inter populum et principem facta divisio in Concordata

---

[2]) Distinguuntur a doctoribus leges (civiles) a s. canonibus a) *approbatae* seu *canonizatae*, b) *reprobatae*, c) *partim adprobatae partim reprobatae*. Card. Soglia l. c. I. p. 99. seq.

[3]) Cfr. Dist. 10 et 96 et art. IX. Concord. Austr.

[4]) E. g. privilegia immunitatum. Cfr. Not. Ecclesiae. N. VII. XV.

[5]) Cfr. art. XVII. Concord. Austr. in fin.

[6]) Media quippe via incedendum est inter eos, qui nullas in jure eccles. leges civiles admittunt praeter *canonizatas*, et inter eos, qui saepius edicta Caesarum quam ecclesiae canones allegant. At haec res inferius magis clarescet. — Uberrime de hac materia disserit *Schulte*, Quellen § 79.

jam antea conclusa non agit retro, ideoque eadem sine injustitia impugnari non possunt a comitiis, serius ad participationem potestatis legiferae vocatis.

Objectum

b) Ratione *materiae* Concordatis *subjectae,* per ea olim nonnisi quaedam particularia inter paciscentes controversa componi solebant. Sic e. g. Concordatum Calixtinum, a Calixto II. cum imperatore Henrico V. initum, investituras abolevit. Nicolaus V. per Concordata Germaniae, uti dicuntur, lites circa beneficia ecclesiastica eorumque collationem exortas dirimere studuit. Hodie vero generatim mutua utriusque societatis connexio per ea definiri solet. Quem in finem 1. jus et libertas ecclesiae competens in Concordato agnoscitur et solemniter pronuntiatur. 2. Pontifex illi nationi vel principi quaedam privilegia concedit et vicissim princeps certa jura ecclesiae asserit. 3. Materiae, quae sunt controversae quaeque potissimum *negotia mixta* concernunt, singillatim componuntur. Minime vero in Concordatis de juribus Acatholicorum tractari solet, quare non est, cur Protestantes eadem veluti spectra pertimescant.

Natura.

c) *Naturam et indolem* Concordatorum quod attinet, pensanda est eorum vis tum quoad ipsos paciscentes tum quoad subditos et vis intuitu illius territorii, quod respiciunt. *a*) Inter ipsos paciscentes Concordata, ex sententia apud nos saltem communiter recepta, vim habere pactorum bilateralium, seu ultro citroque obligationem inducentium, argumentis gravibus probari potest. Probatur 1. ex forma et solemnitatibus, quae Concordata plane habent communia cum reliquis pactis; 2. ex stipulatione in Concordatis exprimi solita, ut, si forte supervenerit difficultas, res componi debeat nonnisi collatis utriusque partis consiliis; 3. ex adjectione hac vel simili apponi consueta: «Utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos»; 4. iteratae Romanorum Pontificum jam quoad Concordata Germaniae declarationes: «se nullatenus intendere Concordatis contravenire» (Calixt. III.) «aut recedere ab iis, quae per Concordata conclusa et acceptata fuerunt» (Clemens VII.), denique «eadem Concordata, vim pacti inter partes habere, et quae ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse neque debere» (Julius III.). — Pius IX. (Aloc. d. 17. Dec. 1860) conqueritur in Magno Badarum Ducatu «abrogatam contra omnes justitiae regulas sine alterius partis consensu solemnem conventionem.» Ceterum concedere debemus, si mutatis circumstantiis, concordata ecclesiae aut saluti animarum perniciosa fierent, summum Pontificem (qui solus judicare potest, quid ecclesiae proficiat), pacifica transactione frustra tentata, a fide data merito recedere, quandoquidem eo in casu etiam pacta vi sua

deficiunt.[7]) *β*) Relate ad subditos Concordata, postquam promulgata sunt, evadunt tam in leges ecclesiasticas a Papa constitutas,

[7]) Praeter sententiam supra expositam etiam aliae, ac praesertim hae duae a doctoribus proferuntur. I. Non desunt auctores graves, qui negant, Concordata esse pacta *synallagmatica* seu bilateralia. «Indoles enim (ait Tarquini in suis juris eccles. publici Instit. p. 85.) societatis civilis ejusmodi est, ut circa res spirituales, vel spiritualibus adnexas, quae ordinario ac regulariter materia sunt Concordatorum, nullo pacto sit independens, sed imo ecclesiae subdita.» Ergo juxta hos auctores ecclesia, ineundo Concordata, non cum societate pari (si princeps sit catholicus) sed cum filiis sibi subditis itemque de rebus ad se pertinentibus paciscitur. Ex quo inferunt, Concordata non posse inducere obligationem mutuam et aequalem, et hoc eo minus, quod principes nihil juris ex sua parte ecclesiae conferant, sed ea tantum spondeant, ad quae praestanda alioquin tenentur. Hinc, concludunt, Concordata regulariter prae se ferunt indolem *privilegiorum*, quae a s. sede solemnius conceduntur, et suam firmitatem unice ab ea regula accipiunt: «Beneficium principis decet esse mansurum.» — Quos ego viros licet apprime colam, tamen credo ex rationibus supra indicatis sedem Apostolicam, attentâ temporum conditione, pro ea, quae ipsi inest, sapientiâ, reapse *intendere* inire veri nominis pacta suamque fidem mutuo obligare. Patroni oppositae sententiae ultro concedunt, Concordata cum societatibus haereticis et infidelibus inita indolem pacti habere, eoquod hae societates non sint subditae, sed extraneae, ac proinde adinstar aliorum pactorum a R. Pontifice esse stricte servanda. Sed quid impedit, quominus hoc praesertim tempore, quo amica relatio Sacerdotii et Imperii quam maxime est laxata, Papa etiam cum catholico principe ita agat, sicut cum acatholico? Sane princeps, dum convenit cum Ecclesia non agit tamquam filius fidelis sed tamquam caput societatis, et proin Concordata pertinent ad pacta gentium. Sententiae nostrae suffragatur communis persuasio, quae ex longo tempore jam viget quoad Concordata Germaniae. Nimirum tum principes Germaniae, tum jurisconsulti, tum denique optimae notae canonistae semper censuerunt, praedicta Concordata adinstar pacti mutuam induxisse obligationem. Cfr. *Engel*, Colleg. jur. canon. l. 3. tit. 5. n. 54. *Gonzalez* ad reg. 8. Cancell. *Schulte*, Quellen d. Kirchenrechtes, p. 456. seq. Card. *Soglia*, l. c. I. p. 142, qui concordatis pariter vim pacti tribuit. *Balve*, das Concordat etc. München 1863. *Hergenröther*, Kath. Kirche und christl. Staat, p. 793. n. 33. *Vering*, K. R. § 62. et *Archiv*, tom. 6. p. 263. seq. *De Angelis*, Praelect. jur. can. I. 1. p. 93. seq. — Nostrum aevum quod attinet, omnibus fere eadem persuasio inest. Sic nuper (1870) inter omnes, qui in comitiis nobilium pro Concordato Austriaco acriter decertarunt, nemo fuit, qui mutuam ac parem obligationem servandi hanc conventionem non assereret. Et sane difficillima semper ejusmodi fieret defensio, si necessarium esset affirmare, obligationem Concordata servandi stare solummodo ex parte societatis civilis, minime vero etiam ex parte ecclesiae Cfr. Stimmen aus Oesterreich. II. fasc. — Novissime (1871) Maurit. de *Bonald* juris consultus Gallus opusculum edidit (Deux quaestions sur le concordat de 1801), in quo Concordatis mere vim privilegiorum a Pontifice concessorum asseruit. Promeritus est sibi hic auctor epistolam gratulatoriam Ss. Patris; item cl. P. Tarquinius ad eundem misit epistolam laudibus plenam (Acta s. Sedis VI. p. 536. seq.), in qua iisdem fere argumentis Bonaldi sententiam confirmare adnititur, quae in supra laudatis institutionibus j. p. exposita sunt. Ex dicta epistola gratulatoria Pontificis Minister pro Cultu in regno Bavariae statim occasionem arripuit, pro rescissione concordati bavarici

quam in leges civiles per principem suis subditis impositas. Promulgatio vero ex parte Pontificis in Consistorio et per bullam fieri solet. Publicatio ex parte principis fit per insertionem Conventionis in leges publicas illius territorii civilis.

Effectus.

d) Ex his etiam effectus, quos important Concordata, clarescunt. Scilicet 1. quatenus sunt pacta reciproca, eadem ab utraque parte sincere in exitum perduci exacteque servari oportet, ita ut neutri parti, inconsulta altera, ab iisdem recedere liceat.[8]) Pariter tum eorum interpretatio tum immutatio nonnisi utriusque paciscentis consensu fieri potest. Contra causas in Concordato conventas non currit praescriptio in favorem tertii e. g. episcoporum, quia sic derogaretur juri contrahentium. 2. Tanquam leges *ecclesiasticae* Concordata efficiunt, ut per ea leges ipsis contrariae, nec non omnes consuetudines particulares contrariae abrogentur. Minime vero etiam quoad reliqua jus commune per Concordata abrogatur, imo potius restituitur, ita quidem, ut jus commune tanquam principale, jus vero pactitium ceu mere subsidiarium considerari debeat. 3. Qua leges *civiles* Concordata obstringunt subditos illius territorii ac praesertim publicos officiales, adeo, ut contravenientes tanquam legis civilis transgressores poenae rei efficiantur.[9])

---

in deputatorum conventu declamandi, dicens: En! ex ipsa Pontificis declaratione Concordata non sunt pacta, sed mere privilegia s. Sedis; — ergo neque potestas civilis tenetur iisdem insistere! Archiv. tom. 27. p. LI. et CLXIX. («Die falsche Auffassung der Concordate durch *Bonald, Tarquini* und *Bismark*»). Et certe ex summi Pontificis epistola gratulatoria inferri nequit, eum controversiam hanc dirimere voluisse! *Hergenröther* l. c. p. 798. — II. Ex adverso moderni quidam regalistae, seu territorialistae dicunt, Concordata non esse pacta, seu tantum punctationes, ab Ecclesia et statu mutuis consiliis constitutas, quae vim legis non habent, nisi status eandem ipsis attribuat, tamdiu duraturam, quamdiu ipse voluerit, quippe qui juri suo summo et absoluto renuntiare nunquam potest. (*Sarwey* in protest. ephemeride jur. eccles. tom. 2. p. 437; tom. 3. 267 et 469. seq.; *Hübler*, ibid. tom. 3. p. 404; tom. 4. p. 105. seq.) Cfr. *Liberatore*, qui Concordata partim privilegiis, partim pactis accenset «La Chiesa e lo Stato» c. III. a. 10. p. 538. seq. *Cavagnis* Instit. jur. public. eccl. I. p. 397.

[8]) Principes teneri observare Concordata, Gregor. XVI. a 1833 declaravit (Scavini Theol. Moral. IV. n. 105. ed. 12.). Pius IX. (Syll. n. 43.) hanc propositionem damnavit: «Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi, ac faciendi irritas solemnes Conventiones (*vulgo* Concordata) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum sede Apostol. initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.»

[9]) Cum principibus ex coetu protestantium Pontifices paullo alio modo convenire solent. Scilicet ex consensu utriusque paciscentis Bulla editur, quae tum ut lex ecclesiae tum ut lex civilis promulgatur. Hujusmodi Bullae potissimum agunt de circumscriptione novarum dioecesium, unde Bullae circumscriptionis vocantur, quibus eadem plane vis legalis inest, ac ipsis concordatis. — De his vid. *Schulte*, Quellen §§ 81—86 et 92—93.

B. Fontes juris canonici non scripti.

§ 12. 1. Jus naturae 2. Traditio et 3. Consuetudo.

Jus naturale.

1. *Jus naturale* non quidem in eo sensu pertinet ad fontes ecclesiasticos, ac si ope solius rationis humanae systema juris ecclesiastici concinnari possit, sed ideo, quia jus ecclesiae, prout quodlibet alterum jus positivum principiis juris naturalis regitur, cum quippe jus naturae est stirps cujuslibet alterius juris. Jus naturae et jus ecclesiae positivum mutuo se compenetrant, quemad modum in Theologia dogmatica fides et ratio opem sibi mutuam ferunt. Hinc applicatio juris naturae in pertractatione juris ecclesiastici est quasi continua. *Inprimis* jus sociale ecclesiae ex principiis juris naturalis deducitur, nimirum ex idea perfectae societatis (infra § 27), qualis est ecclesia, cui proin (etiamsi sit ordinis supernaturalis) omnia illa jura competere debent, quae societati perfectae ex jure sociali et naturali vindicari oportet. Contra impugnatores ecclesiae incessanter provocandum est ad jus naturale: cuique suum esse dandum; pacta esse servanda; neminem injuste in sua possessione legitima perturbari debere[1]) etc. *Deinde,* ubi singulae leges ecclesiae sunt evolvendae et pertractandae, frequens est usus juris naturalis, quoniam ex hoc ostendi debet tum earum connexio ad invicem, tum earum justitia et aequitas.

Traditio canonica.

2. *Traditio* dici solet doctrina et institutio in ecclesia stabilita, quae *a primis auctoribus* verbo tantum non autem scripto inducta fuit. Traditio maximi momenti est, non solum quantum ad dogmata, sed etiam quantum ad jus et disciplinam, quia jam inde a fundatione ecclesiae plurima praecepta verbo potius quam scripto fidelibus sunt imposita. — Distinguuntur vero traditiones quoad principium, ex quo oriuntur, in divinas, apostolicas et ecclesiasticas.

Traditiones divinae,

Divinas Apostoli acceperunt immediate a Christo aut a Spiritu sancto easque in generationes subsequentes transfuderunt. Ejusmodi sunt e. g. quae materiam aut formam Sacramentorum concernunt. Hae traditiones, ut patet, sunt pars juris divini ideoque invariabiles.[2])

apostolicae,

Apostolicae sunt, quas Apostoli suo arbitrio, ergo ut jus humanum stabilierunt, nec tamen scriptis exararunt; hujusmodi e. g.

---

[1]) «Sit atheum aliquod gubernium, sit indifferens, sit materialismi sectator, nunquam potest subtrahi legibus naturalibus, earumque imperium evertere» Gaspar de Luise: de jure publico seu diplomatico. Paris 1877. p. 616. Cfr. *Nilles*, in Zeitschr. für Kath. Theol. Innsbruck, tom. 1. p. 404. seq. *Meyer* Instit. jur. naturalis seu philos. univ. sec. principia s. Thomae Aqu. Friburg. 1885.

[2]) S. August. ep. 118 ad Julian.

sunt trina immersio eorum, qui baptizantur, jejunium quadragemisale, celebratio Dominicae,[3]) tempus celebrandi pascha etc. etc.

ecclesiasticae.

Traditiones *ecclesiasticae* sunt consuetudines antiquae a primis ecclesiae rectoribus et fidelibus ad nos transmissae, quae vim legis obtinuerunt et quae in jure canonico etiam «traditiones paternae» et «veterum regulae» nuncupantur. Traditiones tum apostolicae tum ecclesiasticae per se sunt pars juris humani; at cum jure divino arctissimo nexu cohaerent, imo quadam ratione sunt revera divinae. Deductae enim sunt tum ex principiis divinis tum ab ecclesiae rectoribus divinitus ad hoc authorizatis.[4])

Consuetudo.

3. *Consuetudo,* juxta sensum in jurisprudentia usurpatum, definiri potest: *jus per similium alicujus communitatis actuum frequentiam ecclesia consentiente inductum.* Differt autem jus consuetudinarium a jure traditionali in eo, quod hoc ab ipsomet ecclesiae legislatore descendit, illud vero a communitate per actuum uniformium frequentiam introductum et ob causam rationabilem, cui innititur, ab ecclesia approbatum est. Nimirum jus objectivum non tantum normis constat a legislatore sancitis sed illis quoque, quae usu constanti hominum exprimuntur et per ecclesiae adprobationem vim obligantem consequuntur.[5])

Divisio.
a) ratione territorii.

a) Consuetudo *ratione territorii* alia est *universalis ecclesiae*[6]), alia *particularis*[7]) terrae, provinciae seu dioecesis; alia *specialis*

---

[3]) Celebratio Dominicae fors rectius inter traditiones divinas refertur. Cfr. *Fessler,* über die abgeschafften Feiertage etc. in *Moy,* Archiv tom. 5. p. 187.

[4]) Vid. c. 5. D. 11. (s. Basil. 371), ubi mos fidelium se figura crucis signandi, verba consecrationis in s. Missa usitata, benedictio aquae baptismatis multaque alia ex mystica traditione repetuntur.

[5]) Consuetudo tanquam fons juris vim et robur accipit 1. non directe a legislatore, 2. non *per se* a populo certos actus frequentante (quia in populo christiano non residit potestas legislativa), sed 3. ab usu constanti et rationabili, qui generali saltem ecclesiae adprobatione munitur. Etenim certus quidam usus accedente ecclesiae consensu tunc in jus evadit, cum *ratio juris,* seu *rationabilitas* ipsi inest. Si ratio juris a populo apprehenditur, *opinio juris,* seu *opinio necessitatis* enascitur. Nonnunquam in populo, saltem ab exordio consuetudinis, non est opinio juris sed mala fides. Nihilominus tractu temporis talis consuetudo potest legitima fieri et rationabilis. Vid. von *Moy,* Naturrecht und Gewohnh. Recht als Quellen d. K. R. in Archiv I. p. 65.

[6]) Hujus generis e. g. sunt: admissio laicorum ad functiones ordinibus minoribus adnexas; item quod nunc etiam extra ecclesiam parochialem audiendo Missam satisfit praecepto ecclesiae; quod cuivis sacerdoti adprobato in Paschate fieri potest confessio etc.

[7]) Haec in C. J. C. nuncupatur *consuetudo generalis* terrae, provinciae etc. e. g. *in Tuscia, in Hispania generalis* consuetudo c. 2. X. (I. 11), de cons. ordinandi extra tempora, in Scotia et Vallia olim vigente; — c. 2. X. (III. 46) cons. quoad modum et tempus jejunandi. Hinc nonnullis haec nomenclatura placet: Cons. *generalissima* est, quae in toto orbe catholico, *generalis,* quae in aliqua provincia, *specialis,* quae in communitate minori perfecta, *specialissima,* quae in societate imperfecta viget.

seu quae obtinet in societate minore sed perfecta e. g. in capitulo, monasterio etc.; alia denique *specialissima* i. e. qua in societate aliqua imperfecta e. g. in familia vel parochia recepta est. De hac ultima, quia non est apta ad jus efficiendum, non curat jurisprudentia. — Relative *ad legem* consuetudo est primo *secundum legem,* quae in legis exercitio consistit, et est quasi lex vita et moribus adimpleta. Maxima consuetudinum pars apud Christi fideles debet esse secundum leges, quia illos quoad omnia legibus obtemperare decet. Vis practica hujus consuetudinis in eo consistit, ut legem claram confirmet, dubiam interpretetur. Unde dicitur: «Consuetudo est optima legum interpres.» Porro consuetudo *praeter legem* est, quae deficiente lege aliquem agendi modum in legem erigit, prout in decreto Gratiani definitur: «Est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.»[8]) Multae exstant ejusmodi consuetudines, quia, cum ecclesia pro omnibus casibus specialibus leges condere non possit, eas ferendas relinquit sensui juridico et moribus hominum.[9]) Tandem consuetudo *contra legem* est, quae legem abrogat, vel ei derogat i. e. aut totam legem aut partem ejus tollit, vel illius receptionem ab initio jam impedit. Id dupliciter fieri potest: vel enim lex aliqua per jus consuetudinarium ex usu recedit *(desuetudo),* vel jus novum in locum legis exolescentis substituitur *(consuetudo contraria).* Dantur ubique gentium etiam consuetudines contra legem (not. 6).

b) spectata relatione ad legem.

Conditiones, ut vim accipiat.

b) Ut consuetudo vim obtineat, plures conditiones requiruntur, quibus deficientibus praxis aliqua, nedum lex fiat, potius tanquam *abusus* et *morum corruptela* a lege canonica rejicitur. Requiritur vero

Induci debet in communitate perfecta

α) ex parte communitatis 1., ut inducatur in communitate *perfecta* (quae vel habet potestatem leges ferendi vel saltem sufficiens est, ut ei vera lex, non simplex duntaxat praeceptum, imponi possit), ergo in dioecesi saltem, vel in corporatione aliqua ecclesiastica, quae jure autonomiae gaudet. In ejusmodi corporationibus consuetudo dicitur *observantia,* quae eadem ratione se habet ad statutum, sicut consuetudo ad legem.[10]) Hinc pronum est concludere, usus aut praxes locales robur legitimae consue-

---

[8]) C. 5. D. 1.

[9]) Plurimae leges eccles. primum moribus hominum stabilitae atque deinceps in scriptura redactae sunt, quo v. gr. pertinent: impedimentum dirimens, quod dicitur disparitas cultus *(Bened. XIV.* «Singulari nobis.» 9. Febr. 1749); — ortus et progressus beneficiorum eccles.; — jus praesentandi; — jura parochialia; — jura capitulorum cathedralium etc. *Schulte,* l. c. § 39, nota 14.

[10]) At non *omnes* observantiae ex *usu* corporationis resultant. Nam *aliae* fundantur in statuto tacito talis corporationis, *aliae* in praesumto pacto membrorum. *Schulte* l. c. § 42.

tudinis consequi non posse; 2. ut inducatur a majore parte communitatis, quia nonnisi pars major totum corpus repraesentat; 3. ut actus, per quos usus introducitur, sint *frequentati* i. e. toties repetiti, ut ex prudentium judicio ad firmandam consuetudinem sufficiant; *publici* et *notorii* vel saltem ita demonstrabiles, ut usus inde consurgens probari possit; denique *voluntarii,* proin neque ex ignorantia aut errore positi, neque ex vi aut timore eliciti, quia ejusmodi actus nullam ex parte populi persuasionem juris exprimunt ideoque ad jus efficiendum non sunt apti.[11]) Sic e. g. si populus frequentaret quosdam actus (puta, observando diem festum per plures annos) cum *errore,* hos actus esse lege aliqua praeceptos, vellet potius ex erronea opinione legem aliquam implere, quam consuetudinem introducere. Similiter si per longum tempus eliceret actus contrarios legi, quam ignoraret esse latam, non praescriberet contra legem, quia in tali casu populus non consentit consuetudini, sed erronee tantum putat, hoc aut illud nulla lege prohiberi. Sunt tamen, qui etiam in hoc casu putant, tractu temporis legitimam consuetudinem firmari posse.

a majori parte per actus frequentatos, publicos et voluntarios.

β) *Ex parte summi legislatoris* respective summi Pontificis communiter dicunt, necessarium esse ipsius consensum sive expressum, sive tacitum, sive legalem. Et hoc quidem verum est, quia causa efficiens legis sola esse potest voluntas legislatoris. Sed dico 1. quoad consuetudines, quas *ignorat* summus Pontifex, ipsius *consensus personalis* haud requiritur, sed sufficit lex illa generalis in ecclesia vigens et a summis Pontificibus adprobata: *posse consuetudines introduci requisitis conditionibus vestitas.* Eiusmodi ergo consuetudines ex decreto universalis ecclesiae jus consuetudinarium *generaliter* admittente quidem enasci possunt, sed vis earum formalis seu obligatoria repetenda est ex assensu legislatoris, seu Pontificis, qui est *supra* leges ecclesiae, cujusque auctoritas «non minus necessaria est ad inducendum jus non scriptum, quam scriptum.»[12]) qui denique consuetudines vel adprobare, vel reprobare potest. Dico 2. quando Romanus Pontifex novit aliquam consuetudinem induci, non requiritur, ut *expresse* consentiat, sed satis est, eum silere et consensum tacite tribuere, *dummodo tamen facilitatem contradicendi habeat.* Nam si quandoque Papa

cum consensu legislatoris.

[11]) Per se intelligitur per actus *merae facultatis, devotionis* aut *liberalitatis,* quos populus frequentat e. g. per usum quotidie audiendi sacrum, saepius in anno confitendi etc. consuetudinem obligatoriam non induci, nisi intentio populi consuetudinem praeter legem per quosdam actus introducendi manifesta sit. Cfr. Acta II. p. 295.

[12]) *Suarez* de legibus etc. l. VII. c. 13. n. 4. Quod etiam inscio Pontifice et proin eo personaliter non consentiente legitimae consuetudines dentur, clare eruitur ex c. 1. de constit. in VI. — Igitur consensus, qui dicitur *generalis* seu *legalis,* tam legis est, quam legislatoris. Cfr. Card. *Soglia,* Instit. I. p. 42.

temporum difficultatibus coarctatus, quamvis toto animo cuperet quasdam consuetudines exstirpare, tamen ad majora mala vitanda silentium observat, opportuniorem occasionem exspectans; tale silentium mere *oeconomicum,* uti dicitur, ad firmandam consuetudinem saltem *contra legem* non sufficit, quia is, qui ex necessitate tacet, nequaquam consentire videtur.

debet esse rationabilis.

γ) *Ex parte rei ipsius* seu consuetudinis requiritur, ut sit rationabilis, i. e. naturae, scopo et spiritui ecclesiae conveniens. Irrationabilis est omnis consuetudo, quae 1. juri naturali aut positivo divino adversatur, quoniam neutrum ab hominibus tolli potest; 2. quae a jure canonico (vel a competente legislatore) *prohibita* et a fortiori, quae *reprobata* est;[13]) 3. quae sanae rationi adversatur (e. g. cumulatio duorum beneficiorum uniformium sub eodem tecto i. e. plene aequalium in eadem ecclesia); 4. quae est vel peccatorum occasio et fomes, vel bono communi perniciosa; 5. per quam *dirumpitur nervus ecclesiasticae disciplinae* i. e. quae ordini a Deo constituto aut juri cum ordine divino proxime coharenti adversatur v. gr. si episcopi usurparent jura Pontificis; item consuetudo non servandi ullas excommunicationes a Papa prolatas, vel se non submittendi visitationi episcopi etc. — Hae vel similes rationes si adsint, consuetudines nullo unquam tempore convalescunt.[14])

Longaeva.

δ) *Tempus* stabiliendae consuetudini necessarium non omnes idem statuunt. Hoc vero certum est, talem ac tam diuturnam actuum frequentiam eique respondentem temporis lapsum requiri, quantum viro prudenti sufficit ad capiendam probabilem conjecturam, certum quendam usum firmitatem consuetudinis consecutum esse.[15])

---

[13]) Nota discrimen inter haec tria: *abrogare, prohibere* — et *reprobare* consuetudinem per legem humanam. Quando lex abrogat tantum consuetudinem, non tollitur nisi consuetudo antea existens, minime vero, quae postea exurgere potest. Quando lex *prohibet* consuetudinem sibi contrariam, prohibitio etiam ad consuetudinem in posterum inducendam refertur. Tandem quando lex *reprobat* consuetudinem, haec non tantum sive praesens sive futura prohibetur, sed etiam intrinsece mala et irrationabilis declaratur. Hinc caute attendendae sunt clausulae legum consuetudines contrarias excludentes. Abrogantes tantum sunt clausulae hujusmodi: *non obstante quacunque consuetudine.* Prohibentes: *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere.* Reprobantes: *Talem cons. penitus improbamus* vel *reprobamus* vel: *potius corruptela est quam consuetudo.* Cfr. *Bouix* l. c. p. 275.

[14]) C. 5. X. (I. 4.) Card. *Soglia* l. c. p. 43. seq.

[15]) Juxta *Bouix* (de princ. j. c. p. 304) longaeva seu antiqua consuetudo ea est, quae duravit 10 annos, longissima quae durat 30 annos. Praesertim notanda est consuetudo *immemorabilis* seu ultra hominum memoriam existens. Haec probari debet per testes, si nempe hi deponant, se ita observatum vidisse et a majoribus audivisse, quin constet de initio istius observationis, aut contrarium eidem aliquando gestum esse. *Leuren* For. eccl. t. 4. qu. 394. Cfr. *Reiffenstuel* I. 4. n. 180. *De Luca* in annot. Conc. Trid. disc. 11.

Communiter vero doctores exigunt, ut consuetudo *praescripta* sit i. e. ut tantum temporis duraverit, quantum requiritur ut quis via *praescriptionis* seu longae possessionis jura privata acquirat. Quale vero tempus sufficiat, controvertitur. Quoad consuetudines, quae sunt *praeter* jus, plerique spatium decem annorum statuunt.[16]) Quoad consuetudines, quae sunt *contra* jus, nonnulli spatium quadraginta annorum requirunt,[17]) alii pariter decennium sufficere existimant idque juxta aliquos saltem tunc valet, quando lex nunquam fuit recepta.[18]) seu praescripta

c) Requisitis suis vestita consuetudo vim legis habet, proin servanda est, ut lex quaevis alia. Attamen et ipsa rursus potest abrogari 1. per supervenientem legem. Et quidem lex superveniens generalis abrogat semper consuetudinem generalem, non vero specialem, nisi adjecta sit clausula: *nulla obstante consuetudine.*[19]) Lex autem specialis contraria oppositam consuetudinem tollit; 2. per expressam legislatoris contradictionem, per quam Papa consuetudines universalis ecclesiae, episcopus particulares suae dioecesis abrogare potest; 3. per contrariam consuetudinem vel desuetudinem. effectus.

§ 13. Reliqui fontes non scripti.

1. *Auctoritas doctorum juris peritorum.* Doctores juris eorumque sententiae tantam apud Romanos auctoritatem obtinuerunt, ut a sic dictis *responsis prudentum* judici recedere non licuerit. In ecclesia item jurisperitorum sententiae et decisiones magni aestimantur. Hoc vel ex eo patet, quod praeter interpretationem *authenticam* et *usualem* saepe etiam ad *doctrinalem* recurri solet. Ubi lex ambigua est vel omnino deficit, aliud non restat nisi Auctoritas doctorum.

[16]) *Reiffenstuel,* h. tit. qui reliquos auctores recenset. *Bened. XIV.,* de synod. l. 13. c. 5. n. 4.

[17]) *Phillips,* tom. 3. p. 741. seq.

[18]) *S. Liguor.,* Theol. Moral. I. n. 139. — Certe vox *praescripta* non adeo stricte etiam ad *leges* trahenda est, quasi idem semper temporis spatium requiratur, quod pro acquisitione bonorum statuitur. Profecto plus temporis exigitur ad consuetudinem efformandam in rebus magni momenti vel praejudicii, quam in levioribus. Pariter ad consuetudinem derogatoriam conscio et non reclamante legislatore invalescentem tempus brevius sufficere videtur, quam quae ad eam requiritur, quae legislatore prorsus nesciente introducitur. Cfr. Acta tom. 3. p. 85. n. 6. seq. Cfr. *Kreutzwald:* dissertatio inauguralis «de canonica juris consuetudinarii praescriptione.» Auctor probare nititur ad consuetudinem *contra* jus inducendam, quadraginta annos requiri (p. 76.). ad consuetudinem vero *praeter* legem efformandam, opus esse, ut sit *longa* vel *longaeva,* et hac phrasi per decretales intelligi decem vel viginti annos; judicium vero accuratum in hac re arbitrio judicis esse relinquendum (p. 81.).

[19]) Haec vera clausula consuetudinem immemorialem regulariter non tangere videtur. *Bouix* l. c. p. 311.

auctores graves consulere, quod praecipue tunc fructuose instituitur, ubi plures aut omnes in eadem sententia concordes reperiuntur.[1])

S. Patres. 2. Scriptis *sanctorum Patrum,* etsi per se vim legalem non habeant, maxima tamen inest etiam pro jure canonico auctoritas. Etenim s. Patres *α)* sunt *testes traditionis,* qui nobis genuinum sensum s. Scripturae, doctrinam Christi et Apostolorum nec non antiquas ecclesiae consuetudines veluti per manus in scriptis suis tradiderunt. *β)* Permultae s. Patrum sententiae in leges universales per concilia et Romanos Pontifices sunt transformatae et revera constituunt jus canonicum non quidem praecise ex eo, quod a Patribus conscriptae sunt, sed potius accedente canonizante legislativa ecclesiae potestate juxta effatum Bonifacii VIII.:[2]) *„Nostra facimus, quae probamus et quibus nostram impertimur auctoritatem.“* *γ)* In negotiis, quae nec conciliorum canonibus nec Pontificum decretis definita sunt, Patrum sententiae, etsi per se canones non sint, ad vim canonis tamen proxime accedunt.[3]) Hinc jam inde a saeculo VI. dicta Patrum canonum collectionibus inserta sunt et ipsa synodus Trullana plura Graecorum Patrum opuscula inter canones retulit.[4])

Usus forensis. 3. *Usus forensis.* Ubi plures successive sententiae judiciales aut decisiones tribunalium, quibus negotiorum administratio commissa est, sunt uniformes in eadem re, per se quidem vim legis non habent, sed tamen maxima iis inest auctoritas, quae dicitur *auctoritas rerum similiter judicatarum.* Praecipui ponderis sunt decisiones Rotae Romanae, ad quam olim causae controversae ex toto orbe catholico deferri consueverant. Tametsi enim non faciant *jus* pro omnibus, sed *inter partes* tantum, maximum tamen pro veritate alicujus sententiae juridicae praebent argumentum.[5])

[1]) Juxta antiquiorum canonistarum sententiam quivis *opinionem communem doctorum* semper adoptare potest, tantoque magis *opinionem communissimam,* i. e. in quam non tantum plurimi sed omnes consentiunt. Sed opinio doctorum etiam communissima solidis rationibus convelli potest, quo fit, ut auctoritatem pristinam deperdat. Unde apparet, non tam *numerandos* esse patronos cujusdam sententiae, quam *ponderanda* argumenta, quibus thesis aliqua fulcitur.

[2]) Cfr. *Bouix,* de principiis j. c. p. 104.

[3]) C. 1. D. 20. (Leo IV.)

[4]) Photius (in praefat. Nomocanonis) recte asseruit, quae a quibusdam s. Patribus privatim in epistolis, interrogationibus et responsionibus sic dicta sunt, «*quodammodo canonis formam praestare posse*» (καί τίνα τρόπον κανόνος τύπον περιέλεσθαι δυνάμενα).

[5]) Rota a. D. D. dicitur *auriga et magistra omnium tribunalium* ejusque decisiones «sunt splendor et lucerna totius juris et quasi radii solis, a quibus multa obscura juris loca illuminantur et illustrantur.» Unde «nemo debet declinare a placitis rotalibus ob eminentiam tantorum Patrum.» *Felin.* in c. 2. n. 48; *Loterius,* in appar. n. 84; *Menochius,* consult, n. 1196.

4. *Stylus curiae* est modus per consuetudinem invalescens aut in consistoriis negotia tractandi, aut in judiciis ecclesiasticis procedendi. Is effectum suum extra curiam et personas in judiciis occurrentes non extendit. Stylus curiae.

SECTIO II.

Historia fontium juris canonici.

§ 14. Jus antiquum usque ad Gratiani decretum.

Hactenus fontes juris canonici secundum species suas enumeravimus et quasi in abstracto exhibuimus. Jam brevis juris s. historia describenda est, ut appareat, quinam canones ab his fontibus deducti et ab ecclesia usurpati sint et adhucdum usurpentur. In texenda vero fontium historia, juxta ordinem jam supra (§ 3.) indicatum, periodos juris antiqui, novi et novissimi distinguemus.

Igitur fontes notatu dignissimi ex primis undecim aerae christianae saeculis sunt sequentes:

1. Eo tempore, quo christiani ethnicorum tyrannide divexabantur, videlicet usque ad edictum Constantini (313), perpaucae leges scriptae exstabant. Tunc enim omnis christianorum vita spiritu Evangelii, traditionibus et consuetudinibus apostolicis dirigebatur, ita, ut jure merito adumbratio viva evangelii aut consuetudo secundum legem dici potuerit, recteque encomium Taciti applicari possit: «Ibi boni mores plus valent, quam alibi bonae leges.» Ea de causa vix ullas leges condere opus erat. Insuper, ob continuas persecutionum procellas, conciliorum opportunitas ad leges solemnius condendas tunc temporis defecit. Accedit denique, quod omnia fere venerandae antiquitatis monumenta perierunt, si paucas epistolas aliquorum Pontificum, velut Clementis I., Soteris, Victoris I., Cornelii et Dionysii atque regestum duorum conciliorum Carthaginiensium (256) excipias.

Nihilominus tamen ex hoc aevo ad nos pervenit quaedam canonum collectio, licet ex parte tantum hujus temporis sit partus; nam ea forma, qua nunc exstat, post dimidium demum saeculum 5. exarata esse videtur. Est vero haec collectio, cujus frequenter mentio occurrit, *canonum Apostolorum* et *constitutionum apostolicarum*. Neutram hujus collectionis partem Apostolis posse adscribi, hodie certum omnibus exploratumque est. *Constitutiones* Apostolorum nomine Clementis Rom. Pontificis prodierunt. Constant 8 libris, quorum 6 priores in Syria sub nomine «Didascalia» circa a. 270 conscripti, duo vero libri ultimi saeculo 4. sunt appositi. Collectio haec ab haereticis interpolata ideoque a synodo Constitutiones Apostolorum.

Canones Apostolorum

Trullana (692) reprobata est. Verum eadem synodus recepit *canones* Apostolorum, qui constitutionibus serius adjecti erant, universim 85, ex quibus tamen 50 tantum in ecclesia Romana et in occidente recepti sunt. Criticorum disquisitiones (v. c. cl. Drey) evincunt, triplex horum canonum genus discernendum esse, quorum primum *spectata materia* ab Apostolorum aevo descendit, alterum epocha concilium Nicaenum immediate praecedente, tertium demum post hoc concilium, labente saeculo 4. et 5. exarari contigit.[1])

2. Sed multiplex canonum condendorum tum occasio tum necessitas emergebat post Constantini M. decretum, quo pax et tranquillitas ecclesiae data est. Ex hac epocha (usque ad fundationem imperii Romano-Teutonici) plurimas tum leges tum legum collectiones habemus. Debemus enim leges ipsas a collectionibus distinguere, quae ex legibus dispersis conflatae sunt.

I. Leges.

Itaque *primo* leges eo tempore latae sunt:

Leges conciliorum.

a) A conciliis *generalibus*[2]) quibus ad stabiliendam ecclesiae disciplinam permulta concilia provincialia e. g. Illiberitanum (circa 305), Arelatense, Ancyranum et Neo-Caesareense (315), Antiochenum (332, juxta alios 341), Sardicense (344), Gangrese (circa 365), Laodicenum (circa 347—381), item concilia in Italia, in Gallia, in Africa (praesertim Carthaginensia usque ad a. 419), in Hispania (inter quae sunt 17 Toletana a. 400—694) celebrata, amicas manus dederunt;

---

[1]) V. *Drey*, neue Untersuchungen über die Constitutionen und Canones der Apostel. Tübingen 1832. — Cfr. *Hefele*, Concilien-Geschichte I. p. 767, ubi canones Apostolorum praeclaris annotationibus illustrati exhibentur. — *Lagarde*, Constitutiones Apost. Lipsiae 1862.

[2]) Priorum 9 saeculorum concilia oecumenica sunt; Nicaen. I. 325. — Constant. I. 381. — Ephes. 431. — Chalced. 451. — Constant. II. 553. — Constant. III. 680. — Nicaen. II. 787. — Constant. IV. 869. — Acta conciliorum tum generalium tum particularium praesertim collegerunt: *Merlin* 2 vol.; *Crabbe* 3 vol. f.; *Binius* 10 vol. f.; *Labbaeus* et *Cossartius* 18 vol. f.; *Baluzius* (Supplementum conciliorum Labbaei tom. I.); *Hardouin* 12 vol. f. (haec collectio pertingit usque ad a. 1714); *Coteleti* 23 vol. f.; *Mansi* 31 vol. f. (haec collectio est amplissima inter omnes, sed perducitur dumtaxat usque ad saec. 15). — Concilia Germaniae, quae *Schannat* collegit, dein continuavit *Hartzheim* Colon. 1749—1790 11 vol. f. — *Collectio Lacensis* auctoribus presb. S. J. Friburgi 1870 seq. Editis jam 6 tom. septimus adhuc exspectatur. De Conciliis Germaniae tractat *Binterim* Pragmat. Geschichte der deutschen National-Provinz. und vorzüglichsten Dioeces.-Concilien. Mainz 1835— 1848. Quae a variis scripta et collecta sunt quoad Concilium Vaticanum vide apud *Vering*, K. R. p. 342. not. 7. Inprimis notentur: *Cecconi*, Storia del Concilio Vaticano. Rom. 1872. Germanice a *Molitor*. Regensb. 1873; et Conrad *Martin:* Omnium Concilii Vaticani . . . documentorum collectio. Ed. 2. Paderborn. 1873. — Pro studio conciliorum inter alia inserviunt: *Thomassin*, Dissert. in concilia gener. et partic. tom. 1. Paris 1667; *Cabassutius*, notitia eccles. etc. Lugd. 1680; *Hefele*, Concilien-Geschichte. Freiburg 1855—1869. (Pars prior tom. 7. historiam concilii Constantiensis complectitur.)

b) A summis Pontificibus, qui editis litteris decretalibus potestatem legislativam jam tunc exercuerunt. Id jam ex eo evincitur, quod 17 Pontificum decretales, nimirum a tempore Julii I. († 352) usque ad Symmachum († 514), adhucdum supersunt. Litterae pontificiae de fide tractantes dicebantur *synodicae*. Saepe plura exemplaria *(epistolae a pari τὰ ἴσα)* conficiebantur, in varias regiones mittenda. Jam inde a saeculo quarto exemplaria transsumta in archivio Romanae ecclesiae servari consueverunt, quae nuncupantur *regesta.*[3]) R. Pontificum.

c) A christianis imperatoribus, qui rebus ecclesiasticis animum intendentes haud paucas leges ad rem ecclesiasticam spectantes emiserunt, quae primum in codice Theodosii II. ac deinceps Justiniani I. collectae inveniuntur. Imperatorum.

Secundo: ne autem hae leges incerte vagarentur aut occulte laterent, ab hominibus doctis in unum corpus colligi coeperunt. Itaque variae in variis regionibus confectae sunt collectiones, eo discrimine, ut in aliquibus leges dumtaxat ecclesiasticae, in aliis vero etiem civiles (Nomo-canones) reciperentur. Ad methodum quod attinet, in antiquioribus utplurimum servata est ratio temporum, in recentioribus materiarum. Nonnisi celeberrimas hujus epochae collectiones recensebimus: II. Legum collectiones,

a) In Oriente collectiones antiquissimae[4]) ad maximam partem continebant conciliorum decreta et quidem ordine chronologico disposita. Saeculo tamen 6. *Joannes Scholasticus* patriarcha Ct. collectionem conflavit ex variis antecedentibus conciliis et in 50 titulos distribuit. Haec ergo collectio (*Collectio canonum* [*Συναγωγὴ κανόνων*] dicta) ex systematicis, quas habemus, est antiquissima. Maximae auctoritatis apud Graecos est insuper *Photii syntagma et Nomocanon,* qui duo codices saeculo 9. exarati, cum scholiis *Theodori Balsamon* patriarchae Antiocheni (1170) et Commentariis monachi *Joannis Zonarae* (1120), ac cum syntagmate *Mathaei* in Oriente,

---

[3]) *Coustant,* epistolae Rom. Pontificum. Par. 1721. Cfr. *Maassen,* Gesch. der Quellen tom. 1. p. 56. seq. — Romanorum Pontificum epistolae aut in bullariis, aut in conciliorum collectionibus continentur; item aliae simul cum ipsorum operibus sunt impressae, aliae denique seorsim collectae, quo etiam pertinet *Thiel,* Epist. Rom. Pontificum . . . usque ad Pelagium II. Braunsbergae 1867—1868. Cfr. *Jaffé,* Regesta Rom. Pontificum etc. Berolini 1851; *Böhmer,* regesta imperii ab a. 1847—1865 impressa; *Potthast,* regesta Pontificum Rom. ab a. 1198—1304. Berolini 1873. Plurimae Pontificum epistolae quaerendae sunt in Patrologia a *Migne* edita.

[4]) Harum collectionum disparium fons communis vetus erat codex graecus in concilio Chalcedonensi (541) commemoratus, comprehendens canones Nicaenos, Ancyranos, Neo-Caesareenses et Gangrenses. Pedetentim subsequentium conciliorum canones (veluti Constant., Antioch., Laod., Chalced.), ordine pro varietate regionum et temporum variante, adjuncti sunt.

Blastaris (1335) hodiedum praecipuum ecclesiae orientalis fontem constituunt.[5])

in Occidente.

b) In Occidente unaquaeque fere regio suos canonum codices habuit. Collectiones celeberimae sunt: α) Collectio *Hispanica* (ineunte saeculo 4.) vel Isidoriana, ideo sic dicta, quia recepta erat in collectione Hispanica infra nominanda, quae falso s. Isidoro attributa fuit. Erat versio latina canonum graecorum. β) Cum hac fere consonat translatio graecorum canonum, quae dicitur *Prisca*,[6]) paulo post *Hispanicam* (non ante a. 419) concinnata et pariter, sicut illa, in Italia usurpata. γ) Collectio, quam saeculo 5. ad finem vergente *Dionysius Exiguus* († 536, a quo nostrae vulgaris epochae origo repetenda est) ordine chronologico concinnavit et quae codicum subsequentium est fons locupletissimus. Eam Pontifex Hadrianus pluribus recentioribus decretalibus auctam Carolo M. (a. 774) dono dedit, unde ipsius sub nomine *codicis Hadrianei* seu *codicis canonum* etiam in regno Francorum usus invalescere coepit. δ) In Gallia ab initio saeculi 6. viguit collectio conciliorum et decretalium sat ampla a Paschasio Quesnello primum edita, quam hic auctor Romae in usu fuisse immerito credens, inscripsit: *Codex canonum ecclesiae Romanae.* ε) In Africa ante a. 546 edita est *breviatio canonum* Fulgentii Ferrandi, diaconi ecclesiae Carthaginensis, tum vero viguit etiam *concordia canonum* Cresconii (690), episcopi Africani. Cresconius ex opere Dionysii chronologico perfecit systematicum. Omnes enim leges ad 300 capita seu titulos referebat juxta materiarum ordinem. ζ) In Hispania in usu erat *codex canonum,* constans Conciliis graecis et hispanicis cum additamentis *Martini Braccarensis* episcopi (572). Hic codex deperditus est, sed fuit fons et fundamentum recentioris collectionis saeculo septimo exaratae, quae dicebatur *liber canonum,* vel etiam *collectio Isidoriana,* quia, licet sine causa, s. Isidoro Hispalensi († 636) attributa est. Haec collectio continebat tum diversarum regionum concilia, tum Rom. Pontificum decretales, et quidem a Papa Damaso usque ad Gregorium M.

3. Post conditum imperium Romano-Teutonicum usque ad annum 1150 tum praedictae collectiones retinebantur, tum novae accesserunt. Neque illis temporibus materia defuit ad inserendum codicibus apta. Hanc praesertim Rom. Ponticum constitutiones,

[5]) Cfr. Card. *Pitra,* juris eccles. Graecorum historia et monumenta jussu Pii IX. etc. Rom. 1864; *Hergenröther,* das griech. K. R. bis zum 9. Jahrh. in *Vering,* Archiv. tom. 23. p. 185.

[6]) Priscam auctoritatem codicis publice recepti non habuisse, probant fratres Ballerini *de antiquis collectionibus* j. c. p. II. c. 3.

pro eorum auctoritate in dies crescente, conciliorum decreta, nec non *Capitularia regum Francorum*[7]) suppeditabant. Capitularia regum Francorum.

Ex collectionibus, quae hac aetate prodierunt, unam tantum diligentius considerabimus, quia per eam multae doctorum hominum turbae et disceptationes commotae sunt. Est haec falsarum decretalium seu *Pseudo-Isidori* collectio, quae nono ecclesiae saeculo primum in manus hominum pervenit. Eo quod ipsa inscribitur: «Isidorus peccator» seu: «Isidorus Mercator,» per 6 circiter saecula s. Isidoro Hispalensi auctori tributa est. Codex hic superstructus potissimum collectioni Hispanicae modo dictae ad omnes fere materias canonicas excurrit et tanta rerum copia abundat, ut collectores subsequentes ex hoc fonte passim leges in suos codices derivarint. Verum permulta documenta spuria, apocrypha et interpolata a Pseudo-Isidoro isti collectioni inserta sunt, quae partim ex aliis collectionibus sunt desumtae, partim ab auctore confictae. Sic e. g. insunt codici 59 confictae Pontificum epistolae. Constitutum Constantini Imperatoris in gratiam Romanae ecclesiae et plurima fictitiorum conciliorum decreta. Isidori collectio pedetentim usum et auctoritatem habere coepit, nec erat in illorum temporum caligine, qui falsitatem mercium invectarum suspicaretur. Saeculo demum 15. viris doctis suboluit, plura documenta esse falsa, quod omnium primus detexit Nicolaus Cusanus, Cardinalis et episcopus Brixinensis.[8]) Codice deinceps typis excuso atque divulgato, novae fraudes detectae sunt a criticis tum catholicis tum protestantibus, ita ut impostura omnibus jam certa sit atque perspicua. Verum protestantes et post eos Gallicani, Febroniani et generatim omnes in sedem apostolicam male animati errorem, ut par erat, refellere haud contenti, in veritatem ipsam involarunt et ex fraudis detectione tamquam ex armamentario innumera incessanter tela ad papismum, ut dicunt, confodiendum arripuerunt. Asserunt nimirum, has decretales alio consilio non esse confictas, quam ad sedis Romanae auctoritatem amplificandam, imo Pontifices ipsos in illis conscribendis maximas partes habuisse. Porro (ita declamare pergunt) per has decretales doctrina catho- Pseudo-Isidori decretales. Falsitas detecta.

[7]) Impressa apud *Baluze* in Corp. jur. Germ. et apud *Pertz* Monument. Germ. hist. leg. tom. 1. et 2. Capitularium collectionem adornarunt: Abbas *Ansegisus,* qui Capitularia tum ecclesiastica tum saecularia Caroli M. et Ludovici Pii usque ad a. 827 collegit, et *Benedictus Levita,* qui Capitularia regni Francorum plerumque falsa (c. a. 840) congessit. *Pertz* l. c. tom. 4. p. II. 39. seq. Hae duae collectiones, quarum prior 4, posterior 3 libris constat, postea coaluerunt in unam, et sic evaserunt septem libri Collectiones Capitularium regum Francorum.

[8]) Circa a. 1450 de concordantia cath. C. 3. c. 2. p. 782. Defensionem contra Centuriatores Magdeburgenses suscepit Franciscus Turrianus (1584); adversus hunc scripsit Blondellus: «Pseudoisidorus et Turrianus vapulantes.» Genev. 1628.

lica deturpata, universa ecclesiae disciplina immutata et jus novum inductum est. Sed falsa sunt haec, imo calumniae impudentissimae. Critici cordati tum catholici tum protestantes (nam et hi nostro tempore uno quasi ore negant, has decretales Romae esse concinnatas) hanc de ista lucubratione sententiam ferunt, magno argumentorum apparatu suffultam:

Auctor. a) *Auctor* fictarum decretalium non est Isidorus Hispalensis, ut aliquando existimatum est, quia nonnulla decreta Isidoro recentiora inserta sunt. Sed neque curiae Romanae interventu aut ea auctrice exaratae sunt, quia probari potest, has merces Romae usque ad a. 858 summis Pontificibus non fuisse cognitas, cum tamen ex collectione ipsa manifestum sit, eam jam ante a. 853 evulgatam esse.[9]) Quis autem verus sit auctor, certo erui nequit; suspicio autem falsationis cadit in Benedictum Levitam Moguntinum, propter similitudinem istarum decretalium cum «collectione capitularium» ab eodem auctore (supra not. 7) conflata.[10])

tempus. b) *Tempus autem nativitatis* ex certis indiciis ad ann. circiter 847—853[11]) referri debet.

locus. c) *Locus* seu regio, in qua hoc opus falsum excusum est, ex indiciis internis creditur esse regnum Francorum occidentale et quidem probabilius provincia Rhemensis.

scopus. d) *Scopus,* quem Pseudo-Isidorus sibi praefixit, saltem directe non erat amplificatio jurium sedis Romanae, quia illa tot sinceris documentis nituntur, ut apocryphis haud indigeant: sed potius in hunc finem a se totam ecclesiastici ordinis disciplinam coactam et digestam esse in sua praefatione enuntiat auctor, ut tum rectores ecclesiae tum subditi salutaribus regulis instituerentur.

e) *Falsitas* et impostura non tam materiam ipsam, quam potius formam et chronologiam concernit. Etenim impostor permulta monumenta recentiora antiquis Patribus et conciliis, itemque multa ex scriptoribus ecclesiasticis, ex patribus, ex libro pontificali, aliisque fontibus tum genuinis tum spuriis hausta Pontificibus priorum saeculorum attribuit, et disciplinam sua aetate vigentem priscis temporibus affingit.

influxus in formationem juris canon. f) *Ad querelas de novo jure ecclesiastico per hunc codicem inducto* cl. Walter ita respondet: «Hae decretales nonnisi indolem

[9]) Sc. a. 853 ad falsas decretales prima vice provocarunt quidam clerici ab Hincmaro Suessionensi depositi; dein allegantur in comitiis principum Carisiaci a. 857 celebratis, et abhinc frequenter.

[10]) Juxta *Maassen:* Pseudoisidor-Studien, Wien 1885. Codex Augustodun. Collectionis Hispanae est lucubratio praevia seu praeparatoria, quae viam sternebat falsis decretalibus ita, ut utriusque collectionis unus idemque suspicandus sit auctor, sc. Benedictus Levita.

[11]) Cfr. *Gerlach,* Lehrbuch d. Kath. Kirchenrechtes ed. 2. p. 37. Primo impressa invenitur in collectione conciliorum Jacobi Merlini (1523). Novissima et optima editio (cum commentatione) est a Paulo Hinschio. Lipsiae 1863. Cfr. ejusdem Kirchenr. tom. 1. p. 119. seq.

et doctrinas illius aevi exhibent, quin quoad substantiam aliquid novi in medium proferant; illae vero paucae juris immutationes, quae ab auctore proponuntur, in praxim non sunt deductae.» Quae sententia ab eodem auctore solidissimis argumentis sustentatur.[12])

Ceterum cum Pseudo-Isidoro cohaerent aliae quaedem collectiones coaevae, scil. (praeter supra dictam collectionem Capitularium) *capitula Angilramni,* Metorum episcopi, quae etiam inscribuntur: *Hadriani Papae capitula* eo quod juxta alios P. Hadrianus opus hoc Angilramno dono dedisset, juxta alios vero Angilramnus Romam veniens Papae donasset, quod tamen utrumque falsum est. Ex hoc opere multae res derivatae sunt in falsas Isidori decretales, ita ut unus idemque harum trium collectionum auctor a multis habeatur. Notanda est etiam falsarum decretalium breviatio seu epitome, quae immerito Remedio Curiensi adscripta fuit.

Alii hujus epochae fontes.

Exstant ex hac epocha complures alii fontes et fontium collectiones, veluti: *Ordines Romani* seu collectiones rerum liturgicarum, pro functionibus sacris e. g. pro ecclesiarum consecratione, regum benedictione, pro episcoporum et Pontificis ordinatione etc.; item collectiones formularum pro functionibus officialibus. Inter has eminet *liber diurnus Romanorum Pontificum,*[13]) qui in ea, qua extat forma, probabiliter mox post a. 714 exaratus est. Porro variae collectiones *canonum poenitentialium* pro confessariis confectae, in quibus poenitentiae qualitati peccatorum consentaneae erant annotatae. Inter has notissimum est: *Poenitentiale Romanum,* quia usum habuit non solum particularem prout alia *poenitentialia,* e. g. Egberti, Bedae Ven., Halitgari etc., sed late per ecclesiam vigebat.[14]) His demum accedunt aliae canonum collectiones illius

---

[12]) Qui plura desiderat, videat apud Walter §§ 95—98. Putant tamen alii: 1. Pseudo-Isidorum per invectas falsas merces mundum decipere et disciplinam ecclesiasticam immutare voluisse. Ad quem alium finem, dicunt, idem confixit tot falsa documenta, scilicet saltem 104? 2. Has decretales haud parum contulisse ad potestatem societatis civilis imminuendam, ad auctoritatem metropolitarum deprimendam, ad amplificanda summi Pontificis jura. 3. Decretales istas haud spernendum influxum in evolutionem juris canonici habuisse e. gr. ob jus Pontifici assertum, omnes synodos ab ipso convocari et confirmari oportere; item asserendo, clericos a laicorum judiciis omnino exemtos esse, causas omnes majores ac praesertim episcoporum criminosorum judicium ad sedem Apostolicam spectare etc. *Scherer,* Handbuch d. K. R. I. p. 219. seq. — Ceterum innumera sunt criticorum scripta, qui de falsis decretalibus ad nostra usque tempora pertractarunt. Cfr. *Gerlach* l. c. p. 33. et *Phillips,* Lehrbuch tom. 1. p. 49. *Scherer* l. c.

[13]) Continet formularia pro cancellaria Pontificia, tractatque de regulis in exaratione decretalium servandis, de ordinatione Pontificis et episcoporum suburbicariorum, de concessione pallii, de administrando patrimonio Rom ecclesiae, de variis privilegiis etc.

[14]) *H. J. Schmitz,* die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche 1883. Cfr. *Vering,* Archiv t. 51. p. 25—46, 481.

temporis, uti: *Reginonis Prumiensis* (c. 906) «Libri duo de synodalibus causis et disciplinis eccles.»; Collectarium seu «Decretum» *Burchardi Wormatiensis* episcopi († 1025); collectio *Anselmi Luccani* († 1086), cujus basis est alia «Collectio Anselmo dedicata»; collectio Cardinalis *Deusdedit* (1086 vel 1087) Papae Victori III. dedicata; *Decretum et Pannormia Ivonis* Carnotensis († 1117), aliorumque, qui Gratiano materias pro concinnando decreto praepararunt.

§ 15. Jus novum. Corpus juris canonici.

Multiplex legum accessus.

Legum ecclesiasticarum moles, novis semper accessionibus ditata, medio circiter saeculo duodecimo in sat magnam amplitudinem excreverat. Praeterquam enim quod duo priora concilia Lateranensia (a. 1123 et 1139) suis decretis disciplinam ecclesiasticam locupletaverunt, hoc ipso tempore et totius hujus epochae lapsu a sede apostolica, cujus auctoritas tunc ad summum fastigium erat evecta, innumera fere decreta edita sunt. Hanc legum molem in ordinem redigere et scholis foroque aptare privati primum doctores, subinde ipsi quoque Pontifices aggressi sunt. Insignia illa aetate incrementa jus canonicum accepit ex nova Universitatum institutione, studiorum reformatione, diversarum artium et scientiarum ortu et progressu, et in specie ex incredibili utriusque jurisprudentiae cultura. Tunc enim temporis primum jus canonicum in studium evasit academicum, et ab Academiis etiam in forum utrumque transiit. — Hac etiam epocha, et maxime cum ad finem vergeret, jus nationale originem traxit et suos fontes habere coepit. Sub hoc respectu prae caeteris *Concordatorum Germaniae* mentio facienda est, quo nomine comprehenduntur tum *Concordata principum*, quae Eugenius IV. in comitiis Francofordiensibus cum principibus Germanicis (1447), tum Concordata Viennensia, quae Nicolaus V. cum Friderico II. (1448) iniit. Isthaec Germaniae Concordata, quae tractant de reservationibus papalibus, de annatis Pontifici solvendis, de alternativa mensium etc., usque ad finem imperii Romano-Germanici (1806) ceu lex imperii fundamentalis sancte servabantur. Sed hodie mutatis temporum circumstantiis hae conventiones usum et valorem vix non penitus amiserunt.

Concordata Germaniae.

Nos jam reliquis praetermissis unice in describendis iis collectionibus immorabimur, quibus *corpus juris canonici*, quod est celeberrimus hujus periodi partus, constituitur.

Corpus juris canonici (= C. J. C.) non simul, sed plurium saeculorum decursu absolutum et in praesentem formam redactum est.

I. pars est decretum Gratiani. 1. *Auctor* Gratianus erat monachus Camaldulensis, Bononiae degens. Is hoc opus suum circa a. 1150 perfecit et publice praelegere coepit. Erat autem decretum non mera collectio legum, sed systema juris ecclesiastici methodo practica elaboratum, cui conciliorum canones, Pontificum decreta, imo et leges civiles intextae sunt. Auctor siquidem breves theses proponit *(dicta Gratiani)*, easque ex modo dictis fontibus probat. 1. Decretum Gratiani: auctor.

2. *Scopum* explicat operis titulus: [1]) «Concordia discordantium canonum,» ex quo elucet, Gratianum canones varie dispersos in unum colligere et eos, qui sibi repugnare videbantur, amice conciliare sibi proposuisse. scopus.

3. Constat decretum tribus *partibus,* quarum prima per 101 distinctiones quasi principia juris s. exhibet, et maxime de personis agit; secunda prosequitur judicia, eaque divisa est in 36 *causas* (quae sunt casus practici). Sub unaquaque causa sunt plures *quaestiones* et sub quaestionibus plures *canones* seu capita. Sed in hac secunda parte una ex quaestionibus, nempe 3. quaestio causae 33., aliquid peculiare habet. Insertus enim est tractatus de poenitentia, in distinctiones 7 divisus. Pars tertia «de consecratione» inscripta praecipue de rebus sacris tractat et comprehendit 5 distinctiones, quae sicut pars prima, in plures canones distribuuntur. partitio.

4. Dici vix potest, quanta omnium adprobatione Gratiani opus receptum et in usum publicum deductum fuerit. Statim enim a discipulis auctoris publice legi, a *„decretalistis“* primo *glossis* seu brevibus verborum explicationibus, deinde etiam commentariis (qui dicebantur *apparatus*) illustrari et in judiciis ceu pars juris communis haberi coepit. Omnibus quippe placuit ubertas collectionis, methodus scholastica tunc passim usitata, et prae reliquis dexteritas auctoris in conciliandis antinomiis. receptio.

5. Verum neque vitiis et mendis caret opus Gratiani. Praeterquam enim quod systema minus cohaeret et eaedem materiae saepius repetuntur, auctor multa suppositita, apocrypha et corrupta loca inseruit, eoquod (ut ait Devoti) rivos derivavit in opus suum non ex ipsis fontibus, sed ex mendosis collectionibus. Praeterea Gratianus circa libros et auctores eorum, circa historiam, circa hominum, locorum et conciliorum nomina crebro lapsus est, quod quidem in tanta subsidiorum penuria illius temporis nemini mirum videri debet. Ad corrigenda menda operis Gratiani viri privati primum manus admoverunt; sed et publica auctoritate emendationes perfectae sunt. Nam post medium saeculum 16. Pius IV. correctio.

---

[1]) Neque titulus, neque partitio, quae nunc est, ab ipso Gratiano descendit.

et Pius V. propriae congregationi Cardinalium Gratiani decretum a naevis purgandi munus demandarunt. Viri isti, qui vocari solent *„correctores Romani“* maximis curis canones Gratiani ad fidem fontium examinarunt ac plurima menda abstulerunt, donec tandem sub Gregorio XIII. opus correctionis ad finem perduxerunt. Sed non omnia ab ipsis correcta sunt; hinc etiam post eos alii insignes viri in emendando Gratiano operam suam laudabiliter posuerunt. Igitur forma, qua nunc exhibetur decretum, non est originaria, sed continet praeter emendationes etiam quaedam serius adjecta. Inter canones serius insertos exstant permulti,[2]) qui *paleae* inscribuntur, verisimiliter a Paucapalea, qui erat Gratiani discipulus, appositi.

II. Decretales Gregor. IX.

II. pars sunt decretales Gregorii IX. Post Gratianum praeter canones tertii (1179) et quarti (1215) concilii Lateranensis plures prodierunt summorum Pontificum decretales, quae quia sparsim extra Gratiani decretum vagabantur, decretales extravagantes vocabantur. Hae a viris doctis identidem in unum corpus sunt collectae, ita, ut ex tempore inter Gratiani decretum et collectionem Gregorianam intermedio (1141—1234) circa 17 collectiones habeantur, inter quas octo typis sunt impressae. Inter has quinque *compilationes,* uti dicuntur, maxime notandae sunt.[3]) Ex his jam collectionibus juris peritissimus Gregorius IX. opera et industria s. Raimundi a Pennafort novam decretalium collectionem adornari curavit, ea mente, ut tamquam codex legalis ubique haberetur. Nam Pontifex a. 1234 eam publicavit, ad Parisiensem et Bononiensem academias transmisit, ejusque usum in scholis simul judiciisque praescripsit.

Dividitur hic codex juxta versiculum: «Judex, judicium, clerus, connubia, crimen» in 5 libros, qui rursus in plures titulos et tituli in plura capitula distinguuntur.[4])

Etiam hujus codicis forma nonnihil immutata est. Scilicet Raimundus, ex nimio brevitatis studio omittens casuum enarrationem, nonnisi authenticas eorum solutiones exhibuit, et proinde

[2]) In editione C. J. C. a Richtero procurata exstant 149 paleae, sc. in P. I. 61 paleae, in P. II. 86, in P. III. 2.

[3]) Vocari solent: compilatio *prima, secunda, tertia* etc., quarum duae potissimum commemoratu sunt dignae: 1. *compilatio prima,* scil. *Breviarium Extravagantium Bernardi Papiensis 1191.* (Cfr. Bernardi Papiensis *Summa decretorum* edit. a *Dr. Laspeyres,* Ratisbon. 1861). — 2. compilatio, quam Innocent. III. opera Petri diaconi Beneventani adornandam curavit. Haec siquidem collectio ab ipso Innocentio publica auctoritate donata est. Dicitur compilatio *tertia,* quia compilatio *secunda,* a Joanne Galensi (Vallensi) confecta, ratione materiarum prior est, licet serius sit adornata. Cfr. *Laurin,* die Decretalen-Sammlungen vor Gregor IX. in *Moy* Archiv t. 12. p. 1. et 337 seq.

[4]) Proprie Bernardus Papiensis, *primae compilationis* auctor, istius partitionis inventor habendus est. Cfr. not. 3.

decretales non integras, sed detruncatas et contractas operi suo inseruit, adeo, ut qui non malit ad fontes vel collectiones priores ascendere, earum sententiam assequi vix possit. Huic incommodo medelam allaturi jam Contius in editione decretalium (1570), atque deinceps Böhmer et Richter in corpore juris canonici ab ipsis edito recurrendo ad fontes, quae a Raimundo praetermissa sunt, textui subjecerunt et sensum evidentiorem ei restituerunt. Hinc hae *partes decisae,* uti dicuntur, in recentioribus editionibus C. J. C., typis ab ipso textu distinctis clarioris intelligentiae causa adjici solent.

III. Liber VI. Bonif. VIII.

III. pars: Liber VI. Bonifacii VIII. Hic Pontifex canones duorum conciliorum generalium Lugdunensium (1245 et 1274) et decretales Pontificum post decretales Gregorii IX. editas, suis etiam constitutionibus comprehensis, in unum corpus redegit, quod sextus decretalium est appellatum, quia erat quasi continuatio Gregorianae collectionis in 5 libros distributae, quacum etiam divisionem habet communem. Liber VI. a Pontifice per Bullam *„Sacrosanctae“* a. 1298 publici juris factus, universitatibus Bononiensi et Parisiensi transmissus et in publicum pro scholis et judiciis usum deduci jussus est. — Libro VI. adjectae sunt *„Regulae juris.“*

IV. Clementinae

IV. pars: Clementinae. Clemens V. constitutiones tum suas tum in Concilio Viennensi (1311—12) conditas ac denuo revisas (a. 1314) publicavit. Sed transmissio ad Universitates morte Pontificis (1314) fuit intercepta. Itaque ipsius successor Joannes XXII. collectionem praedecessoris sui munitam Bulla *„Quoniam nullo“* (25. Oct. 1317) ad Universitates Parisiensem et Bononiensem misit, usumque in scholis et judiciis praescripsit.[5]) Partitionis ratio pariter est eadem, quae in decretalibus Gregorii IX. servatur.

V. Extravagantes.

V. pars: Extravagantes. Hucusque descriptae collectiones dicuntur *C. J. C. clausum.*[6]) Collectio Gregoriana, Sextus cum Clementinis, quia auctoritate et jussu Pontificum omnes tres sunt evulgatae, passim communi nomine *Decretalium* veniunt. Quae his collectionibus non continebantur Pontificum constitutiones, *extravagantium* nomen acceperunt, quia vagabantur extra corpus juris canonici. Hae *ab initio* non collectae, sed singulae seorsim glossis doctorum illustratae divulgabantur. *Dein,* cum increscerent, etiam collectiones privata auctoritate a variis doctoribus sunt concinnatae, quae in editionibus C. J. C. post Clementinas appendicis instar recipi

---

[5]) Cfr. *Scherer,* K. R. p. 253 et ejusdem lucubrationem in *Vering* Archiv t. 50. p. 463 seq.

[6]) Nomen: *C. J. clausum* ex quodam decreto Concilii Basil. (Sess. 23) perperam intellecto ortum est. Concilium loquitur de reservationibus papalibus in *Corpore juris clausis.* Exinde phrasis orta est: C. J. C. *clausum. Schulte,* Quellen p. 355.

consueverant, quin tamen participarent decretalium auctoritatem. *Denique* a. 1500 *Joannes Chappuis* duas Extravagantium collectiones adornavit, quae, licet *privato* dumtaxat studio vulgatae, tantam auctoritatem obtinuerunt, ut corpori J. C. sint adjectae. Una collectio
Joan. XXII. continet 20 *Extravagantes Joannis XXII.* († 1334) per 14 titulos distributas. Hae a dicto Papa (1316—1324) editae et a Zenzelino de Cassanis (1325) glossatae fuerant. Altera continet *Extravagantes communes* i. e. decretales 70, deinde (1503) 75. a Pontificibus
communes. editas inde a Bonifacio VIII. usque ad Sixtum IV. († 1484), et constat more decretalium 5 libris, quorum tamen quartus propter penuriam materiae vacat.

Editiones C. J. C. Descriptae C. J. C. partes primum seorsim et successive in vulgus editae sunt. Tempore demum concilii Basileensis tamquam unum corpus considerari coeperunt. — Editionibus C. J. C. duae lucubrationes studio privato perfectae adjici solent, quae, semel clauso corpore juris, prae foribus stant. Altera est Matthaei Lugdunensis *Liber septimus decretalium*, (continens constitutiones Sixti IV. usque ad Sixtum V., conscriptas a. 1590, sed in C. J. C. insertus a. 1661); altera «Institutiones Lancelloti», quae sunt quasi Compendium juris canonici, quo adinstar institutionum Justiniani (a. 1563) exaratum, et ex concessione Pauli V. C. J. C. adjectum est.[7])

§ 16. Auctoritas C. J. C. et modus allegandi.

Auctoritas C. J. C. pro foro civili. 1. C. J. C. tantam, ac praesertim in Germania, aestimationem sibi conciliavit, ut ejus auctoritas etiam in forum civile penetraret illudque tamquam fons juris communis haberetur. Sub hoc tamen respectu nullius hodie roboris est, nisi quod historia juris civilis ex eo egregie illustratur.

Pro foro eccles. Igitur illud tantummodo quaeritur, quae sit auctoritas C. J. C. pro foro et usu mere ecclesiastico. Sub hac consideratione inter singulas ejus partes probe distinguendum est. Collectio aliqua legum vim et robur obtinet vel a potestate legislativa illam publicante,
decreti vel ex receptione et usu communi. *Decretum* quod attinet, illud a sede apostolica nunquam adprobatum. neque ab ipso Gregorio XIII., qui huic operi emendando animum adjecerat, pontificia auctoritate munitum est. Ergo *vi originis* decretum privati auctoris tantum valuit auctoritate. Si autem spectetur *ad usum* per plura saecula universalem, quo et in scholis et in judiciis tamquam regula receptum et adhibitum est, utique dicendum, decretum ex ultronea

[7]) A. 1582. editio C. J. C. Romana divulgata est, cujus textus tamquam *authenticus* considerari debet. — Editio optimae notae est, quam adornavit *Richter*, Lipsiae 1839. 4. Haec emendatior editur a *Friedberg*, a. 1877. seq. Alius *Liber septimus* est Clementis VIII., quem hic Pontifex confici jussit (c. 1598), sed non adprobavit. (ed. a Franc. *Sentis*, Friburgi 1870.) Cfr. *Vidmar*, Introductio in corpus j. utriusque p. 12—94.

ecclesiarum consuetudine magnam auctoritatem adeptum esse et tam scholarum quam judiciorum usui inserviisse. Sed exinde non sequitur, quod singuli textus in eo contenti approbati juris et legis ecclesiasticae vim obtinuerint. Potius cum sententia, quae nunc fere communis est, tenendum, opus Gratiani *codicis legalis* auctoritate prorsus destitui. Codicis legalis, inquam: nam quae in eo occurrunt e. gr. conciliorum canones, Pontificum decreta, dicta ss. Patrum etc., eandem auctoritatem retinent, quam ex sua indole seu *ex fonte,* ex quo fluunt, habent, ac si seorsim a collectione Gratiani spectentur. Quae per se (ex fonte) valorem legis non habent, nec per translationem in decretum ullum consequuntur.[1])

decretalium.

Sed aliter dicendum de *decretalibus* (i. e. Gregor. IX., Libri VI. et Clem.) Hae enim jussu summi in ecclesia legislatoris eaque mente sunt in hominum manus emissae, ut scholarum et judiciorum usui publico inservirent. Consequens est, omnia, quae in hisce codicibus referuntur, vim legis communis habere, quamvis ex origine pro particulari ecclesia sancita, aut omnino ex spuriis fontibus hausta sint. Nihilominus tamen non omnia omnino, quae in decretalibus continentur, hodiedum in usu sunt et in vigore. Praeterquam enim, quod per dictas decretales jus particulare non est abrogatum, et praeter eas plurimae aliae leges in ecclesia vigent, advertendum est, complures decretales propter judicia ecclesiastica sublata temporumque rationem mutatam hodie in usum deduci non posse; porro quoad plurima disciplina capita decretalibus per leges recentiores, per consuetudines contrarias, per jus particulare etc. derogatum est. Itaque magna jurisperitia requiritur, ut quis corpore J. C. rite uti valeat.

extravagantium.

Utrum *Extravagantes* vim legis obtineant necne, inter eruditos controvertitur. Illud certum et eliquatum est, *extravagantibus* ex eo, quod a Gregorio XIII. corpori J. C. inseri jussae fuerint, quandam auctoritatem accessisse. Propter hanc enim insertionem constitutiones pontificiae iisdem contentae tamquam authenticae habitae et frequentius in usum deductae sunt, ac etiam in foro adhiberi coeptae, idque cum Pontificum praescitu et tacito saltem consensu. Sed quaestio, an *extravagantes,* proprie loquendo, sint in numero fontium, neganda esse videtur. Erant enim, clauso jam C. J., a privatis tantum hominibus collectae nec unquam ab ecclesia expresse receptae. Idcirco singulae Pontificum constitutiones successu

---

[1]) *Phillips* IV. p. 412; *Schulte* l. c. § 62; *Schmalzgrueber* Prooem. n. 262 seq.; *Devoti,* I. 84; *Bouix,* d. 388; *Schenkl,* I. p. 121, qui vim paulo majorem quam relativam ad fontes Decreto tribuit, cui ferme consonat *Zallwein,* tom. II. p. 507. — Ad rem observat *Schulte* l. c., textum a correctoribus Rom. correctum qua authenticum habendum esse, quamdiu de contrario non constet.

temporis majorem auctoritatem non obtinuerunt, quam illa erat, qua in actu collectionis gaudebant, nec fieri potuit, ut insertio in C. J. ab exordio saeculi 16. secuta iisdem rationem *novi fontis* contulerit. Itaque extravagantes *ad fontem* reduci, ac praeterea ad usum forensem aliosque fontes expendi et aestimari debent.[2])

Modus allegandi.

2. Modus citandi C. J. C.

I. Decretum.

Pars I.: c. 4. *(voventibus)* Dist. 27; = c. 4. d. 27. i. e. can. 4. etc.
Pars II.: c. 17. *(Petiisti)* C. VII. qu. 1; = c. 17. C. 7. qu. 1.
Tract. de poenit.: cap. 14. de poenit. d. 1; = c. 14. D. P. d. 1.
Pars III.: c. 23. de consecr. d. 2.

NB. Signum characteristicum indicans, quomodo pars I. citari debeat, est, quod duo tantum numeri occurrunt (c. D.); in citatione vero II. partis tres adsunt numeri cum litteris c. C. qu.; III. partem indicat appositio: de consecr.

II. Decretales Gregorii IX.

Signum characteristicum est vocabulum «extra» vel littera X., atque significat, textum extra decretum esse quaerendum, e. gr. c. 1. X. de cler. conj. (III. 3) = c. 1. extra (III. 3) = c. 1. X. (III. 3); h. e. caput 1. libri III. tituli 3.

Antiquiores nonnisi vocabula initialia tum capitis tum tituli allegare solent, e. gr. cap. si qui clericorum. De clericis conjugatis.

III. Liber Sextus. IV. Clementinae.

Utraeque eodem modo, ut Decretales Gregor. IX. allegantur, solius notae characteristicae ratione habita, e. gr.

c. 1. *Licet* de const. (I. 2) in Sexto (= in VI.);
c. 2. *cum lite* (II. 5) Clem. = c. 2. Clem. (II. 5).

[2]) Cfr. *Richter,* Lehrbuch § 83. not. 5. *Schulte* l. c. § 73, qui tamen monet, hanc controversiam exigui dumtaxat momenti practici esse. — Quoad rubricas, superscriptiones et summaria capitulorum haec sunt notanda: 1. *Rubricae,* quae praefixae sunt volumini Gratianaeo, legis eccles. auctoritatem tam parum habent, *ut dicta Gratiani.* Secus dicendum de *rubricis,* quae praefixae sunt *titulis* trium posteriorum voluminum. Istae nimirum, utpote auctoritate Apostolica praefixae, plenam vim legis habent. Hinc v. gr. tamquam jus certum allegari possunt, quoties orationem perfectam continent e. g. *Ne sede vacante aliquid innovetur* X. (III. 9). — 2. *Superscriptiones capitulorum* (e. g. *Gelasius Papa Ezechiae Comiti* a. 494) lumen quidem afferunt circa originem textuum, sed ad interpretationem juridicam nil faciunt. — 3. *Summae (summaria),* quae paucis verbis argumentum capitulorum comprehendunt, a glossatoribus sunt adjectae. Unde vim legis non habent, sed tamen medium interpretationis haud spernendum constituunt. — 4. Pariter *glossae,* ac praesertim *ordinariae,* quamvis non legis aut canonis, magna tamen in interpretatione juris est auctoritas. — Glossa *ordinaria* decreti Gratiani a Joanne Teutonico (c. a. 1240) et Barthol. Brixiensi, decretalium Greg. IX. a Bernardo de Botone († 1266), L. Sexti vero et Clement. a Joanne Andreae († 1348) conscripta est.

V. Extravagantes.

Nota distinctiva est: «Extrav.» vel «Xvag.» cum appositione «Joann. XXII.» vel «commun.», e. gr.

a) Xvag. Joann. XXII. cap. un. De sent. excomm. (tit. 13).

b) Xvag. comm. c. 1. (I. 7).

§ 17. Jus novissimum. Concilium Tridentinum.

Conc. Trident. scopus.

1. Concilium Tridentinum ab a. 1545—1563 celebratum, profecto novam in historia juris canonici epocham constituit. Illud enim non tantum dogma catholicum adversus reformatores stabilivit, sed etiam legibus latis collapsam ecclesiae disciplinam restaurare cum felicissimo successu est aggressum. In hoc demum concilio vero morum *reformatio,* ab omnibus bonis tam diu ardentissime desiderata, prospere perfecta est.[1]) Ad disciplinam priorum saeculorum instaurandam non tantum *triginta* decretales et canones vetustiores innovati et confirmati, sed et novis legibus Spiritu s. plenis res ecclesiasticae exornatae sunt, quibus tanta inest sapientia et discretio, ut iis in locis, ubi effectui sunt datae (e. gr. a s. Carolo Borrom.), ad mores reformandos efficacissimae inservierint. Constat vero conc. Trident. sessionibus 25, quarum autem 13 tantum sessiones decreta, quae fidem aut mores respiciunt, condiderunt. Unaquaeque fere sessio habet duas partes, quarum una comprehendit capita et canones, quibus damnantur haereses et catholicum dogma constituitur; altera, quae inscribitur «de reformatione», continet decreta, quae disciplinam concernunt.[2])

Decreta et can.

Auctoritas.

2. Concilium Trident. maximae est *auctoritatis.* Et quidem definitiones *dogmaticae* etiam ante promulgationem unumquemque, accepta earum notitia, obstrinxerunt. Decreta vero *disciplinaria* promulgatione legitime facta, valere coeperunt. S. Pius V. in constit. «Benedictus Deus» (26. Jan. 1564) concilii decreta confirmavit ac praecipiendo eorum observationem *promulgavit,* terminum, a quo observari deberent, diem 1. Maji 1564 constituens. Attamen decreta Tridentina, principibus aliisque resistentibus, non confestim

[1]) Id minus dicendum de anterioribus conciliis. De quibus haec breviter notanda sunt: concilium *Pisanum* (1409) pro oecumenico non habetur; *Constantiense* (1414—18) exceptis aliquibus decretis, speciatim quibus superioritas conciliorum supra Papam statuta est, (Sess. 4. et 5.) qua legitimum agnosci debet. *Basilecnse* (1431—43) in schisma prolapsum primo *Ferrariam* (1438) hincque *Florentiam* translatum est. Denique Lateranense V. (1517) a compluribus ac praesertim a Gallicanis, licet perperam, rejicitur.

[2]) Storia del Concilio di Trento scritta dal Padre *Sforza Pallavicino.* Rom. 1656. 2 Tom. fol. latine reddidit *Giattini* Antwerp. 1673 fol.; germanice *Theod. Klitsche.* Augsb. 1835. Editio optimae notae concilii Trid. cum declarationibus Congregationis ejusdem concilii habetur a *Richter* et *Schulte,* Lipsiae 1853.

ubique locorum recepta[3]) sunt, imo neque hoc tempore omnia decreta reformationis in praxim sunt deducta. Jus derogandi decretis Trid. ipsi Patres Pontifici (Sess. 25. c. 21.) vindicarunt.

Vis consuetudinis decretis Trid. contrariae.

3. Quaestio agitatur inter eruditos, utrum etiam per consuetudines legitimas derogari possit decretis Tridentinis. Alii negant, alii affirmant. Nempe non multo post concilium Tridentinum coepit apud canonistas dictio invalescere: *Contra concilium Tridentinum non admittitur consuetudo.* Haec sententia ab initio nullum habuit solidum fundamentum; quia illa *generalis* clausula neque a Patribus concilii Tridentini apposita fuit decretis, neque explicite in bulla Pii V. concilium confirmante, aut in alia constitutione Rom. Pontificis continetur. Attamen a variis et insignibus auctoribus[4]) persaepe repetita fuit usque ad nostra tempora, imo et a tribunalibus Romanis, praesertim a Rota Romana et a Congregatione concilii, tamquam norma multarum decisionum recepta est.[5]) Nihilominus tamen plurima facta ostendunt, praedictam sententiam decursu saeculorum vim et veritatem suam amisisse. Nam modo multas videmus invaluisse consuetudines *contra* concilium Trident., quae irrationabiles, praesertim pro locorum adjunctis, non reputantur. Ita sentiunt hodie eruditi viri etiam Romae. Ratio, cur fluxu temporis, ubi agitur de legibus disciplinalibus, invalescere possit consuetudo etiam contra solemnissimam legem, haec merito adducitur: Omnes leges disciplinales sive facilius sive difficilius *veluti natura sua* rationabiles consuetudines admittunt. At vero clausula legibus apponi solita: *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum,* pariter non est, nisi lex disciplinalis, quae *natura sua* admittere potest consuetudinem contrariam, qua in locis, ubi praevalet, lex scripta abrogatur. De qua re in ipsis decretalibus solemnia exstant exempla. Proinde valor et finis hujus clausulae, si apponatur, non alius esse potest, quam difficiliorem reddendi consuetudinem novae legi contrariam, ac vigilantiam peculiarem auctoritatis ecclesiasticae excitandi, ne consuetudo contraria invalescat. Quousque enim haec auctoritas obsistat, consuetudo introduci non potest.[6])

Interpretatio.

4. *Interpretationem* concilii Trident. quod attinet, Pius IV. in bulla praedicta ad praecavendas lites et sinistras explicationes

---

[3]) Receptio et publicatio facta est primum in republica Veneta atque deinceps in omnibus fere regnis catholicis. In Gallia quoque concilii decreta aut vi consuetudinis, aut per concilia particularia, quin etiam per ordinationes regias in effectum sunt deducta. Cfr. *Schilling,* Erläuterung d. org. Artikel in Vering Arch. t. 28. p. 203. 204. — Intuitu regni Poloniae vid. *Heyzmann:* «Die Publication der Trientner Beschlüsse in Polen.» l. c. t. 22. p. 77.

[4]) E. g. a Pitonio, Card. de Luca, Pignatelli, Fagnani, Devoti, Card. Petra etc.

[5]) Vid. exempla apud. Bouix l. c. p. 315 seq.

[6]) *Acta* IV. p. 26. *Biderlack* in Innsbr. Zeitschr. t. 6. p. 438 seq. 608 seq.

omnibus, et quidem praelatis sub interdicto ingressus ecclesiae, aliis vero excommunicationis latae sententae poenis inhibuit, ne ullam privatam interpretationem publici juris facerent . . . *ne quis* (sunt verba) *sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia ullumve omnino interpretationis genus super ipsius concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine . . . statuere.*[7]) Ne vero deesset, qui concilium Trident. interpretaretur, ab eodem Pio IV. instituta est permanens Cardinalium congregatio, sic dicta Congregatio concilii Trident. interpretum (seu interpres). Huic ab initio id solum officii injunctum est, ut synodi decreta executioni danda curaret. Sed a Pontificibus Pio V. et praesertim a Sixto V. (Constit. «Immensa» 1558) praeter alia quaedam indulta specialia (e. g. decreta conciliorum provincialium recognoscendi, ab episcopis statum ecclesiarum populi et cleri exposcendi etc.) potestatem accepit, tum in forma *judicii* tum in forma *interpretationis,* itemque sive *motu proprio* sive ex *aliorum consultatione*, quaestiones circa sensum legum Tridentinarum motas solvendi, quin etiam decidendi quoscunque dubios juris casus, non solum intra decreta Tridentina, sed etiam extra ipsa in quovis juris canonici capite exortos.[8]) Ejusmodi declarationes s. Congregatio aut per se emittit, aut in rebus gravioribus suarum decisionum confirmationem ab ipso summo Pontifice expetit (ut stylus curiae habet: «facto verbo cum Sanctissimo.») Itaque hujus Congregationis declarationibus novus juris eccles. fons constituitur, cujus legalis auctoritas jam paucis verbis ponderari debet. Ergo

§ 18. De auctoritate Congregationis concilii Tridentini.

Declarationes Congr. conc. Trid.

Declarationes Congregationis concilii vim legis universalis habere,[1]) nonnulli negant, plurimi affirmant. Controversia autem est de illis tantum decisionibus, quae sunt *genuinae* i. e. quae *vel* munitae sunt sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti et Secretarii Congregationis, *vel,* si ab auctoribus allegantur, quas certum est originali esse conformes.[2]) Nam quoad *falsas* et *apocryphas,* quae circumferuntur, ipsamet Congregatio (27. Apr. 1621) decrevit,

[7]) Justinianus pariter prohibuerat, ne ad suum codicem ederentur commentarii. — Censurae supra expressae post bullam «Apost. Sedis» (1869) cessarunt.

[8]) *Bangen,* Die röm. Curie. Münster 1854. p. 145 seq.

[1]) Vid. *Moy,* Archiv. I. p. 106. — *Bouix,* p. 260. I. c.

[2]) Non rejiciendae sunt s. C. C. decisiones, quae apud auctores fide dignos inveniuntur, ac praesertim apud illos, qui munere Secretarii praelaudatae Congr. sunt functi, veluti *Fagnani, Barbosa, Prosper Lambertini* (Bened. XIV.)

declarationes authenticitate destitutas nedum jus facere, sed prohibitorum librorum indici esse adjiciendas.[3])

obligatoriae?

His praemissis distinguendum est (1.) inter declarationes s. C. C. 1. judiciales et 2. extrajudiciales et quoad has, (2.) utrum sint legis exstantis interpretativae an novam legem constituant.

I. Decisiones judiciales jus faciunt inter partes, pro aliis magni sunt momenti.

1. Declarationes *judiciales,* seu *in forma judicii* ad privatorum lites dirimendas editae, sunt quidem plurimi faciendae ob auctoritatem s. Congregationis, sed stricte jus faciunt solum pro partibus, non pro aliis. Ratio est, tum quia Cardinales non interpretum, sed judicum personam agunt, judices vero inter solos litigatores causas dirimunt, tum vero etiam, quia judices ad sic vel aliter judicandum propter peculiaria facti adjuncta moventur. Hinc decisiones, editae in casu particulari et individuali aliis casibus diversas circumstantias habentibus, non semper applicabiles sunt.[4])

II. Declarationes interpretativae 1. proprio motu editae, obligant.

2. Quoad declarationes interpretativas iterum discernendum est, num generaliter et proprio motu a s. C. C. edantur, an vero ex occasione particulari:

Probatur ex auctoritate a summo Pont. accepta.

a) Declarationes generaliter et proprio motu editae *(declarationes generales)*[5]) tamquam authenticae legis interpretationes omnes obligant. Probatur *primo* ex auctoritate a summo Pontifice huic s. Congregationi collata, ex qua ejusdem interpretationes procul dubio robur et vim accipiunt (§ 17). Si enim fiant Pontifice consulto, sunt profecto ipsius Pontificis propriae, vi illius regulae: «Omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem.»[6]) Quum vero fiant inconsulto Pontifice, nihilominus illius nomine emittuntur, atque ex illius potestate leges explicantur. Nam Romani Pontifices istud munus interpretandi decreta, quae ad disciplinam pertinent, eidem Congregationi detulerunt. Ergo istiusmodi declarationes ejusdem plane roboris sunt, quam si immediate a s. Sede ederentur, juxta receptum juris axioma: «Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.» (Reg. jur. 72. in VI.)

ex praxi.

Confirmatur *secundo* ex praxi. De facto et in praxi Congregatio concilii suas decisiones urget tamquam obligationem inducentes, imo

---

[3]) Thesaurus resolutionum s. C. C. Rom. hactenus 142 Vol. 4. — Zamboni: Collectio declarationum s. Congr. Card. conc. Trid. Interpr. 1812—1816 t. 8. 4. *Mühlbauer*, Thesaur. resolutionum s. C. C. ordine alphab. Monachii 1872 seq.

[4]) Ita Card. *de Luca* in Annot. conc. Trid. disc. 1. num. 11. et Card. *Soglia* Instit. jur. publ. p. 16. tom. I.

[5]) Communiter vocabula *declarationes, resolutiones* seu *decisiones* vel *responsa, decreta*, etc. promiscue usurpari solent. Sed stricte loquendo, *declarationes* pro interpretationibus, *resolutiones, decisiones* pro responsis aut judiciis usurpantur, quae a s. C. C. in casibus particularibus proferuntur; per *decreta* denique novae constitutiones denotantur. *Decretum* quippe a *decernere* in strictiori significatione ad novae legis editionem refertur.

[6]) L. Deo auctore § 3. *Et ad tuae* C. de veteri jure enucleato.

tamquam eodem robore ac decreta Pontificum pollentes. Eandem siquidem vim, quae ipsis decretis Trident. inest, continuo interpretationibus suis adscribit, etiam tunc, quando aliqua declaratio non expresse verbis concilii comprehendi videtur. Congregationis decisiones haudquaquam ut doctrinales tantum interpretationes, sed ut vera decreta emittuntur, earumque violatio easdem poenas involvit, quae transgressoribus legum Trident. intentatae sunt.[7]) Similiter Rota declarationes Cardinalium sine haesitatione reverenter accipit atque omnibus modis observat, etiam dimissis decisionibus rotalibus, quando in contrarium adsunt declarationes saepe dictae Congregationis concilii.

2. editae in casibus particularibus.

b) Idem dicendum de declarationibus, quae a s. Congregatione non proprio motu, sed ad aliorum expostulationem vel ex occasione casus alicujus particularis emittuntur, quaeque dicuntur *resolutiones* vel *decisiones*. Quodsi enim decisiones in casu speciali editae, pro *similibus casibus* prorsus sunt applicabiles, et *similes* etiam concurrunt *circumstantiae,* vel si natura sua pro *quibuscunque* circumstantiis editae reputandae sunt, tum omnes, quibus innotescunt, iisdem adstringi merito credi debet. Consilium enim Congregationis tunc manifeste hoc est, ut non solum intendat casus particulares in concreto decidere, verum etiam aperire sensum et mentem s. synodi generaliter et in abstracto.[8]) Consequenter istae decisiones non solum consulentes et interrogantes, sed ceteros quoque spectant, in quorum notitiam fuerint perlatae.

licet non sint promulgatae.

Nec valet objectio, has declarationes ac decisiones non habere robur, eoquod promulgari non soleant. Etenim in quantum sunt simpliciter interpretativae, promulgatio haud requiritur, quandoquidem haec quidem in legis editione est necessaria, minime vero

---

[7]) Ut unicum afferam exempium, ad restitutionem adacti sunt episcopi, qui contra declarationem s. Congregationis praetextu consuetudinis mulctas pecuniarias sibi aut suis officialibus applicuerunt, et tamen ea consuetudo nullibi reperitur expresse sublata a concilio Trident. — *Fagnani* l. 1. de const. c. 13. n. 27. — Cfr. *Nicollis,* praxis canonica I. Litt. J. n. 26 seq.

[8]) Pro exemplo sit declaratio (apud *Fagnani* l. c. n. 66) affirmans, ad obtinendum simplex beneficium eccles. sufficere annum 14. *inchoatum,* et e converso ad obtinendas dignitates, quibus animarum cura nulla subest. in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis ex decreto c. 12. vers. «ad ceteras» sess. 24. requiri annum 22. completum. Utraque decisio generaliter observanda est, licet edita sit in casu speciali. Unde falsa est objectio, s. Congregationem tantummodo de veritate facti judicare, utrum nempe casus aliquis particularis comprehendatur decretis concilii Tridentini, nec ne. Ea enim quae in facto consistunt, rejicit ad judices ordinarios, quae vero sunt de jure, ipsa pronuntiat. Et haec ab omnibus observanda sunt, licet ex occasione casus seu quaestionis particularis decreta fuerint.

in legis declaratione.[9]) Interpretatio enim nihil addit legi, sed tantummodo manifestat sensum verum legis ambiguae jam existentis, ideoque non est nisi lex ipsa ex obscuris educta.

III. Novae constitutiones.

c) Tanto magis obligant *decreta* a s. Congregatione edita, seu illae declarationes, quae ultra id, quod verba concilii Tridentini exprimunt, quidpiam statuunt. Haec quidem decreta non tam declarationes sunt, quam potius *novae constitutiones.*[10]) Sed quoniam nonnisi ex speciali Papae mandato emitti, et solemniter etiam promulgari solent, illae ceteris Pontificum constitutionibus rite promulgatis prorsus pares sunt habendae.[11])

Denique si s. C. C. declarationes hinc inde sibi repugnare videantur (quod tamen rarissime occurret), haec contradictio per regulas sanae interpretationis de facili e medio tolli vel saltem axioma juris adplicari poterit: *Lex posterior derogat priori.*[12])

---

[9]) «Nam cum lex aliqua jam palam innotuit, necesse non est, ut eodem pacto reliquae sanctiones publicae divulgentur, quibus eadem lex magis declaratur.» Bened. XIV. Instit. 10. p. 52.

[10]) Hinc distinguunt inter declarationes s. C. C. *comprehensivas* et *extensivas,* prout a propria et recepta verborum concilii Trid. significatione recedunt vel non recedunt.

[11]) Tales declarationes sunt decreta ejusdem s. C. jussu Urbani VIII. edita de alienatione temporalium ad monasterium pertinentium (7. Sept. 1624); de apostatis regularibus et ejectis (21. Sept. 1624); de celebratione missarum (21. Junii 1625). Vide etiam concil. Trid. (ed. a *Richter* et *Schulte* p. 494. 539. 578.) — Praeter opus *Palottini* (p. 16. n. 3 citati) cfr.: Causae selectae in Congr. Cardin. conc. Trid. interpretum a *Lingen* et *Reuss.* Rattisb. 1871.

[12]) De modo agendi, quo ipsa s. C. utitur, deque modo procedendi coram ea vide Acta S. S. IX. p. 551; ib. XVII. p. 295. — Eadem, quae modo de auctoritate Congregationis concilii Trid. dicta sunt, valent etiam de reliquis Congregationibus Romanis ac praesertim de duabus ad nostrum institutum propius pertinentibus, nempe de Congregatione Indicis librorum prohibitorum et de Congregatione Rituum. Decreta *Indicis* vim obligatoriam habere pro omnibus, Benedictus XIV. in Brevi suo «Quae ad catholicae» (23. Dec. 1757) diserte edixit: «Indicem praesentibus litteris nostris tamquam expresse insertum habentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis personis, ubicumque locorum existentibus, inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus sub poenis» etc. — Eadem de s. *Rituum* Congregatione dicenda sunt. Sed ratione applicationis in praxi maxime differunt decreta Congregationis concilii a decretis Congreg. Rit. Illis enim fere semper, uti dictum, inest *character universalitatis,* etiam si ex occasione facti aut postulationis particularis condita sunt. Haec autem quoad majorem partem sunt particularia, et qua talia ab aliis, quam quibus sunt destinata, propria auctoritate effectui dari nequeunt. Ad dignoscendum, utrum generalia an particularia sint, ad haec criteria erit attendendum. Videlicet generalia sunt: a) si ex *causa generali* omnesque attingente emanarunt. Secus esset, si ob particulares loci, provinciae aut collegii circumstantias certo loco vel coetui destinata essent; tunc enim ad alia loca proprio arbitrio non possent transferri. b) Si *materialiter* sunt universalia, seu si materia interpretationis non spectat ad jus particulare sed commune, prout e. gr. est, ubi rubricae aut ritus universaliter vigentes a

§ 19. Recentiores summorum Pontificum constitutiones.

1. Praeter illas constitutiones, quae in C. J. C. collectae aut seorsim occurrunt, ingens fere numerus legum papalium, et quidem tum Bullae tum Brevia, in Bullario Romano nec non in Bullario Benedicti XIV. continetur. Videlicet jam anno 1586 constitutiones Pontificum, a Leone I. usque ad Sixtum V. emanatae atque in C. J. C. non comprehensae, a Laërtio Cherubino collectae et in vulgus editae sunt. Haec collectio dein ab ejus filio Angelo Mar. Cherubino (1634) et post illum ab Angelo Lantusca et Paulo a Roma (1672) novis additamentis locupletata est. Demum his aliisque elucubrationibus superstructum prodiit *Magnum Bullarium Romanum* et quidem tum Luxemburgi tum Romae, ita tamen, ut editio prior nonnisi usque ad Benedictum XIV. pertingat, editio vero Romana novissimas quoque constitutiones comprehendat.[1]) Bullarium magnum Romanum nulla s. Sedis publicatione munitum est, et proinde per se jus non facit. Sed unaquaeque constitutio ibi contenta potest obligare vel non, prout constat, eam pro universa ecclesia editam, authenticam, non revocatam aut sublatam esse, vel non. Econtra Bullarium Benedicti XIV., quod continet constitutiones ab hoc Pontifice conditas, sui auctoris promulgatione authentica communitum est. «Unde collectio illa,» ait Bouix,[2]) «plena auctoritatis censenda est, non minoris scilicet quam quinque libri decretalium et liber VI. et Clementinae.»

Magn. Bullarium Romanum.

Bullarium Bened. XIV.

Hoc loco silentio praeteriri haud potest Encyclica Pii IX. sub d. 8. Dec. 1864 cum adnexo errorum Syllabo emissa, cujus

---

Patribus explicantur. c) Si interpretatio in sua *relatione ad legem* est comprehensiva, non extensiva. — At specialis Papae adprobatio haud requiri videtur. Nimirum ad quaesitum: «An decreta s. C. emanata *responsiones quaecunque* ab ipsa propositis dubiis *scripto formiter editae* eandem habeant auctoritatem, acsi immediate ab ipso summo Pontifice promanarent, quamvis *nulla* facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae?» — eadem s. C. facta de praemissis omnibus Pontifici relatione respondit: *Affirmative* 17. Jul. 1846. — Ubi praedicta criteria simul adsunt, decretum indiciis universalitatis instructum est. Igitur (ut exemplum afferam), certe universale decretum est illud (15. Maj. 1819), quo interdicitur gossypium in amictibus, albis, tobaleis altaris, corporalibus, pallis et purificatoriis; item decretum (5. Aug. 1662) de non dicendis missis de requiem in festis duplicibus. *Moy*, Arch. I. p. 104 seq. *Mühlbauer*, Decreta S. R. C. München 1867, 3 tom.

[1]) Editio Bullarii *Romani* procurata est a Carolo *Coquelines* (Romae 1733—1757). — Inde ab anno 1835 usque ad 1857 Romae in lucem prodiit: «Bullarii Rom. *continuatio*» complectens constitutiones summorum Pontificum Clementis XIII. usque ad Gregor. XVI. auctore Andr. *Barberi*. — Nova editio Bullarii prodire coepit Taurini 1857. 24 tom. 4°. Continet solum constitutiones Pontificias a Leone M. usque ad a. 1740 editas. — Huc pertinent etiam: Acta Pii IX. Rom. 1848—1875 3 vol. — Exstant etiam Bullaria religiosorum ordinum.

[2]) De principiis juris can. p. 394.

quippe objectum non solum ad Theologiam dogmaticam, sed ad jus quoque canonicum spectat. Utrumque hoc documentum (quod proprie unicum tantum efficit) ab omnibus catholicis ea, qua par est, reverentia recipi debet. Licet enim in eo desint quidam modi solemnes, quibus Pontifex *ex cathedra* loquens communiter uti solet, cujus generis e. g. sunt: qualificatio singulorum errorum, proscriptio per bullam dogmaticam, adjectio censurae etc.; nihilominus tamen R. Pontifex in praedictis monumentis uti universalis ecclesiae magister ecclesiam, et proinde ex cathedra docet, damnans quasdam propositiones, et, missà ad universos episcopos illa encyclica, diserte praecipiens, ne doctrinae damnatae a quovis catholico uti verae habeantur.[3]) Ad quod novum et maximum accedit momentum: consensus omnium, moraliter saltem sumptorum, episcoporum, unanimiter confitentium, Petrum per os Pii locutum fuisse, omniaque a Pontifice ad constituendum depositum dicta, confirmata, prolata, se quoque confirmare et annuntiare.[4])

Regulae Cancellariae.

2. Genus prorsus singulare pontificiarum legum efficiunt *regulae Cancellariae,* quibus ab initio solummodo modus pertractandi negotia in Cancellaria Romana est definitus, postea vero et quaedam alia juris canonici capita, ac praesertim ad beneficia eccles. pertinentia sunt determinata. Primus, qui regulas pro instruendis Cancellariae magistratibus inservientes scripto mandavit, erat Joannes XXII. (1331). Consequentes Pontifices, ac imprimis Nicolaus V. (1447), auxerunt has regulas, multa adjicientes, quae universalem ecclesiam respiciunt, praesertim de beneficiis Pontifici reservatis et de processu judiciali. Propterea triplex earum genus distinguitur: regulae Cancellariae *directivae,* regulae *reservatoriae,* quibus denique *judiciales* accedunt, prout nimirum normas continent *vel* pro expediendis beneficiis, *vel* pro faciendis apellationibus in processu ecclesiastico. Regulae Cancellariae (nunc 72

Origo.

Triplex genus, vis et valor.

[3]) «Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.»

[4]) Sed dices: qui secus sentiret ac doceret, quam R. Pontifex docuit, qua censura innodatus erit habendus? Habendusne uti haereticus, aut de haeresi suspectus etc.? Respondeo 1. Talis inprimis gravissimae inobedientiae reus est habendus, quoniam non submittit intellectum supremo ecclesiae magistro divinitus constituto, imo quod contradicit ipsimet ecclesiae docenti. An vero 2. praeter inobedientiae reatum, aliquid aliud concurrat, quod hunc inobedientiae reatum sive haereticum sive haeresi proximum aut alia censura affectum praeterea reddat, ex qualitate propositionis pendet, cui ejusmodi refractarius contradicit, prouti nempe illa propositio censuranda est ut haeretica, haeresi proxima, temeraria etc. Hoc autem ad Theologos pertinet definire, quia nulla qualificatio errorum, nec specifica nec cumulativa, in encyclica adjunctoque Syllabo est supposita. Cfr. Acta III. 62.

circ. numerantur) proxime nonnisi officiales Cancellariae afficiunt. Plures tamen earum latius per ecclesiam vigere coeperunt, inter quas *quatuor* sunt notissimae, quae ad res beneficiales referuntur.[5]) Aliis tamen per jus recentius et per Concordata derogatum est, exceptis tamen regulis *directivis* et *judicialibus,* quae hodiedum pro Cancellaria Romana vigent. Vim habent usque ad mortem Pontificis; sed a successore ratificari ac deinde a Cardinale Vice-Cancellario promulgari solent.[6])

§ 20. Fontes juris particularis novissimi.

Jus particulare, quod nimirum cuidam territorio civili vel certae provinciae aut dioecesi affixum est, ubique gentium suos proprios fontes habet. Nos juris particularis Germanici dumtaxat et Austriaci fontes recentiores et recentissimos summariae recensebimus, ea quidem restrictione, ut quascumque leges, quae contra jus fasque quoad ordinem ecclesiasticum constitutae sunt, ex fontium legitimorum numero amandemus.

1. Fontes juris particularis *Germanici* cum factis funestissimis, nempe cum reformatione, saecularisatione et interitu Imperii Germanici nexu naturali cohaerent. Imprimis diuturnis illis dissidiis, quae saeculo 16., simulatâ religionis reformatione, Germaniae pacem perturbaverant, per conventiones inter status Imperii catholicos et protestantes initas finis aut saltem modus positus est. Hinc fons maximi momenti, ex quo jura mutua Catholicos inter et Protestantes redundant, est pax religiosa Augustana (1555) et huic superstructa pax Westphalica (1648). Utraque vim legis

Pax Augustana. Westphalica.

[5]) Scil. regula 19. *(de viginti)* nempe si quis resignat beneficium et moritur ante 20 dies plene completos post resignationem, tunc eadem non valet (infr. § 95); reg. 20. *(de idiomate).* Obtinens beneficium debet callere linguam loci illius; reg. 35. *(de annali possessore)* et 36. *de triennali possessore)* vide § 85. n. 2. Hae duae procul dubio etiam apud nos vigent. Quae tum in regula 9. Cancellariae tum per Concordata Viennensia praescribuntur quoad *menses papales* ab Imperatore Josepho II. abrogata sunt (Ordinat. 7. Oct. 1782). Nimirum Imperator edixit. menses papales esse sublatos, et canonicatus, quibus hactenus s. Sedes mensibus papalibus providere solebat, abhinc fore nominationis regiae. Regula *quarta* eatenus per Concordatum Austr. (art. 32) resuscitata est, quatenus saltem prima dignitas in capitulis cathedralibus s. Sedi conferenda adjudicatur.

[6]) *Riganti* Commentaria in regulas Cancellariae 4. tom. f. Rom. 1744. Prooem. n. 37. 38. — Regulae Cancellariae sub recentioribus Pontificibus non amplius promulgari sed solummodo officialibus Cancellariae communicari solent. Unde earum tenor, prout nunc est, extra curiam est prorsus incognitus. Regulae Cancellariae, quas in extenso exhibet *Walter* (Fontes juris eccles.) eaedem sunt, quas Clemens XIV. (9. Jun. 1769) ratificaverat et promulgaverat. Ex hoc tempore harum regularum promulgatio ex usu recessisse videtur. *Scherer* Handb. d. K. R. p. 295. § 60. — Cfr. *Bouix* l. c. p. 213 seq. *Rosshirt* über die päpstl. Kanzleiregeln in *Moy* Archiv t. 3. p. 483 seq.

fundamentalis pro Germania habet, tum a Protestantibus tum a Catholicis perpetuo observandae.

Recentiores fontes juris particularis post saecularisationem, uti dicitur, et imperii Romano-Germanici interitum prodierunt. Saecularisatio a. 1801, quo pax Lunevillensis cum Gallis composita fuit, decreta est, per conclusum vero deputationis imperialis (25. Febr. 1803) executioni dari praecepta. Consecuta est igitur bonorum ecclesiasticorum in manus saeculares deportatio,[1]) complurium sedium episcopalium, abbatiarum, capitulorum, seminariorum exstinctio, ordinis externi per totam fere Germaniam eversio. Ad novum ordinem quasi de fundamento exstruendum et aliqualem ecclesiis spoliatis compensationem impertiendam eodem concluso (§ 35.) principes solemni appromissione sese obstrinxerunt, fore, ut ecclesiae episcopales noviter dotentur et alia ad res ecclesiasticas componendas pertinentia ab ipsis praestentur. Item in eodem concluso (1803 § 63.) principes obligationem in se susceperunt, in omnibus ditionibus per saecularisationem acquisitis religionis exercitium, prout hucusque in iisdem viguerat, tuendi atque servandi. Quoad has obligationes ad principes devolutas conclusum deputationis imperialis hodiedum fontem juris Germanici constituit. — Cum deinceps, extincto Imperio Teutonico et pace populis reddita, status Germaniae vinculo confoederationis ad invicem sociarentur, actis confoederationis (1815 art. 7. 15. 16.) et deinceps actis Viennensibus (1820 art. 13. n. 4.) in quaedam decreta conventum est, quibus mutua diversarum religionum jura determinantur. Idcirco tum *acta confoederationis Germanicae,* tum *acta Viennensia* ad fontes juris nationalis Germaniae pertinent. Quae his legibus imperialibus quantum ad religionem sunt sancita, eadem etiam post collapsum Imperium Romanum, quin et post solutam civitatum Germanicarum confoederationem (1866) ex communi sententia jurisperitorum[2]) firma et in omni suo robore manent. Jura etenim societatum religiosarum *quaesita* propter istas vicissitudines politicas non censentur extincta.

Conclus. deput. imperialis.

Acta Confoederationis Germ. et Viennensia.

Concordata.

Verum ad ordinem funditus eversum denuo restaurandum, et ad res ecclesiasticas componendas, praeterea prorsus necessarium fuit, ut principes circa has res cum sede Apostolica pacta inirent. Quod ubique fere factum est. Sic concordatum initum est cum rege Bavariae (1817), cui tamen omnis fere valor ademtus

---

[1]) Pretium bonorum ereptorum 420 millionibus flor. monet. rhen. aequiparatur. Cfr. *Klüber:* Uebersicht der diplom. Verhandlungen. Frankfurt 1826. *Walter,* fontes jur. eccles. Bonn. 1861. fasc. 1. 2.

[2]) Cfr. Archiv XI. p. 93—148, ubi in hoc sensu refertur decisio supremi Tribunalis Dresdensis. Cfr. Denkschrift der am Grabe des hl. Bonifacius versammelten deutschen Erzbischöfe und Bischöfe etc. Paderborn 1872 p. 4.

est per edictum, quod dicitur religionis (1818); pro aliis territoriis emissae sunt bullae, quae dicuntur circumscriptionis,[3]) quibus potissimum conventa est erectio, limitatio et dotatio sedium episcopalium. Denique cum regimine Würtembergico[4]) atque Badensi[5]) concordiae initae sunt, quas tamen ob difficultates a statibus populum repraesentantibus obmotas in exitum deduci haud contigit.[6])

Fontes particulares juris Austriaci.

2. Particularis juris *Austriaci* fontes quod attinet, per plura decennia «codex juris eccles. Josephini» atque constitutiones caesareae «in publico-ecclesiasticis» fontem largum magis quam limpidum constituerunt, qui aquas suas in omnes Imperii partes derivavit. Secuta est subinde legislatio principiis ecclesiae omnino conformis. Namque post plurimas leges favore libertatis ecclesiasticae (1849 et 1850) ab Imperatore editas tandem (18. Aug. 1855) concordatum cum sede Apostolica initum est, per quod tum omnes leges juri canonico adversantes in Austriaco Imperio abrogatae sunt (art. 35), tum vigor legum ecclesiasticarum fuit renovatus (art. 34). Cum concordato cohaerent: Nota «Ecclesia» Cardin. Rauscher ad Nuntium apostol. Viennensem data, quae est veluti supplementum concordati, Breve Pii IX. (5. Nov. 1855), quo nonnulla, ad usum et executionem concordati pertinentia, praeclare explicantur, plurimae denique leges ad executionem concordati pertinentes, quo potissimum «Instructio pro judiciis matrimonialibus« spectat. Sed, brevi nimis spatio elapso, fundamenta hujus legislationis, moderno liberalismo summopere exosae, per novas leges civiles, scilicet imprimis *per leges Imperii fundamentales* d. 21. Dec. 1867; et deinceps per leges, quae scholas, matrimonium et societates religiosas spectant, concussa sunt. Denique concordatum in tota sua amplitudine per rescriptum caesareum d. 30. Jul. 1870 abolitum est novaeque leges, concordato prorsus contrariae, sunt sancitae (infra § 46).

---

[3]) Pro regno Borussico bulla *„de salute animarum“* (1821); pro territoriis, in quae provincia Rheni superioris sese exporrigit: *„Provida sollersque“* (1821); pro regno Hannoverano: *„Impensa Romanorum Pontificum“* (1824) etc. Etiam extra Germaniam res eccles. per bullas pontificias compositae sunt e. g. in Hollandia (1827), in Helvetia (1823 et 1828), in Polonia (1817), pro Catholicis in imperio Russico (3. Jul. 1848).

[4]) *„Cum in sublimi“* (1867).

[5]) *„Aeterni pastoris“* (5. Dec. 1859).

[6]) Extra Germaniam quoque imperantes civiles cum summo Pontif. concordata inierunt, e. g. Napoleon primus Consul (15. Jul. 1801, istud concordatum cum suis famosis *Articuls organiques* hodiedum in Gallia viget), rex utriusque Siciliae (16. Febr. 1818), rex Sardiniae (1817 et 1841), archidux Hetruriae (19. Jun. 1851), concordatum Hispanicum (23. April 1851). — Cfr. «Conventiones de rebus eccles. inter s. Sedem et civil. potestatem variis formis initae ex collectione Romana a Vinc. *Nussi* excerptae» Moguntiae 1870. — Cfr. *de Luise:* De jure publ. et diplomatico p. 508—604.

Fontes juris provincialis et dioecesani.

3. Denique complures provinciae ecclesiasticae ac singulae dioeceses, praeter jus commune quaedam sibi propria et domestica habent. Jus provinciale faciunt concilia provincialia, quorum celebratio nostra aetate haud infrequens est.[7]) Similiter in nonnullis regionibus synodi dioecesanae habitae sunt.[8]) Singulas dioeceses quibusdam ordinationibus sibi propriis instructas esse alibi jam dictum. Ejusmodi ordinationes et instructiones hodie periodice typis imprimi et in manus ecclesiasticorum edi solent.

LIBER II.

Principia generalia juris canonici.

§ 21. Conspectus dicendorum.

Indicatis fontibus juris canonici convertimur ad jus ecclesiae tum fundamentale tum sociale ad extra. Jus fundamentale est illud, quod ab ipso Christo Domino ecclesiae inditum ideoque basis eorum jurium est, quae a legifera potestate ecclesiastica sunt adjecta. Dicitur etiam constitutivum, quia cum ecclesiae constitutione positum est eidemque nexu indissolubili inhaeret (§ 9. 2). Ex jure fundamentali jus ecclesiae sociale ad extra profluit. Etenim si ex originaria sua constitutione ecclesia certa jura a Christo concessa sibi propria habet atque domestica, invicte sequitur, eadem jura ab illa in convictu cum aliis societatibus, nempe cum statibus politicis et aliis coetibus religiosis, libere exerceri oportere, seu quod idem est, ecclesiam jus habere, eodem prorsus modo in mundo existendi, quo a Christo constituta est. Loquemur igitur primo de fundamentali, deinde vero de externo et sociali jure ecclesiae.

---

[7]) Concilia provincialia inde ab anno 1850 habita sunt inter alia Parisiis 1850; Baltimorae 1852. 1866 (nonum in hac provincia); Coloniae 1860; Colocae 1873; Pragae 1860; Venetiis 1858; Vienn. 1858. — Celeberrima sunt «Acta eccles. Mediolan. a s. Carolo Borrom. condita.»

[8]) E. g. Wratislaviae 1855; Quinque-Ecclesiis 1863; Strigonii 1860; Litomerici, Budvici, Regino-Gradici, Pragae 1863; Paderbornae 1867; Mechliniae 1872 etc. — In aliquibus dioecesibus jus dioecesanum est antiquius. Sic v. g. pro dioecesi Brixinensi praesto sunt: «Decreta in synod. dioec. Brixinae 1603 sancita — atque in congregatione prosynodali 1767 — recognita et reimpressa.» Cfr. *Bickel*, Synodi Brixinenses saeculi XV. (Oenip. 1880.) Pro dioecesi Tridentina: «Constitutiones synodi Tridentinae dioecesanae a. 1593 celebratae cum praecipuis decretis episcoporum subsecutorum.» Trid. 1841, Alae 1880. Syn. Lavantina Marburgi 1883. — Haud satis commendari possunt: Statuta dioecesis Leodiensis. Leodii 1851; item: Instructio pastoralis ad clerum dioec. Eistettensem jussu Rev. Episcopi Georgii. Eistad. 1854.

SECTIO I.

De jure ecclesiae fundamentali.[1])

§ 22. Ecclesia catholica ejusque organismus exterior.

Ecclesia a Christo fundata.

1. Jesus Christus, generis humani salvator, baptizatos in se credentes in societatem externam et visibilem evocavit,[2]) seu in ecclesiam jussit coalescere, quae proinde est societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium.[3]) Idem divinus ecclesiae fundator voluit, ut fideles hoc triplici vinculo visibili ecclesiae connecterentur, scilicet professione ejusdem fidei, sacramentorum a se institutorum usu, et subjectione ad legitimos pastores, ideoque ecclesia accuratius describitur: «Societas hominum unius professione fidei, eorundem sacramentorum communione et ad summum Pontificem aliosque legitimos pastores subjectione copulatorum.»

Ecclesia societas inaequalis.

2. Jesus Christus ecclesiam instituit ut societatem non aequalem, sed inaequalem, seu membrorum disparia jura obtinentium. Prout in civitatibus politicis imperantes sunt, qui auctoritate supra reliquos eminent, ita plane in ecclesia Christi, societate omnium perfectissima, coetui specialiter electo («quos voluit ipse»)[4]) potestas publica et rectoria commissa est,[5]) cui reliqui parere et se submittere debent. Datur ergo ecclesia alia docens et imperans, alia discens et obtemperans, seu datur *ex jure divino* discrimen inter clerum et populum, inter sacerdotium visibile et invisibile.[6])

Gradus in clero.

3. In ipso clero plures gradus distinxit, quorum summum in collegio apostolico obtinuit b. Petrus, qui non solum honoris et auctoritatis sed et jurisdictionis primatum[7]) accepit in omnem ecclesiam, non ovium tantum sed et pastorum pastor constitutus.[8])

---

[1]) In hoc exponendo nos breves esse oportet, non solum licet. Cum enim longe maxima pars hujus tractatus in theologia dogmatica et explicetur et probetur, eadem repetere perinde esset, ac falcem in alienam messem immittere. Hinc ea sola hic accuratius explicantur, quae in aliis disciplinis haud occurrunt. Principia vero dogmatica tanquam lemmata huc transsumimus et pro ratione nostri instituti ita ob oculos collocamus, ut appareat, ulteriora ecclesiae jura, quae in Parte speciali exhibentur, naturali profluvio ex hisce principiis derivari.

[2]) Ἐκκλησία ab ἐκκαλέω.

[3]) Bossuet Oper. tom. 23. p. 247.

[4]) Marc. 3, 13.

[5]) Joann. 20, 21—23; Matth. 18, 18; 28, 18—20; Marc. 16, 15.

[6]) Concilium Trid. Sess. 23. cap. I. III. IV. et can. 1. 3—6.

[7]) Matth. 16, 18; Luc. 22, 32.

[8]) Joann. 21, 15 seq.

Primatus. Naturalis vero primatus haeres est episcopus Romanus.[9]) Nam hoc ipso, quod Petrus, qui Romae qua Episcopus simul et Papa sedit, ibidem mortuus est, episcopatum ac primatum suum indivise successoribus suis reliquit, ita ut, quemadmodum b. Petrus, sic Romanus Pontifex vere Christi in terris Vicarius existat. — Primatus Rom. Pontificis est nota exclusive propria verae ecclesiae Christi. Etenim ubi centrum est, ibi circulus; ubi caput est, ibi et corpus esse statuendum est; ubi Petrus est, ibi veri pastores, veraque fides et sacramenta esse cognoscuntur, sicut jam Patres dicebant: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.*[10])

Episcopi. 4. Licet vero Petrus plenam et supremam potestatem obtinuerit, non tamen unicus potestate exornatus est. Nam etiam Apostolos Christus Dominus, ut cum Tertulliano loquar, adlegit lateri suo populorum magistros, eosque pariter triplici potestate instruxit,[11]) ea tamen lege, ut auctoritati Primatis quoad usum suae potestatis essent subjecti. In Apostolorum vero locum collegium episcoporum successit; collegium, inquam, quia singuli episcopi singulorum Apostolorum successores non sunt.[12])

Presbyteri. 5. Infra episcopos *presbyteri*[13]) consistunt, diversa munia et officia ecclesiastica obeuntes, ad quae dignitas episcopalis haud requiritur. Hi quidem in sacerdotio sunt successores Apostolorum, sed non in episcopatu, ideoque episcopis sunt inferiores tum ordine tum jurisdictione.

6. Denique presbyteris inferiores sunt *ministri,*[14]) ad quos ad minus diaconi ex institutione divina pertinent.

Talis ergo est forma ecclesiae exterior, seu prout dici solet: constitutio. Constat ad modum individui humani ex anima et corpore, corpus vero capitis et membrorum conjunctione perdurat, membra denique mirum in modum organice disposita[15]) et invicem subordinata sunt.

§ 23. Potestas ecclesiastica. I. ratione objecti: Magisterium, ministerium et imperium.

Potestas ecclesiae, quoniam ipsius Christi potestas est, congruenter ad triplex munus Christi, videlicet munus propheticum,

[9]) S. Irenaeus l. III. adv. haer. c. 3. — S. Cyprian. ep. 45. — Tertull. l. de pudic. c. 1.

[10]) Ambros. in Psalm. 4. n. 30.

[11]) Vid. not. 4. Eph. 2, 20. Apoc. 21, 14. Conc. Trid. Sess. 22. c. 1, de sacrif. missae.

[12]) S. August. in psalm. 44. v. 17: «Quid est: pro patribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi» c. 6. D. 68.

[13]) Conc. Trid. Sess. 23, can. 6. 7.

[14]) L. c.

[15]) I. Cor. 12, 12 seq.

sacerdotale et regium ratione objecti et finis necessario trifariam dividitur: in magisterium, ministerium et imperium. Perduratio hujus triplicis potestatis proprie non est nisi continuatio operis Christi, per ecclesiam suam incessanter homines docentis, sanctificantis et gubernantis.[1]) Igitur:

Magisterium.

1. Magisterium infallibile et authenticum[2]) institutum est ad fidei orthodoxae conservationem et propagationem, et ad quaestiones fidei authentice dirimendas. Jam ipsi Apostoli has magisterii functiones expleverunt. Etenim praedicationi verbi Dei insistebant[3]), depositum fidei diligenter custodierunt[4]), adversus nefariorum aggressiones vindicarunt et controversias circa fidem exortas sua auctoritate interposita decidere solebant.

Ministerium.

2. Ministerium s. institutum est ad conservandam et dispensandam gratiam Christi. Gratia Christi dupliciter dispensatur et applicatur, per oblationem incruenti sacrificii N. T.[5]) (ministerium in sensu strictiori) et per Sacramenta a Christo instituta (ministerium s. in sensu latiori). Ex testimoniis tum s. Scripturae tum traditionis luculenter patet, ab ipsis Apostolis s. ministerium praedicto duplici modo administratum esse, eosque ab omnibus existimari voluisse ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.[6])

Imperium.

3. Imperium s. seu potestas regia et rectoria ecclesiae ad leges et poenas, seu quod idem fere est, ad s. disciplinam sartam tectam servandam ordinatur. Veniunt vero disciplinae nomine illae regulae practicae et externae ab ecclesia praeceptae, quibus Christi fideles in fide retinentur et ad vitam aeternam perducuntur. Haec imperandi potestas, et quidem per modum legum et poenarum, in ss. litteris ecclesiae manifeste tribuitur, imo vel ipsâ ideâ per se stantis et perfectae societatis, qualis est ecclesia, comprehenditur. Et sane in ipsa ecclesia apostolica disciplina ecclesiastica viguit, ab Apostolis constituta et conservata, legibus et poenarum sanctionibus suffulta. Et numquid non in s. Scriptura N. T. deprehenduntur multiplices ordinationes et sancita Apostolorum, quae fidei conservationem, morum informationem, cultum divinum et publicum, necnon ordinem tum intra tum extra sacros conventus sequendum et similia respiciunt? An non primas judiciorum ecclesiasticorum normas[7]) simulque poenas non intentatas

---

[1]) «Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemtionis opus perenne redderet, sanctam aedificare ecclesiam decrevit» etc. Con. Vatican. Proem. ad Sess. IV.

[2]) Matth. 28, 19; Marc. 16, 15. 16.

[3]) Marc. 16, 20.

[4]) I. Tim. 6, 20.

[5]) Hebr. 8, 3.

[6]) I. Cor. 4, 1.

[7]) I. Cor. 6, 1 seq. — I. Tim. 5, 19. 20.

solum,[8]) sed reis reapse inflictas[9]) reperimus? Pariter praecipua disciplinae instituta jam in primaeva ecclesia, ut patet ex s. Scriptura, reperiuntur, veluti conciliorum celebratio,[10]) ministrorum ecclesiasticorum delectus,[11]) institutio et gradatio, ecclesiarum visitatio,[12]) multaque alia, quibus disciplina sacra constituitur.

Igitur ista tria munera objectum sacrae potestatis constituunt, iisdemque tamquam mediis necessariis subsistit et conservatur ecclesia. Hisce tribus potestatibus correspondet illud triplex vinculum, quo fideles ecclesiae conglutinantur: vera fides, rectorum Sacramentorum usus et ad legitimos pastores subjectio.

§ 24. Potestas ecclesiastica II. ratione fontis: Potestas ordinis et jurisdictionis.

Alia potestatis ecclesiasticae distinctio, in scholis frequentissima et jam a s. Thoma usurpata, desumitur *ex fonte,* ex quo ista potestas derivatur, seu *ex modo,* quo acquiritur. Sub hoc respectu potestas ecclesiae est vel ordinis vel jurisdictionis[1]), prout immediate per ordinem, vel per deputationem specialem accipitur.

Distinctio inter potest. ordinis et jurisdictionis.

1. Dico *primo,* esse reapse discrimen inter potestatem ordinis et jurisdictionis. Distinctionem et separabilitatem utriusque potestatis nonnulli quidem impugnarunt (e. gr. Gregorius Sicardus), asserentes, per ordinem episcopalem sacerdotium simul et plenitudinem jurisdictionis conferri. Quodsi hoc verum esset, nullum esset discrimen inter potestatem ordinis et jurisdictionis, nec major esset summi Pontificis potestas, quam episcoporum. Atqui ex praxi ecclesiae universali est discrimen inter potestatem ordinis et jurisdictionis. Nimirum duas distinctas potestates agnoscere debebimus, si *primo* una nec amitti nec restringi, altera vero et amitti et restringi potest, et *secundo* si una sine altera separatim subsistit. Jam vero

Amissibilitas.

a) Potestas ordinis nec amitti nec restringi potest. Non posse eam amitti, luce meridiana clarius ex concilio Trid. sess. 23. cap. 4. palam fit, quod sententiam proscribit, sacerdotes temporariam

---

[8]) I. Cor. 4, 21. — II. Cor. 10, 6.

[9]) I. Cor. 5, 3.

[10]) Act. 15, 6 seq.

[11]) Act. 14, 22. — Tit. 1, 5.

[12]) Act. 15, 36. 41. Vid. P. Alb. Knoll Theol. gen. p. 490 et p. 584 seq.

[1]) «Spiritualis potestas una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis; sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur... et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma sive in haeresim labatur.... Potestas autem jurisdictionalis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhaeret; unde in schismaticis et haereticis non manet...» S. Thomas 2. 2. qu. 39. art. 3.

tantum potestatem habere et semel rite ordinatos laicos effici posse, causam adjiciens: «Quoniam in Sacramento ordinis character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest.» Quae verba clare demonstrant potestatem ordinis amitti non posse. Si enim character ordinis non potest deleri nec auferri, etiam potestas ordinis tolli nequit, quia haec non est, nisi essentialis ordinis efficacia. Ergo quae vi ordinis agunt et episcopi et sacerdotes, semper et ubique valide agunt.[2]) Aliud vero obtinet de jurisdictione. Haec (utpote quae ex missione seu injunctione ecclesiae descendit) limitari aut omnino tolli potest. Sic, ut pro pluribus unum afferam, *limitata* existit jurisdictio episcoporum ratione tum loci, tum materiae, tum personarum. Porro omnino *tollitur* jurisdictio in episcopo excommunicato vel deposito, aut in eo, qui episcopatui renuntiavit.

Separata existentia.

b) Potest una sine altera stare. In veneranda antiquitate identidem episcopi nobis exhibentur consecratione tantum, non jurisdictione. Tales erant episcoporum coadjutores, qui propria jurisdictione carebant, prout erat e. g. s. Augustinus sub Valerio episcopo Hipponensi. Item episcopi honorarii, quibus nulla dioecesis, in qua potuissent jurisdictionem exercere, assignata est.[3]) Porro ut alia omittam, ea perpetuo praxis in ecclesia reperitur, ut episcopi depositi jurisdictione quidem, minime vero potestate ordinis excidant. — Econtra jurisdictio quoque stare potest sine potestate ordinis. Episcopus praeconisatus a Papa, licet nondum consecratus sit, obtentis bullis plenam in suam dioecesim jurisdictionem sortitur. Defuncto episcopo jurisdictio in capitulum cathedrale atque vicarium ab eo constituendum transit. Demum qui ad ipsum Pontificatus apicem est evectus, licet episcopali ordine nondum sit insignitus, statim plena apostolicae jurisdictionis potestate potitur.

Ergo quia dictae duae potestates in re ab invicem sejunctae reperiuntur, certe specifice differunt ideoque in unam eandemque resolvi nequeunt, neque ex uno eodemque fonte utraque manare potest.[4]) Confirmatur ex concilio Trident. sess. 23. can. 7., ubi praeter ordinationem alius potestatis ecclesiasticae fons, nimirum *missio* indicatur.

---

[2]) «Ubicumque fuerit episcopus, sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, ejusdem meriti, ejusdem est sacerdotii.» S. Hieron. ep. 146.

[3]) Sozomen. hist. eccles. l. 4. c. 34.

[4]) Erat sententia Marsilii Patavini et Joannis de Janduno, damnata a Joanne XXII., unicum esse s. potestatis laticem, et propterea «omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive archiepiscopus, sive sacerdos simplex, ex institutione Christi auctoritatis et jurisdictionis aequalis esse» (n. 4.), jurisdictionemque quamcumque in ecclesia eminentiorem ex gratuita liberalitate Imperatoris provenire.

Actus ordinis.

2. Si vero quaeritur, quale istud discrimen sit, seu quinam actus ad unam vel alteram speciem pertineant, haec desuper statuenda esse videntur:

a) Ad potestatem ordinis referenda est quaelibet Sacramenta vel Sacramentalia vel quasdam liturgicas functiones respiciens potestas, quae alicui ordinum gradui immediate vel a Christo vel ab ecclesia sic alligata est, ut sine ulteriori missione vel permissione valide semper et ubique exerceatur. Bene notentur singuli enuntiatae sententiae termini. Nam

α) sola potestas Sacramenta vel Sacramentalia vel certas liturgicas functiones respiciens, scilicet *potestas conficiendi aut conferendi Sacramenta vel Sacramentalia, nec non obeundi officia sacra* in cultu Dei publico frequentari solita, comprehenditur generali nomine potestatis, quae dicitur ordinis. Quaecumque igitur alia potestas, quae non refertur ad haec tria, eo ipso ad potestatem jurisdictionis, non ordinis pertinet. Ast nec ipsae *omnes* functiones, quae circa haec tria versantur, statim ad ordinis potestatem revocari debent, sed

β) sola potestas Sacramenta vel Sacramentalia vel ss. functiones respiciens, *quae vel a Christo vel ab ecclesia alicui ordinum gradui est annexa,* pertinet ad potestatem ordinis. Nam 1. possunt laici quoque in casu necessitatis baptismum necnon (quippe cum ipsi contrahentes sint ministri) Sacramentum matrimonii ministrare. Verum haec potestas laicorum propria non ordinibus annexa, et proinde ordinis non est. 2. Dantur functiones sacrae, ad quas obeundas ordo non sufficit (vid. infra not. 5.); unde hae ipsae saltem *pure* non sunt ordinis sed simul etiam jurisdictionis. Denique

γ) haec potestas ordinis sic restricta immediate ordinibus sacris ita cohaeret, *ut in omni loco etiam a suspenso, excommunicato vel deposito clerico saltem valide exerceatur.* Quae solius sunt ordinis, ad valorem nunquam missionem aut specialem injunctionem exigunt. Secus de liceitate sentiendum est, uti mox dicetur.

Actus jurisdictionis.

b) Ex hisce sponte consequitur, quinam actus jurisdictionis sint. Videlicet omnes illi, qui non spectant ad potestatem ordinis, necessario sunt jurisdictionis, excepto quod in aliquibus actibus tam ordinis quam jurisdictionis potestates mutuo sese compenetrant.[5]) Ergo ad jurisdictionem imprimis potestas legislativa, judi-

---

[5]) Sic administratio poenitentiae Sacramenti tum ordinem requirit, quia agitur de Sacramento, tum vero et jurisdictionem, quia Sacramentum hoc institutum est in forma judicii (conc. Trid. Sess. 14. c. 7). Pariter ad valorem Sacramenti confirmationis extraordinarie a presbytero collati tum character sacerdotalis tum specialis Papae deputatio exigitur. Denique isthaec deputatio seu authorisatio ad aliquas etiam functiones ministerii necessaria est. Pro

ciaria et coërcitiva, at etiam potestas quae dicitur *administrativa* pertinet. Igitur conciliorum celebratio, clericorum institutio in beneficiis, facultatis concessio ad bona ecclesiae alienanda, ad reservatas functiones peragendas et ad quoscumque actus perficiendos, qui non sunt ordinis, verbo: ea omnia, quae ad ecclesiam recte *gubernandam* pertinent, jurisdictionis esse censenda sunt. Ipsa facultas praedicandi Evangelium a doctoribus ad jurisdictionem refertur, illam nempe, quae dicitur fori interni; ast facultas *concedendi* potestatem praedicandi ab iisdem ad forum externum revocari solet. Denique, quod valde notandum est, ipsa facultas licite exercendi ordinem a jurisdictione pendet; unde si quis potestate ordinis instructus Sacramenta sui ordinis propria conficiat, cum tamen jurisdictionem non habeat, is validum quidem actum aget, sed tamen illicitum.

3. Ex quibus mutua relatio perspicitur, qua potestas ordinis ad potestatem jurisdictionis et vice versa se habet. 1. Potestas ordinis immediate a s. ordinatione proficiscitur, potestas vero jurisdictionis ex legitima deputatione seu missione ecclesiae, in cujus gremio tota jurisdictio, velut in suo fonte conclusa, residet. 2. Sacra ordinatio praeter potestatem ordinis confert insuper *habilitatem* (non actualem quidem, sed radicalem) agendi etiam actus jurisdictionis, quia regulariter nonnisi clerici capaces sunt ecclesiasticae jurisdictionis (puta nisi Papa extraordinarie laico jurisdictionem impertiat). Unde potestas ordinis regulariter est fundamentum potestatis, quae dicitur jurisdictionis. 3. Verum ex opposito potestas jurisdictionis sic cum ordinis potestate concurrere debet, ut sine priori omnes actus ordinis, alii illicite, alii etiam invalide exerceantur.

4. Restat, ut jurisdictionis potissimas species referamus. Dividitur videlicet

Divisio jurisdictionis.

a) in jurisdictionem *fori interni* et *externi*. Jurisdictio fori *externi* valde similis est illi, quae publicis magistratibus competit et ad publicum commodum directe dirigitur. Jurisdictio fori *interni* ad privatam cujuslibet fidelis utilitatem ordinatur. Exercetur vero per Sacramentum poenitentiae, per reprehensiones, per instructionem et similia. Potest quis habere jurisdictionem pro foro interno tantum, prout parochus; econtra alius jurisdictione pro foro externo potiri potest, quin habeat pro foro interno, prout nempe unicuique aut universitatis aut singulorum cura committitur. Jurisdictio fori interni ulterius distinguitur: alia est *fori interni poenitentialis,* quae in usum deduci nequit nisi intra s. poe-

exemplo inserviat ecclesiarum vel altarium consecratio, paramentorum sacrorum benedictio etc. Nam ad hujusmodi actus valide ponendos solus ordo non sufficit, sed requiritur insuper jurisdictio.

nitentiae tribunal; altera est *fori interni extrapoenitentialis,* quae extra poenitentiae Sacramentum exercetur, quod fit e. g. quando superior extra confessionale censuram vel irregularitatem tollit, aut super voto dispensat.

b) in jurisdictionem *ordinariam* et *vicariam.* *Ordinaria* a jure aut superiore ita officio cuidam vel dignitati ecclesiasticae adnexa est, ut personae in hoc officio vel in hac dignitate constitutae vi muneris seu ex jure proprio competat. Jurisdictionem ordinariam in ecclesia habent: Summus Pontifex, in quo plenitudo jurisdictionis residet, ejusdem legati, aliquae Congregationes Romanae, patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi, vicarius capitularis sede vacante, denique praelati inferiores. Parochi pro foro dumtaxat interno jurisdictione gaudent. Jurisdictio *vicaria* est, quam aliquis non vi ecclesiasticae praelaturae aut magistratus, sed vice et auctoritate alterius exercet. Eadem denuo dupliciter spectari potest, scilicet: qua jurisdictio vel *mandata* vel *delegata.*[6]) *Mandata* dicitur, quam quis ex commissione alterius ita accepit, ut hic (mandans) nihil jurisdictionis sibi reservasse, sed totam, saltem quantum ad certas causas, alienasse censendus sit. Hinc jurisdictio mandata ad ordinariam proxime accedit ac mandatarius idem cum mandante habet tribunal. Talis est jurisdictio vicarii generalis et officialis episcopalis. *Delegata* vero nuncupatur, cum delegans non totam suam jurisdictionem a se abdicavit, sed aliquid sibi retinuit. Potestas delegata in hoc sensu episcopis quoad aliqua capita regularis disciplinae a concilio Tridentino addicta est. Est vero haec discriminis ratio inter utramque: *α*) *Mandatarius* totam suam jurisdictionem alteri mandare seu submandatarium constituere nequit; potest tamen judicem dare seu delegare ad particularem aliquam causam. *Delegatus* in duobus casibus potest subdelegare: si delegatus sit a Papa, *aut* delegatus ad universitatem causarum, saltem ad universitatem certi generis causarum v. g. matrimonialium. *β*) *Mandatario* integra jurisdictio i. e. cum plena potestate exequendi sententiam con-

[6]) Sat magna confusio apud auctores in hac re invenitur. Nam alii inter jurisd. mandatam et delegatam omnino non distinguunt (e. g. Fagnani lib. I. tit. 28), omnem jurisdictionem, quae non est ordinaria, ad delegatam revocantes. Alii hanc distinctionem quidem speculative statuunt, sed in decursu tractationis iterum dimittunt, jurisdictionemque *delegatam* ac *mandatam* promiscue usurpant. *Schmalzgrueber,* lib. I. tit. 28. num. 3.; *Bouix,* de principiis juris canon. p. 540. Sunt denique, qui his vocabulis sensum prorsus alium substituunt (*Rosshirt,* Canonisches Recht p. 237). Ex hoc auctorum dissensu haud paucae contradictiones ortae sunt. Sic e. g. plurimi concedunt, a delegato ad delegantem appellationem fieri posse, dum alii id negant. — Ceterum juverit advertere, dictum discrimen fundari in jure civili Romano. *Ulpian.* in leg. 1. § si quis ff. de appellat. *Modestinus* in leg. 3 ff. Quis a quo appellet. *Ulpian.* in leg. 1. §. Ab eo ff. Quis a quo appellet.

ceditur; at *delegato* praeter causae cognitionem nonnisi modica coërcitio aliqua committitur absque ultimata et perfecta potestate exequendi. γ) Ab habente *mandatum* jurisdictionem non ad mandantem, sed ad hujus superiorem fit appellatio; attamen a *delegato* ad delegantem appellari potest. — Id tamen utrique commune est, ut utraque morte concedentis exspiret, si concedens re integra e. g. processu nondum inchoato, moriatur.

§ 25. Constitutio ecclesiae 1. monarchica.

Ex hactenus delineata et inspecta ecclesiae constitutione ejus indoles tum monarchica tum hierarchica sponte resultat. Ex eo enim, quod ecclesiae caput visibile praeest, constitutio ecclesiae efficitur monarchica. Ex eo vero, quod alii praeterea rectores diversis gradibus potestate pollentes divinitus constituti sunt, forma ecclesiae hierarchica resultat. Igitur

Forma regiminis eccles. monarchica.

1. imprimis ecclesiae constitutio formam verae *monarchiae* prae se fert. Forma regiminis monarchica in eo consistit, ut unus omnibus praesit, et quidem non ut primus inter pares, sed ut princeps inter subditos, atque plena et suprema potestate praesit, ita, ut omnes ei parere teneantur. Atqui talis reapse est summi Pontificis auctoritas. Probatur ex conciliis generalibus ac praesertim ex canone concilii Vaticani, qui adjectus est Cap. III. de Ecclesia: «Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.» Ex quo canone sequentia fluunt:

a) Romanus Pontifex primatum non honoris tantum (can. ad Cap. I. de Eccl.), neque (tamquam summus inter pares) solum inspectionis vel directionis, sed *verae propriaeque jurisdictionis* primatum habet.

b) Et quidem *plenam* et *supremam* habet jurisdictionis potestatem, qualis jam in generali concilio Lugdunensi II.[1]) et in Florentino[2]) ipsi fuit attributa. *Plena* dicitur haec potestas, quia

[1]) Harduin Collect. Concil. tom. 7. Paris. p. 695: «Ipsa quoque s. Rom. Ecclesia *summum* et *plenum* primatum et principatum super universam ecclesiam catholicam obtinet... cum *plenitudine* potestatis.»

[2]) «Definimus, s. Apostolicam Sedem, et Rom. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Rom. successorem esse s. Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput,

in ecclesia non exstat aliqua potestas, qua caret summus illius rector; *suprema* vero dicitur, quia eminentior hac non datur in ecclesia, quippe cum ipsa a nulla alia, et potius quaelibet alia ab ipsa dependeat.

c) Pontifex *totam plenitudinem,* non potiores partes tantum hujus supremae potestatis habet. Sacra siquidem potestas non est divisa, quasi nempe una pars in Papa, altera in episcopatu resideat, prout in statibus profanis id usu venit, sed in summo Pontifice seorsim spectato *tota* residet s. potestas. — Ex quo haec tria sequuntur: α) Pontifex, quia plenitudinem habet potestatis, supremos regiminis ecclesiastici actus etiam sine episcopis perficere potest, atque hi, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ad hosce regiminis actus haud necessario concurrere debent. Iidem seorsum nihil possunt, sed solum quatenus tanquam lapides fundamentales secundarii super communi fundamento consistunt. β) Papa *solus,* et quidem in sensu verissimo et plenissimo ecclesiam *repraesentare* dicitur,[3]) scilicet non tantum ad instar procuratoris, sed sicut ille, qui homines suo imperio subjectos repraesentat. γ) Ad Papae judicium semper *recurri* potest, ab ejus vero sententia ad alium appellare haud licet.

d) Extenditur haec potestas: α) Ratione *subjecti* in universam ecclesiam, in omnes pastores et fideles tam seorsim singulos, quam omnes simul.[4]) β) Ratione *objecti* non solum ad res, «quae ad fidem et mores,» sed etiam ad eas, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae externum pertinent.

e) Denique Papae suprema potestas est *immediata* et *ordinaria;* scilicet non delata ecclesiae et per hanc commissa Pontifici, ut ipsius ministro, sed directe et immediate per b. Petrum a Christo accepta et in legitimos successores transfusa.

Hac concilii doctrina rejiciuntur omnium eorum sententiae, qui ecclesiae formam regiminis *democratici* affingere attentarunt, in quorum censu cum Luthero sunt Gallicani, aliique moderni novatores, «constitutam a Christo Domino in sua ecclesia regiminis formam pervertentes» (Conc. Vat.). Etenim Lutherus potestatem

---

et omnium christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem ecclesiam a D. N. J. Ch. *plenam* potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.»

[3]) «Cujus ecclesiae Petrus Apostolus praeter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.» S. August. Tract. in Joann. 124. — «Eidem omnes ecclesiae sunt subjectae, et earum praelati obedientiam et reverentiam tenent.» (Conc. Lugd. II. l. c.)

[4]) S. Eucherius Lugd. (434—454): «Dicit ei Jesus: *Pasce oves meas.* Prius agnos, deinde oves committit ei, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit.» Max Bibl. vet. Patr. tom. 6. p. 794.

ecclesiasticam in populo residere, ab eoque mera usurpatione ad Papam et ad episcopos devolutam esse contendit. Haud procul a Luthero distant Richerius,[5]) syndicus s. facultatis Parisiensis, ejusque sequaces Febroniani et Pistorienses, qui asserunt, potestatem clavium principaliter (i. e. directe et immediate) toti ecclesiae a Christo traditam esse, exerceri vero ministerialiter (ergo in forma commissoria) a summo Pontifice ceterisque episcopis. Haec tamen doctrina identidem, ac praesertim in Constitutione «Auctorem fidei» tamquam haeretica rejecta est: «Propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum; sic intellecta ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: *haeretica.*»

Ex his palam fit, formam regiminis ecclesiastici vere *monarchicam* esse, etiamsi concilium Vaticanum hoc vocabulo abstinuerit, ac reprobatas esse eorum sententias, qui volunt, ecclesiam sive *democratiae* sive *aristocratiae* rationem habere (c. d. supra). Sed objiciunt Febroniani tum veteres tum moderni: «Statuendo formam monarchicam potestas episcopalis justo plus deprimitur, imo ad nihilum redigitur, quod adversatur institutioni Christi. Nam Christus non *uni,* sed *unitati* i. e. collegio apostolico potestatem concessit, atque voluit, ut praeter Papam etiam episcopi propriam et ordinariam potestatem haberent, quae non possit pro lubitu tolli et exhauriri. Atqui haec cum forma regiminis monarchici conciliari non possunt, quia posita hac forma episcopi non essent nisi vicarii et delegati Pontificis. Ergo statuenda potius est forma regiminis aristocratica, vel saltem dicendum, ecclesiam esse monarchiam aristocratia temperatam.» Resp. α) generatim cum Vaticano:[6]) «Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae et immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur et vindicetur, secundum illud s. Gregorii Magni: ««Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.»»[7]) β) Christus primo *uni* i. e. Petro appromisit plenitudinem potestatis,[8]) deinde unitati, i. e. Apostolorum collegio[9]) contulit potestatem ordinariam et *immediatam.* Sed per

[5]) In libro 1611 edito: de eccles. et politica potestate.
[6]) Cap. III. l. c.
[7]) Ep. ad Eulogium Alexandrin. l. 8. ep. 30.
[8]) Matth. 16, 18. 19.
[9]) Matth. 18, 18.

hoc nec revocavit nec limitavit potestatem prius Petro concessam, nec etiam declaravit, potestatem episcopalem esse *absolute* independentem et quasi per se stantem. Ea potius mens erat Christi, episcopatum instituentis, ut praeter summum pastorem ad regendam ecclesiam late per orbem diffusam plurimi alii essent pastores divinitus instituti, qui proinde immediatam et ordinariam, non vicariam aut delegatam haberent potestatem. Voluit tamen, ut episcopalis potestas, eo non obstante, quod divinitus constituta est, supremae in ecclesia potestati sit *subjecta*. Et num repugnat, potestatem aliquam divinitus institutam, simulque auctoritati sublimiori esse submissam? Ex hujusmodi submissione ne a longe quidem sequitur, episcopos esse solum Pontificis *vicarios* et *ministros*, cum hae duae res optime concilientur: subjectionis humilitas et divinae originis sublimitas. — Neque ex eo, quod episcopatus est originis divinae, sequitur ecclesiam ex monarchico et aristocratico statu esse *temperatam*. Sit enim, Christum, instituendo episcopatum, formae regiminis ecclesiastici, uti dici solet, quoddam genus elementi aristocratici admiscuisse, is tamen non erat constituendae dignitatis episcopalis scopus, ut potestas centralis *temperamentum* aut diminutionem acciperet, sed potius, ut unitas centralis per unitatem ex peripheria ad centrum tendentem suffulciretur et roboraretur. Ergo dicendum, Christum voluisse primatui potius robur quam temperamentum impertiri, quemadmodum vice versa episcopalis dignitas a supremo et universali pastore roboratur et vindicatur.[10])

Corollaria.

2. Ex sic descripta indole primatus monarchica sequitur, collegium episcoporum etiam conciliariter congregatum, nunquam sub nulloque titulo *contra* vel *supra* Papam potestatem habere. Idcirco

a) Nulla episcoporum congregatio valet Pontifici leges dictare, aut sub praetextu criminis admissi vel scandali dati eum in jus vocare, punire vel de s. Sede turbare juxta regulam: «Prima Sedes a nemine judicatur.»[11]) Ad summum in tali casu resistentia, quae dicitur *passiva*, licita est. «Licet resistere Pontifici» ait Bellarminus,[12]) «invadenti animas vel turbanti rempublicam, et multo magis, si ecclesiam destruere videretur, licet, inquam, ei resistere non faciendo, quod jubet, et impediendo, ne exequatur voluntatem suam. Non tamen licet eum judicare, vel punire, vel deponere, quod non est nisi superioris.»

[10]) Phillips I. § 30. Aliis placuit, regiminis eccles. formam appellare plane singularem, vel etiam Christocratiam, et hi dicunt, non posse aut non debere sub hac ratione comparationem cum statibus politicis institui. «Neque etiam si summi Pontificis atque episcoporum potestas intacta relinquatur, de loquendi formula magnopere solliciti erimus.» *Zallinger:* Jus nat. et publ. p. 739.

[11]) Vid. c. 13, 14. C. 9. qu. 3.

[12]) De Pontif. rom. l. 2. c. 29.

b) Non licet a s. Sede ad universitatem episcoporum sive ad concilium appellare.[13])

c) In casu, quo ambigitur, num unus Papa et quis ex pluribus legitimus sit, non licet episcopis quoscunque dubios rejicere, sed potius, quis legitime electus sit, ab iis inquirendum, eique, qui legitimus esse cognoscitur, adhaerendum est.

Demum quaestio, an Papa *haereticus* vel *schismaticus* ad judicium trahi et exautorisari possit, mere hypothetica est atque chimaerica. Enimvero cum ecclesia supra petram aedificata sit, salva divina promissionis veritate contingere nequit, nec unquam contigit, ut vel fundamentum destruatur vel ecclesiae aedificium de suo fundamento dimoveatur.

§ 26. Constitutio ecclesiae 2. hierarchica.

Notio hierarchiae.

Praeter summum Pontificem ex Christi et ecclesiae institutione quam plurimi in ecclesia sunt, qui in diversis gradibus constituti potestate ecclesiastica gaudent. Ideirco constitutio ecclesiae simul efficitur hierarchica seu hierarchiam prae se fert, cujus caput est Pontifex Romanus.

1. Hierarchia vi nominis sui (ἱερὰ ἀρχή seu sacer principatus) ad formam hierarchiae coelestis, in certos ordines et choros distinctae, omnes omnino gradationes in ecclesia, nimirum non solum cleri distinctiones, sed laicorum quoque ordinem comprehendit. At vero ex communi usu loquendi hierarchia est ordinata series eorum, qui certo gradu potestate ecclesiastica pollent. Laici enim non *de* hierarchia, sed *sub* hierarchia esse merito dicuntur. Ergo haec tria ad notionem hierarchiae pertinent: a. series personarum, quae b. exercent potestatem ecclesiasticam c. in diverso gradu et in diversa mensura, ita ut personae hierarchicae in diversis gradibus sibi invicem subordinatae consistant, atque inferiores per superiores in commune unitatis centrum trahantur sicque tota hierarchia revera castrorum acies ordinata efficiatur, prout loquitur concilium Trident.[1])

2. Quoniam vero potestas ecclesiastica duplex est (§ 24), sic etiam hierarchia dupliciter distingui potest, scil. hierarchia ordinis et jurisdictionis, seu rectius unum idemque hierarchiae corpus sub duplici hac consideratione spectari potest.

Hierarchia ordinis.

3. Igitur hierarchia *ordinis* est series ordinata eorum, qui potestatem ordinis in certo gradu habent. Haec ordinis potestas ad corpus Christi *verum* seu ad ss. Eucharistiae mysterium, verum etiam ad reliqua Sacramenta et ad fidelium sanctificationem refertur.

---

[13]) l. c. can. 16.

[1]) Sess. 23. cap. 4.

«Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anath. sit.» (Conc. Trid. sess. 23. can. 6.) Igitur ad hierarchiam ordinis *ex jure divino* pertinent: episcopi,[2]) presbyteri et *ministri* i. e. ad minus diaconi. Controversiam de subdiaconis concilium Trident. indecisam reliquit; hi communiter ad hierarchiam ordinis, quae ex *jure humano* est, revocantur, prout etiam quatuor ordines subdiaconatu minores, nempe acolythatus, exorzistatus, lectoratus et ostiariatus, quorum nomina et praecipua ministeria ab ipso ecclesiae initio in usu fuisse ex antiquis monumentis cognoscuntur.[3])

Jurisdictionis.

4. Hierarchia jurisdictionis seu series eorum, qui juxta mensuram varie distributam jurisdictione pollent, pro regimine ecclesiae publico constituta est. Jurisdictionem *pro foro externo* habent *ex jure divino* summus Pontifex, qui plenitudine potestatis gaudet, et episcopi, qui in partem ejus sollicitudinis sunt vocati. Item ad jurisdictionem pro foro externo, *sed jure tantum humano* illi gradus pertinent, qui a. institutione ecclesiastica inter Pontificatum et episcopos sunt introducti, scil. metropolitae, primates, exarchi, patriarchae nec non Vicarii et Legati apostolici. b. Illi, qui licet ordine episcopali non instructi jurisdictionem tamen episcopalem exercent, veluti Abbates, qui dicuntur *Nullius*, vel praepositi religiosorum ordinum, qui simpliciter jurisdictione in subditos exercenda sunt instructi. c. Illi gradus, quos episcopi (in quantum leges hoc concedunt) per dioecesim constituunt, partem suae potestatis ipsis committentes, v. gr. vicarii generales, olim archidiaconi etc.

Subjectum jurisdictionis capax pro *foro interno* sunt etiam presbyteri, et quidem vi ordinis recepti.

Hac hierarchica dispositione efficitur, ut ecclesia reapse corpus mysticum divini Salvatoris sit, constans variis membris sibi invicem subordinatis et per diversorum ministeriorum compages organice sociatis.

§ 27. Forma ecclesiae socialis.

Sunt, qui dicant, ecclesiam in rigore juris formam socialem haud referre, eamque, utpote *plena* jurisdictione carentem, juridicae societatis notis penitus destitui. Id alia mente non asserunt,

[2]) Licet Papa *ordine* episcopos non praecellat, nihilominus est summus Pontifex seu sacrorum minister in ecclesia, quia illius est s. ministerium legibus regulare — quae tamen praeeminentia recidit in summam ejus jurisdictionem.

[3]) Epist. s. Cornelii ad Fabium Antioch. (a. 251), in qua omnes et singuli hi gradus eodem ordine recensentur. *Constant:* epistolae Rom. Pontif. p. 150.

quam ut ecclesiae tum jura propria tum praesertim capacitatem leges stricte tales condendi abnegent, sicque juris canonici basin quasi sub pedibus illius abripiant.

Dicunt nimirum: a. Quaelibet societas pactum sociale supponit, per quod nata et coadunata est; at vero intuitu societatis ecclesiasticae deest tum objectum pacti, nempe res externa, tum obligatio pactitia, quae etiam *coactione* possit extorqueri. b. Desunt ecclesiae media, quibus actiones membrorum fini sociali conformes efficaciter determinari et exposci possint. Nam penes ecclesiam verum imperium cum vi coactiva non residet, nec residere potest, quemadmodum illud exstat in societate civili. Contra has propositiones probandum est, 1. ecclesiam esse vere societatem; 2. societatem perfectam; 3. societatem proprio jure instructam; 4. societatem plane singularem et a ceteris distinctam.

Ecclesia est societas vera.

1. *Ecclesia est veri nominis societas.* Societas est multitudo hominum, qui unitis viribus ad certum communemque finem per media fini proportionata assequendum adstricti sunt. Ex qua definitione patet, elementa cujuslibet societatis quatuor esse: multitudinem hominum, moralem eorum conjunctionem, finem, ad quem conspirant, denique media ad finem conducentia. Praecipuum inter haec est finis: ex fine enim societatum adaequato earum essentia et natura determinatur. Etenim duo priora: *multitudo hominum* eorumque *conjunctio* cuilibet societati sunt communia; *media* a fine pendent eique respondere debent. Superest ergo finis tamquam nota intrinseca et immutabilis, qua societas unaquaeque in suo proprio esse constituitur. Quo nobilior est finis, eo nobilior societas. Enumeratae notae etiam ecclesiae competunt. Ipsa enim ex ingenti hominum numero coalescit, qui ad obtinendum finem summi momenti, i. e. ad aeternam beatitudinem consequendam vires suas conjungunt', per media ad finis assecutionem apta. Haec siquidem media, ut paucis dicam, sunt: gratia Dei, quae per Sacramenta confertur, cooperatio hominum per rectam fidem ac per bonam vitam, denique potestas ecclesiastica, quae ordinatur sive ad efficienda Sacramenta, sive ad praedictam fidelium cooperationem dirigendam. Itaque ecclesia vere est societas.

societas perfecta.

2. *Societas perfecta.* «Societas perfecta est, quae est in se completa, adeoque media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet.»[1]) Contra vero societas imperfecta est, quae

[1]) *Tarquini:* Juris eccles. publ. Instit. n. 4 et 62. — Hoc enucleatius explicat s. Thomas 1. 2. qu. 90. art. 3. ad 3. ubi ait, societatem perfectam eam esse, quae non sit alterius pars, quaeque finem non habeat ad alterius finem (in eodem scilicet genere) ordinatum; adeoque sit in suo genere independens et in se completa: unde consequitur, quod media ad sui conservationem, propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debeat.

media ad finem obtinendum necessaria in se non habet, sed in eorum oeconomia ab alia societate pendere cogitur, cui integrum est, ea negare vel praestare. Ecclesiam esse societatem *perfectam,* tum ex ejus *natura,* tum ex voluntate Christi eam instituentis clare patet:

a) *Ex ecclesiae natura.* Scil. ecclesia natura sua est *suprema,* quia finis ipsius est supremus, nimirum beatitudo aeterna. Natura quippe seu essentia societatum ex earum fine determinatur (n. 1). Jam vero societas *suprema* non ad aliam societatem ordinatur, neque potest alteri subesse, ergo neque in oeconomia mediorum ab illa pendere. Ergo media ad finem suum obtinendum necessaria in semetipsa habeat necesse est. Ceterae societates aut nullum omnino nexum cum ecclesia habent e. g. societates infidelium, aut ad eandem ordinatae sunt (e. g. societas civilis). Atqui absurdum esset, societatem in usu mediorum pendere ab iis, quae ad semetipsam ordinatae sunt, vel quae nullum cum semetipsa nexum habent.

b) *Ex voluntate ipsius institutoris,* quae palam fit 1. *ex s. litteris,* quae tradunt, Christum constituisse magistratus proprios eisque dedisse potestatem plenam et perfectam verbisque expressam amplissimis (e. g. Math. 16, 18. 19.), et quidem potestatem legiferam, judiciariam et coactivam, cujusmodi potestas indicium manifestum est societatis completae et perfectae. 2. *Ex traditione et testimoniis Patrum,* qui statuunt, plenitudinem potestatis ad ecclesiam regendam in ejus proprio magistratu esse, exclusis principibus saecularibus, qui ipsimet ecclesiae subesse debent in iis, quae pertinent ad finem ejus assequendum, dummodo ex grege Christi sint. 3. *Ex definitionibus ecclesiasticis,* in quibus vindicatur independentia ecclesiae a potestate imperatoria (cfr. infra § 31). Quorum singulorum diligens demonstratio, cum hic evolvi nequeat, reperitur apud Theologos dogmaticos, nec non apud juris publici ecclesiastici scriptores.[2]) Sufficiat allegasse Encyclicam Leonis XIII. «Immortale Dei»: de civitatum constitutione christiana (1. Nov. 1885), in qua de ecclesia dicitur: «Societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat.» In syllabo haec sententia proscribitur: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.»

---

[2]) Cfr. *Bellarm.* Tract. de eccles. lib. de laicis c. 17; *Suarez,* de legib. lib. 4. cap. 1 et 8 et Defens. fid. lib. 3. c. 6 seq.; *Roscovany,* Monum. cath. pro independ. potest. eccles.; *Tarquini,* juris eccles. instit. p. 37 seq.

3. *Societas proprio jure instructa.* Quod ex antea dictis patet. societas proprio jure instructa
Societas perfecta est, quae media ad finem suum obtinendum sufficientia in se habet. Haec media ecclesiae propria sunt: sanctificatio fidelium per Sacramenta seu potestas *ordinis*, et directio actionum fidelium ad finem ecclesiae proprium seu potestas *jurisdictionis*. Ad potestatem jurisdictionis pertinet potestas legifera, judiciaria et coactiva. Per primam media, quae ad finem conducunt, modo obligatorio proponuntur; ut vero haec efficax fiat, per alteram actus legibus contradicentes judicio magistratuum subjiciuntur; ut autem et prima et secunda effectum obtineat, per tertiam legum transgressores poenis coërcentur. Jam vero jura cum hac utraque potestate connexa sunt jura ecclesiae propria, tum *ad intra* seu quoad *suos*, tum etiam *ad extra* (§ 29 seq.), scilicet etiam ab extraneis reverenda et agnoscenda, ac praesertim a societate civili, cui non licet, pro lubito jura ecclesiae determinare vel limitibus arbitrariis circumscribere.

His praemissis facile respondetur ad objectiones supra relatas. Nam (ad a.) ratio perfectae societatis exinde non cessat, quod aliqua societas *pacto* non fuerit consociata. Omnino enim falso supponitur, societates ex pacto dumtaxat oriri. Dantur enim praeter societates *voluntarias* i. e. ex libero consensu ortas, etiam societates *necessariae* seu *legales*, quae sine membrorum consensu coadunantur. Ad has pertinet inprimis ecclesia Christi, quae non hominum sed Christi voluntate determinata est, cuique inhaerere omnibus ita necesse est, ut eos, qui renuerint, supplicium maneat aeternum. Qui vero semel in eam ingressus est, hoc ipso obligatur ad omnia officia praestanda, quae sociis ejusdem incumbunt. Neque dici potest, obligationes sociales esse mere *internas* et proinde per vim coactivam minime extorquendas. Ecclesia enim, cum sit societas externa et visibilis, modo externo et visibili fideles dirigit, ideoque actus sociorum externos quoque et qui coactioni subsunt, rigorose imperare vel prohibere potest. Unde vis coactiva tum in praeceptis ecclesiae affirmativis tum in negativis locum habet. Praecipui actus positivi, ad quos (suo modo) cogi possunt fideles, sunt actus cultus divini publici, e. g. communio paschalis. Tanto magis qui praeceptum negativum per crimen aliquod ecclesiasticum infringit, ab ecclesia coërceri potest.

«At,» dicunt (ad b.) «ecclesia verum imperium et vim coactivam non habet, qua contumaces coërceat, ergo nec efficaciter legibus socios obligare potest.» Sed hoc falso asseritur. Insunt enim ecclesiae media coactiva, alia *realiter*, alia *virtualiter*. *Realiter* inest jure divino potestas reis poenas et censuras inferendi, imo praesto est ipsi gladius excommunicationis ad membra putrida resecanda a corpore societatis. *Virtualiter* media coactiva ecclesiae

insunt, quatenus eadem a societate civili *christiana* repetere jure proprio potest, quamquam etiam sine auxilio brachii saecularis existere valet. Nihil ergo deest ecclesiae ex iis notis, quae essentiam verae et perfectae societatis constituunt.

Proprietates societatis ecclesiasticae.

4. *Ecclesia est societas prorsus singularis et a ceteris* distincta, et his quidem dotibus:

Ecclesia catholica non est societas ad instar aliarum societatum certo loco vel tempori adstricta, sed *per totum orbem diffusa* ac *perpetuo duratura;* [3])

non est regnum hujus mundi; sed societas *spiritualis* et *supernaturalis;* [4])

non est societas invisibilis, sed *externa* et *visibilis;*

non dependens ab alia societate, non superiori societati subjecta, sed *independens* et *completa* seu in *genere suo perfecta, proprio imperio instructa,* jure autonomiae et autocratiae fruens et proin praesidio alienae societatis haud necessario indigens;

non societas aequalis, sed *inaequalis;*

non voluntaria aut pactitia, sed *legalis et necessaria;* societas haud simplex, sed *composita,* cujus nimirum membra non solum personae sunt physicae, sed etiam personae morales seu societates. Dispescitur enim in plures partes, in collegia et instituta. Partes ecclesiae constituunt dioeceses et provinciae; ad collegia potissimum ordines religiosi pertinent, ad instituta singulae ecclesiae, beneficia et fundationes referuntur.

Societas ecclesiastica est ergo omnium nobilissima et perfectissima, est verum ovile Christi, civitas et regnum Dei, ejusque jura essentialia, utpote divinae originis, reliquarum societatum juribus et sanctiora sunt et firmiora.

§ 28. Jura praecipua fundamentalia seu essentialia.

Corollaria.

Ex ecclesia ejusque constitutione hactenus descripta jura illius fundamentalia, quae alias et constitutiva, primaria vel essentialia dici consueverunt, prono alveo emanant. Videlicet

1. ex eo, quod ecclesia a Christo instituta est, jus existendi et quidem divinitus obtinet.

2. Ex eo, quod ecclesia cum forma determinata et individuali instituta est, jus habet, cum hac forma sibi congenita existendi.

---

[3]) «Talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta», Encycl. «Immortale Dei».

[4]) «Haec societas ..... propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis», l. c.

3. Ex eo, quod divinus ecclesiae institutor magisterium infallibile, authenticum et necessarium instituit, pro administrantibus hoc magisterium sequitur jus et obligatio, doctrinam Christi praedicandi, adversus haereticos tuendi dubiaque authentice dirimendi; pro ceteris vero sequitur jus, instructionem religiosam percipiendi, sed etiam obligatio credendi et magisterio in rebus fidei se quoad omnia subjiciendi.

4. Ex instituto a Christo s. ministerio pro hierarchia jus et obligatio manat, illud fideliter administrandi, fideles vero tum jus tum officium habent, bona spiritualia inde manantia participandi.

5. Ex institutione regiminis ecclesiastici fluit tam potestas legislativa, judiciaria et coërcitiva, quam officium obedientiae canonicae ex parte eorum, qui imperio ecclesiastico subsunt.

6. Ex indole ecclesiae tam monarchica quam hierarchica resultat relatio illa, quae dicitur majoritatis et obedientiae, quae inter superiores et inferiores intercedit,[1]) necnon certa mensura jurium unicuique gradui adjunctorum, ultra quam excedere nulli conceditur.

7. Ex charactere et forma sociali, ecclesiae a Jesu Christo impressa, potissimum praeter jus publicum internum etiam jus *ad extra* profluit, illud scilicet, quod ecclesiae proprium est, quatenus personam moralem et juris capacem repraesentat in relatione ad alias societates coëxistentes. Etenim jus ecclesiae sociale, i. e. jus relate ad alias societates, omnino pendet a charactere et forma sociali supra (§ 27) delineata, seu a nativa illa indole et forma, quae ecclesiae a Christo Domino fuit impressa. Igitur commode juri ecclesiae fundamentali jus sociale ad extra subjungimus.[2])

SECTIO II.

De jure sociali ecclesiae quoad extraneos.

§ 29. Materiae conspectus et divisio.

Prae reliquis juribus ecclesiasticis exponenda sunt jura ecclesiae qua totius, seu qua societatis, quae scilicet relate ad societates *extraneas* ipsi competunt, quorumque summa *jus publicum* et *externum* a nonnullis vocari consuevit. Sunt vero societates extraneae vel extra vel intra eundem finem. Extra eundem finem

[1]) Tit. 33 de *majoritate et obedientia* lib. I. decretal.

[2]) Jura ista fundamentalia constituunt *jus naturale* ecclesiae in sensu unice vero et genuino. Verum haud omnia ecclesiae jura fundamentalia hic recensita sunt. Cuncta siquidem jura, instituta et disciplinae capita, quae tamquam norma et initia futurorum in ss. litteris referuntur (§ 23), fundamentalia sunt.

est potissimum societas civilis; intra eundem finem sunt aliae societates religiosae, quae eundem quidem finem cum ecclesia catholica sibi praefixerunt, sed sunt *illegitimae*. Harum aliae *ex toto* societatis ecclesiasticae sunt extraneae, nempe omnes pseudo-religiones infidelium, quarum nimirum asseclae nulla ex parte ad ecclesiam pertinent; aliae autem *ex parte*, nempe haeretici et schismatici, quippe qui ex altera parte ecclesiae catholicae devincti sunt, ex altera ad illam non pertinent. Quare tota hujus sectionis materia in tria capita dissecanda venit, sc. agendum est de relatione ecclesiae ad societatem civilem (Cap. I.), ad alias societates christianas (Cap. II.), et ad infideles (Cap. III.). Itaque caput I. iterum in tres articulos subdividimus. In I. articulo praevie quaedam principia circa mutuum utriusque potestatis nexum stabilienda sunt, quorum summa haec est: esse quidem duas potestates per se stantes et independentes ab invicem, unanimis concordiae et mutuae indigentiae necessitate sibi invicem colligatas. In II. articulo mutua jura sacerdotii et imperii relate ad invicem exponentur, et limites, quibus utriusque sphaera circumscribitur, definientur. In III. articulo brevis istius nexus historia ad nostra usque tempora pertingens texenda est, ut, qualis mutua consociatio olim fuerit, qualisque sit hodie, perspicuum fiat.

CAPUT I.

De mutuo ecclesiae et civitatis nexu.

Principia, quae in hoc tractatu traduntur, egregie et illustrantur et confirmantur per Encyclicam «Immortale Dei», quae tractat «de civitatum constitutione christiana.» Haec Encyclica canonistae catholico lumen praebet in via adeo lubrica et errorum tenebris obnubilata. Hinc identidem ad placita ejusdem provocabo.

Articulus I.

Principia generalia hunc nexum concernentia.

§ 30. Binae potestates distinctae rebus humanis praesunt.

Haec propositio duabus partibus constat: 1. probandum est, binas potestates distinctas ad regendum genus humanum esse necessarias; 2. explicari oportet, in quonam differentia utriusque consistat.

Duae praesunt potestates

Ad 1. Supremi Numinis providentissima sapientia, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter,*[1]) duabus potestatibus unum eundemque hominem subjecit, quarum una juris ordinem sustentaret, altera rebus religiosis praeesset.

[1]) Sap. 8, 1.

«Duo sunt (ita Gelasius I. imperatori Anastasio a. 494. scripsit), quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas.»[2]) Est vero duplicis potestatis ab invicem discretae haec causa et origo. Si homines in statu naturae integrae perseverassent, *unam* dumtaxat societatem, sub ipso Deo rectore et glutino charitatis arctissime copulati, procul dubio constituerent, nec duplex iis imperium praeficere necessarium fuisset. Verum status naturae corruptae necessitatem duarum societatum adduxit, in quas homines suae prosperitatis et salutis causa coire tenentur. Nam peccato homines 1. a Deo et societate vitae divinae avulsi sunt; 2. ordo in mutuo convictu perturbatus et vinculum charitatis diruptum est, quippe cum homines, habendi et nocendi libidine capti, ad aliorum jura invadenda admodum proclives evaserint. Ad duplicem hunc ordinem resuscitandum Deus bifario modo succurrere voluit generi humano. Ad homines coelo *religandos,* seu ad vinculum *religionis* denuo nectendum *ecclesia* constituta est. Ut vero firmus vitae socialis ordo, ut tranquillitas et jurium securitas in mundo vigeat, homines praeterea *sub communi imperio civili* consociari debent. Secus enim ob incredibilem humanae naturae depravationem et ingentem flagitiosorum numerum, quietus hominum convictus et jurium securitas subsistere haud posset. Igitur societas civilis pariter a Deo est, atque omnibus necessaria.

Earum origo.

Duae potestates,

Et sane statim ac genus humanum per universas orbis plagas diffundi coeperat, omnes fere gentes, sive cultas sive barbaras, in civitates civiles coiisse reperimus[3]). Et hae antiquae societates civiles quasi viam sternebant futurae ecclesiae, imo illius defectum quodammodo supplebant. Procul dubio ethnicorum multitudo, idololatriae superstitione obcaecata, coërceri et in officio contineri haud potuisset, si ordo civilis non exstitisset.[4])

Est autem necesse, ut ambae societates separatim a duobus rectoribus gubernentur; proin nefas esset, easdem in unam con-

sed distinctae

---

[2]) c. 10. Dist. 96; Cfr. Encyclica «Immortale Dei»: Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scil. ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam» (p. 12. Ed. Rom. quam semper allego).

[3]) *Haller:* Restauration der Staatswissenschaft tom. I. p. 3 seq.; Cfr. *Hergenröther:* Kath. Kirche und christl. Staat p. 460 seq., ubi ex theologis probatur, causam efficientem dominationis civilis, vel saltem potestatis coërcitivae, fuisse naturam corruptam; item ipsum Deum status civilis *mediate* esse auctorem, minime vero populi voluntatem qua talem.

[4]) Hinc Cicero: «Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturae . . . quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.» De leg. lib. c. 1.

flare,[5]) et vel sacerdotio imperium civile, vel imperio civili sacerdotium adnectere.[6]) Ratio est, quia in utroque casu profana divinis indigne miscerentur et religio vim suam dignitatemque amitteret, et duplex imperium sustinere humana infirmitas regulariter[7]) non valeret.

Differunt: *Ad 2.* Sunt autem ecclesia et civitas multiplici modo diversae: origine, fine, mediis, amplitudine, perduratione.

origine; a) Spectata *origine* utraque quidem potestas Deum habet auctorem. *Non est enim potestas nisi a Deo.* (Rom. 13, 1.) Verum non utraque eodem modo. Ecclesia immediate a Deo descendit tamquam auctore gratiae, quia sacra potestas ab ipso incarnato Dei Verbo in collegium Petro-apostolicum collata est. At vero terrena imperia ex indigentia et inclinatione naturae, ex armorum vi et hominum pactionibus originem duxerunt. Ergo nonnisi mediate a Deo, tamquam auctore naturae, proveniunt, quatenus is res humanas ita disposuit, ut necessitas in civitatem coëundi ex rerum natura et ex statu conditionis humanae depravatae sponte resultet.[8]) Ex quo elucet, ecclesiam ordinis longe eminentioris

---

[5]) Ex Hegelianorum principiis unum tantum imperium hominibus praeficiendum est, nempe civitas, eique soli munus incumbit, hominum perfectionem moralem procurandi.

[6]) «*Amarias* sacerdos et pontifex in his, quae ad Deum pertinent, praesidebit: *Zabadias* super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent.» II. Paralip. 19, 11. — Jam Gelasius Pontifex apposite in hanc rem animadvertit, optimo Dei consilio duas potestates apud ethnicos diabolo auctore unitas, ab invicem separatas fuisse, *ne militans Deo sese negotiis saecularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis praeesse videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus.* Harduin. tom. II. col. 934.; Cfr. c. 8. D. 10; c. 5. et 6. D. 96.

[7]) Quomodo exceptio, quae in hac re quoad statum pontificium statuenda est, firmet regulam, inferius patebit, ubi de juribus summi Pontificis disseremus.

[8]) In civitatis origine indaganda maxime discrepant auctores. Plato civitatis originem ab hominum indigentia, Aristoteles a naturae inclinatione repetebat. Plerique ex metu aut securitatis causa civitates constitutas putant; alii earundem initia violentiae et imperandi libidini tribuere solent. S. Augustinus ad hominum tum depravationem tum socialitatem recurrit, scribens (de civ. Dei l. 12. c. 27): «Homo factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quam hoc genus, tam *discordiosum* vitio, tam *sociale* natura.» — Omnibus denique nota, sed simul abunde a pluribus refutata est illa theoria, quam Hobbesius primus excudit, Lockius vero cum Rousseauvio aliisque ulterius excoluit, qua civitas arbitraria hominum conventione et pacto coagmentata esse fingitur. Idque duplici pacto factum esse dicunt: per pactum *unionis,* quo homines sui juris securitatis causa in unam societatem congressi, et per pactum *subjectionis,* quo singuli, abdicata propria libertate, subjectionem suam erga summum imperantem professi sint. — Ad verum illud proxime accedere videtur, homines, ubi primum per plures familias discreti erant, tum naturali socialitatis instinctu tum securitatis necessitate ad civilem consociationem adactos fuisse, ita ut nullo non tempore societates

esse, quam civitatem, quae naturae ordinem et limites non transcendit.

b) Ratione *finis* ultimi utraque potestas in eo collineat, ut ad illustrationem gloriae Dei tendat; sed quoad finem proximum maximis intervallis ab invicem distant. Finis ecclesiae est sanctificatio animarum, cultus supremi Dei et fidelium aeterna beatitas. Ecclesia proinde non est regnum hujus mundi, sed quasi colonia regni coelestis, in hasce terras deducta, ut cives ipsius ad regnum aeternum transferantur. Civitatis vero finis proximus est *primario* securitas jurium scilicet quoad personas, honorem et bona omnibus praestanda; *secundario* quaedam civium commoditas et vitae terrenae beatitas procuranda.[9]) Est ergo civitas etiam sub hac consideratione regnum hujus mundi et ordinis naturalis. ratione finis

c) Ut inter finem utriusque, sic et inter *media,* per quae finis obtinetur, maxima discrepantia est. Fini ecclesiae respondent media, quae tum supernaturalia sunt, tum, prout fert natura hominum, etiam naturalia. Sunt nimirum: doctrina, Sacramenta, cultus divinus, disciplina, coërcitio fidelium, bona temporalia etc. Media civitatis propria sunt naturalia, sc. imprimis leges et poenae, quibus tam ordo juris quam terrena civium felicitas procurari possit. ratione mediorum;

d) Ratione *ambitus* seu *amplitudinis* ecclesia una est et universalis, seu per omnes regiones exporrecta, ita ut totus terrarum orbis ipsius territorium existat. Et huic quidem unitati non locorum obest aut gentium diversitas. At imperia civilia certis limitibus circumscripta ideoque pro diversitate locorum regionumque multiplicia sunt. ratione amplitudinis;

e) Ratione *temporis* et *stabilitatis* ecclesia omnium societatum erit in orbe ultima, ipsiusque et doctrina et constitutio quoad substantiam in omne aevum immutabilis perseverat. Verum regna terrena rerum humanarum vicissitudini obnoxia sunt ideoque im- ratione temporis.

---

civiles exstiterint. Verum in harum forma determinanda non solum natura sed et libertas humanae voluntatis suas partes habuisse censenda est. Proin civitas est ad instar compositi moralis tum naturalis tum artificialis, sive tum ipsa natura tum instituto hominum compaginata. Cfr. *Schenach:* Metaphysik. pag. 414. 415.

[9]) Moderni politici finem civitati praefixum latissima linea circumscribunt, dicentes, omnia prorsus commoda terrena, veluti agriculturam, mercaturam, artificia, scientiarum et morum perfectionem, imo et ipsam religionem directe a civitate procurari et promoveri oportere. Sed originetus et primario finis civitatis unice ad *jurium tuitionem* restringitur. Cfr. *Schenach:* Methaphysik. p. 416. Alii haud minus erronee finem civitatis et summam rerum humanarum in caduca status civilis felicitate collocant, atque *terrenam felicitatem* supra quam par est extollunt, ita quidem, ut homines cum detrimento religionis cultusque divini ac neglectu beatitatis aeternae felices esse jubeantur aut ipsi appetant. Legant isti Psalm. 43, 12.—15.

mutantur, dividuntur, evertuntur. Similiter regiminis forma haud raro derepente in aliam transit.

Paucis: ecclesia una, sancta catholica et apostolica est, et ratione harum insignium proprietatum quavis alia societate eminet.

Et hac multiplici diversitate denuo confirmatur, binas potestates segregari et in duo diversa ac distincta subjecta transferri oportere.

§ 31. Binae potestates sunt ab invicem independentes.

Notio independentiae.

Ut haec independentia rite concipiatur, animadvertendum est, eam non sic esse intelligendam, 1. quasi ecclesia a civitate penitus separanda sit; 2. neque sic, quasi una altera haud indigeat; 3. neque quasi civitas in sua legislatione ecclesiam et vicissim ecclesia in suis condendis legibus civitatem non debeat respicere; 4. nec denique sic, quasi civitas catholica etiam respectu finis *ultimi* ab ecclesia non dependeat. Nam *indirecte* et *remote* (ut infra demonstrabitur) civitas in actione sua etiam finem ultimum civium respicere debet. Sed quia haec cura *remota* felicitatis aeternae debet esse conformis doctrinae catholicae, in aprico est, independentiam civitatis solummodo respectu *finis sibi proprii* scilicet in procuranda civium felicitate temporali statui posse. Itaque mutua ista independentia in eo consistit, ut ambabus ad *finem sibi proprium* mediis sibi propriis tendere liberum sit, ita ut nec civitas in negotia ecclesiastica, nec ecclesia in negotia civilia sese ingerere sine injuria queat.[1])

Jam quod primo attinet societatem civilem, eam in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis non esse ecclesiae subjectam, sed plane independentem, omnes admittunt. Nam «quidquid fit in rebus temporalibus, sub respectu finis temporalis, est praeter finem ecclesiae. Atqui generalis regula est, societatis nihil posse in iis, quae sunt extra finem proprium.»[2])

Ecclesiae autem independentia probatur:

Argumenta.

1. *Ex Christi et Apostolorum dictis et factis.* Christus Dominus, quidquid imperantibus politicis competit juris, id expleri jussit, dicens: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari.*[3]) At simul indicavit, non omnia ad principes civiles esse deferenda. Quocirca statim addidit, quae ad Deum divinamque religionem pertinent, non Caesari sed Deo divinisque rebus danda esse: *Et quae sunt Dei, Deo.*[4]) Ergo hac locutione divinus Salvator res humanas in duas

[1]) *Phillips* II. p. 520.
[2]) *Tarquini* Juris eccles. publ. Inst. p. 35.
[3]) Matth. 22, 21.
[4]) *Zallinger* l. c. p. 720.

distinctas quasi sphaeras discrevit. Idem etiam factis Dominus nos edocuit. Nam instituendo ecclesiam haudquaquam principum opera usus est, neque ad perficiendum opus suum eorum consensum ullo modo expetivit. Imo vero contradicente potestate saeculari doctrinam suam disseminavit, et pro asserenda doctrinae et religionis suae libertate acerbissimam mortem subiit. Similiter etiam Apostoli in exercitio potestatis suae tam parum legibus civilibus se submiserunt, ut atrocissima quaevis supplicia potius sustinuerint, quam ut in exercendo munere suo se sinerent impediri. Nullis quippe minis, nullaque vi a praedicatione divina absterreri potuerunt, asserentes: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus,*[5]) et: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.*[6]) Denique inter martyres haud pauci omni aevo reperiuntur, qui pro asserenda ecclesiae independentia martyrium subiere.

2. *Ex ecclesiae indole et constitutione.* Ecclesia, ut supra dictum, est societas a civitate maximis intervallis discreta, proprium habens finem et propria media huic fini praestituta. Haec jam distinctio etiam in praxi appareat necesse est, ita videlicet, ut utrique potestati liberum esse debeat, finem suum prosequi. Esset enim ridiculum, theoretice discrimen inter utramque statuere, in praxi vero hoc discrimen convellere. Porro ecclesia ita est constituta a Deo, ut suos regnantes et pastores, a Spiritu s. positos, jam habeat; quare non opus est, ut principes[7]) vel alii in eorundem subsidium aut locum se ingerant.[8])

3. *Ex intima persuasione ecclesiae* de hac sua libertate et independentia, quam verbis juxta factisque constanter asseruit. Dixi 1. *verbis*, seu monitis, quibus praesules ecclesiastici principes politicos ab usurpatione jurium sacrorum haud semel avertere

---

[5]) Act. 5, 29.

[6]) Act. 4, 19.

[7]) S. Joannes Damasc. orat. 2. de imag.: «Attende», inquit, «quid dicat Apostolus: Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio pastores et doctores, ad perfectionem ecclesiae; non adjecit imperatores. Verbum locuti non sunt reges, sed apostoli, prophetae pastoresque et doctores . . . Tibi parebimus, o Imperator! in his, quae ad hujus saeculi negotia pertinent. — Verum ad res ecclesiae statuendas pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur atque ecclesiastica instituta tradiderunt.» Encycl. «Immortale Dei»: «Itaque dux hominibus esse ad coelestia non civitas sed ecclesia debet, eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, qui religionem attingunt, videat ipsa et statuat.» p. 11.

[8]) «Si omnes fontes scruteris (ait *Zallinger* l. c. p. 721), unde principia juris eccles. petenda sunt, videlicet s. Scripturam, traditionem divinam vel apostolicam, canones conciliorum, constitutiones summ. Pontificum, sententias Patrum doctorumque antiquorum, definitiones utriusque juris . . . omnia habes in eo consentientia, nihil potestatis sacrae principibus politicis competere.»

studuerunt. Sic jam Osius Cordubensis Constantium serio admonuit: «Ne te rebus misceas ecclesiasticis, neu nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium dedit, nobis ecclesiastica concredidit, ac quemadmodum, qui tibi imperium subripit, Dei ordinationi resistit, ita metue, ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo.* Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem.»[9]) Idem monitum cursu temporis iterum iterumque imperantibus inculcatum est. Ita Felix III. imperatorem Zenonem,[10]) Gregorius II. Leonem Isauricum,[11]) Stephanus V. Basilium[12]) ab aggressione jurium eccles. prohibuerunt resque sacras potestatibus civilibus subjici uno quasi ore negarunt.[13]) 2. Permultis *decisionibus,* quibus eadem independentia contra pseudo-politicos ut doctrina catholica gravissime asseritur.[14]) 3. Denique etiam *actibus;* nullo enim non tempore quamcumque alienam potestatem, volentem se in sacrarium intrudere, vehementer repulit atque in definiendo dogmate necnon in stabilienda disciplina independentem se semper gessit, ut non solum principum consensum et cooperationem nunquam necessariam duxerit, sed in illos contumaces et reluctantes etiam suam actionem exercuerit, eos scilicet puniendo et a communione fidelium segregando. Haec ecclesiae persuasio manifeste probat ejus independentiam. Nam (ut bene observat Bouix) eadem nunquam ignorare potuit verum jus suum a Christo acceptum, nec ultra illud jus essentialiter excedere. Alioquin enim corrupta fuisset, errasset, desiisset esse vera ecclesia Christi, et portae

---

[9]) S. Athan. hist. Arian. c. 44.

[10]) c. 3. D. 10.

[11]) Greg. II. ep. I. ad Leon. Isaur. (inter praeamb. Conc. Nicaen. II. apud Harduin. Concil. t. IV. col. 10.)

[12]) Ep. 1. ad Basil. Imp.

[13]) Cfr. totam Dist. 97., quae inscribitur: Imperatorum constitutiones de rebus eccles., nisi a Papa confirmentur, irritae sint.

[14]) Sic (ut unicum exemplum allegetur) cum sub Ludovico Bavar. Doctores Parisienses Marsilius Patavinus et Joannes Jandunus in libro: «Defensor pacis» (Vid. Phillips. III. p. 212) sententiam hactenus fere inauditam propugnassent, omnes ecclesiae ministros potestate per se aequales esse et consequenter: «quod unus habet plus alio, hoc est, secundum quod Imperator concessit plus vel minus et sicut concessit, revocare potest,» atque generatim omnem fere s. jurisdictionem principibus civilibus attribuissent: isti errores a Joanne XXII. solemniter rejecti et profligati sunt. Const. dogm. «Licet» (1327). Bullar. magn. rom. tom. 9. p. 167. Cfr. Bulla «Coenae». — Cfr. Allocut. Pii IX. 9. Dec. 1854. Item Pii IX. Allocut 9. Jun. 1862. Cfr. Syllab. n. 19. 20. Encycl. «Immortale Dei» p. 25. — Huc pertinent omnes Constit. R. Pontificum, in quibus ecclesiae independentia adversus *placetum regium* defenditur. Cfr. *Tarquini* «de Placito regio» et l. c. p. 40.

inferi adversus eam praevaluissent, quod nunquam eventurum Christus promisit.

4. *A contrario* seu *ex damnis,* quae in religionem publicamque salutem ex statuta ecclesiae a civitate dependentia redundarent. Scilicet ubi princeps civilis negotiis ecclesiasticis se immiscet, ibi tum de religionis dignitate, tum de ejusdem in animos hominum salutari influxu conclamatum est. In tali statu religio non est nisi merum instrumentum ad fines politicos, et ecclesia ceu pars reipublicae civilis, seu potius ceu ipsius famula habetur. Paucis: humana divinis, in detrimentum ipsius societatis civilis, indigne miscentur.[15])

[15]) Testis minime suspectus observat: «Status admittens ecclesiam, et nihilominus in eam dominari volens, sibimetipsi contradicit; siquidem servitute opprimere ecclesiam idem est, ac eam destruere. Destructio vero ecclesiae non est nisi eversio religionis.» *Maassen,* Neun Kapitel etc. p. 15. — Ex dictis apparet, quid de trita illa sententia, quam nonnulli tamquam certissimum juris canonici principium perpetuo ingerunt, sentiendum sit: *ecclesia in statu est, non e contrario status in ecclesia.* Ratione loci et situs (seu geographice rem considerando) ecclesiam catholicam non esse in civitate, facile intelligitur, quia totum parte aliqua contineri nequit. Sed sensu juridico, ajunt, ecclesia est in statu. Enimvero (sic ratiocinantur tum veteres tum moderni regalistae) Catholici in quacumque civitate degentes constituunt ecclesiam aliquam particularem seu nationalem, quae tamquam persona moralis, ad instar aliarum societatum, imperanti civili subjecta est ejusque supremae curae et inspectioni obnoxia. — Ast falsum est hoc ratiocinium. Imprimis falsum est. Catholicos, qui in statu aliquo vivunt, constituere ecclesiam particularem et quasi per se stantem. Christus enim non plures ecclesias sed unam fundavit, communi centro et capite connexam. Qualiscumque pars ecclesiae, seorsim considerata, nomine ecclesiae particularis nequit insigniri. Unde merito damnata est propositio: «Institui possunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.» Syll. n. 37. Igitur princeps non ecclesiam nationalem in suo territorio tenet, sed ampliorem minoremve Catholicorum multitudinem et singula instituta aut etiam collegia catholica. Attamen falsa est etiam conclusio ex hac praeconcepta ecclesiae particularis idea deducta. Sit ita sane: Ecclesia est in statu, ut societas aliqua distincta. Sed quid sequitur? ideone, qui rebus humanis, etiam divinis praeerit? Utrumque enim bene potest conciliari: esse in statu et habere potestatem supremam in rebus divinis, cum utriusque potestatis negotia commode separari possint, ut supra ostendimus. «Verum (sic instant adversarii) concessa ecclesiae independentia *status in statu* ponitur, seu in eodem territorio duae supremae et independentes potestates statuuntur.» — Id quidem tunc esset, si in regno civili societas emergeret, quae causas civitatis pertractandas sibi sumeret et eundem cum civitate finem iisdemque mediis prosequeretur. Sic utique omnium rerum confusio nasceretur. Sed id longe abest ab indole ecclesiae. Ea quippe in illud dumtaxat sollicita est, ut negotia ordinis supernaturalis rite expediat, sphaeram autem principibus concessam prorsus intactam relinquit, proindeque regnorum securitati nequit esse infesta. Igitur (ait Zallinger) ecclesiam liberam et independentem formidare, idem est ac spectra et umbras pueriliter sibi fingere (Psalm 52, 6). Quaeri posset, cur adulatores regiae potestatis, qui res sacras principatui saeculari addicunt, *ecclesiam in ecclesia* statuere non horreant?

§ 32. Concordia et mutuum auxilium sacerdotii et imperii.

Cur binas potestates oporteat esse consociatas.

I. Sunt quidem ecclesia et civitas societates ab invicem distinctae et in ordine ad finem suum proximum supremae et independentes. Nihilominus tamen ex voluntate Dei concordibus studiis mundum regere et humanum genus consociatis viribus ad suam destinationem perducere tenentur.[1]) Et sane multa sunt, quae mutuam hanc concordiam et consociationem exposcunt. Illam postulat *finis communis* ultimato utrique praefixus, scilicet illustratio gloriae Dei et salus aeterna christiani populi, quem duplicem finem ecclesia immediate et proxime, civitas vero mediate et remote prosequitur. Hanc concordiam exigit populorum *salus* et *prosperitas,* quae obtineri nequit, nisi uterque principatus amico foedere consocietur.[2]) Illam denique exigit *salus* et *firmitas* reciproca binarum potestatum, quae mutua hac conspiratione mirum in modum promovetur. Ut hoc ultimum clarius fiat et commoda ex tali consociatione in utramque rempublicam manantia apertius in oculos cadant, mutuum praesidium, nempe quod ecclesia civitati et vice versa civitas ecclesiae praestat, paulo attentius considerare oportet.

1. Quomodo ecclesia potestatem civilem adjuvet.

II. Proin explicabimus: 1. qua ratione ecclesia, legatione sua fungens, mediate simul civitatis finem promoveat? 2. quomodo civitas consectando finem suum simul fini ecclesiae inserviat? Igitur

1. *Ecclesia bonum societatis civilis promovet,* quia

Colligat subditos cum principe.

a) *ecclesia principem et subditos religioso ligamine ad invicem connectit.* Docet enim, reges et principes terrae per Deum atque Dei loco populis praesidere, gladio justitiae instructos, eisque propterea exacte obediendum esse, etiam in conscientia, et impiis quoque.[3]) Et sic quidem admonet populos de jure divino regum;

---

[1]) «Dignitas et regalis et sacerdotalis, sicut principaliter in Christo sibimet invicem singularis sacramenti veritate connectitur, sic in christiano populo mutuo quodam sibi foedere copulatur.» S. Petr. Dam. Opp. tom. 1. p. 121. Cfr. Phillips. II. p. 497. Docet Leo XIII. in Encycl. «Immortale Dei» (p. 12), binas potestates, utpote a Deo institutas, natura sua sibi adversari non posse, addens: «Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio, quae quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur.»

[2]) Verissima et omnium saeculorum experientia comprobata est sententia Ivonis Carnotensis: «Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.» Ep. 238. ad Paschal. II.

[3]) Proverb. 8, 15; Sap. 6, 4; Rom. 13, 1; I. Petr. 2, 13. — S. August. de civ. Dei. l. V. c. 21.

verum etiam principes de jure divino populorum.[4]) Quanta commoda in bonum commune ubique provenirent, si hujusmodi doctrinae tum a principibus tum a populis adoptarentur![5])

Colligat cives ad invicem.

b) *Ecclesia vinculo religionis etiam cives ad invicem connectit* et socialem convictum faustum reddit fortunatumque. Nam *α*) sola vera religio et ecclesia *timorem* Dei efficaciter docet et inculcat. Atqui «timor Dei solus est», ait Lactantius, «qui custodit hominum inter se societatem.»[6]) *β*) Ecclesia justum et bene ordinatum civium convictum procurat, tum exigendo a debitore in conscientia observantiam justitiae, tum (juxta verba s. Bernardi) creditoris exactionem temperando quodam misericordiae dulcore. *γ*) Ecclesia disparitatem inter divites et pauperes exaequare studet, pauperibus patientiam, divitibus misericordiam suggerendo, exspoliationem egenorum severe interdicendo, nec non erigendo instituta pauperum aliorumque indigentium curae destinata, quae sub ipsius potissimum auspiciis ortum et incrementa traxerunt. — Quam caeci sint rerum humanarum moderatores, qui, spreta religione solisque principiis ducti humanitatis et civilisationis, (uti dicunt), homines regere volunt, post breve intervallum tristis experientia docebit!

Procurat moralitatem.

c) *Ecclesia civium moralitatem procurat* et ob hoc civitatem egregie adjuvat. Differunt sub hoc respectu imperium et sacerdotium. Nam imperans civilis per se externam dumtaxat actionum cum lege convenientiam, quam legalitatem vocant, postulat et postulare potest, quin *judicet de internis*. At vero ecclesia etiam animi affectus motusque dirigit, peccata etiam interna prohibet suoque judicio subjicit, sicque efficere conatur, ut homines non solum manum sed et cor a peccato cohibeant. Tali modo flagitiorum externorum fons obstruitur subditique non tantum legalitatis studiosi, sed et vere probi et honesti evadunt.[7])

---

[4]) Encycl. Pii IX. 8. Dec. 1849. et «Immortale Dei» (ex s. Aug.): «Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus.» Cfr. c. 23. C. 23. qu. 5.

[5]) Haec commoda Leo XIII. uberius exequitur l. c. p. 13—15, ubi inter alia haec habentur: «Talis autem (sc. christiana) conformatio . . . tantum abest, ut jura majestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat.» «Auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem» (p. 14. 15). Ceterum ecclesiam nullatenus obesse felicitati civium temporali, non respuere progressum in rebus melioribus, non rejicere indagationem in rerum natura, sed potius incitamenta praebere ad omne genus artium atque operum late exponitur p. 27. 28. Cfr. Phillips. §§ 103 et 104.

[6]) De ira Dei. c. 12. — Cf. Cicero: de leg. II. c. 7.

[7]) «Bene morata civitas esse sublata religione non potest; jamque plus fortasse, quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant» Leo XIII. l. c. p. 22. Ibidem etiam ostenditur, quantopere reipublicae conducat, quod ab ecclesia refrenatur immodica cogitandi, agendi et scribendi libertas.

Firmat matrimonium et juramentum.

d) *Ecclesia praecipua rei civilis fulcra firmat et sustentat;* ad quae praesertim *matrimonium* sancte servatum indeque proveniens familiarum ordo, necnon reverentia *jurisjurandi* pertinent. His institutis sola ecclesia robur dignitatemque conciliat. Ea sola *matrimonium* ad normam legis divinae componit, gratia supernaturali sanctificat ideoque simul rectae prolium educationi viam parat. Quod attinet *jusjurandum,* sola ecclesia proposito omniscii et justissimi Dei timore pariter et amore potest efficere, ut tum veritas in jurejurando, tum fidelitas in explendo juramento religiose servetur.

Orat pro salute publica.

e) *Ecclesia demum etiam mediis supernaturalibus salutem publicam juvat,* nempe sacrificiis, benedictionibus, precibus. Ea siquidem continuo juxta monitum Apostoli (I. Tim. 2, 1. 2.) facit *„obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt.“* Hisce suffragiis neque familias neque regna sine gravi detrimento privari posse, nemo negaverit.

Verissimum sane est, quod Leo XIII. edixit, ecclesiam «in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parere utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitae, quae in terris agitur, prosperitatem instituta» et «quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit.» (Encycl. «Immortale Dei» p. 1. 2.)

2. Quomodo civitas juvet eccles.

2. *Vicissim civitas consectando finem suum ecclesiam insigniter adjuvat.* Etenim

Externam morum decentiam promovet.

a) dum princeps legibus poenisque scelera et actus pravos, saltem gravissimos, vel impedit vel reprimit, morum corruptionem cavet, *legalitatem* seu externam decentiam *promovet,* et per hoc cives ad veram honestatem disponit.

Pacem conservat.

b) Ex hoc, quod imperans civilis, impietatem et violentiam hominum reprimendo, fraudes et turbas a societate arcet, *illa obstacula removentur, quibus ecclesia* in exercendo munere sibi divinitus commisso *quam maxime impeditur.* Nihil enim magis obest religioni et regimini pastorali, quam civium commotiones et bella sive extera sive intestina. Et hoc potissimum est motivum, propter quod Apostolus pro regnantibus preces fieri jubet: *„ut quietam et tranquillam vitam agamus.“* (l. c.)

Ecclesiam tuetur.

c) Sed commodum longe maximum est, quod imperans civilis non tantum rerum statum quietum ac pacatum pro universis in genere procurat, sed quod tamquam summus jurium protector *personas simul* resque ecclesiasticas tuetur ac defendit. Haec tuitio amplius et largius debet exhiberi a principe catholico, si

civitas juxta principia christiana sit composita. Verum illud juris praesidium, quod omnibus civibus et singulis privatis impertitur, ecclesiae catholicae a nullo regnante, etiam ethnico, non potest negari, quin juris aequitatisque laesae reum se reddat.

Hoc igitur pacto utraque potestas quod suum est bonum cum altera communicat, seu aliis verbis: religio optimos cives efficit, politica vero potestas religionem tuetur.[8]) Igitur in prosequendo fine suo non solum mutuum juvamen sibi praestant, sed et maxima commoda in societatem humanam derivant.

Corollarium exinde profluens est, utramque potestatem vires suas cum altera conjungere et glutino sincerae amicitiae invicem copulari oportere. „

Articulus II.

Mutua utriusque potestatis jura singillatim determinantur.

§ 33. Principium et basis pro secernendis utriusque societatis juribus.

Regulae generales hae statuuntur: Principia generalia.

1. Res ecclesiasticae ad ecclesiae competentiam spectant; 2. res civiles potestati civili subjiciuntur; 3. res mixtae ab utraque potestate modo utrique conveniente absolvuntur.

Regula prima est palmaria, et quasi cardo totius rei; ea admissa etiam reliquae duae admitti debent.

1. Sed quaeritur imprimis, quaenam res censendae sint ecclesiasticae? Resp. res ecclesiasticas duplicis generis esse. Aliae enim sunt ecclesiasticae natura sua et per se, aliae autem titulo legitimae acquisitionis.

a) *Res ecclesiasticae natura sua sunt negotia, media, causae, quae ad finem ecclesiae proprium ordinantur, utut externae sint et corporales.* Hujusmodi res ad ecclesiam spectare, probatur: *1. ex independentia ecclesiae* supra (§ 31) delineata. Nam independens esse plane idem est, ac mediis propriis ad finem proprium tendere, seu res suas libere administrare. — *2. Ex fine ecclesiae;* finis ecclesiae divinitus proprius est sanctificatio animarum. Media sunt potestas ordinis et jurisdictionis. Exinde haec conclusio fluit: Qui jus et obligationem habet ad finem quemdam obtinendum, is jure quoque pollet adhibendi omnia media justa et necessaria, quibus finis iste obtinendus est. Ergo causae, quae finem ecclesiae respiciunt, seu media, quae connexa sunt cum Res ecclesiasticae sua natura.

---

[8]) «Quoniam utraque dignitas alternae invicem utilitatis est indiga, dum et sacerdotium regni tuitione protegitur et regnum sacerdotalis officii sanctitate fulcitur . . .» S. Petr. Dam. epist. l. 3. ep. 6.

potestate ordinis vel jurisdictionis, ad ecclesiae forum pertinent. Consonat principium omnibus philosophis contestatissimum: *Ex fine mensuram potestatis capiendam esse.* — *3. Ex divina ecclesiae constitutione.* Ecclesia, utpote a Deo fundata, *jure divino* ubique gentium existendi facultatem habet, et quidem existendi *in proprio suo esse* i. e. cum peculiari forma et constitutione a Christo determinata, et cum juribus ex hac individuali forma manantibus. Ad hanc vero propriam et individualem ecclesiae formam duo potissimum pertinent: gradus hierarchici a Christo instituti (§ 22) necnon potestas Apostolis demandata (§§ 23, 24). Ex quo sequitur, tum R. Pontifici tum episcopis integrum esse oportere, potestatem divinitus acceptam *libere* h. e. *quin in sacro suo ministerio obeundo civili potestati subjaceant*[1]), in exitum perducere, juxta illam jurium mensuram, quae unicuique gradui est adnexa. Atqui hoc prorsus in sententiam recidit: Res ecclesiasticae ad ecclesiam spectant. — *4. Ex notione ecclesiae tamquam verae et perfectae societatis.* Ecclesia, quippe quae est societas vera et perfecta (§ 27), media ad sui conservationem propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debet. Atqui isthaec media ex potestate ipsi commissa redundant; ergo hac potestate libere uti posse eam oportet, ergo etiam res suas proprio jure administrare. *Confirmatur* ex sententiis a Papa Pio IX. proscriptis: «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint ecclesiae jura et limites, intra quos eadem jura exercere queat.» Syll. 19. Et: «Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.» Syll. 20. Cfr. 26. 27. 28.[2])

---

[1]) Cfr. litt. Pii IX. 26. Mart. 1860 contra invasores et usurpatores ditionis Pontificiae. — Leo XIII. pro discernenda utriusque potestatis sphaera edixit, respici oportere utriusque *naturam,* excellentiam et nobilitatem *causarum,* nec non *finem* utrique propositum, sic concludens: «Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive illud tale sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque ecclesiae; cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit, quae Caesaris sunt, reddi Caesari, quae sunt Dei, Deo.» l. c. p. 13.

[2]) Aliae formulae, ad discernendos utriusque potestatis limites adhiberi solitae, vel falsae vel saltem captiosae sunt. Sic v. g. haud recte dicitur: *Ecclesia praeest animis, civitas vero corporibus.* Nam utraque potestas integrum hominem sibi subjectum habet, licet non in eodem, sed diverso ordine. Item falsum est axioma: *Interna spectant ad ecclesiam, externa ad civitatem referenda sunt.* Quia nimirum ecclesia instituta est ut coetus visibilis et humano modo regendus, universa fere illius negotia et instituta oculis apparent seu sunt externa. Nam evangelii praedicatio, instructio, Sacramenta,

Res ecclesiast. titulo legitimae acquisitionis.

b) Res ecclesiasticae titulo legitimae acquisitionis sunt, quae pertinent ad jus, quod *historicum* dicitur et *pactitium* h. e. quod ecclesiae addictum est pactis, concordatis, legibus regnorum fundamentalibus etc. vel alias legitime *quaesitum* et possessum. Sub hac ratione pro regionum varietate jus ecclesiae discrepans et varium est. Praeterea hoc jus prorsus certum est et definitum, adeo, ut omnis disputatio de limitibus, quibus utriusque societatis jura continentur, superflua plerumque sit. Sic e. g. quaestio jure merito moveri non potest, quonam sensu ecclesiae catholicae in territoriis Germaniae liberum religionis exercitium vi pacis Westphalicae aliarumque conventionum sit addictum. Nimirum sicuti sectae Protestantium juxta eam formam, quam tunc habebant, sunt admissae, ita plane ecclesiae catholicae propriam et peculiarem formam retinere concessum esse, statui debet.[3]) Res, quae ad ejusmodi *jus quaesitum* pertinent, ecclesiasticas esse, in ipso jure naturali fundamentum habet, quod praecipit: «Servetur fides data;» «standum est pactis legitimis;» «de statu legitimae possessionis dejici nemo debet» etc.

Corollarium. Quo facilius in concreto *res ecclesiasticae* internoscantur, hae regulae assignantur: Res ecclesiasticae sunt: 1. quae cum constitutione ecclesiae immediate cohaerent, aut cum fine ecclesiae proprio sunt connexae, uti modo dictum est; 2. quae per definitiones dogmaticas, vel per concordes praesulum ecclesiasticorum declarationes manifeste inter res ecclesiasticas computantur; 3. quae ex usu constanti et perpetuo addictae sunt foro ecclesiastico;[4]) 4. quae vi pacti illuc pertinent.

---

sacrificium N. F., ministrorum electio et ordinatio, regimen pastorale, conventus sacri, preces aliaque sexcenta, cum inter homines et humano modo peragantur, certe externa sunt. Quodsi haec omnia propterea potestati politicae obnoxia forent, sacerdotio tandem vix aliud remaneret, nisi libertas decisionum quoad dogmata et mores. Quodsi in lege fundam. Austr. d. 21. Dec. 1867. § 15 *res internae* ecclesiae addicuntur, hoc nomine res *domesticae* i. e. ecclesiasticae intelligi debent. — Denique nec formula: *Ecclesia res spirituales, civitas vero temporales moderatur,* omni ambiguitate caret, eoquod a nonnullis in eodem sensu usurpetur ac illa, qua *interna* ecclesiae, *externa* civitati subjiciuntur.

[3]) Em. v. *Ketteler:* Das Recht und der Rechtsschutz der kath. Kirche in Deutschland. Mainz 1854. p. 38; *Linde:* Gleichberechtig. der Augsb. Confession mit der kath. Religion in Deutschland. Mainz 1853. *Schulte:* System p. 441. — Quoniam his perturbatis temporibus leges regnorum fundamentales, ipsaeque formae et systemata continuo mutantur, ex eo fieri solet, ut nihil paene adeo fluctuet, ac jus ecclesiae historicum et pactitium! Quaevis vero in rebus politicis mutatio laesionem jurium ecclesiae catholicae in comitatu habere solet. Ceterum nec jura ecclesiae *quoad temporalia* legitime quaesita eripere pro lubitu licet. Videatur Syll. n. 27 et protestatio Pii VII. in Congressu Vienn. 1815 ob principatus eccles. in Germania non restitutos.

[4]) *Schöpf,* Handbuch d. Kirchenrechtes. tom. 4. p. 481.

Res civiles.

2. *Res, negotia et causas civiles societati civili subjici,* ex fine hujus societatis proprio sequitur. Quaenam vero istae res sint (praeter illas, quarum character *civilis* aperte in oculos cadit), per decursum operis manifestum fiet. Interim haec quantum ad statum *facti* praenotasse sufficiat: 1. Fere ubique gubernia civilia sibi vindicant jurisdictionem in clericos quoad causas mere civiles. Hoc de jure non fit, nisi Sedes apostolica remittat *privilegium fori.* Syll. n. 30. 31. 2. Hodie ubique locorum legibus civilibus dirigitur possessio, acquisitio, dominium bonorum ecclesiasticorum, ita, ut ecclesia quoad haec omnia personis privatis omnino aequiparetur. Haud minus contributiones fidelium ad reparanda aedificia ecclesiastica, hinc inde etiam oblationes ex jure stolae pendentes, ceteraeque ejus generis praestationes a lege civili determinari, et vi coactiva, ubi necesse est, exigi solent. 3. Similiter crimina civilia et transgressiones legum civilium judiciis saecularibus addicuntur. Et hoc quidem tolerari debet. Sed maxima injuria est, si Catholici, qui in conflictu legum utriusque potestatis ecclesiae legem legi civili anteponunt, propter hoc veluti praevaricatores poenis afficiuntur. Nam rejicienda est sententia: «In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet.» Syll. n. 42.

Res mixtae.

3. Causas denique mixtas utrimque juxta modum, quo utramque potestatem attingunt, expendiendas esse, ex dictis ultro consequitur. (Cfr. § 37.)[5])

His praestabilitis jam in eo erimus, ut 1. res pure ecclesiasticas foro ecclesiastico vindicemus; 2. ut modum causas mixtas pertractandi indicemus; 3. denique ut tam de juribus quam de officiis imperantium in relatione ad ecclesiam disseramus. Satis erit, si generalia principia explicentur; de specialibus enim procedente libro disseretur.

§. 34. Causae mere ecclesiasticae 1. quoad magisterium et ministerium.

Libertas ecclesiae quoad magisterium.

Certe nihil est, quod cum idea et constitutione ecclesiae propius cohaeret, quam potestas a Christo eidem tradita, ideoque exercitium trinarum potestatum quoad omnia liberum et salvum sacrorum rectoribus relinqui debet. Ideo

1. In exercenda *potestate magisterii* rectores ecclesiae libertate nulli impedimento obnoxia frui oportet. Consequenter ipsis liberum esse debet

---

[5]) Leo XIII. l. c. «In negotiis autem», ait, «mixti juris maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non *secessionem* alterius potestatis ab altera, multoque minus *contentionem,* sed plane *concordiam,* eamque cum causis proxime congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt.» p. 25.

a) veram doctrinam propagare, contra adversariorum aggressiones defendere, et dubia circa fidem exorta nulla alia, quam sua auctoritate interposita dirimere, hasque decisiones fidelibus libere communicare.

b) Instructionem religiosam in scholis dirigere, atque omnibus, qui religionem sive theologiam docere volunt, missionem et adprobationem impertiri.

c) Novos asseclas ex haereticorum aut infidelium numero in ecclesiae sinum recipere et conditiones ad hunc transitum necessarias determinare.

d) Abusus ex parte tum praedicatorum tum religionis magistrorum forte intervenientes sua auctoritate corrigere ac resecare.[1])

Quoad ministerium.

2. Eadem libertas pro *s. ministerii* executione asserenda est. Omnia, quae Sacramenta cultumque divinum concernunt, uti publicae preces et supplicationes, indulgentiarum publicationes, pia exercitia ad sensum religionis excitandum fovendumque comparata, ratio rem divinam in sacris conventibus peragendi, haec et similia, utut externa esse videantur, res sunt mere ecclesiasticae, et propterea sacrilegum esset, si manus profanae ordinem sanctuarii moderari praesumerent. Perperam praetenditur, abusibus circa cultum exortis repagulum esse opponendum, errata corrigenda, superflua abscindenda. Numquid non sacrorum antistites et sacerdotes constituti sunt, qui abusus circa s. ministerii exercitium sua auctoritate dijudicent iisdemque occurrant? Quodsi alicubi inductum est, ut quidam actus extraordinarii ad cultum Dei publicum pertinentes e. g. missiones pro parochianis gubernio politico praevie significari debeant,[2]) id potius civilitatis et amicitiae causa fieri solet, quam ex stricto jure. Eandem ob causam obsequiosos oportet esse sacerdotes magistratui civili, si missas publicas celebrari vel preces communes pro salute reipublicae institui discupiat, verum

---

[1]) Ad arcendos et cohibendos abusus ad fines politicos, qui a praedicatoribus verbi Dei committi possent, in novo imperio Germanico 10. Dec. 1871 prodiit lex, quae ab auctore suo lex Lutziana nuncupari solet. *Vering*, Archiv tom. 27. p. 120. seq. — Similiter minister Stremayr d. 10. Apr. 1872 edictum edidit, quo magistratibus politicis inculcavit, ut juxta §§ codicis poenalis hanc rem spectantes, ac praesertim juxta § 71 praedicatorum excessus in re politica ad judicia criminalia deferant, nocentesque poenis statutis afficiantur. l. c. tom. 28. p. 54.

[2]) In regno Bavariae a pluribus jam annis, quae dicuntur missiones pro populo, legibus (e. g. 26. Febr. 1850; 21. Jun. 1851; 8. Apr. 1852) multipliciter sunt coarctatae. Archiv. tom. 25. p. 322. Quin etiam — quis credat! — studiosorum congregationes, quae dicuntur Marianae, hodie politicis periculosae videntur! De earum abolitione tum in Borussia (1871) tum Ratisbonae (1869) tractatur in *Vering*, Archiv. tom. 26. p. 109. seq.

praecipere et *indicere* sua auctoritate functiones sacras ille non potest. [3])

§ 35. 2. Quoad disciplinam.

Integrum sit oportet ecclesiae jus:

Eadem independentia rectoribus ecclesiae intuitu *s. imperii,* seu in stabilienda et conservanda salutari disciplina, vindicari debet. Quoniam pastoribus ecclesiae id muneris incumbit, ut actus fidelium in ordine ad beatitatem aeternam dirigant, potestas regalis et rectoria, qua hunc in finem instructi sunt, ab omni prorsus vinculo libera sit, necesse est. Huc referri debet

Inspectionis.

1. *jus inspectionis ecclesiasticum.* Prout cujuslibet reipublicae, ita sacri quoque regiminis ea est indoles, ut supremus gubernator sive in persona sive per alios actionibus subditorum diligenter invigilare debeat, nisi se inscio omnia pessumire velit. Quocirca summo Pontifici legatos et nuntios ad diversas nationes destinare, episcopis vero dioecesim visitare liberum esse oportet. Porro neque Papa neque episcopi impediri possunt, quominus relationes ex locis remotis sibi fieri procurent. Certe nefas est, jus illud hierarchiae intrinsece proprium et necessarium quomodocumque impedire, e. g. prohibendo mutuam membrorum et capitis communicationem.[1]) Summa vero injuria esset, si princeps hoc inspectionis jus sibimetipsi vindicare praesumeret.

Leges ferendi.

2. *Jus leges ferendi.* Cum potestas legislativa per se stans et independens a Christo sit instituta, natura rei postulat, ut leges ecclesiasticae, quin obstaculum obmoveatur, libere et condi et promulgari et applicari valeant, seu ut jus legiferum ecclesiae salvum et integrum permaneat a prima legum sacrarum emanatione usque ad earum practicam applicationem a tribunalibus instituendam. Imperanti civili neque leges ecclesiasticas condere[2]), neque earum emanationem vel divulgationem impedire licet. Ex hoc solo jam titulo civitati jus placeti seu placeti regii est abjudicandum, quia videlicet cum natura liberae potestatis legislativae nullatenus potest

---

[3]) Huc spectat propos. 44. in Syll. damnata. — In Imperio Austriaco ecclesia catholica in s. ministerio obeundo jura propria, per leges Josephinas quam maxime coarctata, plene iterum obtinuit suprema resolutione 18. Apr. 1850, et art. IV. (lit. d.) concordati. Sed lege 7. Maji 1874 (§ 17.) sic statuitur: «Gubernium advertens, ordinationi alicui ecclesiasticae, quae rem divinam publice peragendam concernit, rationes salutis publicae obsistere, illam (scil. ordinationem) interdicat.»

[1]) Syll. prop. damn. 49: «Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.»

[2]) Innocentius III. c. 10. X. (I. 2.) paucis verbis id expressit: *„Laicis ... super ecclesiis et personis eccles. nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.“*

conciliari. Intelligitur vero per *placetum regium* facultas gubernio civili attributa, quascumque ecclesiasticas ordinationes, ac praesertim constitutiones pontificias, praevie inspiciendi et examinandi earumque promulgationem, prout visum fuerit, concedendi vel denegandi. Quodsi promulgatio permittitur, id addito vocabulo *placet* (seu *exequatur*) indicari solet; unde nomen placeti regii. Placetum hoc valde injuriosum est in ecclesiam. Repugnat enim a) *potestati* ecclesiae *legislativae*. Enimvero cum ad valorem cujuslibet legis promulgatio necessaria sit, promulgatio vero omnino placeti arbitrio subjiciatur: in aprico est, libertatem ecclesiae in condendis legibus fere ad incitas redigi, quippe cum hae leges sub quovis obtentu supprimi in prima sua origine possint. Et sic quidem non episcopi *positi a Spiritu s. regere ecclesiam Dei,* legum sacrarum conditores essent, sed potius imperantes. b) Repugnat generatim *potestati* ecclesiae *gubernativae*. Nam cum summo Pontifici ex concilio Florentino (vid. § 5. not. 2) *plena potestas universos fideles pascendi, regendi, gubernandi* concessa sit, quis ausit illius constitutiones et quidem etiam dogmaticas [3]) suo examini subjicere? Et quo jure princeps id praesumet, qui gubernativae Papae potestati ad instar ceterorum laicorum subjicitur? c) Repugnat *claris ecclesiae declarationibus toties repetitis*. Etenim R. Pontifices jure merito contra usum placeti rursus et iterum reclamarunt.[4]) Nuperrime vero Pius IX. has propositiones reprobavit: «Episcopis sine gubernii venia fas non est, vel ipsas apostolicas litteras promulgare.» Syll. n. 28. «Gratiae a Rom. Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae.» n. 29. Item prop. 41. Porro in Const. «Apost. Sedis» n. VII. VIII. excommunicatio latae sententiae Papae speciali modo reservata pronuntiatur adversus «edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura ecclesiae,» ergo etiam contra auctores legum de placeto regio. Denique concil. Vaticanum in Constit. de eccles. Christi c. 3. illorum sententiam damnat, qui liberam Pontificis cum gregibus et pastoribus communicationem saeculari potestati obnoxiam reddunt, ita ut contendant, «quae ab Apost. Sede vel ejus auctoritate ad regimen ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis *placito* confirmentur.»

Placetum regium reprobandum.

A nonnullis jus placeti juribus majestaticis accensetur et in specie a jure cavendi derivatur. Sed perperam utrumque fit.

[3]) Vel hoc ipsum Van Espen (in tract. de promulg. legum), Pehem (l. c. p. 565) aliique placeti excessivi patroni asserunt.

[4]) Innocent. VIII. 1486 contra Lusitan.; Innocent. X. 1651 contr. Austr.; Alexand. VII. 1658 contra Hisp.; Clem. XIII. contra Hisp.; Gregor. XVI. 1839 contra Boruss.; Pius IX. Const. *Probe nostis* 9. Maj. 1853. Cfr. *Tarquini,* Dissertatio de Regio Placet in Juris publ. Instit. p. 133. seq., ubi auctor collegit Pontificum Constitutiones de regio placeto.

Dico *primo:* Si jus istud majestati imperantium intrinsece inhaereret, procul dubio ethnicis quoque imperatoribus attribuendum esset. Jam vero primis ecclesiae temporibus jus placeti certe non exstitit. Nam Apostoli sine ullo placeto liberrima potestate non modo fidem praedicarunt, sed et disciplinam moderati sunt. Quodsi vero principes ab initio jure placeti non fruebantur, non intelligitur, quomodo iidem ad religionem Christi conversi et jurisdictioni ecclesiasticae subjecti quidquam novi juris adversus hanc jurisdictionem obtinuerint. Ecclesia enim in principibus non legislatores sed potius legum protectores et executores adepta est.[5]) *Secundo:* Si jus cavendi praetenditur, nimirum civitatem per usum placeti nonnisi jure naturali defensionis uti ad praecavenda pericula ab ecclesia sibi imminentia, id non minus ridiculum quam in ecclesiam iniquum est, quia supponitur, ex ecclesiae legibus rempublicam quidquam detrimenti capere posse, cum tamen hae unice salutem animarum intendant.[6]) Haec placiti theoria incusat ecclesiam matrem, eam filiorum suorum et reipublicae exitium perpetuo machinari, nisi continuo invigilet magistratus civiles. Quanta diffidentia manifestatur erga ecclesiae praesules, si ex eo solo, quod talis constitutio juribus regni adversari aut rempublicam turbare *posset,* necessitas placeti juribus ecclesiae tantopere praejudiciosi adstruitur! An non etiam leges profanae ecclesiam turbare *possent* et proin etiam potestati ecclesiasticae jus placeti concedendum foret?[7])

---

[5]) Ante schisma sub Urbano VI. exortum nullum placeti vestigium deprehenditur. Sed eo tempore, ut veri Pontificis constitutiones discernerentur a falsis et falsorum paparum bullis, ipsi Urbano pernecessarium visum est, ut episcopi de quibusvis decretis pontificiis, num legitima forent, ante judicarent, quam executioni mandarentur. Verum principes quoque, ne populi a Pseudo-Pontifice deciperentur, praevio bullarum examine cavendum sibi duxerunt. Ergo origo placeti argumentum pro hodierno ejusdem usu tam parum suppeditat, ut potius abrogationem illius necessariam esse probet, quia *causa cessante cessat effectus.* Zaccaria: Antifebron. vind. diss. 12. c. 2. *Bouix* de princip. juris canon. p. 147. seq.

[6]) Neque dicas, principes limites justi et aequi in extensiones placeti haud excessuros esse. Nam alienorum jurium invasio certos limites non habet. Exempla immoderati usus *placeti* praebent 1. gubernia provinciae Rheni superioris per legem d. 30. Jan. 1830, qua non solum omnes litterae pontificiae et episcopales placeto regio subjiciebantur, sed etiam placetum semel obtentum tamquam revocabile declaratum est (Denkschrift des Episcopates der oberrh. K.-Provinz 1853). 2. Illa gubernia, quae a. 1870 prohibuerunt, ne decreta *dogmatica* conc. Vaticani in suis resp. territoriis promulgarentur, quod factum est in Helvetia, in Italia, in Bavaria. *Vering,* Archiv. tom. 24. p. LXXIII. Cfr. Responsum Episc. Ratisbon. d. 6. Oct. 1870 ad edictum Ministri Bavariae l. c. p. CXXXVIII. et pluribus aliis locis.

[7]) Ita jam dudum observavit insignis canonum doctor Lusitanus *Oliva* (tract. de foro eccl. 1678. P. 1. qu. 22).

Et sane tam clara et perspicua sunt haec, ut recentiore aetate complura gubernia usum placeti abrogaverint. Attamen novissime denuo placuit, ecclesiam hoc vinculo constringere, quin et ipsam concilii Vaticani publicationem titulo placeti prohibere.[8])

Judicandi et puniendi.

3. *Jus judicandi et puniendi.* Ejusdem namque potestatis quae leges condidit, est etiam tum de earum transgressione judicare, tum poenas reis infligendas determinare. Unde judicare de rebus spiritualibus v. gr. de valore matrimonii, de valore professionis religiosae, solummodo ad ecclesiam spectat, cujus etiam est, disciplinam ecclesiasticam poenis et censuris sartam tectam servare. Quapropter non licet gubernio civili sese immiscere judiciis ecclesiasticis, aut hierarchiam in poenis irrogandis impedire.[9]) De hoc infra § 214. sermo recurret.

Rejicienda appellatio tamquam ab abusu.

Hinc admitti non potest sic dicta *appellatio tamquam ab abusu* seu *jus recursus ad principem* (i. e. ad judicia saecularia), ubi quis per abusum potestatis ecclesiasticae se injuste damnatum

---

[8]) In Austriaco concordato placetum penitus sublatum est et communicatio tum omnium Catholicorum cum summo Pontifice (Art. II.) tum Ordinariorum cum clero et populo dioecesano (Art. III.), tum denique superiorum generalium cum suis subditis (Art. XXVIII.) libere permissa. Hoc ipsum, etiam abolito concordato perdurare oportere, edixit Stremayr in propositione ad Imperatorem (25. Jul. 1870) data de abrogando Concordato, palam profitens, usum placeti cum modernis libertatibus componi non posse, ac propterea non esse e cineribus resuscitandum. — Sed nota tamen, quid L. 7. M. 1874 dictet, sc. (§ 16): «Episcopi obligantur, ut edicta (ordinationes, instructiones, litteras pastorales) eodem tempore, quo publicantur, gubernio politico *pro ejusdem informatione* communicent.»

[9]) In *Bavaria* usus placiti, fundatus solummodo in «Edicto religionis» quod regia auctoritate adjectum est concordato, pertinaciter a gubernio retinetur. Cfr. reclamationes totius Bavariae episcopatus contra Ministerium (*Vering,* Archiv. tom. 26. p. CXLIV. et *Vering,* K. R. p. 159. seq.) — In *Helvetia,* paucis locis exceptis, placetum viget, l. c. tom. 17. p. 244; in regno *Saxoniae* rigidissimus est ejusdem usus l. c. tom 25. p. XXXIV. Idem in pluribus Germaniae territoriis dicendum. Peculiaria quoad *Hungariam* sunt notanda. Putarunt aliqui jus placeti regii vi *juris regii* olim viguisse. Quidquid sit, hoc certum est, per leges anni 1848, per ordinationem caesar. 18. Apr. 1850, per concordatum, denique per regiminis formam prorsus immutatam (quia ministri status, qui nunc sunt, non amplius sunt ministri regis catholicis, sed potius ministri Parlamenti, nec ulli Confessioni necessario adstricti, ideoque nullatenus, uti prius mandatarii *regis Apostolici*) placitum valore suo decidisse merito statuendum est. Itaque cum Minister Eoetvoes 10. Aug. 1870 eo potissimum fine *placetum* restituere vellet, ne decreta Vaticana publicari possent, Hungariae episcopi protestati sunt tum contra prohibitionem promulgandi concilium, tum contra resuscitationem placeti regii. Ipse Primas Card. Simor, post tres lucubrationes circa Vaticani auctoritatem divulgatas, decreta Vaticana publicavit. Cfr. *Roskovanyi* Rom. Pontifex tom. 8. p. 295. seq. 317 seq., ubi acta referuntur de conflictu episcopi Albaeregal. et Rosnaviensi cum gubernio. Prior sc. Jekelfalusi propter publicationem Conc. Vaticani fuit citatus «ad audiendum verbum regium.»

existimat.[10]) Ratio obvia est. Est enim regula in utroque jure adoptata, ad solum legislatorem interpretationem legum spectare.[11]) Proinde num lex quaedam sacra a judice inferiori in casu particulari rite applicata, num recte et juste judicatum fuerit, necne, nonnisi superior ecclesiasticus decidere potest, cujus est, legem interpretari et de recta ejusdem applicatione judicium ferere. Econtra judices saeculares prorsus contra fas jusque agerent, si in judicia ecclesiastica sese ingererent. Unde, quaeso, iidem mandatum habent dijudicandi, num judex ecclesiasticus ordinem canonibus praescriptum neglexerit, ad irrogationem poenae, ad inflictionem censurae temere prosilierit et contra justitiam cuipiam gravamen intulerit? Quodsi quis injuste a foro eccles. oppressum se esse autumat, potest remedium appellationis adhibere et ad altiorem judicem eccles. provocare. Cum in ecclesia non minus quam in republica civili plures instantiae dentur, veluti inique vexatorum perfugia, appellantibus a sacris tribunalibus tam parum recursus ad saecularia dari potest, quam parum ecclesia appellationes a judiciis saecularibus recipere solet. Qui vero abusus quorundam eccles. tribunalium obtendunt, recordentur, propter abusus ex hominum vitio commissos non turbari aut everti debere jurisdictionem a Deo constitutam. Quocirca Urbanus VIII.[12]) eos, qui personas eccles. vel ex praetenso officio, vel ad eorum instantiam, ad suum tribunal trahunt vel trahi faciunt, anathematis vinculo constrinxit. Similiter Pius IX., cum ejusmodi appellationem jam in Syllabo (n. 41) reprobasset, in Constit. «Apostolicae Sedis» tum «recurrentes ad forum saeculare» tum *cogentes* sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones excommunicationi Pontifici speciali modo reservatae subjecit (n. VI. VII.).[13])

---

[10]) Quod expresse prohibetur a concilio Trident.: «Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui, prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata; cum non ad saeculares sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat.» Sess. XXV. cap. 3. de reform. Cfr. c. 2. X. (V. 33).

[11]) c. 31. X. (V. 39): ut, . . . unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat. l. 12. Cod. de legib. (I. 14): tam conditor quam interpres legum solus imperator juste existimabitur.

[12]) Constitutio *„Pastoralis“* 1627. § 13. et § 15. bullar. magn. tom. 5. p. 125. ad Luxemb. Cfr. Bulla «Coenae.» Görres Athanasius p. 31.

[13]) Perperam adversarii exemplum s. Athanasii allegant, qui a synodo Tyria per summum nefas damnatus Constantinum Imperatorem imploravit. Nam id solum petiit a Caesare, ut adversus judices non competentes se defenderet et causa sua legitimis judiciis discutienda proponeretur. — Tunc nonnisi, cum judex ecclesiasticus extra suam competentiam agit et in aliis casibus rarioribus res ad judices saeculares devolvitur. Cfr. Walter § 64.

§ 36. Continuatio. 3. Quoad personas et bona ecclesiastica.

Cum exercitio triplicis potestatis, quod ex hactenus dictis integrum et salvum penes hierarchiam esse oportet, ea jura ecclesiae propria arcte conjunguntur, quae eidem tum quoad personas tum quoad bona ipsi necessaria competunt. Itaque Quoad personas:

1. quoad *personas* ad s. ministerium necessarias jus habet:

a) Tot operarios et pastores assumendi, quot pro fine suo obtinendo necessarii aut utiles videntur, necnon praescribendi scientias et dotes, quibus instructi sint, qui ad ordines promoveri cupiunt. Et quidem libera selectio sacrorum ministrorum ex multitudine civium eo minus ecclesiae denegari poterit, quia sacerdotes et pastores assumpti ad clericatum non excedunt ex republica, sed religioni inservientes simul in commune reipublicae bonum laborant. Quod vero praescribere et examinare dotes, quibus polleant ad ordines promovendi, solius ecclesiae sit, ex natura status clericalis sponte sequitur. Utrumque jus ecclesiae in concord. Austr. Artic. IV. lit. b. addicitur. ministros assumendi;

b) Clericorum tum institutionem tum educationem dirigendi. *Institutio* theologica non est nisi informatio scientifica in religione; atqui religionem docere, quomodocumque id fiat, solius ecclesiae est, cui cathedra concionatoria haud magis quam theologica subjicitur. Hoc idem Pius VII. tam clare quam succincte sic expressit: «Episcopis ex jure divino competere, ut fideles vel in persona vel per alios instituant; at hoc non solum per id fieri oportere, ut populum in doctrina christiana informent, sed etiam per hoc, ut adspirantes ad statum clericalem in theologia aliisque sacris disciplinis instruant, vel per magistros probatae fidei instrui curent, et hoc quidem jus ex principiis catholicis a potestate civili clericos instituendi;

(edit. 11) et Phillips II. p. 571. — Cfr. Denkschrift des gesammten Preuss. Episcopates in *Vering*, Archiv. tom. 29. p. 340. seq., ubi in antecessum episcopi protestantur inter alia contra *supremum tribunal civile* pro causis ecclesiasticis, quod deinceps, hac reclamatione non obstante, reapse fuit constitutum lege 12. Maj. 1873. Huic tribunali *omnes* causae ecclesiasticae, scil. tum Catholicorum tum Protestantium *omnesque* personae eccles. subjiciuntur, etiam episcopi, in quos, paucis exceptis, ab hoc tribunali jam fulminata est poena depositionis. Summo Pontifici nihil, episcopis vix umbra superest jurisdictionis. Id quod per legem (13. Maj. 1873) de usu juris ecclesiastici coërcitivi confirmatur et accuratius determinatur, per quam jus ecclesiae coërcitivum vix non penitus ad incitas redigitur. — Specimen et exemplum istius tribunalis supremi erat appellatio tamquam ab abusu (appel comme d' abus) a. 1438 per Sanctionem pragmat. introducta, quae usque ad rebellionis tempora in Gallia viguit, dominium sibi arripiens totius fere disciplinae ecclesiasticae.

neque everti neque constringi posse.»[1]) Haud aliter de *educatione* clericali sentiendum. Si enim dubitari nequit, quin cura animarum generatim seu educatio fidelium eorumque ad virtutem christianam informatio ad ecclesiam spectet, nonne institutio ad perfectionem clericalem per eminentiam ad illam pertinebit? Epistola Leonis XIII. ad archiepiscopos et episcopos Borussiae 6. Jan. 1886 majori ex parte in eo versatur, ut ostendat, «non aliis quam episcopis jus munusque esse *docendi* et *instituendi* juvenes, quos Deus singulari beneficio assumit, ut sint ministri sui ac dispensatores mysteriorum Dei.»[2])

beneficia conferendi;

c) Beneficia ecclesiastica libere conferendi et beneficiatos canonice instituendi. Cum nimirum parochiae et quaecumque beneficia instituta mere ecclesiastica sint, nonnisi superiores ecclesiae, si vacare eadem contigerit, ipsis de novo pastore providere valent. Sed de his suo loco fusius tractabitur. — Ex simili ratione caetera munera et officia ecclesiastica sine ullo saecularium interventu personis idoneis libere conferri oportet. Id quod in nostro concordato (Artic. IV. a.) pariter pronuntiatur.

conventus religiosos erigendi et dirigendi.

d) Quia status religiosus qua talis, eo quod sit status christianae perfectionis per consiliorum evangelicorum observantiam ex ipso *jure divino* originem repetit[3]), et ordines religiosi non solum ecclesiae decori et praesidio inserviunt, sed pars et membra sunt corporis ecclesiae; ideo *a*) instituta religiosa, prout ipsa ecclesia, in civili territorio necessario *admitti* debent planeque iniquum esset, si gubernium civile, in cujus ditione religio catholica recepta est, religiosos conventus omnino excluderet. Et quidem admitti

---

[1]) Esposizione dei sentimenti § 11. Const. Pii VII. «de salute animarum.»

[2]) In hac epistola ad jus istud vindicandum gravia afferuntur argumenta, scil.: Adspirantes ad sacerdotium, ut vivam virtutis formam populis exhibeant, debent mature disciplinam clericalem addiscere et magnam pro munere rite gerendo adipisci animi fortitudinem. Eosdem oportet tempore periculorum episcopis suis cum fide inhaerere, eorum excipere voces et aspera quaeque pro Jesu Christi nomine perferre. Juvenes in Seminariis informandi sunt ad quaeque vitae incommoda atque ad omne laborum genus laeto animo subeundum. Iidem in Seminario debent tum ipsimet metiri vires suas tum agnosci ab episcopis, ut hi dignos ab indignis dignoscere valeant. «Atqui poterunt hi salutares fructus haberi, nisi plena sacris pastoribus sit facultas impedimenta removendi, et opportunis ad id assequendum utendi praesidiis?» Vid. Denkschrift der oberrh. Bischöfe etc. ubi (p. 54—76) de hac re perquam solide tractatur. — In Borussia (1873) leges ecclesiasticae libertati valde perniciosae prodierunt, quibus 1. officia eccles. nonnisi annuente potestate civili possunt obtineri; 2. curriculum triennale studii theologici apud universitatem publicam pro adspirantibus ad sacerdotium, nec non examen coram deputatis gubernii ab iisdem subeundum praescribitur; 3. Seminaria puerorum abolentur; 4. cleri disciplina gubernio addicitur.

[3]) Matth. 19, 12. 21.; Marc. 10, 21. 29. 30; Luc. 18, 22.

debent prout in jure Romano[4]) id cautum fuit, ut *causae piae*, h. e. ut fundationes cum jure *personis juridicis* proprio. — Quodsi vero gubernium religiosos conventus nollet agnoscere tamquam personas juridicas, saltem debent admitti ceu *societates privatae* piorum hominum sub eodem tecto viventium. Etenim cum in jure civitatis moderno alta voce ubique promulgetur libertas, uti dicitur, tum *conscientiae*, tum *associationum*, cum sectae massonicae tam liberaliter tolerentur, quin et promoveantur ab iis qui praesunt; quo jure religiosis conventibus illud denegari poterit, quod tum omnibus sectis religiosis, tum societatibus ad eversionem ordinis socialis tendentibus tam liberaliter conceditur? — β) Porro potestati civili nullo modo licet, monasteria recepta suae directioni subjicere. Nam vita ac disciplina regularis juxta praescriptiones canonicas et juxta regulas et constitutiones uniuscujusque ordinis dirigatur necesse est. Unde superioribus ordinum liberum esse oportet, tot adsciscere socios, quot ad finem ordini praestitutum necessarii videntur. γ) Singulorum conventuum *communicatio* cum suis Generalibus et ordinis Capitulis libera esse debet. δ) Denique gubernio non licet, inconsulta ecclesiastica auctoritate, monasteria pro suo lubitu tollere (quia partem civitatis non efficiunt, sed instituta mere eccles. sunt), vel conventus disparis regulae in unam eandemque societatem conflare. (Cfr. Artic. XXVIII. conc. Austr.)[5]) Hinc quavis data occasione summi Pontifices contra extinctionem et persecutionem religiosorum ordinum protestati sunt.[6])

[4]) In jure Romano religiosi conventus constanter numerantur inter causas pias. c. 42. Cod. de episc. et c. 1. 3. De hac re solide tractat *Attenhofer* in *Vering*, Archiv. tom. 23. p. 73. seq.; tom. 24. p. 148. seq.; tom. 26. p. 1. seq., ubi auctor disserens de vexationibus, quas regulares Helvetiae incessanter patiuntur, uberrime explanat, quid juris competat regularibus in societate civili. — Gubernium Badense (2. Apr. 1872) quascunque personas religiosas a magisterio in scholis publicis, exteros vero religiosos ab omnibus functionibus et a missionibus sacris in ditione Badensi celebrandis exclusit. — De ejectione Jesuitarum e Germania, et de persecutione in aliis locis contra hos religiosos grassante tractatur: *Vering*, Archiv. tom. 28. p. CLXXII.

[5]) Quae circa hanc rem principia sub Josepho II. viguerint, ex thesibus elucet, quas *Pehem* in suis praelectionibus can. (tom. I. 541—51) propugnat, et quibus principibus jus attribuit: «examinandi vota et pacta civium . . . eaque, si reipublicae noceant, irritandi, definiendi aetatem, qua quis statui religioso se addicere possit, etiam non rogato ecclesiae consensu; reformandi regularium vitae genus et statuta, si saluti publicae disconveniant; tollendi eorum exemtiones a jurisdictione episcoporum; restringendi eorum numerum; reducendi diversas eorum classes ad quandam consonantiam.»

[6]) Huc spectat propos. 52. in Syll. damnata. Cfr. etiam Alloc. Pii IX. 8. Dec. 1864, ubi haec verba Pii VI. allegantur: «Regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates.

Ecclesiae integrum sit oportet: bona acquirere;

2. Jura ecclesiae quoad *bona ipsi necessaria.*

a) Jus bona temporalia *acquirendi.* Ecclesia tum ad cultum divinum peragendum, tum ad alendos religionis ministros subsidiis temporalibus indiget. Quorum acquirendorum jus, a Christo et Apostolis profectum,[7]) nec non ex idea ecclesiae tamquam societatis *perfectae* et ab imperiis mundanis *independentis* resultans, status politicus tam parum potest impedire, ut principes saltem catholici haec subsidia, ubi desunt, etiam liberaliter suppeditare teneantur. Leges, quae hoc jus restringunt, dici solent *leges amortisationis,* quia iis cavetur, ne certae speciei aut quantitatis bona ad ecclesias aut ecclesiastica collegia tamquam ad *manus mortuas,* ut ajunt, sine speciali principis consensu deportentur. Quaeritur an hujusmodi leges sint justae? Etsi non desunt auctores catholici, qui moderatum legum amortisationis usum in certis casibus, e. g. ubi ecclesiae bonis jam satis provisae sunt, licitum esse credant;[8]) tamen dici debet, neque per canones neque per ecclesiam jus ejusmodi leges ferendi unquam probatum fuisse,[9]) easque semper involvere laesionem libertatis et independentiae, quae competit ecclesiae, nec non violationem justitiae commutativae, quippe cum ecclesiae idem debet concedi, quod ceteris civibus quibuscunque sine ulla restrictione licitum est. Et haec injuria eo tempore tanto magis increscit, quo ecclesia, prout nunc est, ad paupertatem redacta, nihilominus oneribus publicis immodice gravatur. Et prorsus immerito ecclesiae manus dicitur *mortua* quippe quae sat magnam partem bonorum suorum confert in aerarium publicum, et aliam partem in subsidium pauperum, cum res ecclesiae simul *patrimonium pauperum* constituant.[10]) Quidni coacervatio bonorum in manibus *laicorum* non formidatur?

---

[7]) Matth. 10, 10; Luc. 10, 7; I. Cor. 9, 7. 13. 14. Syll. 26.: «Ecclesia non habet nativum et legitimum jus acquirendi ac possidendi.»

[8]) Cfr. *Phillips,* l. c. p. 597. seq. *Schenkl,* § 536. et Anton *Schmidt:* Instit. jur. eccles.

[9]) C. ult. de immunit. in VI.; ib. cap. *quia nonnulli.* Bulla «Coenae» § 15.

[10]) Leges amortisationis jam saeculo 13. occurrunt. — In nostro Imperio hujusmodi leges decretae sunt ab Imper. Maximiliano I., Ferdinando I., Leopoldo I. et Carolo VI., adeo, ut clerici bona immobilia acquirere valide non possent. Sub Maria Theresia et Josepho II. religiosis ordinibus et conventibus, paucis exceptis, omnis libertas bona acquirendi fuit ademta. *Loberschiner* das Kirchen-Vermögen p. 6. — Per concord. art. 29. leges amortisationis sunt abolitae, per verba: «Ecclesia jure pollebit, novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones» etc. Attamen lege fundamentali d. 21. Dec. 1867 (art. 6.) legibus amortisationis imposterum condendis porta denuo aperta est, scil.: «Ex rationibus salutis publicae possunt leges ferri, quibus manus mortua restringitur quoad bonorum immobilium sive acquisitionem sive dispositionem.» In *Borussia* non solum immobilia sed etiam bona mobilia cadunt sub lege (23. Febr. 1870). Similia obtinent in *Bavaria* et aliis Ger-

b) Jus dominii et proin facultas de rebus suis libere *disponendi*. Bona isthaec in dominio ecclesiae esse, constat ex intentione ipsa offerentium. Nam pii fundatores ac donatores libere dominio quorundam bonorum se abdicarunt et illud in ecclesiam transfuderunt. Hanc suam voluntatem haud raro per formulas execratorias, quibus divinam vindictam raptoribus minitantur, contestatam fecerunt. Vicissim rectores ecclesiae ejusmodi largitiones solemniter acceptarunt; idcirco plenum dominium seu proprietas ecclesiae vindicari debet. Dominio vero ex rei natura facultas libere disponendi insita est; nam dominium praecise est jus, pro arbitrio de rei alicujus tum substantia tum usu et fructu nomine proprio disponendi. de acquisitis disponere;

Ex his pronum est concludere, imperantes civiles circa bona ad ecclesias vel corpora pia spectantia disponere nihil posse, et proinde eadem bona ad alios fines et usus, quam quibus ex fundatione aut ex destinatione rectorum ecclesiae inservire debent, ex sola principum auctoritate applicari, nefas esse. Cum nimirum ipsi praesules hierarchici nonnisi in casibus urgentibus res ecclesiasticas ad alios usus convertere queant, quo titulo potestas civilis sibi jus arrogabit, ecclesiarum et institutorum pecunias in fundum communem, licet religionis indigentiis destinatum, congerendi? — A fortiori *saecularisatio* proprie talis, seu conversio bonorum eccles. in usus profanos reprobari debet, eaque non simplex dumtaxat spoliatio est, sed sacrilegii maculam adnexam habet. Hinc jam concilium Vasense (a. 422) merito illud s. Hieronymi dictum allegavit: Amico quidpiam rapere, furtum est, ecclesiam fraudare, sacrilegium est.[11]) Concilium vero Tridentinum raptores ecclesiarum, quacumque dignitate fulgentes, tamdiu anathemati subjicit, quamdiu jurisdictiones, jura, bona etc. non restituerint et deinde absolutionem a summo Pontifice obtinuerint.[12]) Juxta Constit. «Apost. Sedis» excommunicationem summo Pontifici speciali modo reservatam (XI.) incurrunt «usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiast. ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.»[13]) Sine causa cano-

maniae territoriis, regno Saxoniae excepto. In *Gallia* praefecti donationes ecclesiae factas in aere numerato usque ad certam summam possunt concedere. — Cfr. Maupied Jus can. II. p. 634.

[11]) c. 10. C. 13. qu. 2. ep. ad Nepotian. c. 71. C. 12. qu. 2. Etiam s. August. (tract. 50. in Joann.) Judam furem et *sacrilegum* dicit, adjiciens: «Qui aliquid de ecclesia aufert vel furatur, Judae perdito computatur.» — Nota, fures i. e. qui fructus beneficiorum surripiunt, non comprehendi excommunicatione in textu. S. C. I. 9. Mart. 1870.

[12]) Sess. XXII. cap. 11. de reform.

[13]) Cfr. Syllab. prop. 53. et Alloc. Pii IX. 8. Dec. 1864, ubi inter alia sententia eorum damnatur, quos non pudet affirmare: «conforme esse s. theologiae jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab ecclesia, a

nistarum vulgus ad *dominium eminens* in bona ecclesiae societati civili vindicavit, ut jus saecularisationis exinde derivaret, vel potius velamento obtegeret. Nam ejusmodi dominium *supremum* seu *altum* in res ecclesiae nullo modo potest probari. Ecclesia siquidem, dum agitur de bonis acquirendis, possidendis et alienandis, in foro civili consideratur ceu persona privata, ad instar ceterorum civium; ideo etiam bona ipsius tamquam bona *privata* habenda sunt, in quae potestati civili jus aliud non competit, quam quod in bona aliorum privatorum habet. Et huic quidem sententiae omnes fere canonum doctores hodie subscribunt.[14]) Illud tamen haud reticendum est, ecclesiam in casu necessitatis ex bonis suis, in quantum fieri potest, aerario publico subsidia praestare oportere, et hoc haud semel factum esse, ex monumentis historicis luculenter apparet.

eadem administrare.

c) *Administratio* horum bonorum, utpote ex jure proprietatis manans, omni jure ad praelatos et rectores ecclesiarum pertinet, quos jam primis christianae religionis saeculis hoc jure insignitos conspicimus[15]), donec praesertim saeculo elapso quidam pseudopolitici hanc administrationem principibus vindicarent eo potissimum sub praetextu, quod ecclesiae rectores bona isthaec male administrarent. Sed posito, veram esse modo dictam assertionem, quae est ista jurisprudentia, quae jura aliorum invadere permittit, quibus iidem non recte utuntur, quin tamen aliis injuria inferatur? Et quid dicerent imperantes, si antistites ecclesiae ex eodem titulo bona civitatis administrare in animum inducerent?[16])

---

familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.» Consiliis eorum, qui jam circa medium saeculi 18. in animum induxerant, episcopis Germanicis eripere dominia saecularia, fortiter obstitit Bened. XIV. Cfr. Const. 90. «Ut primum» (1744). Bullar. Luxemb. t. 16. p. 176., ubi Pontifex inter alia dicit: «Cum omnino parati simus, sanguinem potius nostrum effundere, quam pati, ut ecclesiae jura ac libertates violentur et conscientiae nostrae macula per ejusmodi assensum afferatur.» Hi Pontificis conatus non erant sine fructu, sed nonnisi ad tempus potuit compescere tempestatem.

[14]) Ejusmodi direptiones factae sunt maxime tempore reformationis, initio saeculi 19., ac praesertim occasione rebellionis in Gallia 1789, ubi bona ecclesiae ceu bona communitatis politicae considerabantur. Nuper tali modo abrepta sunt in Hispania, in Italia, atque indirecte in Magno Ducatu Badensi et in Borussia. De poena usurpationi huic inflicta vide infra, ubi de bonis ecclesiasticis tractabitur. Vel ipsi aequiores ex Protestantibus saecularisationi a. 1803 factae notam injuriae violentaeque oppressionis adhaerere, haud diffitentur; e. gr. C. A. Menzel (Neu. Geschichte der Deutschen. XII. p. 355) et Klüber l. c. p. 397.

[15]) Constit. apost. II. c. 35 et 41 (= c. 24. C. 12. qu. 1.); c. 32. C. 12. qu. 2. (concil. Agathense a. 506).

[16]) Per leg. 7. Maji 1874 §§ 38 seq. gubernio suprema inspectio et invigilantia, quin etiam jus disponendi de bonis ecclesiae addicitur. Lex altera d. 7. n. 1874 de contributionibus ad fundum religionis haud parum violat jura tum societatum religiosarum tum personarum ecclesiasticarum.

d) Quaestio, num ecclesiae bona publicis oneribus gravari queant, ad tractatum de peculio ecclesiastico remittitur, ubi de immunitate, quae dicitur realis, ex professo agetur.

§ 37. Causae mixtae.

Triplex modus causas mixtas definiendi.

Negotia mixta, quae utramque rempublicam quodammodo concernunt et in utriusque finem influunt, sub vario respectu ab ecclesiastico simul et politico imperio pendent. Unde eorum determinatio aut a) partim ab hoc, partim ab illo fieri debet, aut b) tota res utriusque consensu definienda erit, vel c) alterutra pars sola totum conficiet, cui diuturna possessio, consuetudo, conventio mutua suffragatur.[1]) Si nil certe de quadam re constitutum sit et contraria sentiat utraque potestas, tunc neutri *via facti* procedere violentisque mediis uti licet, sed modo amicabili moreque amicorum, quales inter se ecclesiam et rempublicam esse decet, res ex aequo componenda est.[2])

Res mixtae:

Sed ut modus concurrendi utrique imperio proprius clarius intelligatur, triplex negotiorum mixtorum genus distinguendum est.[3])

1. ratione mutui auxili

1. Sunt quaedam res, quae etsi *per se* nonnisi unam potestatem concernant, tamen interdum tam arduae evadunt, ut pro executione legum auxilium potestatis alterius invocari debeat.[4]) In hoc sensu tum haeresis tum perduellio sunt res mixtae. In hisce rebus limes utriusque potestatis sic definitur: *Neutra potestas terminos praesidii implorati egrediatur.*

2. via historicae evolutionis,

2. Aliae res cursu temporis et per viam historicae evolutionis factae sunt mixtae, quia una potestas alteri in quibusdam rebus quandam participationem permisit (prout e. g. est invigilantia gubernii in administrandis ecclesiae bonis). Quoad has res valet regula: *Jura legitime acquisita et divino juri haud contraria sarta tecta servari debent usque eo, donec modo legitimo alius rerum status inducatur.* Nam jure legitime quaesito nemo invitus privandus est.

---

[1]) Exempla sint ad a): institutio juventutis (concord. art. V. VII. VIII.), vel venia ad alienandas res eccles. necessaria (art. XXX.); ad b): erectio episcopatuum (art. XVIII.); ad c): administratio fundi religionis per civitatem (art. XXXI.)

[2]) *Schenkl,* § 333. — «In negotiis autem mixti juris maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum causis proximis congruentem, quae causae utramque societatem genuerunt» Encycl. «Immortale Dei» p. 25. Acerbe conqueritur Pontifex (l. c. p. 19), quod de rebus, quae sunt mixti juris per se statuant gubernatores rei civilis arbitratu suo, ecclesiae leges superbe contemnentes e. g. quoad matrimonium et bona ecclesiae.

[3]) *Phillips,* II. p. 541.

[4]) Cfr. artic. XVI. concord.

3. natura sua.

3. Aliae res in sensu proprio sunt mixtae, videlicet illae, quae rationes disciplinae ecclesiasticae et rationes civitatis simul implicatas habent et utriusque organismi quasi membrum constituunt. In ejusmodi rebus regula observanda est: *Agat unaquaeque potestas modo fini suo conveniente.* Sunt vero hujus generis res potissimum:

Matrimonium.

a) *Matrimonium.* Hoc, cum officium naturae et Sacramentum ecclesiae simul sit, sub diverso respectu utramque rempublicam concernit. Hinc causae matrimoniales sic secernendae sunt, ut omnes omnino leges, quibus Sacramenti ratio inest, ferendae sint ab ecclesia, leges vero, quae effectus mere civiles concernunt, a gubernio politico condi oporteat.

Scholae.

b) *Scholae* et cujuscumque generis *instructionis et educationis instituta.* Sunt autem triplicis generis scholae, in quarum directionem ecclesia prae varia ipsarum indole varie influit. Quaedam civitatis fini privative sunt destinatae, e. gr. scholae sic dictae reales, polytechnicae, aut in quibus scientia juris civilis aut medicinae traditur. In his instructio quidem libere a civitate dirigitur, ast educatio religiosa ab ecclesia moderanda est, eaeque insuper eatenus inspectioni eccles. obnoxiae sunt, ut nihil in iis doceatur, quod rectae fidei et bonis moribus repugnet. Alterum scholarum genus constituunt illae, quae finem solius ecclesiae concernunt et ex fundis eccles. sustentantur. Hae sub quovis respectu directioni eccles. subsunt (cfr. concord. artic. XVII.). Aliae denique scholae ad finem utriusque reipublicae referuntur, uti sunt gymnasia et scholae elementares, quia scilicet ex iis ministri tum ecclesiae tum civitatis prodeunt. In iis omnibus tum educatio tum institutio religiosa ab ecclesia pendet ita, ut nemo, nisi ab episcopo adprobatus et missus, theologiam aut doctrinam religionis tradere possit. Insuper ad juvenum animos spiritu religionis imbuendos, necesse est, ut omnes omnino disciplinae, in quantum earum natura id permittit, hunc spiritum religionis redoleant. In scholis denique minoribus moderandis ecclesiae partes potiores debent esse, quam civitatis, quia primitus ab ecclesia sunt institutae earumque finis primarius in religiosa educatione et institutione consistit.[5])

Plura alia.

c) *Conscriptio matricularum parochialium, assumptio sacerdotum alienigenarum in clerum dioecesanum, constructio aedificiorum ecclesiasticorum* (quatenus civitas avertere debet incommoda sanitati

[5]) Ad haec principia scholae in Austria per concordatum (art. V.—VIII. erant compositae. Sed his articulis per legem novissimam 25. Maj. 1868 omnis fere vis ademta est. Qua de re Pius IX. conquestus est in sua Alloc. 22. Jun. 1868. — Plura de his vide infra Libr. I. Sect. VI. de scholis.

adversa), *erectio et limitatio episcopatuum et parochiarum,* praesertim ubi gubernium ad sumptus necessarios procurandos intervenire debet[6]) etc.

§ 38. De officiis imperantium relate ad ecclesiam.

Officia praecipua imperantis catholici juxta principia christianae civitatis[1]) sunt haec:

Obedientia erga ecclesiam.

1. Ut ipse *ecclesiae ejusque legibus pareat.* Reges enim et principes ab ecclesiae jurisdictione tam parum eximuntur (Syllab. 54), ut potius ad instar ceterorum laicorum[2]) imperio ecclesiae subjiciantur. Christus enim, quin inter oves et oves distinxerit,[3]) universos fideles primatui Petri subdidit. Idcirco imperantes catholici tum suo episcopo dioecesano (nisi exemtione fruantur) tum maxime vicario Christi subjiciuntur.

2. Tamquam *princeps* ad duo praesertim catholicus imperans tenetur, nimirum:

Tuitio religionis.

a) *Ut veram religionem tueatur et ecclesiae bonum promoveat.* Hanc religionis curam tuitionemque postulat: 1. *Finis proximus* reipublicae civilis, ut scilicet temporalem felicitatem promoveat, quae sine morum probitate ac religionis cultu consistere diu nequit, quandoquidem, religione ac probitate exulante, ipsa quoque humana fides, qua societas connectitur, exulet necesse est.[4]) — 2. *Finis ultimus* imperio civili praefixus, scilicet illustratio gloriae Dei et spiritualis hominum felicitas. Etenim societas civilis temporalem felicitatem curare debet, non absolute et simpliciter, sed quatenus est propria hominis. Atqui temporalis felicitas hominis propria debet esse ordinata ad vitam aeternam, adeoque respectum habere ad religionem. 3. Hoc confirmatur *ex auctoritate* s. Scripturae et ss. Patrum. Regnantes enim dicuntur *ministri Dei* primarii et *nutritii* ecclesiae, vicariam ab ipso Deo potestatem adepti.[5])

[6]) De aliis rerum mixtarum generibus per operis decursum mentio fiet. Cfr. *Schulte* l. c. 431 seq.

[1]) Supponimus hic non solum principem catholicum sed et civitatem *vere* catholicam. Etenim ex facto *paritatis religiosae* nec non ex *modernae civitatis* conditione relatio imperantium ad ecclesiam haud parum immutata consurgit, prout quivis facile intelligit.

[2]) «Nulla erit distinctio personarum; ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.» Deuter. 1, 17.

[3]) c. 1. X. vag. commun. (I. 8).

[4]) Pro principum *imperio et quiete geritur, quidquid pro ecclesiae salute laboratur,* ait Gregor. XVI in Encycl. «Mirari vos.» Cfr.: Der Papst und die modernen Ideen. I. Fasc. 84 seq. Encycl. 8. Dec. 1864. p. 12. 13. Fasc. 2. «Docete, ««cath. fidei fundamento regna subsistere.»» Ep. Coelestini 32.»

[5]) Sap. 6, 4. 5; Rom. 13, 4. Is. 49, 23. — Modo eximio et sublimi dignitas et munus imperantium exhibetur a Leone XIII. (l. c. p. 6), ubi dicit reipublicae principes oportere summum mundi gubernatorem intueri, eumque

Unde officium ecclesiam tuendi veluti munus sacrum et spirituale eorum principatui divinitus adnexum est.[6]) Ss. Patres de hoc officio principes saepius gravissime admonent.[7]) Eadem etiam est concilii Tridentini de hac re doctrina,[8]) idemque Leo XIII. (l. c. p. 8.) gravissimis verbis inculcat, dicens: «Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis eorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quidpiam instituere aut decernere, quod sit ejus incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt.»

Haec vero tuitio in eo consistit, ut princeps qua ecclesiae defensor prae caeteris bona, honorem et personas ecclesiasticas ab injustis aggressionibus et fraudibus tueatur, sicque pro parte virili sacra pacata praestet et quieta. *Pertinet hoc* (inquit s. Aug.) *ad reges saeculi christianos, ut temporibus suis pacatam velint habere matrem suam ecclesiam.*[9]) Item ut hierarchiae libertatem conservet in definienda doctrina, in condendis legibus, in correctione et poenis, itemque ut definitiones ab ecclesia semel editas contra refractarios et inimicos protegat, imo etiam brachio saeculari eorum, quae ab ecclesia sancita sunt, observationem urgeat.[10]) Praecipue

sibi in administranda civitate tamquam exemplum et legem proponere. Quemadmodum enim Deus ad regendum mundum etiam causis secundariis uti solet, «ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent.»

[6]) *Phillips* l. c. p. 473. — Hinc patres Chalcedonenses Imperatori Marciano acclamarunt: «Sacerdoti Imperatori!» Hinc s. Leo in epist. ad eundem Marcian. data (ep. 115. ad Marcian. cap. 1.) caesareae potestati quodammodo sacerdotalem adjunctam esse enuntiat.

[7]) E. g s. *Leo* M. ad Leonem Aug. ep. 125. alias 75: «Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas.» Jam s. Aug. (ep. 50. ad Bonifacium Comitem) duplex servitium ab imperantibus Deo praestari oportere contendit: «Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit, vivendo fideliter; quia etiam rex est, servit leges justas praecipientes et contraria prohibentes conveniente rigore sanciendo. Sicut servivit ... Ezechias ... Josias ... rex Ninivitarum ... Darius ... In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere, nisi reges.» Tam graviter quam scite tum ss. Patres tum concilia eandem principum obligationem demonstrant; e. gr. Petrus Dam. l. 7. ep. 3; concil. Trosleian. (909) apud Harduin. tom. 6. p. I.; concil. Aquisgran. (836) ap. Hartzheim tom. II. p. 84. Vide alia testimonia apud *Tarquini* l. c. p. 71 seq. et Encycl. Pii IX. 8. Dec. 1864.

[8]) Sess. 25. c. 20. de ref. — Cfr. *Zallinger* jus. nat. publ. p. 463.

[9]) Tract. 11. in Joann.

[10]) S. Leo ad Pulcheriam Augustam scripsit: «Res humanae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad divinam confessionem pertinent, et *regia* et sacerdotalis defendat auctoritas.» (c. 21. C. 23. qu. 5.)

autem regum *officium proprium est facere judicium et justitiam* [11]) et in persequendis criminibus ministros divinae justitiae esse et *ultores irae Dei.*[12]) Denique princeps catholicus bona ecclesiae non solum tutabitur, sed etiam, si deficiant, suppeditabit.[13])

Actuum regiminis convenientia cum fine ecclesiae.

b) *Ut in actibus suis publicis finem civitatis fini ecclesiae conformet, imo et submittat.* Nam ex comparatione binarum potestatum (§ 30. n. 2.) apparet, easdem dignitate haud pares esse, sed ecclesiam, tamquam regnum finis et ordinis supernaturalis, super civitatem multipliciter eminere.[14]) Haec vero ecclesiae praeeminentia exigit, ut princeps, qua religionis cultor et membrum ecclesiae, actus suos etiam regios ad finem spiritualem dirigat et haud quidqua magat fini ecclesiastico aut legi divinae contrarium, imo vero res civiles ita moderetur, ut ecclesia non tantum nullum detrimentum, sed egregium juvamen accipiat. Resultat vero haec obligatio ex relatione finis utrique reipublicae praestituti. Finis ecclesiae praefixus est, ut omnia, quae peccati contagione infecta sunt, instauret in Christo,[15]) atque ut non singulos dumtaxat, sed et integras familias, quin et respublicas civiles gratia coelesti sanctificet et spiritu religionis repleat.[16]) Finis vero saecularis principatus est, ut iisdem hominibus tranquillitatem et securitatem procuret. Et hic quidem finis non est per se stans, independens et quasi ultimus in sua linea.[17]) Sed quemadmodum universa creata glorificationi Dei inservire debent, ita procul dubio etiam imperium civile, quod inter res terrenas est summa et splendidissima, ad Dei gloriam institutum et collatum est. Porro si omnes et singuli christiani terrena sua negotia destinationi supernaturali conformare, omnesque actus suos ad finem altiorem dirigere tenentur, paucis, si vita *privata* spiritu religionis imbui debet; certe etiam universa societas seu quaelibet respublica di-

---

[11]) S. Hieron. in Jerem. (c. 23. l. c.)

[12]) c. 27—33. l. c. — Notum est illud Aristotelis, quo curam religionis negotium primum Imperantium esse dicit («πρῶτον ἡ περὶ τῶν θείων ἐπιμελεία.» Polit. VII. 8.)

[13]) Protectio in concordato Austr. appromissa extenditur ad conservationem religionis catholicae in toto Imperio (art. I.), ad fidem catholicam, ad liturgiam, functiones sacras et ministros ecclesiae (art. XVI.), denique ad bona ecclesiastica (art. XXVI. XXXI. XXXIII.).

[14]) S. Chrysost. hom. 15. in Cor. II.: αὕτη γαρ ἡ ἀρχὴ τοσοῦτον τῆς πολιτικῆς ἀμείνων, ὅσον τῆς γῆς οὐρανός μᾶλλον δέ καὶ πολλῷ πλέον. «Sicut finis, quo tendit ecclesia, nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium praestantissima» Leo XIII. l. c. p. 10.

[15]) Ephes. 1, 10.

[16]) Das Recht und der Rechtsschutz v. Ketteler p. 39.

[17]) Plane ethnicos imitantur, qui finem civitatis tamquam supremum in hisce terris concipiunt. Huic civitatis fini apud paganos et ipsa religio et sacerdotium subjiciebatur.

stincta, cum suis legibus et institutis principiis religionis necessario compenetranda, (§ 48. 1. *α. β.*) vitaque *publica* ad finem supernaturalem dirigenda, et proin sub hoc respectu finis civitatis inferior fini ecclesiae submittendus est. Et hac quidem subordinatione neque independentiae neque dignitati potestatis civilis detrimentum aliquod infertur. Non *independentiae;* quia etiam patria potestas in liberos nullatenus ex eo infringitur, quod pater nomine et re ecclesiae addictus est.[18]) Neque etiam *dignitati,* quia suprema dignitas imperii praecise in servitio Dei consistit, quippe *cui servire regnare est.*

§ 39. De juribus civitatis relate ad ecclesiam.

Duplex genus jurium imperantibus relate ad ecclesiam attributorum distinguitur. Ad prius spectant

[18]) Et haec imperantium obligatio extra omnem controversiam posita est. Cfr. Syllab. n. 54. Encycl. 8. Dec. 1864: «Certum est enim, hoc rebus suis (i. e. *principum*) esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeant *subdere,* non *praeferre.*» — Illud vero amplius quaeritur: num princeps ob *actus regios* legi divinae repugnantes, praeterquam quod peccati reum et ecclesiae judicio interno obnoxium se faciat, etiam foro ecclesiae externo subjici, quin et bonorum temporalium privatione ad satisfaciendum suae obligationi ab ecclesia cogi possit. De hac re sequentia statuenda esse videntur. Vix dubium est, quin princeps etiam ob *actus regiminis* legi Dei contrarios ab ecclesia moneri et poenis ecclesiasticis coërceri queat (c. 6. § 5 et 6. X. [I. 33]; c. 13. X. [II. 1.] v. Cum enim. — c. 1. *Unam sanctam* X. vag. com. [I. 8.]) Poenas etiam temporales, quin et depositionem in principes ecclesiae hostes medio aevo decretas fuisse, § 41 dicetur, ubi clarescet, ejusmodi super principes jurisdictionem e nexu utriusque principatus tunc temporis vigente necessario fluxisse. Quidquid tamen circa hanc rem statuatur, id nemo catholicus negaverit, ex subjectione principis ad forum ecclesiae exterius atque ex connexione rerum spiritualium et temporalium indubitanter manare quoddam genus *potestatis indirectae,* quae ecclesiae relate ad temporalia competit. Potestatis, inquam, *indirectae.* Siquidem systema *potestatis directae* in temporalia, quasi ecclesia disponere possit de temporalibus hoc ipso, quod temporalia sint, rejiciendum est. Sed *indirecta* quaedam in isthaec potestas propter arctam spiritualium ac terrenarum rerum connexionem denegari ecclesiae non potest. In rebus enim, quae ex natura sua utriusque potestatis finem respiciunt, civitas cedere debet ecclesiae, quia Deus certe non vult, ut promoveatur temporale hominum bonum cum detrimento spiritualis et aeterni. Exemplum ejus rei sit sequens. Per hoc quod ecclesia votorum solemnitati incapacitatem dominii adnexuit, statuens, bona adventitia non ipsi professo sed monasterio obvenire debere, manifeste indirectum in temporalia exercet influxum. Ejusmodi vero potestas praesulibus rei sacrae tum competit, cum ea necessaria aut utilis est ad spirituale animarum bonum. Ipsa gubernia civilia hanc Sedis Apostolicae in res temporales potestatem agnoverunt, quando postularunt, ut Papa ecclesiasticorum bonorum detentores a restituendi obligatione absolveret et eorundem bonorum dominium ipsis concederet. — Syllab. n. 24: «Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.» Cfr. *Bouix:* de jure regularium. Paris 1857. tom. I. p. 436. — Hergenröther l. c. p. 411 seq.

1. *jura ab ecclesia civitati permissa.* Quotiescumque videlicet duas potestates amicabili foedere conjunctas esse contingit, fieri solet, ut civitati, ad obsequiorum et beneficiorum vicem exsolvendam, quaedam jura permittantur, quae ad ipsius forum proprie non pertinent.[1]) Jura civitati concessa.

2. Sed notiora sunt illa principum jura relate ad ecclesiam, quae *majestatica* dicuntur, eoquod in ipsorum majestate et imperio indivulse haerere censeantur. Quidam pseudopolitici et doctores aulici isthaec jura in immensum exaggerant, ita ut vim fere omnem ac facultatem utendi potestate hierarchica, sub speciosissimis titulis, quasi quibusdam involucris, in manus principum consignent, ecclesiae nihil propemodum, nisi ejusdem inane simulacrum relinquentes. Inter hos sunt, qui civitati vel ipsum *jus in sacra* vindicent i. e. potestatem *directam* sacra determinandi, declarandi et dirigendi; alii *jus* quidem nonnisi *circa sacra* (i. e. circa minus essentialia religionis (ut dicunt) et quae civitatem propius attingunt) defendunt, sed ex hoc tam longam jurium seriem deducunt, ut istud jus *circa* sacra juri *in* sacra plane coaequetur. Haec perversa principia, quae ad exstinctionem potestatis ecclesiasticae tendunt, non solum a Febronianis, sed etiam a patronis *modernae civitatis* acerrime propugnantur. Sed pluries jam oraculo Apostolico sunt confixa et damnata.[2]) Sunt autem inter jura majestatica haec tria palmaria et caeterorum quasi stipites: Jura majestatica.

---

[1]) Ejus generis jura haud pauca etiam Imperator noster tum vi concordati tum alias obtinuit. Huc praesertim spectant: a) Jus nominandi episcopos totius fere Imperii, necnon episcoporum coadjutores cum jure succedendi; porro vicarios apostolicos copiarum militarium, abbates saeculares Hungariae ditionumque annexarum, canonicos capitulorum cathedralium, et demum parochos pro iis beneficiis, quorum jus patronatus est penes fundum religionis vel studiorum. b) Jus consensum dandi, ut bona ecclesiastica vendi aut notabili onere gravari queant. c) Jus nomine ecclesiae administrandi bona, quae fundos religionis et studiorum constituunt. Cfr. *Ginzel,* K.-R. t. II. p. 20 seq. Notari praeterea debent quaedam *privilegia honorifica* Caesaribus Austriacis a Sede Apostolica concessa, veluti: a) Privilegium, ut in Canone Missae post Papam et episcopum dioecesanum nomen Principis modo regnantis a quovis sacerdote celebrante commemoretur (Breve Clement. XIII. ddo. 5. Maj. 1761). b) Ut et in Missa solemni et alias pro Imperatore preces publicae recitentur (Decret. S. Rituum Congreg. 10. Febr. 1860). c) Privilegium tum peculiaris loci in choro, dum res divina solemniter peragitur, tum vero incensationis et porrectionis Pacificalis. d) Ut Augusto per Hungariam itineranti certis occasionibus solemnibus crux per episcopum praeferatur. e) Titulus: «Majestas apostolica» additus est a Clemente XIII. (19. Aug. 1758).

[2]) Alloc. Pii IX. 9. Juni 1862; Alloc. 8. Dec. 1864: «Insigni impudentia audent, ecclesiae et hujus apost. Sedis supremam auctoritatem a Christo Dom. ei attributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea, quae ad exteriorem ordinem pertinent.» — Jus praetensum in *sacra* reprobatur Syllab. n. 44; jus *circa* sacra n. 41.

Jus supremae inspectionis.

a) *Jus supremae inspectionis.* Sensu moderato quidem civitati quoddam jus inspiciendi concedi potest, scilicet eo sensu, ut ordinationes ecclesiae praesertim in rebus civitatem propius attingentibus in imperantium notitiam veniant et amice ipsis communicentur. At quando haec inspectio fundatur quadam diffidentia in ecclesiam, aut quando exploratorum modo exercetur, vel cum eo fine adhibetur, ut princeps negotiis ecclesiasticis sese immisceat: tunc reprobanda est, atque verba applicanda veniunt, quibus olim Gregorius II. Leonem Isaur. commonuit: «Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet . . . sic neque Imperator in ecclesiam introspiciendi.»[3])

Jus cavendi.

b) *Jus defensionis et praecautionis* seu *jus cavendi,* nimirum ne religionis praetextu aut potestatis ecclesiasticae abusu damnum reipublicae inferatur. In sensu restricto, theoretice loquendo, majestas civilis utique jus habet impediendi, quominus personae hierarchicae in reipublicae detrimentum potestate sua abutantur. Verum jus istud moderate et caute adhiberi debet. Nemo enim etiam in vita *privata* cautionem suam ulterius, quam ad sui conservationem opus est, extendere debet. Tanto minus gubernio civili, quod se tuendi mediis abundat, in suis praecautionibus licet egredi necessitatis limites. Hinc omnino reprobanda est praxis, qua nonnulla gubernia omnibus fere ecclesiae legibus per suas ordinationes *praeventivas* obicem ponunt vel viam praecludunt. Hoc perinde est, ac manus lictorias in ecclesiam injicere ex vano timore, per illius leges salutem reipublicae in periculum adduci! Haec praxis a genio nostri aevi prorsus abhorret; nam hodie moribus et legibus receptum est, abusum commissum punire, non vero praecludere eum in antecessum.[4])

Jus advocatiae.

c) *Jus protectionis seu advocatiae.* Pertinet ecclesiae tuitio, prout audivimus, ad *officia* principum. At scriptores Febronianae farinae illam inter eorum *jura* recensent, eoquod nomine advocatiae non meram tutelam sed jus intelligunt, «negotia ecclesiastica ad utilitatem reipublicae convertendi ac dirigendi, quantum

---

[3]) Bullar. magn. tom. I. p. 140.

[4]) «Nullo tempore desunt homines, qui (ut apposite in suis observationibus ad concordatum Austriacum animadvertit *Haulik* Cardinalis Zagabriensis) non incendiarios horrent, sed multo magis eos, qui ad sopiendum incendium prompti concurrunt.» Isti meticulosi audiant testem minime suspectum ita de hac re disserentem: «Si quis cautionem suam ulterius, quam ratio sana admittit, extenderit, sine dubio in legem naturae peccabit . . . Nec sana ratio hoc unquam probabit, ut alterum, de cujus voluntate et conatu in meam perniciem nondum peculiariter constat, oppressum eam, cum longe aptiora sint remedia, pacem cum ipso firmandi.» Ita Pufendorfius: de Jure nat. et gent. l. 7. c. 1.

id justa ratione fieri potest.»[5]) Clare patet, hujusmodi auctores aliud non intendere, quam ut principes hac via obliqua in sanctuarium intrudant. Ejusmodi tutela non auxilium, sed jugum intolerabile foret. «Verum quidem est, ait celeberrimus Fenelonius, principem pium ac zelosum vocari episcopum externum et protectorem canonum . . . Sed episcopum *externum* nunquam convenit sibi usurpare functiones episcopi *interni*. Tenet quidem gladium ad portam sanctuarii, cavet sibi tamen, ne ingrediatur. Obedit simul hoc ipso, dum protegit; protegit definitiones ecclesiae, sed nullas facit . . . Avertat Deus, ne protector dirigat aut praeveniat quidquam eorum, quae regulatura est ecclesia.»[6])

Perspicuum est ergo, majestati regiae quidem ad sui conservationem *justis mediis* pericula et damna ex hominum abusu imminentia avertere fas esse. At jus positive in ecclesiae gubernationem influendi majestati principum perperam addicitur. Adeoque regula sanioris politicae observanda erit: «Religio quidem non debet destruere regionem, sed nec regio debet evertere religionem.»

Similitudines quibus mutua utriusque societatis relatio illustratur.

Coronidis loco haud abs re erit advertere, ad mutuam ecclesiae et civitatis relationem symbolice indicandam varias similitudines in usu esse. Sic jam pridem a) allegoria de *duobus gladiis* usurpata est, qua reciprocum utriusque principatus auxilium denotatur.[7]) b) Porro duae potestates comparantur cum *sole et luna,*[8]) qua similitudine ecclesiae praeeminentia denotatur. Sicuti enim luna solis lumine fulget, ita sphaera civitatis a fine ecclesiae praefixo mensuram capiat, necesse est. c) Aliae similitudines desumuntur ex *nexu animi et corporis,*[9]) vel ex *vinculo matrimonii,*[10])

---

[5]) Rechberger, § 267. — Pehem., § 764.

[6]) In oratione, quam habuit a. 1707 in consecratione Electoris Coloniensis. — In hoc sensu illud Lamennaisii (Melanges religieux et philosophiques. Paris 1819) intelligendum est: «Ex diebus Constantini», inquit, «usque ad nostra tempora ecclesia multo magis a protectoribus quam a persecutoribus divexata est; proin ea maxime exoptat, ut minus protegatur, sed largius toleretur.»

[7]) «Gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis.» (Constit. Frider. II. a. 1220. c. 7.) — Alzog, Kirch-Gesch. Ed. II. p. 558. — Oratio Edgaris regis ad episc. a. 969. ap. Harduin. tom. 6. P. I. col. 678: «Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus. Jungamus dexteras: gladium gladio copulemus, et ejiciantur extra castra leprosi.»

[8]) Greg. VII. lib. VII. ep. 25. c. 6. X. de maj. et obed. (l. 33) a. 4: «Ad firmamentum igitur coeli fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quas sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa, quae praeest diebus, id est spiritualibus, major est; quae vero carnalibus, minor; ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur.»

[9]) Isidor. Pelus. III. ep. 247; — c. 6. Suscipitisne. D. 10. Const. «Immortale Dei» p. 12. 13.

[10]) *Phillips,* II. p. 639, ubi haec similitudo per partes amplificatur et applicatur.

quibus pariter tum individua utriusque societas, tum ecclesiae excellentia exprimitur. d) Symbolum denique significantissimum intimae utriusque potestatis communionis et unionis est *Incarnatio Verbi divini.*[11]) Etenim sicut in incarnato Filio Dei *duae naturae, sed inconfuse et nusquam sublata naturarum differentia magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente,* agnoscendae sunt:[12]) ita plane societas ecclesiastica et civilis in unam quasi rempublicam christianam coalescunt, sed salva utriusque proprietate et auctoritate. Quaeritur jam, an hujusmodi idealis colligatio utriusque potestatis saeculis elapsis unquam intercesserit? Responsio ad hanc quaestionem unice ex historia hauriri poterit.

Sed priusquam hujus rei conspectum historicum exhibere incipimus, breviter exponendum est, quaenam jura ecclesiae vindicanda sint in statu, qui *indifferens,* seu atheus dici solet.

§ 40. De conditione et juribus ecclesiae in statu indifferente.

Notio status indifferentis.

Status *indifferens* seu *atheus* ille dicitur, qui innixus illo principio: «Status per se expers est religionis,» nullam omnino religionem tuetur, sed nullam quoque (nisi fors periculum sibi ex ea immineat) impedit atque in suis legibus et institutis religionis attentionem ullam haud habet. In tali territorio ecclesia cum suis collegiis et institutis tamquam persona juridica haud agnoscitur sed bona ecclesiarum, religiosorum conventuum et reliquorum collegiorum ceu res et bona privatorum tantum a potestate publica proteguntur. Nullus ergo ecclesiam inter et ejusmodi rempublicam nexus intercedit. Et talis quidem ecclesiae conditio reperitur in confoederatis Americae septentrionalis statibus, in Belgio, et ex parte in Anglia, tametsi fatendum est, vix ullibi plenam et perfectam sejunctionem rei sacrae et civilis existere, eoquod mutuus utriusque contactus evitari vix ac ne vix quidem possit.

Jam quaeritur: 1. quid de statu indifferente sentiendum sit; 2. quaenam jura in tali territorio ecclesiae competant?

Quid sentiendum sit de statu indifferente.

1. Non eadem est omnium de hac re sententia; aliis enim quam maxime displicet perfecta ista imperii et sacerdotii sejunctio, apud alios vero plurimum valet axioma hoc: «Ecclesia libera in libero statu.»[1]) Sed censeo distinguendum esse, quid speculative et in abstracto, quidque in praxi et attentis temporis circumstantiis de praefata separatione judicari oporteat. His praemissis dico:

---

[11]) *Görres,* Athanasius.

[12]) Symbolum Chalcedon. ap. *Denzinger,* p. 42.

[1]) Cfr. *Montalembert,* opusculum hujus tituli. Germanice: Die freie Kirche im freien Staat. Brixen. Weger. 1864.

a) Theoretice seu speculative loquendo *principium* status indifferentis esse reprobandum ex rationibus sequentibus: Speculative loquendo.

α. Principium status indifferentis repugnat amicabili illi consociationi, qua ambas societates ex institutione Christi colligatas esse oportet, quaque non seorsim sed viribus conjunctis populorum salutem procurare tenentur (§ 32). Repugnat ergo *voluntati* Dei. Nam etiam hic regula a Christo D. data applicari debet: «Quod Deus conjunxit, homo non separet.» (Matth. 19, 6.)

β. Principium hoc *injuriosum est religioni.* Nam religio ex voluntate Christi non tantum ad singulorum hominum, sed civitatum quoque officia pertinet, ideoque *totam* societatem, vitamque *publicam* sanctificare et penetrare debet. Sed vi istius principii arcetur religio a societate qua tali, ab omni vita publica, a publicis institutis et legibus, ideoque influxus religionis ad arctissimos limites reducitur.[2])

γ. Principium istud *perniciosum est societati humanae,* id quod demonstratione non indiget. Expulsa enim religione ex institutionibus publicis necessario fit, ut lata via aperiatur exitioso illi materialismo, qui hodie populos a Deo avertit et *miseros facit.* Ejusmodi plena sejunctio est exitiosa et statui et ecclesiae, quia in hoc casu non solum mutua ope se privant sed etiam per mandata opposita laqueus conscientiae pro subditis parari potest. Paucis: perducit ad consummatam nationum apostasiam.[3])

δ. Denique principium praedictum ab auctoritate ecclesiastica repetitis vicibus, nimirum jam a Gregorio XVI. contra Lamennaisium [a. 1832][4]) itemque a Pio IX. pluries reprobatum est. Inter sententias in Syllabo damnatas est etiam haec:

---

[2]) Doctrina prorsus falsa est, civitatem qua talem expertem esse religionis. Nam, ait Leo XIII. (l. c. p. 6.), «natura et ratio, quae jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eundem reverti debemus, eadem lege adstringit communitatem. Homines enim communi societati conjuncti nihilo sunt minus in potestate Dei, quam singuli, neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem . . . eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere.»

[3]) *De Angelis* Prael. juris can. append. ad l. I. p. 113.

[4]) «Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit et salutaris.» Vid. *Denzinger,* p. 428, ed. 2.

«Ecclesia a statu, statusque ab ecclesia sejungendus est.»[5]) n. 55. Leo XIII. ait: «Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error.» «Immortale Dei» p. 22.

In praxi. b) Verum tamen etsi *principium* status indifferentis reprobari debeat, exinde non sequitur, ecclesiam in tali statu munere divinitus ipsi commisso fungi non posse. Siquidem sub certis quibusdam conditionibus non solum potest subsistere, sed quodammodo etiam florere. Inter has conditiones ea est principalis, ut libertatis in hoc systemate adeo celebratae ecclesia catholica quoque particeps fiat, ita ut in rebus suis administrandis omnino libera sit. Hac posita conditione praeferendus est status indifferens statui rebus ecclesiasticis praedominanti. Etenim praeterquam quod conditio simplicis *coëxistentiae* aperte melior est, quam conditio iniquae *vexationis*, catholici in statu indifferenti magis excitantur pro ecclesiae juribus et libertate decertare, quam ubi viget relatio normalis utriusque potestatis. Quare, attentis circumstantiis hujus temporis, quo rerum politicarum cursus manifeste ad hanc indifferentiam tendit, aliud non superest, nisi ut veri catholici omni contentione eam *libertatem* ecclesiae suae vindicent, quae consentanea est ipsis principiis status indifferentis. Maxima enim absurditas, imo iniqua simul hypocrisis esset conflare systema status indifferentis cum altero, nimirum cum systemate tyrannicae vexationis adversus ecclesiam.[6]) (Cfr. § 45. 2.)

---

[5]) Encycl. Pii IX. 8. Dec. 1864, ubi «sequens impium et absurdum naturalismi principium» rejicitur: «Optimam societatis publicae rationem civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.» Observat etiam Pontifex, perversas hujus temporis opiniones eo spectare, «ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica ecclesia ex divini sui auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium consiliorum societas et concordia, quae rei tum sacrae tum civili fausta semper exstitit et salutaris.» — In Brevi ad Archiepiscopum Friburg. (ddo. 14. Juli 1864) idem summus Pontifex acerbe conqueritur de «tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis institutionibus ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides religio ejusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima ejus vis coangustetur ac praepediatur.»

[6]) «Nihil loquimur de iniqua sane hypocrisi, qua funestissimae in Italia praesertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle ecclesiam sua libertate gaudere, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius ecclesiae jura et leges quotidie magis proculcant, ejusque bona diripiunt, et sacrorum antistites ecclesiasticosque viros suo munere praeclare fungentes

2. Conditio ecclesiae in statu indifferenti sic paucis delineanda est: Conditio ecclesiae in ejusmodi statu.

a) Ecclesia debet considerari ut collegium licitum, eique salva esse debent omnia jura, quae sibi asserenda putat ut religiosa societas. Ex quo sequitur, res pure ecclesiasticas et extra sphaeram civitatis positas libere prorsus ab ecclesia administrari oportere. Vid. has res recensitas §§ 34—36.[7])

b) Gubernium hujusmodi status ecclesiam catholicam, sicut[i] ceteras religiones, plane et omnino ignorat, multo minus tuitionem illam singularem ei impendit, quam christiani principes qua tales ipsi impendere solent et debent. (§ 38.) Vicissim ecclesia summis regnantibus status indifferentis *speciales praerogativas* concedere nequit, tametsi preces ad Deum secundum praeceptum Apostolicum pro iisdem adhibere, suosque fideles ad parendum legibus civilibus adstringere nunquam intermittit.

c) Res mixtae seorsim ab utraque potestate gubernantur, sic ut utraque juxta leges suas in foro suo agat et judicet. Hinc e. gr. in tali statu aderunt duo genera scholarum: scholae profanae sub rectoria gubernii civilis potestate, in quibus futuri cives hujus mundi instruuntur, necnon scholae ecclesiasticae sub directione ecclesiae, in quibus cives regni Dei educantur. Item duo genera matrimoniorum: alterum civile, in foro civili validum, alterum christianum et ecclesiae probatum. Et sic ceterae omnes res, quae utramque potestatem attingere videntur, separatim ab utraque pertractantur ac dijudicantur. — Sed nemo non intelligit, ejusmodi dualismum perquam nocivum esse et religioni et societati humanae, imo intolerabilem, si catholici e. g. coguntur scholas atheas sustentare vel etiam frequentare.

Articulus III.

Historia rationum ecclesiae et status.[1])

§ 41. Arcta utriusque reipublicae consociatio praesertim medio aevo intenta.

Summa hujus historiae paucis est haec: Sub primis christianis imperatoribus, et maxime medio aevo, intima rei civilis et

quoquo modo divexant, et in carcerem detrudunt, et religiosorum ordinum alumnos, ac virgines Deo sacratas e suis coenobiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquunt, ut ipsam ecclesiam in turpissimam redigant servitutem, et opprimant.» Allocution. Pii IX. 9. Juni 1862.

[7]) *De Angelis* l. c. p. 117, ubi jura in statu indifferenti ecclesiae competentia singillatim exhibentur.

[1]) Hoc loco nobis aliud animo non est fixum, quam rem late diffusam ad quaedam capita revocare, eum maxime in finem, ut principia modo ex-

sacrae connexio nobis exhibetur; sed cursu temporis ob continua fere Pontificum et imperatorum dissidia aliasque ob causas secessio et scissio inter utramque exorta est, quae adeo increvit, ut ecclesia denique in imperantium ditionem et potestatem redacta sit.

Ante ann. 313.

Per se patet, tribus primis ecclesiae saeculis, ubi imperatores ethnici sceptra imperii gestabant et christiana religio saevissimis ipsorum edictis ex omni orbe Romano proscripta fuit, nexum rei christianae et politicae legi divinae congruum ne a longe quidem intercedere potuisse. Ecclesia enim eo tempore inter *collegia* seu *corpora illicita* numerabatur, sub poenis prohibita, et christiani omni cruciatuum genere ad mortem usque vexabantur. At saeculo quarto, Constantino ad sacra christiana converso, religio catholica primum *permissa,* deinceps tamquam religio *dominans* declarata est, paganismo [2]) una cum haeresi et schismate penitus excluso. Imperatores vero statim ecclesiae tuitionem in se susceperunt. Hinc deposito nomine et officio *Pontificis Maximi,* quo Caesares hactenus perfuncti erant, abhinc titulis *advocati ecclesiae* et *episcopi externi* gloriari coeperunt. Et hunc quidem animum ecclesiae propensum variis actibus testatum fecerunt. Sic permultae ecclesiae leges imperii legibus sunt insertae.[3]) Sumptus pro antistitum ad concilia itineribus, pro ecclesiarum indigentiis, pro ministrorum religionis sustentatione ex aerario publico suppeditati. Privilegia immunitatis realis, personalis et localis jam tunc introducta. Clerici a servitiis publicis patriae praestandis,[4]) nempe a militia,[5]) a muneribus curialibus publicoque laboris actu[6]) exemti. Episcopi dissidia litigantium pro suo foro componere permissi.[7]) At Romani et multo magis Graeci imperatores in eo a recto tramite deviarunt, quod in exstirpandis haeresibus, extra limites merae tuitionis egressi, decisionibus dogmaticis sese immiscere praesumpserint. Unde haud semel factum est, ut potius haereticis adversus ecclesiam, minime vero, prout decuisset, ecclesiae adversus haereticos favorem suum et protectionem impenderent. In oriente jam

Post conversionem Constantini M.

---

hibita cum historia comparari possint, appareatque, num juxta, an contra illa rerum ordo temporis lapsu compositus semper fuerit. — Cfr. opus classicum: Kath. Kirche und christl. Staat in ihrer geschichtl. Entwicklung in Beziehung auf die Fragen der Gegenwart etc. von Dr. Jos. Hergenröther. Freiburg. Herder. 1872.

[2]) Vid. titulos in Cod. Justin. de haereticis et manichaeis et samaritis, de apostatis, de paganis etc.

[3]) Vid. in Cod. Justin. titulos de *summa Trinitate, de episcopis, de ecclesiis.*

[4]) L. 1. Cod. Theod. de annona et tribut.

[5]) L. 12. Cod. Justin. de veteran.

[6]) L. 6. Cod. Justin. de episc. et clero; l. 2. 9. 11. 16. etc.

[7]) Sozomenus lib. I. hist. c. 9.

pridem illud *systema potestatis civilis rebus ecclesiasticis praedominantis* enatum et excultum est, vi cujus imperatores Byzantini potestatem fere illimitatam quantum ad res ecclesiasticas sibi vindicabant.

Resuscitato imperio Rom.

Consociatio haec multo arctior, imo intima evasit, postquam Leo III. imperatoriam dignitatem in ruderibus antiquae Urbis latitantem restauravit et in Carolum M. transfudit.

1. *Rationes* arctissimae illius unionis, quae medio aevo viguit, hae potissimum indicari possunt: a) Gentes barbarae, ad ecclesiam conversae, summa animorum devotione fidem divinam susceperunt, ita ut religio evaserit lex non singulorum tantum, sed totius societatis, cujus publica violatio censebatur crimen sociale. Unde omnes vitae socialis relationes vi religionis et ecclesiae sunt compenetratae. b) Haec ecclesiae et civitatis consociatio haud parum ex eo quoque fuit promota, quod populorum Germanicorum constitutio civilis haud absimilis fuit ecclesiae constitutioni.[8]) In praxi praesertim institutum feudalitium ad hanc connexionem contulit, per quod praesertim episcopi ceu coronae vasalli (prout dicebantur) reipublicae fuerunt advincti. c) Sublimis quaedam idea tunc temporis optimi cujusque animo observabatur, quae, etsi ex fundatione et indole ecclesiae haud necessario profluat, tamen eidem nullatenus repugnat. Videlicet ecclesia et respublica civilis non duae societates esse videbantur, sed unica confoederatio gentium christianarum seu *ethnarchia* christiana. Foedus hujus ethnarchiae (christianitatis), cujus principium erat religio, et tendebat, ut fides vigeret *intra* nationes christianas, et propagaretur ad *extra*. Duplex praefuit huic ethnarchiae auctoritas distincta, scilicet in spiritualibus summus Pontifex, in temporalibus imperator.

2. Exinde haec hisque innixa principiis inter utramque potestatem relatio resultabat:

a) *Quantum divina humanis, spiritualia temporalibus praestant, tantum dignitas pontificalis antecellit imperiali.* Nexus inter bina christianorum capita illo tempore intercedens eo redit, ut in summo Pontifice non solum sacerdotium Christi sed etiam regnum, in imperatore vero non tantum regnum sed quodammodo etiam sacerdotium refulgeat.[9]) Erat enim *Pontificum* praesertim ex

---

[8]) Notatu digna sunt, quae refert Caesar: de bello Gallico, lib. VI. c. 3. — Cfr. *Phillips*, I. p. 50.

[9]) *Petr. Dam.* (Opp. tom. III. p. 35. ap. *Phillips*, Lehrb. p. 1241): «Sicque mundi vertices in perpetuam charitatis unionem concurrant, ut inferiora membra non resiliant: quatenus sicut in uno mediatore Dei et hominum haec duo, regnum scil. et sacerdotium, divino sunt conflata mysterio: ita sublimes istae personae tanta sibi invicem unanimitate jungantur, ut quodam mutuo charitatis glutino et rex in Romano Pontifice et Romanus Pontifex inveniatur in rege.»

tempore Gregorii VII. auctoritas maxima et apud omnes in summa veneratione habita. Pontifex nimirum Romanus populorum confoederationi, ejusdem fidei vinculo colligatorum, tamquam commune caput praesidebat, qui non solum custos fidei et morum, sed omnium oppressorum tutor, criminum vindex et ipsorum principum judex agnitus est.[10]) Imo Pontifices non in rebus dumtaxat sacris principatum gerebant, sed ex indole illorum temporum et ultronea populorum conniventia in rebus civilibus quoque, ac praesertim in quaestionibus ad jus publicum atque ad jus gentium spectantibus auctoritatem suam interponere consueverunt. Ad defensionem vero et advocatiam ecclesiae tum Romanae tum universalis *dignitas imperialis* constituta et a Pontificibus impertiri solita est. Ut imperator spirituali quodam vinculo cum ecclesia conjungeretur, solemni *coronatione* et unctione ad munus *advocatiae* initiari solebat, vi cujus ecclesiam tueri, et latius usque propagare tenebatur. De hoc munere splendido jam Carolus M. sibi congratulatus est, hunc titulum assumens: «Ego Carolus devotus sanctae Dei ecclesiae defensor humilisque adjutor,» atque in eo potissimum advocatiam ecclesiasticam manifestavit, quod leges sacras ab omnibus ad amussim servari praeceperit.[11]) Hisque vestigiis subsequentes quoque imperatores insistebant, licet aliqui munus advocatiae haud recte intellexerint et ex tutoribus effecti sint persecutores.

b) Praeterea illa aetate *potestas indirecta saltem, eaque sat ampla in res temporales a Pontificibus solita est exerceri.* Nimirum summi Pontifices pro ea, qua tunc pollebant, auctoritate etiam imperatorum et regum actiones publicas judicio suo subjiciebant, atque refractarios et contumaces a communione ecclesiae segregabant. Et tam arcte res sacrae civilesque consociatae erant, ut excommunicatus princeps eo ipso loco suo excidisse, ejusque subditi vinculo juratae obedientiae liberati esse censerentur. Etenim juxta constitutionem christianitatis tunc vigentem societas civilis in domo ecclesiae erat quasi recepta, et habitans sub eodem tecto cum illa. Hinc quilibet, qui sive haereticus sive schismaticus sive alias excommunicatus ab ecclesia erat extorris, civiliter quoque proscriptus et humanae societatis hostis consideratus est. Consequens erat, ut imperator, excommunicatione irretitus, non amplius dignus existimaretur, qui tamquam Dei minister populum christianum gubernaret.

---

[10]) *Hurter,* Innocent. III. tom. 3. p. 74—75.

[11]) «Ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia praesumptiose agat et corrigi nolit, ab officio suo submoveatur.» Caroli M. Capitulare s. 789 c. 58. — Cfr. Pertzii Monumenta historica, quibus *Capitularia regum Francorum* inserta sunt.

c) Illa mutua et individua rei ecclesiasticae et civilis compenetratio non solum illud effecit, ut una potestas alteri negotia et jura sui fori haud raro cederet, sed eo insuper devenit, ut *una sphaera cum altera pene confluere*t. Sic e. gr. ex fastis ecclesiasticis omnibus constat, episcopos et abbates non tantum cum proceribus in judiciis consedisse, sed et armatos in acie comparuisse. Ex altera parte imperatores aliique regnantes episcopos constituere et de beneficiis bonisque ecclesiasticis pro arbitrio suo disponere consueverunt. Et haec quidem confusio haud levia utrique reipublicae damna intulit atque pericula. Nam illa tunc temporis vigens rerum temporalium et spiritualium permixtio praesules ecclesiae et clericos justo plus implicavit hujus saeculi negotiis et curis. Ex eo vero, quod limites utriusque potestatis minus exacte definiti erant, utriusque aemulatio in ampliandis suis juribus excitata est, illaeque funestae generatae sunt lites, quae denique plenam separationem ambarum societatum adduxerunt.

§ 42. Abalienatio et scissio utriusque potestatis.

Causae discordiam inducentes medio aevo.

Ob repetita dissidia, quibus imperatores, praesertim ex tempore Gregorii VII., cum Pontificibus collisi sunt,[1]) mutua sacerdotii et imperii concordia funestum naufragium in maximum utriusque reipublicae detrimentum passa est. Sed potissimum ex eo tempore omnia in pejus ruere coeperunt, quo Friedericus II. lites funestissimas cum Pontificibus habuit et tandem a concilio Lugdunensi I. (1245) excommunicationis fulmine ictus dignitateque imperatoria indignus declaratus est.[2]) Ex hoc tempore unio turbata et scissio utriusque potestatis sensim praeparata atque demum plene consummata est. Siquidem summorum Pontificum auctoritas, hactenus novis in dies incrementis aucta, inter varios adversariorum conatus nutare et decrescere coepit. Similiter imperii Romani firmitas sensim imminuta est. At, utroque sidere pallescente, alia lumina emicuere. In Germania quippe domini territoriales in dies potentia creverunt usque ad plenam ab imperatore independentiam. Loco et vice imperatoris reges Galliarum magis vexationem quam patrocinium ecclesiae sibi arrogabant. Translatio Sedis Apostolicae in Galliam sub Philippo Pulchro, qui suam in religionem dominandi libidinem satis aperte declaravit, tum ecclesiae tum mutuae ambarum potestatum concordiae gravissimum vulnus inflixit. Durante enim hac captivitate babylonica (1308—1378), ut dicitur, cum Pontifices in honorifica regis Galliarum custodia tenerentur

Auctoritas Pontificum et imperatorum decrescens.

Captivitas babylonica.

[1]) e. g. Hadrian IV. et Friederic. I.; — Innocent. III. et Otto IV.; — Gregor. IX. et Friederic. II. — Bonifac. VIII. et Philipp. Pulcher.

[2]) *Phillips,* III. p. 215. — Cfr. *Höfler,* Friederich II. München 1844.

atque omnino ab ejus nutu et auctoritate pendere viderentur, ipsorum decreta vilissimo cuique erant contemptui, et quidquid mandabant, haud raro sine ullo obedientiae fructu mandabant.[3])

chisma occidentale.

Verum finita hac captivitate tempora nihil laetiora illuxerunt. Statim enim incidit illud foedum et diuturnum schisma, quod ad annos circiter quadraginta ecclesiam Romanam laceravit. Hac enim occasione quaestio in orbe catholico agitari coepit, utrum Pontifex sit supra, an infra concilium, atque in concilio tum Constantiensi tum Basileensi ea quaestio favore systematis episcopalis decisa est. Viri liberioris ingenii, praesertim reflorescente litterarum cultura, in scenam passim prodibant, qui Pontificum auctoritati se audacter opponerent simulque alios, et cumprimis principes, ad eam excutiendam exhortarentur. Unde contigit, ut principia Sedi Romanae infensa, sive a doctrina illius temporis sive a conciliis schismaticis desumpta, a principibus avide suscepta legibusque civilibus inserta sint. Sic e. gr. in Comitiis Moguntinis (1439) ultra 26 decreta Basileensia confirmata sunt; sic in Gallia sub Carolo VII. in synodo Bituricensi (1438) sanctio pragmatica juribus pontificiis valde praejudiciosa procusa et in Senatu Parisiensi solemniter promulgata est. Itaque vinculum unionis quo hactenus ex una parte episcopi et imperantes cum Romano Pontifice, ex altera singuli populi cum ecclesia colligati erant, laxatum est, ac propterea, omnibus fere christianae societatis membris ex orbita recedentibus, ordo rerum vehementer perturbatus. Haec scissio in eo praesertim se manifestavit, quod singulae nationes longe acrius jura sua *nationalia,* quam arctam cum ecclesia *universali* connexionem quaererent. Sic e. g. (ut alia indicia praeteream) tum Galli tum Germani in concilio Constantiensi gravamina sua in medium protulerunt, et cum in eodem concilio diversae nationes (sc. Itali, Germani, Galli, Angli, denique etiam Hispani) in totidem quasi partes distinctae apparerent, Martinus V. cum singulis nationibus tractare, agere, transigere debuit.

Principia perversa,

etiam legibus publicis admixta.

Nationum alienatio ab ecclesia.

Ita quidem, inquit Phillips,[4]) cum unitas ecclesiae schismate esset lacerata, sanctitas obfuscata scelcribus, catholicitas laxata ob nationum secessionem, et ipsa apostolicitas impugnata ab episcopis supra Pontificem se extollentibus; semina futurae reformationis large jacta jam erant, quippe cum aliud non deesset, nisi ut insuper ecclesiae visibilitas, indefectibilitas, et necessitas in dubium vocaretur. Et hunc funestum exitum res saeculo 16.

---

[3]) Haud diffitendum, ideam summi Pontificatus a Papis saecul. XIV. et XV. non adeo clare et integre in animo habitam esse, prout a suis praedecessoribus concepta fuerat. Dr. *Fessler,* Geschichte der Kirche Christi. Wien. 1857. p. 290.

[4]) K.-Recht III. p. 394.

revera habuerunt, ubi magna pars populi christiani a recta reformationis via aberrans, excusso omni obedientiae jugo, ab ecclesia Christi penitus defecit. Et haec *reformatio,* ut dicitur, haud parum contulit, ut nexus inter utramque potestatem in dies laxaretur, donec tandem ecclesia, quae hactenus *primatum* tenuit, imperantibus *subjecta* fuerit. Nam *primo* imperator hoc ipso, quod protestantes admittere, imo catholicis aequiparare coactus est, sed advocatiae eccles. rite gerendae sectisque reprimendis imparem esse palam manifestavit. *Deinde* vero et praxis et doctrina, quae apud protestantes quoad mutuam ecclesiae et civitatis connexionem vigebat, a catholicis quoque principibus cupidissime adoptata est.[5])

§ 43. Dominatio status in ecclesiam.

Influxus reformationis.

Reformatores, ad ordinem aliquem in sua secta stabiliendum, totum jurium pontificiorum et episcopalium cumulum in principes saeculares transtulerunt, qui istud *jus in sacra* cum omni sua appendice pronis animis acceptarunt. Ut vero hanc praxim, saeculis retroactis incognitam, aliquo titulo decorarent, ad varias hypotheses confugerunt, quae nomine *systematis territorialis, episcopalis* et *collegialis* omnibus notae sunt.[1]) Ex his praesertim systema

[5]) Celeberrimae decretales, quae circa nexum binarum potestatum a Pontificibus medii aevi editae sunt, et ex quibus ideae illius aetatis apprime cognosci possunt, sunt sequentes: *Venerabilem* c. 34, X. (I. 6. *Innoc.* III.); — *Novit* c. 13. X. (II. 1. *Innoc.* III.); — *Ad apostolicae* c. 2. in VI. (II. 14. *Innoc.* IV.); — *Solitae* c. 6. X. (I. 33. *Innoc.* III.). *Unam Sanctam* L. I. Xvag. commun. (I. 8. *Bonif.* VIII.) — De his decretalibus copiose disseritur apud *Phillips,* K.-R. tom. 3. p. 192 seq.

[1]) Juxta systema *episcopale,* quod unice ad Germaniam restringitur, ex titulo *devolutionis* jus sacrorum dirigendorum in manus principum devenisse censetur. Jus episcopale, inquiunt, per recessum imperialem (1555) in territoriis protestanticis suspensum et exin ad principes evangelicos devolutum sicque factum est, ut non amplius episcopi sed reges instructi sint potestate ecclesiastica. Cum tamen haec hypothesis non sit nisi manifestum sophisma, Hugo Grotius (in libro: de imperio summarum potestatum circa sacra 1646 et 1647) systema *territoriale* concinnavit, ab Hobbesio, Spinoza, Thomasio et Böhmero accuratius excultum, quo jus dirigendi religionem et res ecclesiasticas haud minus principum majestati ex jure intrinseco competere praetenditur, quam quaevis aliae causae, quae ad regimen civile pertinent (juxta principium: «cujus est regio, illius et religio.») — Tertium systema vocatur *collegiale,* quia nimirum ejusdem defensores (sc. scriptores reformati in Gallia, item presbyteriani in Anglia, Pfaff [† 1760], Cramer, Mosheim in Germania) fingunt, ecclesiam primitive collegium aequalium exstitisse, hoc tamen serius ex hierarchiae usurpatione juribus omnibus spoliatum esse; at facta reformatione jurisdictionem episcopis ereptam ad communitates rediisse ab iisque libera votuntate in principes protestanticos esse transfusam, quibus proin duplex relate ad religionem jurium genus competat: jura *majestatica* seu imperio annexa et jura *collegialia* seu ab ecclesia accepta. Vid. *Walter,* §§ 38—41. *Zallinger,* p. 723.

territoriale principum auctoritatem in rebus sacris quam maxime exaggeravit, imo duas potestates in unam conflavit. Nam ex solo titulo superioritatis territorialis, et ex illo principio communiter recepto: *„Cujus est regio, illius est etiam religio,“* protestantes suis principibus integrum *jus in sacra* necnon *jus reformandi,* videlicet jus non modo introducendi religionem suam, sed etiam determinandi illius exercitium, praescribendi ritus et ceremonias, et similia, vindicarunt. Haec protestantium praxis et doctrina etiam in civitatibus catholicis plurimum nocuit, imo procul dubio eum rerum decursum, quem § anteced. delineavimus, in territoriis catholicis acceleravit, ita, ut imperantes, suis haud contenti, res ecclesiam religionemque spectantes contra jus fasque sibi arrogare non reformidarent.

Ejusmodi placita juribus et libertati ecclesiae praejudiciosa primum in *Gallia* tum theoretice exculta, tum in exitum data, deinde vero a *Febronio* recusa et in systema redacta et fere ubique a guberniis politicis recepta sunt, quin et in leges publicas transformata. Prae reliquis ergo considerare juvat § 8.

Systema Gallicanum.

1. *systema Gallicanum,* cujus indoles et historia paucis haec est. Ex tempore jam Philippi Pulchri et magis post conditam sanctionem pragmaticam Galliarum reges in jura ecclesiastica cupidissime involarunt ac sub praetextu libertatum Gallicanarum, potestatem hierarchiae in multis rebus impedierunt, e. gr. adhibendo placetum et recipiendo recursus a tribunalibus ecclesiasticis.[2]) Jucunde illi genti sonuit vox libertatum Gallicanarum, quamquam non eandem omnes notionem huic verbo subjiciebant. In hoc solummodo consentiebant, summi Pontificis potestatem in Galliis illimitatam haud esse, sed moribus, regulis antiquis et conciliis illius regni in multis coarctatam et praepeditam. Quod subin eo usque dilatarunt, ut assererent, cunctas Papae ordinationes nonnisi tunc vim obtinere, quando a rege, a natione et a suprema Senatus Parisiensis curia adprobatae et receptae fuissent. Haec principia, quae vel Tridentinis decretis per aliquod tempus accessum in Galliam praecluserant, sub violento Ludovici XIV. regimine in conventu cleri Gallicani a rege (1682) convocato ad quatuor capita

[2]) Indicia Gallicanismi praenuncia jam medio aevo haec fuerunt: Appellatio, sic dicta, ab abusu, quae jam saeculo 13. reperitur, provisio praebendarum cathedralium sede episcopali vacante usurpata a regibus, leges a potestate civili editae de beneficiis et contra reservationes pontificias, advocatio causarum quarundam a tribunalibus eccles. ad forum saeculare et similia. In praedicta vero sanctione pragmatica reservationes papales maximam partem sunt sublatae, plurima quoad recursum a judiciis ecclesiae, quoad disciplinam cleri, imo et quoad cultum divinum sancita, item plura decreta Basileensia recepta. Haec et alia pedetentim nomine *libertatum Gallicanarum* comprehendi coeperunt.

seu propositiones reduci contigit, quae deinceps famoso nomine *articulorum cleri Gallicani* omnibus innotuerunt.[3]) Hi quatuor articuli, ut vel obvie tantum eas inspicienti patet, eo collineant, ut jurisdictionis papalis amplitudo coarctetur, episcoporum vero potestas augeatur, seu ut forma regiminis ecclesiastici aristocratica potius sit quam monarchica. Verum in praxi jura Papae erepta in systemate Gallicano non episcopis sed potius regibus accrescunt. Id quod primo articulo haud obscure innuitur. Nam cum Gallicani voce *rerum spiritualium*[4]) non aliud fere intelligant, quam negotia mere interna, ecclesiae potestas hierarchica ad arctissimos limites contrahitur (id quod etiam in praxin deductum est), ea vero jurisdictionis pars, quae ecclesiae erepta est, regibus cessit. Hinc Fenelonius libertates illas appellavit *veras ecclesiae servitutes,* acerbe conquerens de suppressa et Papae et episcoporum[5]) potestate, necnon de jugo laicae dominationis ecclesiam aggravante. Igitur Gallicanismi principium apte sic exprimi potest: esse nempe *oppressionem jurisdictionis ecclesiasticae a laica, et depressionem auctoritatis Romani Pontificis a clero Gallicano,*[6]) seu usurpationem potestatis ecclesiasticae per laicos. Habet vero systema Gallicanum manifestam affinitatem cum doctrina protestantium. Etenim tum protestantes tum Gallicani non solum communi nisu in labefactanda

---

[3]) En jam istos articulos quoad summam: 1. Summo Pontifici ipsique ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium et temporalium a Deo traditam esse potestatem. Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium ecclesiae eos directe vel indirecte deponi aut ipsorum subditos eximi a fide et obedientia atque praestito fidelitatis juramento solvi posse. 2. Papae sic esse rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant synodi Constantiensis . . , decreta de conciliorum generalium auctoritate, quae Sess. 4. et 5. contineantur, haecque nullatenus dubiae esse auctoritatis, neque ad solum schismatis tempus restringenda. 3. Usum apostolicae potestatis moderandum esse per canones universales; valere etiam regulas, mores et statuta a regno et ecclesia Gallicana recepta. 4. In fidei quoque quaestionibus praecipuas esse summi Pontificis partes ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere; nec tamen irreformabile esse ejus judicium, nisi ecclesiae consensus accesserit. — Historia Gallicanismi est ad instar commentarii, quo theses supradictae optime illustrantur.

[4]) Ejusmodi principiis insistentes, ait Jos. de Maistre (della Chiesa), Gallicani nil relinquunt ecclesiae, nisi facere aquam benedictam et chrisma.

[5]) «Eorum (episcoporum) quippe sors a solo regum nutu pendet. Spiritualis jurisdictio prostrata jacet; nihil est, si sola peccata confessario clam dicta exceperis, de quo laici magistratus ex nomine regis non judicent . . . Reges ad nutum omnia regunt et ordinant . . . Neque certo, quid possit haec Sedes (apostolica), jam usu norunt, nisi dum efflagitant a canonum disciplina dispensari.» De summi Pontif. auctoritate. c. 45.

[6]) *Charlas:* De libertatibus ecclesiae Gallicanae. Romae. 1720. Vol. IV. part. I. c. 12. p. 36 (apud Phillips, III. p. 342).

Pontificum auctoritate adlaborant, sed in eo quoque concordant, plerasque Pontificum decretales praesertim medio aevo constitutas, non esse nisi longam usurpationum seriem, deinceps nullo modo tolerandam.[7])

Hi articuli a summis Pontificibus[8]) quidem reprobati necnon ab eorundem auctoribus, quin et a Ludovico XIV. retractati sunt. Verum non longo tempore post evenit, ut ejusmodi doctrinae ubique reviviscerent et tum a Jansenistis acriter propugnarentur, tum a parlamentis continuo in exitum deducerentur. Atque tam alte hoc systema animis fixum erat, ut nec Gallicae rebellionis procella, ad quam excitandam Gallicanismus haud parum contulit, eundem eradicare valeret. Neque hoc tempore Gallicanismus penitus extinctus esse videtur, etiamsi post alteram rebellionem (a. 1830) interiisse a pluribus existimaretur.

Febronius statuit:

2. *Systema Febronii* fictitio nomine libri illius sic appellatur, quem Nicolaus ab Hontheim, suffraganeus archiepiscopi Trevirensis, conscripsit.[9]) Hic auctor Gallicanorum et Jansenistarum placita

Formam eccles. democraticam.

recoxit, imo et longius a tramite veritatis recessit. Christum, ait, universae ecclesiae *radicaliter* et *principaliter* suam potestatem commisisse, at praesules eam obtinere *usualiter* et *usufructualiter*.

Primatum tantum consociationis.

Non opus esse, ut episcopi facultates dispensandi a summo Pontifice petant, cum et ipsi successores Apostolorum sint. Papae obtingere quidem omnium ecclesiarum sollicitudinem, at non item jurisdictionem, eumque nonnisi ad instar ferme metropolitae episcopis praecellere.[10]) Eundem infallibilem haud esse, neque in illius defectu ecclesiam capite suo esse orbatam. Jura Papae accidentalia et controversa a Sede Romana ad episcopos esse transferenda,

subornat principes.

imo invito etiam Papa ab iisdem reassumenda. In locum Pontificis a Febronio principes subornantur, quibus conciliorum generalium convocandorum, placeti regii adhibendi, ecclesiasticae disciplinae

---

[7]) *Beidtel:* Das kan. Recht. p. 122. — Ceterum Gallicana ecclesia non confundi debet cum Gallicanismo. De illa enim merito affirmabat Gregor. IX. (ad archiep. Rhemensem) «Gallicanam ecclesiam in devotione Sedis Apostolicae non *sequi* alias, sed *anteire*.» Id, quod hodiedum valet. Hinc Pius IX. (Alloc. 11. Sept. 1848): «Quod, ait, turbulentissimis quoque temporibus, ac tristissimis rerum vicibus insignia sui in catholicam religionem atque in hanc Petri cathedram amoris, obsequii et venerationis specimina praebere non destitit.»

[8]) Innocent. 1682; Alexand. VIII. 1690; Pius VI. «Auctorem fidei» 1794.

[9]) «Justini Febronii J. C. de statu ecclesiae et de legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione christiana compositus.» Bullioni 3 tomi.

[10]) De statu eccles. cap. II. § 11. Febronius claris et distinctis verbis primatum vocat primatum honoris cum adjecta tamen explicatione paulo benigniore, esse illum non tam primatum *jurisdictionis* quam *ordinis* et *consociationis*.

reformandae suasor et auctor est. Verum supervacaneum erat, principes expresse advocare. Etenim quadam naturali necessitate aliud expectandum non erat, quam ut episcopi, abalienati a centro divinitus constituto, imperantium potestati se submitterent et ad aliud quasi fundamentum, quam quod positum est, attraherentur. Ex eo vero, quod ecclesia regimini politico subdita fuit, factum est, ut in tot quodammodo partes lacerata sit, quot existunt respublicae civiles.

Influxus hujus systematis.

Caeterum neque proscriptio doctrinae Febronianae per summos Pontifices (Clementem XIII. et XIV.), neque ipsa libri retractatio ab auctore facta (1778) impedire potuit, quominus errores damnati quaquaversus disseminarentur et a literatis aeque ac a regnantibus avidissime reciperentur. Ejus rei ratio ex tristissima temporis illius indole repetenda est. Nimirum eo tempore *rationalismus* ille, qui in rebus theologicis tantam stragem fecit, in re politica quoque inolevit cum intentione palam manifestata, administrationem reipublicae non fundamento juris historici sed juris mere naturalis, et quidem falsi et imaginarii inaedificandi. Pseudopolitici religionis expertes principibus civilibus illimitatam fere potentiam (quae passim civitatis omnipotentia vocari solet) asserebant, ita, ut imperantes, qui in omnibus jam non jura avita et antiqua pacta sed mere commoda sua politica respicere edocti erant, quidlibet tum quoad ad subditos tum quoad ad ecclesiam sibi licere autumarent. Quare mirum non est plerosque fere principes regnantes post medium saeculi 18. lites et simultates cum Sede Apostolica habuisse.[11])

§ 44. Status rerum a Josepho II. in Austria adductus.

His ipsis principiis imbutus et a canonistis aulicis obfirmatus est Imperator Josephus II., princeps prosperitatis subditorum procurandae alias studiosissimus, sed res ecclesiasticas haud alia quam Gallicanorum et Febronianorum regula dimetiens.[1])

Ut systema a Josepho II. adoptatum rite intelligatur, cum aliqua attentione doctrinae juridicae tunc temporis in Austria vigentes considerari debent, ac praesertim illae, quae spectant jura imperantibus relate ad subditos competentia. Enimvero jurisconsulti, qui *de publico civitatis jure* tractabant, amplitudinem juris caesarei latissime extendebant, jura vero privatorum intra limites valde angustos coarctabant. Praesertim vero per illud *jus eminens,* quod imperanti relate ad bona et jura tam hominum privatorum quam ecclesiae largissime vindicatum est, res aeque ac personae

Jus eminens ejusque consectaria

[11]) *Huth:* Kirchengesch. des 18. Jahrhunderts, tom. II.

[1]) Histor. polit. Blätter. tom. 3. p. 129; tom. 8. p. 641.

ecclesiasticae ita dominationi saeculari sunt subjectae, ut a libera ipsius dispositione omni modo pendere viderentur. Hujus doctrinae consectarium erat, viros ecclesiasticos in casu sive evidentis utilitatis sive necessitatis *juri sequelae* (i. e. militiae) obnoxios et generatim ad servitia publica obstrictos esse,[2]) bonorum vero ecclesiasticorum et *dominium eminens,* et supremum administrandi jus, quin et facultatem de iis disponendi penes civitatem mansisse. Insuper hi juris doctores illud principium perpetuo ingerebant, imperatoris esse, pietatem subditorum omnibus modis excitare ac fovere, eoquod religio medium efficax sit promovendi salutem civilis societatis. Hunc in finem principem omni ope et labore eniti oportere, ut *essentialia* religionis rite doceantur et ubique observentur, *accidentialia* vero, in quantum reipublicae noceant, limitentur. Et ex hac principis erga religionem obligatione illud *jus circa sacra* deductum est, quod ingentem jurium specialium cumulum sub se comprehendit. Haec jam theoria austere in exitum deducta est, cum maximo libertatis ecclesiasticae dispendio, prout nemo non intelligit. Hinc

Oppressio potestatis eccl.

1. illa *oppressio potestatis hierarchicae,* sub cujus jugo Gallia ingemuit, in Austria quoque ecclesiae tam gravis exstitit, quam perniciosa. Etenim non est ullum potestatis ecclesiasticae genus, cujus exercitium a civitate non impeditum vel usurpatum fuerit. Siquidem ratione *magisterii* jus imperanti adscriptum est, ortis in doctrina dissidiis inter litigantes colloquia instituendi, imo et disputationibus silentium imponendi, quando turbas in republica ciere possent, et hoc tunc quoque, si decisio a summo Pontifice in alterutram partem emanata jam fuisset. Ejus rei exemplum significantissimum est, quod Josephus II. usum Bullae «Unigenitus» a Clemente XI. (1713) contra Quesnelli errores editae omnemque harum materiarum pro vel contra disputationem severe interdixit.[3]) Imo potestas civilis munus doctoris religionis quodammodo in se suscepit, dum religiosam institutionem in scholis dirigere, quin et nonnullas materias praedicationis sacrae determinare sibi vindicavit. Quoad *ministerium* Imperatori jus adscriptum ab ipsoque ex parte practicatum est, ponendi modum diebus festis, processionibus, piis confraternitatibus, abstinentiis a certis ciborum speciebus, aliisque ritibus accidentariis, quodsi necessitas aut evidens reipublicae utilitas id exigat.[4]) Obtentu salutis publicae et puritatis religionis ipse cultus publicus ad normam legis civilis compositus est, imo peculiaris ordo in eo peragendo civili auctoritate prae-

---

[2]) *Pehem.* tom. I. p. 480—91.
[3]) (4. Maj. 1781.)
[4]) *Pehem.* tom. I. p. 540 et 541.

scriptus. Haud minus sacrum etiam *imperium* et jurisdictio ecclesiastica perturbata est, et usus potestatis inspectoriae, legislativae et coërcitivae undequaque laqueis irretitus, quo praesertim usus placeti latissime extensi pertinet, quippe cui et Bullae pontificiae et litterae episcoporum pastorales, quin et ipsae dispensationes Romanae[5]) et indulgentiarum publicationes obnoxiae fuerunt. Intra ipsa denique ordinum religiosorum claustra ea innovandi cupiditas penetravit, praetexens quidem reformationem disciplinae religiosae, sed reapse illius enervationem inducens.

Depressio auctoritatis Pontif.

2. Verum nec altera Gallicanismi nota in hoc systemate defuit. Nam praeter oppressionem potestatis hierarchicae etiam *depressio auctoritatis summi Pontificis* omni nisu attentata est. Siquidem ejus jura adeo sunt accisa, ut vix aliud praeter meram honoris praecellentiam Sedi Apostolicae remaneret. Et quo profundius Papa deprimebatur, eo altius episcopi extolli videbantur, qui in jura sua nativa, a Pontifice usurpata, ab Imperatore regredi jussi, non solum permissi sunt. Et complures sacrorum antistites, spe amplioris potestatis obtinendae illecti, nec intelligentes, sublato Primatu suam quoque auctoritatem paulo post eversum iri, Imperatorem in hujusmodi molitionibus summo studio adjuvarunt. Ejus rei documentum habemus conventionem Emsanam necnon punctationes, quae a summis Germaniae praesulibus in illa concinnatae sunt (1786). At haec spes eos frustrata est. Jura enim Pontifici ablata tantum abest, ut episcopalis potestatis augmento inservirent, ut potius Imperatori obtingerent, imminuta magis, quam ampliata episcoporum libertate.

Per hoc systema in rem catholicam maximum redundasse detrimentum, vel ex eo patet, quod exemplo catholici Imperatoris alii quoque principes, praesertim ex protestantibus, ad eadem vel ad pejora facienda accensi sunt. Ast nec illud praetereundum, rigorem legis scriptae tam pietate Imperatorum quam praxi benigniore summopere temperatum esse, quae observatio tempus concordato vicinius maxime attingit.

§ 45. De mutua ecclesiae et civitatis relatione tempore novissimo.

Saniora principia vigere coeperunt.

1. Finitis bellis, quibus hoc saeculo ineunte Europa dilacerata fuit, tum ecclesia catholica tum scientia theologica mirum in modum reflorescere coepit. Ac sicut scientiae theologicae magis magisque a faece rationalismi sunt purgatae; ita plane ex jure canonico quoque fermentum principiorum perversorum paulatim

[5]) Solae dispensationes pro foro interno in materia spirituali impetratae placeto haud suberant. *Helfert,* K.-R. 2. Aufl. p. 300.

eliminari et genuina de eodem jure doctrina in scholis excoli et paulatim etiam in praxi recipi coepit. Quod tamen citra principiorum hominumque conflictionem haud contigit. Novam laetioremque aeram adduxit Clementis Augusti archiepiscopi Coloniensis intrepida constantia, pro ecclesiae juribus ad incarcerationem usque strenue decertantis (1837). Ex eo tempore emancipatio ecclesiasticae libertatis majores in dies fecit progressus.[1]) Ipsae anni 1848 vicissitudines ad dictam libertatem recuperandam haud parum contulerunt, tantum abest, ut eandem imminuerint. Nam tunc, cum omnes libertatem politicam importune expostularent, quin et per rebelliones extorquere conniterentur, etiam praesules ecclesiastici, longe sublimioribus motivis impulsi, jura ecclesiae propria et domestica impensius repetere coeperunt. Ad hoc propositum exequendum episcopi *Herbipoli* (21. Oct. 1848) congressi postulata sua ad cuncta Germaniae gubernia detulerunt, prout paulo ante episcopi provinciae Salisburgensis (14. Sept. 1848) in eodem sensu litteras ad comitia Viennensia direxerant. Eodem prorsus modo *Borussiae, Bavariae* et provinciae *superioris Rheni* antistites pro recuperandis ecclesiae juribus animo forti magnoque decertarunt.

Ex his aliisque causis factum est, ut tandem persuasio magis magisque inolesceret, dominationem status in ecclesiam tum huic injuriosam, tum ipsi civitati nihil prorsus utilem esse. Et haec persuasio eo magis percrebrescere debuit, quo magis quoad caetera quoque objecta illa civitatis omnipotentia, quae minutissima quaeque sibi regenda sumpsit, recentissimo hoc tempore sensim contabuit.

Libertas eccles. declarata.

Itaque in novis plurium civitatum constitutionibus (uti dicuntur) ecclesiae catholicae libertas et semetipsam regendi potestas solemniter sancita est, velut in regno *Borussaie* (1848 et 1850), in aliis deinceps *Germaniae* ditionibus et in *Hollandia* (1848). In regno *Bavariae* et in territoriis provinciae *Rheni superioris* severitas legum civilium intuitu ecclesiae aliquantum saltem est mitigata. In Imperio autem *Austriaco* legislatio progressum ecclesiae quam maxime proficuum habuit. Nam vix ubi per litteras patentes 4. Mart. 1849 emanatas ecclesiae manumissio decreta fuit, saluberrimae leges, novum ordinem praeparantes (e. g. 18. et 23. April. 1850), a Caesare sunt latae, quas deinde conventio, cum Sede Apostolica (18. Aug. 1855) inita, subsecuta est. Scopus hujus conventionis solemnis, ex intentione utriusque paciscentis, totus in eo

[1]) In *Belgio* jam a. 1830 in nova regni constitutione libertas ecclesiae restituta, communicatio libera cum Sede Apostolica concessa, et placetum regium abrogatum est. In *Borussia* rex Friedericus Guilielm. IV. a. 1841 tum commercium cum summo Pontifice indulsit, tum placeto regio renuntiavit quoad publicationes episcoporum, quae res mere ecclesiasticas concernunt. Exemplum acatholici principis deinde alii regnantes sunt secuti.

stetit, ut mutua sinceraque concordia sacerdotium inter et imperium renovaretur, hacque mutua consociatione religionis aeque ac civitatis bonum promoveretur.[2])

Praeambula ad concordati Austr. abrogationem.

2. Et haec quidem intentio, nimirum religionis et ecclesiae prosperitatem augendi, erat causa, cur ecclesiae hostes omne acerbitatis virus in conventionem Austriacam continuo eructarunt, et nec conviciis nec calumniis ullis, ad auctoritatem illius infringendam, pepercerunt. Et hae quidem machinationes contra concordatum Austriacum nimis arcte cohaerent cum placitis illis perversis, quae decurrente hoc saeculo percrebruerunt, ac continuas divexationes in ecclesiam excitarunt, Sede Apostolica incessanter et frustra reclamante.[3]) Et nostris diebus *teterrimum sane bellum contra rem catholicam universam ab iis hominibus conflatum est, qui . . . religionis et humanae societatis fundamenta labefactare, imo si fieri unquam posset, penitus evertere, omniumque animos mentesque perniciosissimis quibusque erroribus imbuere, corrumpere et a catholica religione avellere moliuntur.*[4]) Hominum istorum molitionibus factum est, ut *idea christianae civitatis* ex orbe catholico ex integro fere recesserit et amicabilis illa, quae prius viguit, utriusque societatis connexio jam nullibi reperiatur. Imo res nunc eo devenerunt, ut vix aliquis *vivendi modus* ecclesiae facorabilis hodie existat. Rectus equidem rerum ordo optime stabiliri posset per *concordata* cum Sede Apostolica inita. At hic modus, tametsi per se commendari debet, hodie viris, qui se liberales esse gloriantur, quam maxime displicet magnasque experiri solet difficultates. Siquidem concordata aut per adjectas leges civiles, iisdem contrarias, depravant (v. gr. in Gallia, in regno Bavariae), aut eorum executioni obsistunt (prout e. g. accidit tum in regno Würtembergensi tum in

---

[2]) Hoc liquet ex ipso concordato, in quo scopus hujus pactionis clare sic enunciatur: «ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae imperio conservetur et augescat;» — item ex Brevi Pii IX. 5. Nov. 1855. — Principia summaria concordati Austr. erant haec: 1. Ecclesiae reddita est libertas, legibus prioribus imperii adeo restricta; 2. consuetudines variae et praxes legibus civilibus inductae annuente ecclesia sunt retentae et cohonestatae; 3. vicissim gubernio multa privilegia et jura, quae proprie ad ipsum non spectant, attributa sunt, e. gr. quoad beneficiorum collationem, quoad bona ecclesiastica, ordines religiosos etc.

[3]) Rebelliones decennio 3. et 4. hujus saeculi variis in locis excitatas vix non semper subsecuta est religionis oppressio et devastatio, quam alta voce redarguere Sedes Apostolica solebat. Id quod evenit: in Portugallia 1833 (Alloc. Gregor. XVI. 30. Sept. 1833), in Helvetia 1834 (Brev. Gregor. XVI. 17. Maj. 1835 et 1. April 1842 itemque Alloc. Pii IX. 1847 et 1855); in Hispania 1835 (Alloc. Gregor. XVI. 1. Febr. 1836 et 1. Mart. 1841; ejusd. Encycl. 22. Febr. 1842); denique contra infensa gubernii Subalpini molimina Pius IX. ex anno 1850 usque ad hoc tempus iterum atque iterum reclamavit.

[4]) Alloc. Pii IX. 9. Jun. 1862.

Magno Ducatu Badensi), aut denique summo Pontifice insalutato, omnique reverentia erga jus pactitium posthabita, omnino abrogant vel saltem iisdem derogant. Et hoc etiam in Imperio Austriaco peractum est per leges concordato derogantes, quas dein totalis conventionis abrogatio secuta est. (Cfr. § seq. et § 20. n. 2.)

Civitas sola non potest ordinare nexum cum eccl.

Itaque via concordatorum dimissa, politici aliam hoc tempore ingredi solent, qua nimirum nexus cum ecclesia a sola *potestate civili* ordinatur, ecclesia prorsus inconsulta. Sed haec via non solum anceps est, sed prorsus reprobari debet. Per eam siquidem, uti Pius IX. conqueritur, «nova quaedam forma juris obtenditur, et nova facultas civili gubernio vindicatur, ut marte proprio de spiritualibus et ecclesiasticis negotiis quidquid visum fuerit, constituat atque decernat.»[5]) Hunc modum legiferum esse ecclesiae detrimento, experientia comprobatur. Nam civitatis moderatores in ordinanda re ecclesiastica vel systema Febronianum applicare student, vel cum doctrina Febronii systema status indifferentis imperite copulant, partim plenam utriusque potestatis separationem pronuntiantes, partim nihilominus religionem et ecclesiam in turpissimam servitutem redigentes. Quo nihil iniquius, nihil absurdius esse potest. Nam Gallicani, Febroniani et Imperator Josephus II., quamvis ecclesiam conarentur subjicere statui, tamen voluerunt, *statum* esse *christianum*. Sed quis poterit tolerare, *si status atheus* et omnis religionis expers ecclesiam legibus suis regere praesumat? An non vehementer repugnat, haec duo adversa in unum conflare, nimirum res ecclesiasticas a rebus civilibus prorsus sejungere, et hoc non obstante, dominari etiam in ecclesiastica? Phrasis haec: «Libera ecclesia in libero statu» vel altera: «Sejungendum esse statum ab ecclesia, et ecclesiam a statu» in ore multorum non est nisi hypocrisis, eoquod separare quidem intendant statum ab ecclesia, minime vero etiam ecclesiam a statu, discupientes nimirum, ut liberentur tum familiae tum publica instituta legesque ab omni influxu religionis, haudquaquam vero, ut religio pariter eximatur e dominatione societatis civilis. — Per se intelligitur, ejusmodi sorti ecclesiae *in statu atheo* longe praevalere conditionem *status indifferentis* (§ 40), ubi haec indifferentia sincere in exitum perducitur.

§ 46. Ecclesiae conditio in praesenti.

I. In Imperio Austriaco-Hungarico.

1. In ditionibus occident.

1. *In ditionibus Imperii occidentalibus* homines ecclesiae infensi nil intentatum reliquerunt ad concordatum abolendum.[1]) Cum de-

[5]) In litteris ad episcopos Austriacos datis d. 7. Mart. 1874 ad avertendam novarum legum rogationem. — Potest quidem gubernium ecclesiam declarare liberam, sed minime etiam disponere de ipsius juribus.

[1]) Quo praesertim spectat edictum religionis a deputato Mühlfeld propositum (a. 1862) Cfr. Archiv. t. 8. p. 234 seq.

currente sexto decennio hujus saeculi viri liberalioris ingenii tum in comitiis imperii sederent tum ut publici administri rebus praeessent, successive leges sunt editae, quae in rebus summi momenti concordato adversabantur. Harum prima erat lex, quae dicitur imperii fundamentalis d. 21. Dec. 1867, contra quam episcopi suas expostulationes proposuerunt,[2]) satis fundatas, prout confestim tempus probavit. Etiam jam d. 25. Maji 1868 tres sequentes leges concordato prorsus contrariae prodierunt, sc. a) lex *de matrimonio,* qua leges matrimoniales per concordatum sancitae plane sunt abolitae, et earum vice veteres Austriacae leges matrimoniales in pristinum vigorem restitutae. b) Lex *de scholis,* per quam scholarum directio unice gubernio vindicatur. c) Lex sic dicta *interconfessionalis,* qua mutua cultuum jura determinantur. Contra has leges alta voce reclamavit Pius IX. easdem irritas et nullius roboris esse declarans.[3]) Summo Pontifici associati sunt episcopi Austriaci, qui voce ac scriptis ecclesiae causam strenue tuebantur, atque tum clerum tum populum officii sui admonere non destiterunt.[4]) — Ansam potius quam causam concordatum prorsus abolendi praebuit pronuntiatio dogmatis de summi Pontificis infallibili ministerio. Nam d. 25. Jul. 1870 administer de Stremayr Imperatori exhibuit relationem de abrogando concordato propter circumstantias (uti dicebat) per antefatum dogma prorsus immutatas.[5]) Die 30. Jul. abrogatio concordati Sedi Apostolicae com-

---

[2]) Cfr. Archiv. t. 19. p. 457.

[3]) Allocutio 22. Jun. 1868. *Vering,* Archiv. t. 20. p. 170. Pontifex inter alia dixit: «Videtis profecto, Vener. Fratres, quam vehementer reprobandae et damnandae sint ejusmodi abominabiles leges ab Austriaco gubernio latae, quae catholicae ecclesiae, doctrinae, ejusque venerandis juribus, auctoritati divinaeque constitutioni ac Nostrae et Apostolicae hujus Sedis auctoritati ac memoratae nostrae conventioni ac vel ipsi naturali juri quam maxime adversantur.»

[4]) Cfr. Weckstimmen aus Oesterreich t. II., ubi singulorum episcoporum litterae pastorales ad gregem et instructiones ad clerum datae continentur. — Equidem minister pro cultu (Hasner) in litteris ad episcopos directis (1. Jun. 1868 Archiv. l. c. p. 168) declaravit, gubernium haud intendere res internas et mere ecclesiasticas sibi vindicare. Sed qua ratione hoc sit intelligendum, mox probavit eventus. Nam sub poenarum comminatione episcopi prohibiti sunt, jurisdictionem in rebus matrimonialibus exercere, imo violenter ex archiviis eorum ibi extracta sunt acta matrimonialia, ubi episcopi renuebant ea ultro extradere (Ordinatio ministri pro cultu 1. Jul. 1868 Archiv. l. c. p. 329 seq.; Ordinatio ministri pro justitia 28. Aug. 1868 l. c. p. 335).

[5]) Minister has duas causas pro abrogatione concordati exponit: 1. propter addictam summo Pontifici infallibilitatis praerogativam eidem etiam potestatem attributam esse, quovis momento a stipulationibus concordati recedendi, illud pro lubitu interpretando; 2. propter hoc dogma alterum paciscentem (sc. Papam) in alium mutatum esse, proindeque pactum ex defectu compaciscentis per se valore suo excidisse!! Archiv. t. 24. LXXI. et p. 274 seq.

municari praecepta est, simulque ministro pro cultu injunctum fuit, ut rogationem novarum legum vice earum quae vi concordati statutae erant, praepararet. Prodiit deinde lex duplicata d. 7. Maji 1874 1. *de relationibus exterioribus ecclesiae catholicae;* 2. *L. de contributionibus ad fundum religionis regulandis* nec non d. 20. Maji 1874 *L. de publica cultuum agnitione.*[6]) Jam tunc ubi harum legum rogationes comitiis Austriacis expendendae sunt traditae, (mense Jan. 1874) episcopi cum summo Pontifice[7]) gravamina sua, ad singula puncta excurrentes, proposuerunt, dicentes, concordatum non esse sublatum, ac se novarum legum praescriptionibus eatenus tantum obsecuturos esse, quatenus cum Concordati sanctionibus conveniant.[8]) Causa ob quam et Papa et episcopi his legibus renitebantur, erat duplex, quia scilicet eaedem tum *materialiter* tum *formaliter* juribus ecclesiae summopere adversari videbantur. *Materialiter,* quia legislatio ista ad totam fere amplitudinem juris canonici, etiam ad res mere ecclesiasticas est exporrecta. Scilicet inter *relationes exteriores* a statu regulandas numerantur: officia et beneficia ecclesiastica, exercitium potestatis sacrae atque curae animarum, informatio clericorum, status religiosus, jus patronatus, communitatum parochialium erectio, et bona ecclesiae temporalia. Per rescissionem concordati vinculum solutum fuit, quo utraque potestas connexa erat; sed his legibus illud superadditum est, ut ecclesia in *suis rebus* potestati civili subjecta fuerit.[9]) — Dixi *formaliter,* quia leges istae pro basi habent principium de potentia status prorsus illimitata, cujus principii consequens est: ecclesiam ex ordinatione Dei jus proprium non habere sed nonnisi tantum juris ei competere, quantum statui ipsi concedere placuerit. Hoc principium aperte pronuntiatur in illa (prout dicitur) *motivorum expositione,* quae legibus supra citatis ex officio praefixa est,[10]) ubi p. 27. dicitur: «Limitem civili legislationi quoad res ecclesiasticas positum alium non esse, nisi quem leges civiles ipsae determinant.» Et hoc principium iterato enuntiatur (e. g. p. 33.). Itaque manifestum est, hisce principiis jus ecclesiae divinitus proprium omnino tolli, atque legibus exinde

[6]) Lex et ab imperii comitiis et a Senatu jam decreta concernens *statum religiosum* talis erat, ut ministri abstinuerint eam Imperatori sanciendam proponere. — Vid. hanc legem fortemque contra eam episcoporum expostulationem in Archiv. t. 35. p. 350 seq.

[7]) Encycl. d. 7. Mart. 1874 ad episcopos data. Archiv. t. 31. p. 472.

[8]) In memorando d. 20. Mart. 1874 Archiv. t. 32. p. 175.

[9]) Idem denuo declararunt episcopi litteris datis ad ministrum pro cultu d. 27. April. 1877. — Episcopi non reclamarunt contra tertiam legem, quae scil. cultus alienos concernit.

[10]) Die confessionellen Gesetze v. 7. u. 20. Mai 1874 v. P. Gautsch v. Frankenthurm. Wien 1874. Archiv. t. 32. p. 34.

deductis ecclesiae libertatem quoad omnia fere disciplinae capita aut extenuari aut penitus infringi.[11]) Certe leges Austriacae iisdem prorsus placitis innituntur, quibus leges tum Borussiae tum aliorum statuum sunt superstructae,[12]) licet non sit diffitendum, tum deductiones ex principiis tum praesertim legum applicationes longe mitiores apud nos esse, quam in regno Borussiae.[13])

2. Quoad *regnum Hungariae* haec praesertim notanda sunt: 2. In regno Hungariae.

a. Papa Sylvester II. s. Stephano ceu Hungariae *apostolo* sat ampla privilegia (licet verbis non satis distinctis) concessit, in quorum vim *nomine summi Pontificis* rex valeat res etiam ecclesiasticas *disponere* et *ordinare*. At haec privilegia non licet in praejudicium potestatis episcopalis nimis exaggerare, ac praesertim rebus nostro tempore mutatis. Nam a) privilegia generatim semper stricte sunt interpretanda, nec unquam cum ecclesiae detrimento usui dari possunt. b) Haec antiqua privilegia ob circumstantias temporis mutatas, non eodem modo, quo pridem, valere possunt. Nam persona, quae haec privilegia nunc in usum perducit, non est amplius *apostolus* et defensor ecclesiae, sed esse possunt ministri vel acatholici vel omnis religionis expertes.[14])

b. In hoc regno ex integro semper viguit *jus canonicum*, et quidem etiam tamquam lex civilis ac pars constitutionis regni,

---

[11]) Equidem in eadem *motivorum expositione* declaratur, jura per legem imperii fundamentalem ecclesiae (§ 15) addicta abhinc quoque fore intacta, seu ecclesiam debere liberam esse in *rebus internis* administrandis. Sed quod hisce verbis asseri videtur, id denuo extenuatur, dum 1. status sibi privative jus vindicat determinandi, quaenam res sint internae, quaenam externae (l. c. p. 28); 2. in praxi, prout ex supra enarratis objectis apparet, pene omnes inter *relationes exteriores* recensentur, et 3. insuper principium enuntiatur (p. 33) etiam ea, quae ecclesiae libere determinanda et administranda relinquuntur, vi et influxui status non penitus subduci posse. — Cfr. *Maassen*, Neun Kapitel über die freie Kirche p. 441 seq. — Propterea non immerito conquestus est P. Pius IX. (not. 7), ecclesiam in omnibus fere rationibus et actionibus, quae ad regimen fidelium spectant, supremo civilis auctoritatis imperio prorsus subjectam et obnoxiam haberi. Idem summus Pontifex etiam improbat illud principium: «Gubernii civilis esse, ex suprema sua potestate leges ferre quemadmodum de civilibus, ita etiam de ecclesiasticis rebus, utpote quod ecclesiae advigilare et dominari debeat non secus, ac aliis quibuscunque societatibus privatis mereque humanis intra imperii fines existentibus.»

[12]) Pius IX. (l. c. not. 7) ait: Motiva legibus praefixa «licet speciem aliquam moderationis prae se ferre fortasse videantur, si cum Borussicis legibus comparentur, re tamen vera ejusdem rationis et indolis sunt, eandemque catholicae ecclesiae in Austriaca ditione parant perniciem.»

[13]) Minister pro cultu in edicto d. 22. Maj. 1874 provinciarum gubernatoribus injunxit, ut leges de *relationibus exterioribus* humane et benigne in exitum perducantur, in quantum littera et spiritus legum hoc fieri permittat.

[14]) Cfr. *Vering*, Archiv t. 19. p. 92, ubi exhibetur, a Pio IX. in Constit. «Suprema» 10. Oct. 1867 privilegia *monarchiae Siculae* propter intervenientes abusus esse revocata.

ejusque observatio a rege coronando hactenus juramento appromitti consuevit. Anno 1848 leges Hungaricae, etiam politico-eccles. prorsus sunt immutatae, eaedemque leges post aliquam interruptionem a. 1867 denuo resuscitatae sunt. Anno 1855 concordatum Austriacum etiam in Hungaria vigorem obtinuit ex mente Pontificis, qui etiam in hoc regno voluit illud observari ad instar legis ecclesiasticae. Haud pauci quidem sentiebant, concordatum in Hungaria vim non habere, eoquod in pluribus repugnet juri canonico, legibus a. 1848 latis, atque ipsis privilegiis regi Apostolico concessis. Quidquid tamen sit, a concilio provinciali tum Strigoniensi (1858) tum Colocensi (1863), concordatum solemniter receptum fuit, etiamsi fatendum sit, episcopos Hungariae inde ab a. 1860 propter adjuncta prorsus peculiaria rarius provocasse ad concordatum.

c. Inde ab a. 1868 multae successive leges sancitae sunt, ecclesiae juribus et libertati summopere adversae[15]) e. g. leges anni 1868, quae respiciunt transitum ad alium cultum, matrimonia mixta, separationem conjugum mixtae religionis, scholas minores; leges a. 1879 in codice poenali decretae (vid. infra § 59 not. 6); denique notandi sunt conatus hominum ecclesiae infensorum, qui novissimo hoc tempore nil intentatum reliquerunt, ut scholae mediae *catholicae* omnino subducantur ecclesiae, ut piae fundationes pro scholis destinatae eidem eripiantur,[16]) ut inducatur matrimonium civile etc.[17])

d) Cum dictis cohaerent conamina *catholicorum* in Hungaria pro tuenda *autonomia ecclesiastica* seu pro tuendo jure, ecclesiae res proprias *legibus* et *actibus* libere regendi et gubernandi. Per plura saecula rex Apostolicus ceu *supremus ecclesiae Patronus et Advocatus* quaedam autonomiae jura per suos ministros et collegia (e. g. mediante studiorum commissione catholica) in exitum perduxit. Haec jura haudquaquam erant *majestatica* aut imperio adnexa et subsistebant salvâ autonomiâ ecclesiasticâ. At novissime ista jura, quamvis, utpote forma regiminis immutata, non amplius nomine regis *Apostolici* exerceantur, imo etiam per administros acatholicos exerceri possint, nihilominus tamquam diademati regio adnexa a gubernio considerari coeperunt. Consequens erat, quod cum jam omnes sectae longe per Hungariam plena autonomia

---

[15]) Cfr. *Vering*, Archiv. t. 21. p. 472 seq.; t. 22. p. 149 seq.; t. 24. p. 104. seq.

[16]) Cfr. Circulare Cardin. Simor d. 2. Febr. 1869 Archiv. t. 22. p. 316 seq.; quoad scholas minores t. 41. p. 412 seq.; p. 437 seq.; t. 47. p. 311 seq., ubi exhibetur Memorandum Cardin. Haynald.

[17]) Archiv. t. 21. p. 472.

gaudent,[18]) soli catholici eadem privati declarantur; unde iidem omni nisu pro tuenda autonomia e. g. pro asserendo charactere catholico suarum scholarum, pro vindicando dominio fundationum scholis addictarum decertare adacti sunt. Pro asserenda hac autonomia per aliquod tempus laici quoque e. g. in publicis congregationibus adlaboraverunt, et quidem etiam homines irreligiosi, qui autonomiam perperam intelligentes, ad fines religioni contrarios eam convertere conati sunt.[19]) Sed hodie autonomiae propugnatio ab iis suscepta est, ad quos potissimum pertinet, sc. ab episcopis et a clero.

§ 47. II. Ecclesiae conditio in regno Borussiae et in imperio germanico.

1. In regno Borussiae regnante Guilielmo IV., ac imprimis vi Constitutionis (a. 1848 et 1850) ecclesia catholica sat amplis libertatibus fruebatur. Sed res in pejus ruere coeperunt praesertim inde ab a. 1870 praetextu novi dogmatis de infallibilitate Pontificis. Ex hoc tempore favor singularis in sic dictos *veteres catholicos* profusus, econtra religiosi Societatis Jesu cum affinibus (prouti dicebantur) ex totius Germaniae finibus expulsi (4. Jul. 1872), omnes religiosi a munere docendi in scholis exclusi (15. Jul. 1872), scholae et omnia instituta educationis, etiam *privata,* directioni gubernii omnino subjecta (11. Mart. 1872 et aliis legibus subsequentibus). Imo ex anno 1876 gubernium etiam jus sibi vindicavit, tum per se religiosam instructionem dirigendi tum aliis missionem dandi ad hanc impertiendam. — Sed his omnibus fastigium impositum est legibus d. 11., 12. et 13. Maji 1873 et aliis similibus successive sancitis. Harum legum tenor alius non est, nisi ecclesiae interitus in Borussia. Sors quippe alia ipsi non relinquitur, nisi aut *flecti* aut *frangi* i. e. aut esse ecclesia servilis, majestati regni Borussici subjecta, aut omnino non esse.[1]) Quia vero

1. In regno Borussiae.

[18]) Cum per Hungariam protestantes, graeci orientales et Judaei jam ab a. 1790 autonomia eccles. ac plena quoad suam religionem libertate gavisi essent, etiam catholici inde ab a. 1848 eadem potiri adlaboraverunt, praesertim quantum ad catholicas scholas et fundationes. Hunc in finem tum collegia stabilia creare, tum comitia generalia catholica ex viris et laicis et eccles. composita statis temporibus convocare propositum fuit. Sed ex a. 1871 studium autonomiae in hac forma ampliata iterum remisit. Cfr. Böredy in Archiv t. 58. p. 61 seq.

[19]) Sic e. g. in congressu catholicorum a. 1871, imo jam in praeviis consultationibus summa tum ignorantia tum arrogantia ex parte multorum sat aperte manifestata fuit. Hujus spiritus homines eo tendebant, ut totam religionem, nec ipso dogmate aut liturgia excepta, dispositioni congressus, a potiori laicalis, extraderent. *Vering,* Archiv. t. 19. p. 303 seq.; t. 21. p. 475 seq.; t. 23. p. 256 seq.; t. 24. p. 290; t. 29. p. 218. 254.

[1]) *Maassen,* Neun Kapitel etc. p. 466 seq.

neutrum vult ecclesia, ideo conflictus flagrat. Prout olim in imperio ethnico Romano usu venit, ita et in Borussia imprimis clerus impugnatur et legum jacula in ipsum quam maxime diriguntur. Hinc *religiosi* omnes (paucis exceptis) ex Borussiae finibus exulare sunt jussi (l. 31. Maj. 1875), *saeculares* vero clerici multum divexantur tum quando ad statum sacerdotalem praeparantur, tum cum munere suo in cura animarum funguntur.[2]) Sacerdotibus enim, qui legibus status morem non gerunt, aliud non restat, quam trahi ad judicia, poenas carceris vel aeris subire, famem pati, ab officio per gubernium deponi, exilio multari.[3]) — Dici vix potest, quam exitiosae hae aliaeque similes leges catholicis in Borussia fuerint et sint, praesertim ob sacerdotum penuriam in dies crescentem, ita ut multi catholici in extremis quoque necessitatibus solatio religionis omnino destituantur. — Equidem per plures jam annos tractationes de de pace concilianda inter gubernium et curiam Romanam sunt continuatae; sed ardens Pontificis studium restituendi solidis innixam fundamentis concordiam et pacem, hactenus (1885) aliud non effecit, quam ut asperitas legum priorum per legem d. 14. Julii 1880 jam aliquantisper mitigata fuerit. Nam vigore hujus legis potestas quaedam *arbitraria* summis officialibus addicitur, qua leges *in concreto* mitius applicare possunt. — Verumtamen hoc ipso temporis puncto, divinae providentiae beneficio, litis finiendae spes certissima affulget!

2. Bavaria.

2. In regno *Bavariae* concordatum a. 1817 cum Sede Apostolica initum d. 26. Maj. 1818 una cum fatali religionis edicto (prout vocatur) publicatum fuit. Quoniam vero hoc religionis edictum in pluribus concordato repugnat, lites vix unquam interruptae

---

[2]) L. d. 11. Maj. 1873 «de praeparatione ad statum cleric. et de munerum collatione.» Quoad cleri praeparationem requiritur a) ut quis rite absolverit studia in aliquo Germaniae gymnasio; b) item studia theologica in Universitate; c) ut subeat examen peculiare a gubernio praescriptum. Porro omnes sacerdotes in cura animarum exponendi indicari debent praesidenti superiori, ut consensum vel dissensum manifestet ad immissionem sacerdotum in officium ipsorum.

[3]) L. d. 12. Maj. 1873 «de eccles. potestate disciplinari et de constituendo summo tribunali pro rebus eccles.» Haec lex intendit, jura Pontificis quoad disciplinam supprimere, episcopis minime quid relinquere, cetera omnia dicto tribunali subjicere, cui etiam competit sacerdotes et ipsos episcopos deponere. Et haec depositio in Borussia sic intelligitur, ut actus ordinis quoque, quos facit depositus, coram lege prorsus *irriti* declarentur. — L. d. 13. Maj. 1873 «de limitatione quoad usum coërcitionum eccles.» eripit ecclesiae jus poenas infligendi et ipsum gladium excommunic., intentatis simul mulctis pecuniariis in transgressores. (Cfr. supra § 35. not. 13.) Ad terrorem famis clero incutiendum 22. April. 1875 addita est lex «de panario» nuncupata, vi cujus et sacerdotibus et episcopis, nisi morem gerant legibus, illi proventus subtrahuntur, qui a statu ipsis sunt solvendi.

usque ad hunc diem inter utramque potestatem agitatae sunt. Equidem gubernium iterato promisit,[4]) fore, ut res sacrae ad normam conventionis deinceps pertractentur; sed in praxi edictum religionis vix non semper praevaluit concordato. Tali modo factum est, ut jus placeti, jus appellationis tamquam ab abusu, jus supremae tutelae et inspectionis ceu regni palladium tenaciter retentum sit, et in pluribus aliis e. g. quantum ad concursum parochialem gubernium primas partes sibi vindicaverit. Porro tempore recentiori, legislatio isthaec adhuc gravior ecclesiae evasit. Quo e. g. spectant: Leges, quae interdicunt vitam communem religiosorum Societatis Jesu, missiones ab iisdem celebrari consuetas, congregationes Marianas; item leges variae vim religionis a scholis arcentes; porro lex prohibens concilii Vaticani publicationem; leges et actus singularem favorem et auxilium sectae neotericae praestantes. Denique a. 1873[5]) concordatum indirecte abrogatum est, eoquod publicis officialibus injunctum fuerit, unice attendere ad edictum religionis et ad leges, quae cum hoc concordant.

3. Würtemberg.

3. In regno *Würtemberg* conventio cum rege inita tum ab hoc tum ab Apostolica Sede in Constit. «Cum in sublimi» d. 22. Jun. 1857 publicata fuit, sed retractata est a. 1861, comitiis regni illud reprobantibus. Vice concordati aboliti res ecclesiasticae legibus civilibus sunt compositae, quae generatim quidem pro fundamento habent sanctiones concordati, attamen in pluribus ab ipso deflectunt. Idcirco ex causis tum formalibus tum materialibus contra has leges reclamatum est ab episcopo, a clero, ab ipsa Apostolica Sede. Sed hoc non obstante res ecclesiasticae in hoc regno pacatiores sunt, quam in multis aliis ditionibus. Id quod tum ex quadam gubernii aequitate tum ex multiplici congruentia legis civilis cum concordato provenit. Quotiescunque enim res ecclesiasticae mutuo inter utramque potestatem sunt pertractandae, gubernium nomine legis, curia vero episcopalis nomine concordati agere solet.[6])

4. Baden.

4. Inter omnes totius Europae status (Helvetia fors excepta) vix aliquis est, in quo graviores et diuturniores lites tum scriptis privatis tum publice agitatae sunt, quam in Magno Ducatu *Badensi*. In hac ditione abhinc jam triginta annis et amplius leges pluri-

[4]) E. g. per declarationem jam 27. Sept. 1818 Sedi Apostolicae exhibitam, quae tamen mox retractata est; item per edictum cui rex in Tegernsee subscripsit, et quo declaratum fuit, concordatum in omnibus adinstar legis civilis ad amussim servandum esse. Per regiam vero resolutionem d. 30. Mart. 1852 statutum est, in quavis dubia repugnantia concordati cum edicto religionis semper favore concordati decidendum esse.

[5]) Edict. minist. d. 20. Nov. 1873. Archiv t. 31. p. 177.

[6]) *Vering*, K.-R. p. 240 seq.

mae in praejudicium ecclesiae, sectis massonicis colludentibus, sunt excusae. Ibi ex hoc tempore maxima detrimenta passi sunt catholici, qui, etiamsi subditorum duas partes efficiant, tum protestantibus tum neotericis apostatis vix non semper posthabiti sunt.[7]) Ibi ordines religiosi a munere docendi,[8]) imo a finibus Ducatus exclusi, sacrae missiones per eos faciendae interdictae, fundationes catholicae a fine suo alienatae atque penitus saecularisatae, scholae, ipsa religiosa instructione non excepta, directioni gubernii subjectae,[9]) aliaque quam plurima in ruinam ecclesiae peracta sunt. Lex ceteris durior d. 19. Febr. 1874 prodiit, quae inter alia tum pro adspirantibus ad statum clericalem tum pro iisdem ad munera eccles. promovendis normam examinis prorsus intolerabilem sancivit. Haec tamen lex aliquatenus mitigata est per legem d. 5. Mart. 1880, et in hac forma a Vicario capitulari[10]) recepta est. Utinam hoc esset omen pacis!

5. Saxonia.

5. In regno *Saxoniae* ecclesiae libertas et jurisdictio jam dudum arctis limitibus constricta fuit. A. 1876 lex condita est «de suprema status inspectione super ecclesiam catholicam,» quae imitatur leges Maji (1873) Borussiae nec non leges Austriacas d. 7. Maji 1874. Lex de placeto regio tam dure sustinetur, ut publicatio concilii Vaticani impossibilis evaderet. Item regi reservata est appellatio tamquam ab abusu. Ordo Societatis Jesu tam timetur vel odio habetur, ut quivis sacerdos, munus aliquod ecclesiasticum suscepturus, juramenti loco asseverare debeat, se hujus ordinis membrum nec esse, nec unquam fuisse. Quoties agitur de confoederatione constituenda, etiam ad solum finem piarum precum communium, gubernii assensus requiritur. Scholae generatim quidem juxta religionem scholarium secernuntur; at ubi catholici minorem partem communitatis efficiunt et propriam scholam non habent, tunc eorum pueri et puellae coguntur frequentare scholas protestantium, quin et instructionem in religione protestantica percipere.[11])

6. In ceteris German. territoriis.

6. In *ceteris Germaniae ditionibus* leges harum similes sunt introductae, in provincias vero ab a. 1866 Borussiae adjunctas leges Borussicae sunt extensae. Id quod etiam de Alsatia et Lotharingia obtinet; siquidem leges pro his provinciis cautae aliud pro scopo non habent, quam ecclesiam facere servilem et ex catholicis facere protestantes.

---

[7]) Lex de dotat. cleri 25. Aug. 1876; L. 15. Jun. 1874.
[8]) L. d. 2. April. 1872.
[9]) L. d. 8. Mart. 1868 et 18. Sept. 1876 Archiv t. 39. p. 425.
[10]) Cfr. *Wacker*, Das Friedenswerk im bad. Culturkampfe. Freiburg. 1882.
[11]) Volksschulges. d. 26. April. 1873. Cfr. Archiv t. 46. p. 56.

§ 48. III. Conditio ecclesiae in reliquis territoriis.

1. In *Gallia* Consul Napoleon conventionem cum P. Pio VII. 15. Jun. 1801 initam d. 8. April. 1802 promulgavit et una cum 77 articulis, qui *organici* vocantur, contra quos tamen, utpote concordato in pluribus repugnantes, s. Sedes identidem reclamavit. Et deinceps quidem, post regum monarchiam restitutam, imo ad nostra usque tempora articuli organici maxima ex parte, non contradicente gubernio, ex usu recesserunt, ita ut iis non obstantibus v. gr. concilium Vaticanum promulgare, synodos gubernio inconsulto celebrare, aliaque multa istis articulis contraria agere omnino liberum fuerit. Nunc vero ex a. 1871 in republica noviter constituta hostes ecclesiae, summa rerum potiti, bellum atrocissimum contra illam movere coeperunt, cum consilio aperte declarato, clericalismum i. e. religionem catholicam in Gallia exstirpandi. Jam instructio religiosa ex scholis amota, religiosi tyrannice expulsi, animarum cura hospitalibus et exercitui ademta, clerus in paupertatem redactus etc. 1. In Gallia.

2. In *Belgio* homines sectae massonicae, per longum tempus regni gubernacula tenentes, pessimas concinnarunt leges, quibus piae fundationes, ad finem instructionis factae, gubernio sunt addictae (L. d. 19. Dec. 1864), religio ex scholis popularibus est eliminata (L. d. 10. Jun. 1879), sustentatio pro professoribus seminariorum suppressa, summa pro ipsis seminariis sustentandis imminuta, cura animarum pro exercitu abrogata (L. Mart. 1881). Equidem novi ministri cum deputatis recens electis salubriores leges quoad scholas et alia condere inceperunt; utrum vero novum gubernium tot tantisque malis remedium afferre possit, hodie nemo potest divinare. 2. In Belgio.

3. In *Hollandia* vi Constitutionis d. 14. Oct. 1848 placetum regium abolitum et communicatio cum praesulibus ecclesiasticis concessa est. A. 1853 a P. Pio IX. hierarchia catholica in hoc regno fuit restituta. Scholae hujus ditionis vi legis d. 1. Jul. 1879 sunt quidem communales; attamen magistri fidem catholicorum scholarium violare prohibentur, et catholicis insuper conceditur religiosam instructionem pueris suis impertire. Generatim in hoc regno catholici mitius tractantur, quam in plurimis aliis regionibus, in quibus partem longe majorem populi efficiunt sub ipsis catholicis regnantibus. 3. In Hollandia.

4. In *libera Helvetia* ecclesia jam ex dimidio saeculo plus minusve versatur in continuo statu persecutionis. Leges quidem Helvetiae fundamentales ab exordio sermonis larvatâ benevolentiâ pollicentur plenam religionis et conscientiae *libertatem,* sed in subsequentibus legum §§ ecclesiae tam arcta vincula injiciunt, ut 4. In Helvetia.

juxta suam constitutionem existere plane non possit. Distingui debent leges centrales a legibus uniuscujusque Pagi. Quod jam attinet

a) leges *centrales* seu totius Pagorum foederationis, in revisione Helveticae Constitutionis (29. Maj. 1874) inter alia cautum fuit: Ordinem Societatis Jesu, nec non ordines Jesuitis affines ita abrogatos esse, ut membris eorum non liceat munere aliquo fungi sive in ecclesia sive in scholis; jurisdictionem ecclesiasticam esse abrogatam; liberam omnino esse librorum impressionem, sed tamen placetum retinendum; porro liberam civium associationem, at exceptis societatibus religiosis. Nam et novos conventus erigere et veteres abolitos resuscitare inhibetur.

b) Quoad leges in singulis Pagis Helvetiae latas est quidem differentia statuenda, ita, ut catholica religio benignius tractetur e. g. in Pagis Helvetiae veteribus, item in Pagis ad quos se extendit Dioecesis Sedunensis et Lausannensis et quodammodo etiam Churiensis, et in Pago Neuenburg, licet a potiori protestantico. Sed multarum regionum Helvetiae leges eo tendunt, ut regimen ecclesiae monarchicum ad formam democraticam redigatur; ut ecclesia collegiis laicorum imo et heterodoxorum et massonicorum subjiciatur, qui de rebus ecclesiasticis absoluto suo imperio disponere sibi arrogant, manus profanas in ipsum sanctuarium cultus divini extendentes. Hinc in plurimis Pagis reperitur hierarchia catholica subversa, jurisdictio ecclesiastica intercepta, ecclesia ad formam schismatis pene redacta. Porro scholae catholicae sunt abolitae, piae fundationes ecclesiae ereptae, bona ipsius exclusive a potestate saeculari administrata, parochi ad annos plerumque sex a populo eligendi ac deinde revocandi, si placuerit. De hujusmodi vexationibus Pius IX. graviter expostulavit,[1]) praesertim de iis, quae contigerunt in tractu Gennevensi, atque in quinque ex 7 Pagis, quibus constat Dioecesis Basileensis, nempe Soloduri, Bernae, Basilae campestris, Argoviae, Turegi.[2]) Hodie tamen in

---

[1]) Encycl. d. 21. Nov. 1873. Archiv. t. 31. p. 186 seq.

[2]) Legibus Helveticis actus regnantium violenti respondent. Ex quibus sunt potissimum: D. 17. Febr. 1873 decreto consilii foederalis expulsus est Vicarius Apostolicus Casp. Mermillod; d. 17. April. 1873 Eugen. Lachat episcopus Basileen. ab episcopatu dejectus violenterque in exilium actus. Etiam Nuntius Apostolicus (Jan. 1874) relegatus, seminaria sublata, inter quae etiam seminarium puerorum Sangallense. Collectio denarii s. Petri interdicta tamquam titulo mendicitatis, item Collecta pro Papa in ss. Missa prohibita in Pago Turgevi. In Pago Soloduri et Argoviae tempus concionum in ecclesia ad semihoram vel tres quadrantes restrictum; sacerdotes jussi ex pulpito edictum gubernii praelegere, in quo invehitur contra Papae infallibilitatem. Notari etiam debet conferentiae dioecesanae machinatio ad Compendium Gury ex schola seminarii removendum. Sacerdotes sine culpa ab officio depositi aut pecunia multati e. g. ob solam Missae privatae celebrationem.

redigantur.»[1]) Ratio est, quia dogmatice constat: *„Extra ecclesiam non est salus,“* quae sententia indifferentismum tum laxum tum minus laxum excludit.[2]) Idcirco ecclesia catholica omnibus viribus fidem suam propagare aliterque sentientes ad se perducere incessanter laborat.[3]) Sed in conversionis negotio nonnisi justa et recta media praecipit adhiberi, omnem vim externam, sed fraudem quoque ac fallaciam, corruptionem, similesque artes tamquam media et inepta et illicita respuens.

Ecclesia non damnat personas.

2. Non damnat in concreto personas in errore versantes, pro certo habens (ut ait Pius IX.), «qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit *invincibilis,* nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini.» Siquidem error invincibilis haereticos facit tantum materiales. Quoad hos cum s. Augustino credit, eos veri nominis haereticos non esse.[4]) Similiter quoad infideles pure negativos hanc sententiam (68) Baji damnat: «Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est» et s. Thomas consentit, qui dicit: «Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.»[5])

[1]) Gregor. XVI. Encycl. 1832 advers. Indifferentistas et Lamenaisium; Lit. Pii IX. ad episc. Austr. (1856) Viennae congressos.

[2]) Symbol. Athanasii; Decretum pro Jacobitis seu Bulla Eugenii IV. «Cantate Domino»; Allocut. Pii IX. 9. Dec. 1854, ubi praeclare de hac re disseritur. Inter alia Pontifex: «Tenendum quippe, ait, ex fide est, extra Apost. Rom. ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam; hanc qui non ingressus fuerit, diluvio periturum.» In Syllabo n. 15—18 reprobatur tum indifferentismus, tum latitudinarismus (quo non omnes quidem religiones censentur aeque bonae, sed tamen ecclesia non creditur esse unice salvifica). Leo XIII. Const. «Immortale Dei» indifferentismum dicit involvere atheismum. «Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse» p. 21. 22.

[3]) «Nullis ullo unquam tempore curis laboribusque abstinebimus, ut per ipsius Christi gratiam eos, qui ignorant et errant, ad unicam hanc veritatis et salutis viam adducamus.» Alloc. Pii IX. 17. Dec. 1847.

[4]) «Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumptionis pepererunt, sed a seductis et in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.» S. Aug. ep. 163. in c. Dixit 29. C. 24. qu. 3. — Salvianus: «Veritas apud nos est, sed illi apud se esse praesumunt. Errant ergo, sed bono animo errant.... Dolendi ergo potius quam persequendi sunt, commiseratione, non odio digni. Quodsi Deus eos tolerat, qui a vero deviant, iisdem beneficia exhibet multiplicia: inique agere censendus est homo ille, qui innoxie errantes, quod secum idem non sentiant, persequi velit.» *Schöpf,* K.-R. t. 4. p. 577.

[5]) S. Thom. Secunda Sec. Quaest. 10. art. 1.

Et quoniam limites hujusmodi ignorantiae designare difficillimum est, ideo judicium eorum, qui in errore ex hac vita decesserunt, soli Deo committit.[6])

Tolerantia christiana.

3. Denique ecclesia, utut abhorret tolerantiam dogmaticam, tamen docet et praedicat tolerantiam *christianam*, quae in eo consistit, ut unumquemque, quocum agendum nobis est, nostrum proximum judicantes, licet alienum a nostra religione, non solum toleremus et mite judicium de ipsius culpa feramus, sed in familiari etiam vitae consuetudine omnia officia ad legem christianae pietatis pertinentia ei exhibeamus. Verum ex altera parte curandum, ut ab orthodoxis praesertim ubi ipsos permixtim cum acatholicis vivere contingit, periculum perversionis arceatur. Nominatim certae quaedam regulae quantum ad communionem in sacris a catholicis observandae sunt, ne pax et familiaritas utriusque partis usque ad profanam rerum religiosarum commixtionem progrediatur. Hinc

§ 51. De communicatione in sacris cum acatholicis.

Duplex communicatio in sacris cum acatholicis distingui potest: activa et passiva.[1])

1. Communicatio activa.

1. *Activa* est, quando nos catholici cum sectariis participes sumus cultus acatholici. Per cultum heic in sensu latiori doctrina christiana, preces, Sacramenta, quaevis actiones liturgicae, imo et certa emolumenta et jura honorifica membris ecclesiae obvenientia, v. c. sepultura ecclesiastica, intelliguntur. — Haec communio activa cum haereticis et schismaticis generatim quidem, sed non absolute, prohibetur. Nimirum tunc illicita censenda est,

Quando sit illicita.

a) quando ipsa videri posset *alieni cultus aestimatio et adprobatio*. Hujus generis esset e. gr. audire praedicationem in fano acatholico ad solatium et doctrinam inde hauriendam; operam suam, pecuniam, vel locum ad exstruendum templum acatholicum conferre; communes preces aut cantilenas in publicis eorum conventibus recitare, et similia.

b) Si ex hac participatione aut *scandalum* oriretur aut *subversio* in fide et moribus pertimescenda foret. Intellige potissimum scandalum aliorum catholicorum et periculum in fide haesitandi

---

[6]) Egregie desuper Pius IX.: «Enimvero, ait, cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina, unum Deum esse, unum fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est.» Alloc. 9. Dec. 1854.

[1]) *Schöttl:* Die gegenseitige Gemeinschaft in Kulthandlungen zwischen Katholiken und Akatholiken. Regensburg 1853.

imminens catholico participanti. Verum ad illud etiam attendendum, ne hominis catholici exemplo in errore obfirmentur et ipsi heterodoxi.

Licita vero est haec communicatio, quando, sejuncto tum scandalo tum periculo, aliqua participatio non ex aestimatione alienae religionis sed ex alio motivo rationabili procedit, e. gr. si officiales et magistratus catholici vi muneris sui conventibus acatholicorum intersunt, aut si quis comitatur funus amici vel consanguinei ad sepulcrum, dummodo id fiat solo affectu civilitatis et amicitiae absque ulla communicatione in ritibus haereticorum. Cum hi similesque actus ex mente participantium nullam relationem habeant ad religionem, sed ex alia habitudine procedant, cooperationem dumtaxat materialem, minime vero communicationem illicitam in sacris involvunt.[2])

Quando licita.

---

[2]) Cfr. *Reiffenstuel* et *Pirhing,* ad tit. 7 et 39 libri V. Decretalium. Notanda est Instructio, quam Cardin. Vicarius ex mandato P. Leonis XIII. 12. Jul. 1878 parochis direxit, respiciens eos, qui cum protestantibus apud nos templa et scholas aperientibus communicant. In hac Instr. sequentia habentur: 1. «Excommunicationem majorem summo Pontifici speciali modo reservatam incurrunt, qui etiam sine animo adhaerendi haeresi, et ex solo respectu humano, sectis cujuscumque nominis haereticorum nomen dant.» — 2. «A fortiori eandem poenam incurrunt, qui acatholicis fundationibus (seu, ut ajunt, *servitiis*) participant, aut praedicantem audiunt cum animo ei credendi, si, ut ipsi impie dicunt, eos persuasos reddat.» — 3. «Eandem pariter excommun. incurrunt, qui, aliorum spiritualem ruinam quaerentes, quovis modo efficiunt, ut alii ad aulas et templa haereticorum se conferant, ut ibi *conferentias* audiant.» — 4. «Tandem eadem poena plectuntur, qui invitationes ad ipsas conferentias earumque themata typis publicant, propter favorem, quem, sic agendo, haeresis propagationi et confirmationi praestant.»

«Severe interdicitur, ne quis ex mera curiositate aulas et templa protestantium, dum conferentiae fiunt, ingrediatur; et peccant etiam graviter tum qui ex mera curiositate protestantium conferentias audiunt, necnon caeremoniis acatholicis utut materialiter assistunt, imo dum etiam ex solo fine lucri in templis protestanticis cantant et sonant; tum typographi etiam secundarii, qui, ne ab officina ejiciantur, pro edendis libris haereticorum typos componunt; imo si hujusmodi libri haeresim doceant atque propugnent, isti quoque typographi secundarii majorem excommun. speciali modo Pontifici reservatam incurrunt.»

«Neque a peccato mortali eximi possunt architecti, fabricae conductores atque aedificii praefecti, qui ad protestanticum templum aedificandum et ornandum operam suam et laborem conferunt. Caementarii tamen aliique operarii secundarii a peccato excusari poterunt, dummodo in facto eorum scandalum non adsit, neque in cath. religionis contemptum laborent. Parochorum tamen et confessariorum partes erunt, ut diligenter hos pauperes homines edoceant ab hoc etiam opere materiali abstinere debere tum quando labor tamquam signum falsae religionis protestivum communiter habeatur; tum quando opus ipsum aliquam rem contineat, quae aut cultus catholici reprobationem aut cultus haereticalis approbationem directe significet; tum quando constat, quod ad laborandum in religionis catholicae contemptum ab haere-

2. Communicatio passiva.

2. Communicatio *passiva* in sacris est, quando sectarii sacrorum catholicorum participes esse sinuntur. Circa hanc notandum, acatholicos quorundam bonorum participes fieri posse, alia vero illis esse deneganda. Etenim ecclesia catholica certis salutis mediis instructa est, quae ex natura sua ad conciliandos sibi haereticos apta sunt proindeque etiam haereticis communia. Haec praesertim

Licita.

sunt: praedicatio verbi divini et oratio. Verbum Dei omnibus indiscriminatim applicabile esse, per se intelligitur.[3]) Orationem quod attinet, preces privatae pro omnibus et singulis recte quidem et laudabiliter fiunt; sed preces publicae et communes pro iis, quos ab ecclesia separatos esse constat, *singillatim* seu nomine *singulorum* expresso fieri non possunt, exceptis tamen regnantibus.[4])

Illicita.

At vero alia sacra et salutis media exstant, a quorum communione acatholici *generatim* repelluntur sive ex eo solo, quod ista sacra pro sua indole *signa distinctiva* communionis catholicae sunt et proin solis ecclesiae membris communicari possunt, sive simul ex eo, quod acatholici illis dispositionibus destituuntur, quae a participantibus requiruntur. Dixi *generatim*, quia nonnulla sacra exceptionis causa acatholicis quandoque communicari possunt, praecipue quando vel ad conversionem jam proni sunt, vel ut proni efficiantur. Sed jam ad singula descendamus.

Quoad sacrificium Missae.

a) Quaeritur praeprimis, num sanctissimum Missae sacrificium pro acatholicis offerri possit? — Generatim dicendum, sacrificium N. T. pro iis, *qui foris sunt,* non posse offerri, eoquod per eminentiam ad bona pertinet communioni sanctorum propria. Sed nonnunquam, maxime vero pro eorum spirituali salute, potest offerri. Hoc ut clarius fiat, distinguendum est inter Missas privatas et solemnes publicasque, et ulterius inter Missas pro acatholicis vivis et pro defunctis. Jam dicunt, Missas *privatas pro acatholi-*

---

ticis coacti aut vocati fuerint. Habere autem intentionem cultum haereticalem adjuvandi in nullo casu licet.»

«Multo magis tamen peccati enormissimi reos se reddunt patres matresque familias, qui erga propriorum filiorum animas vere crudeles, eos ad protestantium scholas mittunt aut (quod adhuc pejus est) cogunt. Evidenter patet, genitores hujusmodi propter tantum crimen esse omnino reprobandos et detestandos, eorumque resipiscentiam quovis modo possibili esse procurandam, atque interea a Sacramentis, tamquam manifeste indignos, esse arcendos, donec filios a scholis adeo reis non subduxerint.»

«Filii quoque ad tales scholas accedentes, re in se spectata, sine dubio mortaliter delinquunt. In casu tamen verae coactionis, confessarius, perpensis personae et facti circumstantiis, erga eos se gerat juxta regulas, quas auctores probati in similibus eventibus suggerunt.» Apud *Berardi* de recidivis et occasionariis, Faventiae 1877 p. 341.

[3]) Rom. 10, 14.

[4]) *Schöttl,* l. c. p. 130.

corum conversione licite celebrari, ita tamen, ut sacerdos quidem fructum, qui dicitur medius, pro spirituali acatholici salute applicet, sed privatim dumtaxat, quin nomen illius publice denuntiet, ne caeteri vel scandalum sumant, vel ejusmodi sacerdotem nomine ecclesiae agere existiment.[5]) Missae vero *solemnes* nonnisi pro principibus regnantibus conceduntur, et quidem eo solo respectu, quia fiunt pro regnante et pro reipublicae prosperitate. Neutiquam vero *Missa solemnis pro defuncto acatholico,* neque pro ipso principe,[6]) offerri potest. Ratio est, quia principe fatis humanis erepto, jam non amplius pro imperante sed nonnisi pro *anima* defuncti Missa applicari potest: hoc vero non licet, nam (ait Gregor. XVI. 1842. Vid. not. 6) «veteri ac nova ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur.» Intuitu protestantium accedit, quod hi purgatorium esse negant et sacrificium Missae rejiciunt. Ad summum *Missa privata* (cum supra dictis restrictionibus) *pro defuncto acatholico* tunc fieri potest, cum talem cum manifestis poenitentiae signis nec non cum desiderio catholicam fidem amplectendi obiisse constat.[7])

Quoad Sacramenta.

b) *Sacramenta* regulariter acatholicis sunt neganda, tum quia signa et bona sunt *communionis* ecclesiasticae, qua acatholici privantur, tum quia iidem dispositionibus carent pro eorum susceptione requisitis, cujus generis potissimum sunt: fides (intellige hic non solum habitum infusum, sed praecipue fidem actualem et publice manifestatam) et status gratiae pro suscipiendis Sacramentis vivorum. Idcirco sine *sacrilegio* Sacramenta iisdem conferri haud possunt. Sic e. g. ad Sacramentum *poenitentiae* regulariter ne materiales quidem haeretici, quos acatholicos esse notorie constat, admitti possunt, tum quia desideratur verae fidei professio

---

[5]) *Kober:* Der Kirchenbann. Tübingen. 1857 p. 279. *Fessler:* Sammlung vermischter Schriften p. 277 not. — Pro acatholicis (sc. baptizatis) non potest Missa applicari et eleemosyna percipi, nisi constet expresse, eleemosynam ab acatholico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem. Ita s. Congr. Off. d. 19. April. 1837. Cfr. *Müller,* Th. Mor. III. t. p. 45. Ergo pro acatholicis vivis ad summum nonnisi *indirecte* ss. Missa potest applicari. Pro infidelibus (e. g. Turcis) hoc etiam *directe* fieri posse, eadem S. Congr. d. 12. Jul. 1865 declaravit, scil. posse Missam celebrari pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, dummodo non adsit scandalum, et constet, nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse. l. c.

[6]) Notum est, id saepius petitum seu praeceptum fuisse, e. gr. defuncta regina Bavariae (1842), mortuo Magno Duce Badensi (1852). *Schöttl,* l. c. p. 140. Cfr. Archiv. t. 37. p. 474.

[7]) Pro catechumenis defunctis licite Missae sacrificium offerri patet ex synodis recentioribus e. gr. ex concilio provinc. Strigoniensi 1858.

externa, tum etiam propter aliorum scandalum.[8]) *Baptismum* quod attinet, heic illud solummodo quaeritur, num acatholicorum infantes a sacerdote catholico baptizari possint? Dico, id fieri posse 1. in articulo vel in proximo periculo mortis. 2. Extra articulum mortis cum consensu parentum, ubi spes adest, fore ut infans in catholica religione educetur et instruatur. Nam s. Congr. Officii d. 13. Sept. 1827 declaravit, ab hac regula in praxi discedi non debere: «infantes haereticorum a parentibus oblatos non esse baptizandos, nisi probabilis effulgeat spes catholicae eorum educationis.» Possent quidem filii haereticorum (ait Scavini) valide et licite baptizari, «quia ecclesia in istos habet jus. Verum in praxi non expedit . . . quia nulla probabilis spes concipi potest, ut puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui.»[9]) Decisiones Romanae pro similibus casibus editae eodem fere recidunt, dum enuntiant: baptizandos esse infantes, *si nulla certitudo apostasiae, nec ullum grave perversionis periculum immineat.*[10]) In quo recte advertunt, facilius baptizari posse infantes parentum apostatarum (seu nullam confessionem profitentium) inter medios catholicos degentium, quia eorum perversio minus timenda est, quam infantium, quorum parentes sunt protestantes. «Verum sine episcopi consilio non expedit, ut parochus quaestionem resolvat.» (Scavini l. c.) Quoties parochus ejusmodi infantem in casu necessitatis baptizavit, parentes monere debet de obligatione prolem educandi catholice; quodsi hoc facere renuant, tunc juxta decretum episcoporum provinciae Vindobonensis d. 25. Febr. 1856, licet parentes acatholici non promittant catholicam infantis educationem, nihil-

---

[8]) Tales ante in sinum ecclesiae recipi et ab excommunicatione sibi inhaerente absolvi oportet, quam Sacramentum quodcunque recipiant. Hinc potius ut exceptio quam ut regula sumendum erit illud, quod Laymann dicit et s. Alphonsus adprobare videtur: «Rustici aliique homines simpliciores in Germania, qui haeretici habentur, attamen pertinaces non sunt, possunt absolvi a suis parochis. Ratio est, quia non sunt haeretici formales; habent fidem cathol. in baptismo acceptam, quae non perditur, nisi errando pertinaciter.» S. Alphons. Theol. Moral. L. III. n. 19.

[9]) Theol. Mor. t. III. n. 73. ed. 12.

[10]) Vid. *Müller* in Linzer Quartal-Schrift t. 30. p. 523 seq. Bened. XIV. Const. *„Postremo mense“* 28. Febr. 1747; C. s. Offic. a. 1867; Cfr. et Collect. Lacens. III. 23; II. 505. Idem sentiendum est de acatholicis *adultis*. Cum quaestio mota esset ab episcopo Sangallensi, quid tenendum sit de matrimonio mixto eorum, quorum una pars non certe sed *dubie* valide baptizata est, Card. Caterini Praef. s. C. Inquis. d. 13. Apr. 1878 respondit: «Reprobandam atque illicitam omnino esse praxim administrandi a parochis baptismum sub conditione *parti acatholicae*, quae in haeresi permanere declarat, quando dubium circa ejusdem Sacramenti valorem exoritur. Tunc enim tantummodo licite id fieri potest, cum pars heterodoxa paratam se praebet, abjurandi errores et redeundi ad gremium ecclesiae catholicae.» Cfr. Collectio Lacen. II. 505 XIII.; III. 23.; *Giraldi*, II. p. 764, 765.

ominus tamen illius nomen tamquam catholici in libro baptizatorum describi oportet, sed addita clausula, parentes quoad educationem haud ullam promissionem dedisse. Porro sacerdos catholicus semper parentibus significare debet, se non tamquam vicarium pastoris acatholici, sed tamquam ministrum ecclesiae catholicae, ac proinde ritu catholico Sacramentum administrare. — Denique acatholicos tamquam patrinos adhibere non licet, tum quia valde dedecet, eos positive cooperari in administrando Sacramento, tum quia eorum religio officio patrinorum repugnat, quo sponsores fidei et religiosae educationis quoad eos sunt, quos ex baptismate susceperunt.[11]) Vicissim nec catholici fungi possunt munere patrini in baptismo, qui acatholicis ritu acatholico confertur.

Quoad sacramentalia.

c) Sacramentalia denique et alia commoda, quae ex communione fidelium proficiscuntur, ordinarie dissidentibus communicari non possunt, quia non convenit, ut beneficia filiis piis morigerisque destinata extraneis, quin et obstinatis conferantur. Ast in concreto horum communicationem auctores largius permittunt, posito nempe acatholicos hisce mediis facilius ecclesiae conciliari posse, et dummodo scandalum, contemptus et superstitio in usu sacramentalium evitentur.[12]) Hinc, ajunt, benedictiones ecclesiae, usum aquae benedictae et aliarum rerum ecclesiastica benedictione sacrarum in certis adjunctis nonnunquam permitti posse schismaticis vel haereticis.[13]) Sed non vacat singulis immorari. Num etiam juris patronatus et sepulturae ecclesiasticae capaces sint, suo loco dicetur.

Per se intelligitur, ministros catholicos legibus civilibus non ligari, si fors contra ecclesiae prohibitionem quascumque functio-

---

[11]) Rituale rom. (de bapt. c. 1. tit. 2. n. 25.): «Sciant parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles aut *haereticos,* non publice excommunicatos aut interdictos, non criminosos et infames etc.» *Kober,* l. c. p. 288. Tamquam testes mere civiles peracti baptismi acatholici possunt admitti.

[12]) *Schöttl,* l. c. p. 150 seq.

[13]) *Binterim,* Denkwürdigkeiten t. 7. p. 320. Caeterum monent, multum interesse, utrum res aliqua benedicta usum et pretium ex se jam habeat, prout e. gr. id est in esculentis benedictis, an vero res sacrae demta benedictione nullius sint usus et pretii, v. c. rami palmarum, cinis benedictus. Prioris generis res benedictae facilius acatholicis concedi possunt, quam posterioris, quia quoad illas superstitio, ignorantia et erronei conceptus facilius evitantur. Illud etiam advertendum, acatholicum hisce rebus sacris privatim quidem sensus pietatis in se excitare et fovere posse, sed gratias et beneficia non consequi, quae ab ecclesia in actu benedictionis pro iis efflagitantur, qui his rebus rite usi fuerint. (Cfr. Rituale Rom. de benedictione aquae, novae crucis, imaginum etc., ubi speciales preces fiunt ad certa beneficia et corporis et animi impetranda.) Et hoc quidem in sententia eorum, qui excommunicatos toleratos, quales et acatholici sunt, communibus ecclesiae precibus privari dicunt. *Kober,* l. c. p. 328.

nes sacras intuitu acatholicorum peragere jubeantur, e. gr. benedicere matrimoniis mixtis, funera acatholicorum ex officio comitari, et similia. Sed hodie hujusmodi leges coactivae, eoquod libertati credendi et conscientiarum adeo praedicatae repugnent, imperari non amplius solent.[14])

§ 52. Tolerantia politica.

Tolerantia politica.

Tolerantia *politica* seu *civilis* ea est legum civilium dispositio, qua pluribus vel omnibus cultibus tum religionis exercitium tum certa jurium civilium ac politicorum mensura conceditur. Quaeritur, an admittenda sit tolerantia civilis?

Per se illicita.

1. In statu pure catholico, ubi nexus ecclesiae et civitatis *juri divino* conformis viget, non admittenda est tolerantia politica. Nam in tali statu principi tamquam advocato incumbit, ut ecclesiae suae doctrinam, quantum in se est, sartam tectam servet, eos, qui, ecclesiae auctoritate posthabita, dogmata jam rite definita impugnare pertinaci animo pergunt, auctoritate sua compescat, atque libros eorundem perniciosos e republica sua proscribat. Hoc tota retro agnovit antiquitas, id servatum ad nostra usque tempora videmus.[1]) Rationes sunt: 1. Eadem jura non competunt *errori,* ac veritati. 2. Nefas est tum cooperari propagationi erroris tum catholicos periculo seductionis exponere. 3. Prudentiae politicae consentaneum est, servare unitatem verae religionis. Nam unitas religionis ad rectam reipublicae administrationem populique vigorem servandum quam maxime conducit, econtra vero dissidia in religione in labem etiam societatis civilis cedunt.[2]) Itaque falsa est assertio, civitati in admittendis religionibus nullum prorsus limitem esse positum, dummodo certam religionem reipublicae saluti haud contrarium esse deprehenderit. Falsa enim est

---

[14]) Unde in ea, quae veluti status fundamentum lata est, lege Austriaci Imperii dicitur § 14: «Nemo ad actum ecclesiasticum, aut ad participationem solemnitatis ecclesiasticae cogi potest, nisi alterius potestati subjaceat, juxta leges ad hoc jus habentis.»

[1]) Prout (sic ait Leo XIII. in Encycl. «Immortale Dei» p. 8.) nemini licet sequi religionem «quam maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem plane modo civitates non possunt citra scelus .... adsciscere de pluribus generibus (religionis) indifferenter quod libet, omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle.» — Quando utraque potestas supra dicta ideali societate connexa est (ut observat cl. *Phillips,* tom. II. p. 511), civitas tolerantiam haud minus, quam ipsa ecclesia, abhorret.

[2]) Sicut febricitantes, ait *Görres* (immortalis memoriae vir), ex aestu in frigus incidunt, ita coëxistentia plurium religionum nunc lites rixasque, nunc tepiditatem et indifferentismum generat.

hypothesis, cui suum ratiocinium inaedificant,[3]) nempe civitatem per se religionis expertem esse, ejusque actiones cum religionis negotio nihil habere. Quid vero sentiat de hac re Sedes Apostolica, hoc nemini dubium esse potest. Etenim Summi Pontifices, concordata cum regnis pure catholicis ineuntes, nunquam non unitatem religionis catholicae, exclusis ceteris cultibus, stipulati,[4]) et hujusmodi stipulatione non servatâ, alta voce semper protestati sunt,[5]) itemque generatim contra libertatem cultuum temere inductam identidem reclamarunt.[6]) Haec principia a Pio IX. in Allocutione d. 8. Dec. 1864 necnon in Syllabo (n. 77—80) clare sunt enuntiata.[7])

Ex accidenti licita.

2. Verum in certis quibusdam adjunctis dicta tolerantia licita est. Nam eadem prudentia, quae seminari zizania vetat, illa in agro forte jam prognata nonnumquam tolerare suadet, eoquod vel dignosci non queant a tritico, vel, cum isti sint implicata, sine periculo ipsius tritici evelli non possint. Evenit quandoque, ait Schenkl (§ 343), ut unius religionis defensio et conservatio principi quasi impossibilis evadat, aut ipsa reipublicae, imo et ecclesiae tum necessitas tum evidens utilitas majusve utriusque periculum, alio modo non avertendum, quandoque civilem falsae religionis tolerantiam exposcant. Hinc quoties ea sunt rerum adjuncta, ut spectatis omnibus et habita tam ecclesiae quam reipublicae salutis ratione, falsam religionem tolerare, quam non tolerare, melius, seu minus malum sit; principi subditis suis a vera religione alienis falsae religionis exercitium indulgere utique licebit. Addendum, nonnunquam heterodoxos jam existere in ditione, quam capit princeps, alia vice pactis publicis eorum jura firmari. Quodsi prius, tolerandi sunt cum juribus, quibus fruuntur; nam haec tolerantia longe differt a superinductione falsarum sectarum. Sin poste-

---

[3]) *Rechberger*, § 279 et ipse *Helfert*, K.-R. p. 77.

[4]) Concord. cum republ. ital. 1803; — Concord. cum regno Neapol. 1818; Concord. cum regno Hispan. Alloc. 1858.

[5]) Alloc. Pii IX. 26. Juli 1855 laeso concord. Hispan.

[6]) Alloc. Pii VI. 26. Sept. 1797 contra paritatem cultuum in Galliis restitutam; — Alloc. Pii IX. 17. Dec. 1860 contra gubern. Pedemont. ob templa protestantibus patefacta; — Alloc. 27. Sept. 1852 advers. rempubl. Neo-Granat. Cfr. Alloc. 22. Jun. 1868 advers. novas leges in Austria sancitas.

[7]) Memorata Alloc. dicit, erroneam esse illam opinionem et catholicae ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a Papa Gregor. XVI. deliramentum appellatam, nimirum: «libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cujusque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate.» — Syllab. n. 77: «Aetate hac nostra non amplius expedit, catholicam religionem habere tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.» n. 78: «Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.»

rius, pacta sancte servanda sunt. Ergo in hoc sensu admittenda est tolerantia politica.[8])

Sed non indiscriminatim est concedenda.

3. Ex his vero non sequitur, omnem sectarum colluviem citra discrimen admitti oportere. Certe cultum paganorum, Mahometis superstitionem, sectas a Protestantismo deciduas, quae placita christiana prorsus rejiciunt, non feret quisquam christianorum principum, eoquod ipsae non in solius ecclesiae sed et civitatis perniciem tendunt; id quod experientia nostri aevi satis superque comprobatur.

Varii tolerantiae modi

4. Praeterea tolerantiae *genera modique sunt varii,* eaque ad plura pauciorave sese exporrigere diversosque gradus habere potest. Qui alienam religionem in suam ditionem admittit, non confestim eidem paria cum altera religione jura et commoda impertit. Itaque duplex in hac re diversitas notanda est scil. tum religionis exercitii, tum jurium politicorum et civilium.

um quoad religionis exercit.

a) *Religionis exercitium* varios gradus habet. Infimus tolerantiae gradus est *commune religionis exercitium* iisdem concessum, cujus effectus est duplex: 1. ut cultus divinus non tantum per singulas familias, sed in publicis etiam conventibus celebrari possit; 2. ut, quia idea societatis religiosae quam maxime talibus conventibus publicis manifestatur, societas aliqua religiosa qua talis publice agnoscatur, eique jura religiosae societatis addicantur.[9]) Verum hoc ipsum religionis exercitium denuo duos gradus habet, estque vel *publicum* vel *privatum. Publicum,* ubi non solum cultus Dei publicus nullis omnino angustiis coarctatur, sed generatim omnia jura tali confessioni propria in exitum deduci permittuntur. *Privatum,* ubi tum cultus publicus[10]) tum generatim jura religiosa quibusdam restrictionibus limitantur.

tum quoad jura politica et religiosa.

b) Verum etiam *jura politica atque civilia* asseclis toleratae vel receptae confessionis in diverso gradu impertiri queunt. Interdum enim quoad jura et favores civiles inter duas pluresve confessiones omnimoda paritas viget, ita ut ratione institutionis publicae, tuitionis, munerum capessendorum et facultatum comparandarum nullum inter plurium religionum asseclas discrimen intercedat.. Alibi vero nec ad munera et dignitates reipublicae,

[8]) Tolerantiam politicam aliquando licitam esse, concedit Leo XIII. (l. c. p. 25): «Revera si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, ecclesia judicat non licere; non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.»

[9]) Exinde tamen non sequitur, eum coetum qua *personam juridicam* agnosci, quod speciali actu fieri debet.

[10]) E. gr. si pulsus campanarum deficiat, processiones et supplicationes exulent etc.

nec ad capiendas haereditates, vel nonnisi ad unam alteramve harum rerum habiles existimantur.

5. Illi status, in quibus receptis confessionibus christianis paritas jurium tum civilium tum religiosorum concessa est, *pares* dicuntur. Et hanc paritatem semel decretam vel stipulatam ab imperante exacte et religiose servari opus est, ita ut eadem defensio singulis impendatur, eademque commoda ab iis percipiantur. Importat autem haec paritas: 1. ut paria prorsus jura civilia et politica receptorum cultuum sociis concedantur; 2. ut receptis confessionibus omnino liberum sit, res suas independenter administrare; 3. ut subsidia pro ratâ aequalia ex publico aerario omnibus cultibus praestentur, puta, nisi ex titulo juris specialis alteri plus praestandum sit; 4. ut leges civiles, quae res religiosas concernunt, accomodentur singularum confessionum principiis; non autem vice versa licet unius aut alterius confessionis principia legibus civilibus accomodare, aut per has modificare. Nefas esset omnibus confessionibus *eadem* principia applicare, quia in hoc casu saepe, quod aequum est alteri, laedere potest jura alterius, a cujus nempe doctrina lex civilis dissonat. Vera paritas ea est, qua catholici habentur uti catholici, protestantes uti protestantes. 5. Ut paria pro parte rata etiam onera omnibus imponantur, eo tamen excepto, si titulo juris privati una plus altera contribuere tenetur. 6. Contentiones dogmaticas, si intra modestiae limites se contineant, reprimere principi haud fas est. Nihil enim perniciosius, nihil magis absonum est, quam si gubernia civilia litibus religiosis se ingerant easque interposita sua auctoritate favore alterius partis decidere velint.[11]) Status pares.

Articulus II.

Conspectus historicus mutui nexus ecclesiam inter et alias confessiones.

§ 53. Ab exordio ecclesiae usque ad pacem Westphalicam.

Praevie monendum est, in delineanda historia praedicti nexus multo magis civitatis habitum ad haereses, quam ecclesiae rela-

[11]) Cfr. *Schulte,* Lehrbuch p. 157. Ex supradictis hae locutiones clarescunt: religio vel ecclesia *status,* religio vel ecclesia *dominans, recepta, tolerata, reprobata.* Quodsi in ditione una dumtaxat religio vel ecclesia admittitur, ea dici solet *religio reipublicae* (Concord. cum republ. ital. a. 1803), vel *sola religio regni* (Concord. Neapol. 1818) religio *status;* unde quaevis alia religio in hac ditione ad *reprobatas pertinet,* ita ut dissidentes in religione vel jure civitatis priventur vel omnino a republica proscribantur. Econtra religio, quae expresse admissa et libere exerceri permissa est, *recepta* dicitur, vel simpliciter scil. cum jure exercitii publici, vel secundum quid, i. e. cum exercitio dumtaxat privato. *Tolerata* est, quae permittitur quidem, ut sit, sed cui nihil juris, nisi devotio domestica conceditur. Demum religio *dominans* dicitur, quae inter caeteras receptas certis praerogativis fruitur.

tionem ad eas, respici oportere. Ecclesiae siquidem relatio ad sectarios *per se* proprie omni tempore eadem semper permansit, quia ipsa haereses semper reprobavit suisque mediis insecuta est. Proindeque si solius ecclesiae et haeresum oppositarum ratio haberetur, ejus rei historia nequidem existeret. Sed historia relationum an haereticos ab alia re pendet, nimirum a ratione, qua potestas civilis variis temporibus quantum ad haereticos se gessit. Refert enim, utrum eos fuerit insectata, ad defenderit, an indifferentem erga eos se exhibuerit. Quoties civitas amicam et benevolam erga ecclesiam sese exhibuit, toties etiam contra haereticos eidem forte et efficax auxilium praestitit, et vice versa. Et sic haec succincta et brevis historica delineatio quasi pari passu cum ea, quam supra (§§ 41—50) exhibuimus, incedit.

Sub imperatoribus Romanis, tum ethnicis,

1. Ecclesiam Christi sub ethnicis imperatoribus in oppugnandis haereticis neque impeditam, neque ullo modo protectam fuisse ex rei natura intelligitur. Illo tempore ecclesiae aliud non erat reliquum, nisi ut virtute sibi propria et spiritualibus armis adversus haereses decertaret. At christiani imperatores clare intellexerunt, se tamquam ecclesiae defensores ad haereses reprimendas et ad ecclesiam in coërcendis sectariis vi brachii saecularis adjuvandam adstrictos esse. Hinc gravissimae circa hanc rem leges ab imperatoribus sunt sancitae,[1]) quin et poena capitalis in haereticos decreta est. Primus omnium propter crimen haeresis morte plexus erat Priscillianus cum Felicissimo, Armenico et aliis (a. 385). Verum tanta severitas reprehensionem sanctissimorum ecclesiae praesulum, uti Papae Siricii, Ambrosii, Martini Turonensis aliorumque haud evitavit, etiamsi episcopi illorum temporum non improbaverint, imo et postulaverint, ut aliae poenae haereticis irrogarentur. Ipse s. Augustinus, licet aliquamdiu existimaverit, religionis ergo haereticis poenas temporales vel corporales haud esse infligendas, tamen, cum esset aetate provectior et circumspectior experientia, dictas poenas adhiberi ratum habuit, tum ad sedandos sectariorum tumultus ac turbas, tum ut inculpabiliter in errore haerentes timore poenarum ad ecclesiam converterentur, ab initio quidem inviti, sed deinceps volentes.[2]) Igitur ecclesia hac aetate

tum christianis.

---

[1]) Cod. Theod. de haer. (XVI. 5): Cod. Inst. de haer. et manich. (I. 5).

[2]) Placita s. Augustini in hac re ex ejusdem epistolis illucescunt. Epistola ad Comitem Bonifacium (50): «Si per potestatem ... regum ... hi, qui inveniuntur in viis et in sepibus, id est in haeresibus et schismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur, reprehendant, sed quo cogantur, attendant.» (c. 1. C. 23. qu. 6. § 5). — «Quamdiu vos haeretici non tenetis ecclesiam, quam Apostoli plantaverunt, tamdiu reges, qui eam tenent, rectissime ad suam curam judicant pertinere, ne vos adversus eam rebelletis impune.» — Procul dubio de haereticis quoque intelligendum est, quod ad Donatum ep. 127. scripsit s. Augustinus: «Ne aeterni judicii poenas luant, *corrigi eos cupimus,*

intra limites merae sui ipsius defensionis se haud continens, in reducendis etiam haereticis pro parte virili adlaboravit, suisque mediis non contenta per poenas etiam temporales, opitulante potestate saeculari, sectarios compescere studuit.

Medio aevo.

2. Eadem principia etiam medio aevo viguerunt, imo tunc ab utraque republica majori cum severitate in haereticos animadversum est. Nam praeterquam quod ecclesia verbi divini praedicatione errantes reducere satagebat, insuper potestas saecularis gladio contumaces compescere sibi proposuit. Cujus rei ratio non in hoc tantum quaerenda est, quod haeresis ea tempestate crimini rebellionis aequiparata sit, sed in eo etiam, quod complures hujus aevi haereses, quae ex recoctis Manichaeorum et Gnosticorum placitis pullulaverant, non solius ecclesiae sed et civitatis saluti quam maxime adversarentur. Quo factum est, ut saeculo 13. tum in Germania sub Friederico II. (1234), tum in Galliis sub Ludovico IX. (1228) poenae duriores iis, quae hactenus erant statutae, in haereticos decernerentur. Saeculo equidem 15., pontificia auctoritate jam imminuta et vinculo ecclesiam inter et nationes christianas laxato, robur brachii saecularis haereticos insequentis languescere coepit; sed tamen ad reformationis usque tempora eadem prorsus principia non penes catholicos dumtaxat vigebant, sed deinceps etiam a protestantibus quoque sunt adoptata.[3])

Post reformationem.

3. At post reformationem, cum novae sectae acerrimis litigiis belloque haud magis diuturno quam cruento autonomiam suae religioni vindicassent, Imperator pace Westphalica coactus est protestanticae religionis libertatem non solum admittere, sed ad instar religionis catholicae sua etiam protectione munire. Itaque jus publicum hactenus in sacro Imperio Romano vigens, relate ad protestantes, imo ad alios etiam haereticos, ex hoc tempore prorsus immutatum est. Ad hujus rei intelligentiam praecipuas pacis Westphalicae stipulationes circa religionem et religionis exercitium inter Imperatorem statusque catholicos ex una parte, et status protestanticos ex altera parte, silentio omnino praeterire non possumus. Sunt autem sequentes:

Sancita in pace Westphalica.

---

non necari.» (c. 3. C. 23. qu. 5. § 1). — Pelagius P. scribens Narsiae Patricio, *ad Patrum regulas* provocat, «ut facientes scissuras in s. ecclesia non solum exiliis sed etiam proscriptione rerum et dura custodia per publicas potestates debeant coërceri.» (c. 43. C. 23. qu. 5.); cfr. totam hujus Causae quaestionem.

[3]) Cfr. *Döllinger:* Die Reformation tom. I. p. 389 seq. — Nota sunt exempla Serveti, Gentilis aliorumque religionis ergo a protestantibus enectorum. Et hoc adprobatum a reformatoribus. Sic Melanchton, Serveto lento igne consumpto, ad Calvinum scripsit: Affirmo etiam, vestros magistratus juste fecisse, quod hominem blasphemum, re ordine judicata, interfecerunt.

a) Praeter religionem avitam antiqua possessione munitam lutheranorum quoque et reformatorum religio in S. R. I. civitate donata est, ita ut exinde leges contra haereticos latae trium religionum asseclis nequeant applicari, neminique earum intuitu vim, contumeliam aut metum inferre liceat.

b) Statibus S. R. I. immediatis concessum est jus reformandi i. e. jus tum quamlibet ex tribus his religionibus in suam ditionem invehendi, tum adnexa religionis, quae ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinent, pro lubitu ordinandi et statuendi.

c) Sed juri reformandi limes positus est per praefixum *annum normalem* seu decretorium, qui erat annus 1624. Constitutum enim est, ut non obstante jure reformationis omnes vasalli et subditi, qui a. 1624 vel catholicam vel augustanae confessionis religionem professi erant, sive pacto sive privilegio sive sola denique observantia dicti anni, ejus religionis exercitium aut publicum aut privatum in posterum quoque retinerent.[4]) Similiter bona ecclesiastica immediata, seu Imperatori et Imperio immediate subjecta, necnon bona mediata, seu statuum juri territoriali proxime subdita, scil. bona capitulorum, monasteriorum, ecclesiarum, hospitalium etc., illi confessioni in aevum sunt addicta, quae 1. Jan. 1624 ea possederat. Annus normalis *favorabilis* exstitit ex una parte ecclesiae catholicae, quia statuto anno normali cautum est, ne, si abbates, episcopi aut principes ad protestantes defecissent, simul etiam bona ecclesiastica in acatholicos transferrentur, ex altera parte cuilibet ex tribus religionibus, quae anni normalis possessione munita erat. Nam subditi, anni normalis possessione muniti, non tantum necessario tolerari debent, sed etiam religionis exercitium eodem modo retinent in posterum, sicuti illo anno id habuerunt, ita, ut fors in hac tolerantia vel in hoc exercitio turbati, ad remedia juris provocari possint. Vicissim ubi confessio a religione domini territorialis aliena, nulla anni normalis possessione vallata erat, illius toleratio in arbitrio principis relicta est, ita ut eam religionem vel liberaliter tolerare (sive religionis exercitio sive devotione dumtaxat domestica indulta), vel ad emigrandum cogere ipsi concessum sit. Verum sive *sponte* sive *coacte* emigraturis certi quidam favores indulti sunt, e. gr. ut illis liberum esset, retentis aut alienatis bonis discedere, aut retenta per ministros administrare; ut terminus triennio haud minor ad emigrandum praefigeretur etc.[5])

---

[4]) Pax Westphal. Art. V. §§ 29, 30, 31, 48. — Cfr. Die Religions-Uebung in Deutschland auf der Basis des westphäl. Friedens. Eine gekrönte Preisschrift. Wiesensteig 1861.

[5]) l. c. Art. V. §§ 36, 37. Cfr. opuscul. cit. not. 4. p. 139 seq.

Quae pace Westphalica in vim *anni normalis* circa possessionem bonorum ecclesiasticorum et circa religionis exercitium decreta sunt, ea omnia etiam nunc in suo vigore firmiter perdurant.[6])

Verum dictum *jus reformandi,* tam large concessum, labente tempore valde imminutum est, hoc ipso vero libertas religionum in dies latius extensa.

§ 54. Mutationes tempore post pacem Westphal. inductae.

Propter jus reformandi imminutum

1. Ex illo indifferentismo religioso, qui saeculo praesertim praeterlapso ita increbuit, ut omnium quasi errorum privilegium existimatus fuerit, sensim ea tolerantia politica prodiit, qua principes juri reformandi ex parte renuntiarunt, majoremque successive religionis libertatem, quin et paritatem, subditis indulserunt. Sic quaestio hactenus controversa, an vi juris reformandi domino territoriali aliam quoque religionem introducere liceat praeter eam, quae anni normalis jure fruebatur (et salvis hujus posterioris juribus), per conclusum imperialem (25. Febr. 1803) in eo sensu decisa est, ut principi liberum sit alias etiam confessiones admittere et paria cum reliquis jura ipsis impertire. Porro in Actis Confoederationis German. (art. XVI.) sancitum est: «Discrepantiam *inter partes christianae religioni addictas*[1]) in territoriis Confoederationis Germanicae haud ullum discrimen quoad *civilium* et *politicorum* jurium usum inducere.» Et licet his verbis solummodo paritas civilis et politica, non vero liberum religionis exercitium exprimatur, tamen plerique Germaniae principes non solum relate ad jura civilia, sed etiam relate ad religionis exercitium, tres receptas religiones prorsus pares esse voluerunt.[2]) Imo aliae insuper quaedam societates religiosae qua tales formaliter agnosci aut saltem cum religionis exercitio plus minusve restricto tolerari sunt coeptae. Sed tolerantia quoad sectas e protestantismo procretas, e. gr. Anabaptistas, Mennonitas, Unitarios etc., nulla lege universali sed legibus singularum ditionum particularibus deter-

paritas major inducta est

tum quoad relig. exercitium,

tum quoad jura civilia et politica

favore omnium fere sectarum

---

[6]) Omnibus juris principiis repugnat quorundam protestantium opinio, catholicam religionem in Germania solummodo toleratam esse. Annon potius toleratus dicitur, qui recens ad possessionem admittitur, quam qui in legitima, inveterata et a saeculis adprobata possessione jam est, quae jam de novo ipsi firmatur?

[1]) Tres receptae religiones dumtaxat juxta declarationem Congressus Viennensis hac voce intelligendae sunt. At hoc non obstante complura gubernia etiam aliis quibusdam sectis nominatim expressis eadem cum reliquis jura civilia in suis legibus constitutivis addixerunt. Vid. Walter § 51 et Permaneder § 47.

[2]) Verfassungs-Urkunden von Preussen, Baiern, Sachsen, Hannover, Würtemberg, Baden etc. Verum in Magno Ducatu Meklenburg nonnisi devotio domestica simplex catholicis permittitur.

minatur, quae ab invicem differunt, eoquod, cum jus reformandi quoad sectas modo dictas integrum perduret, earum admissio a gratiosa guberniorum liberalitate pendeat.

Animadvertendum est denique, motibus politicis anni 1848 illimitatam omnium cultuum libertatem haud parum esse promotam; nam in comitiis Francofordiensibus cunctis sectis fors exorituris tum publicum religionis exercitium tum perfecta jurium aequalitas addicta est.[3]) Ex hoc tempore cultuum libertas invalescere et in variis regionibus in exitum plus minusve perduci coepit.

Conditio in praesenti.

2. Si jam relationem ecclesiae ad sectas acatholicas, prouti hodie in praxi deprehenditur, obvia inspectione consideramus, maxima profecto hac in re varietas invenitur. Vix ullae respublicae reperiuntur, in quibus, aliis religionibus exclusis, religio catholica unice est recepta. Id quidem in pluribus recentioribus Concordatis[4]) constitutum est; id ad novissimum usque tempus in diversis *Italiae* territoriis viguit. Sed Concordatis abrogatis, ejusmodi favorabilis conditio *per constitutiones modernas* ecclesiae ne a longe quidem concedi solet. Econtra vice hujus favoris catholica religio in multis territoriis per leges civiles aut omnino proscribitur, aut ipsius exercitium innumeris vexationibus et obstaculis praepeditur. Et haec est ecclesiae sors in *Suecia,* ubi quidem ex anno 1860 poenae olim statutae contra redeuntes ad religionem catholicam abrogatae sunt, sed tamen haec religio intra limites dumtaxat angustissimos admittitur; ita ut e. g. qui defecit a secta lutherana, regulariter munere publico, quo fungitur, decidat. Item in imperio *Russico,* ecclesia luctatur pro sua existentia (§ 48. 9), idque etiam in *Polonia* et aliis provinciis, licet pacta jus catholicorum firmantia exstent. In *Anglia* post emancipationem (1829) catholici quidem liberius respirant, atque ad munera publica, paucis exceptis, et ad sessionem in parlamento admittuntur.[5]) Sed regia proclamatione (1852) delatio habitus clericalis et regularis extra ecclesiam, processiones publicae etc. prohibentur, et praeterea catholici ad decimas aliaque tributa pastoribus anglicanis praestanda adstricti hodiedum manent, nisi quod in Hibernia jam ex a. 1833 hujusmodi onera minuta fuerint. Haec ergo ecclesiae conditio in regnis septentrionalibus haud absimilis est illi, quae aliquando fuit in regnis haereticis post barbarorum incursiones in Italia, Hispania

[3]) 11. Sept. 1848. §§ 14—16.

[4]) Concord. Hispan. 1751: «Religio catholica excluso quocunque alio ritu, esse pergit sola religio Hispaniae nationis.» Concord. cum republica Costaric. 1852; Guatimalensi 1853; Aequatoris 1862; Venezuelae 1872; Nicaragna 1863. In his omnibus dicitur: «Religio catholica est religio status» vel «reipublicae» *Luise* p. 596 seq.

[5]) Stat. 10. Gregorii IV. c. 7.

et Africa constitutis. Si oculos conjicimus in illa territoria, quae mediam fere Europam occupant, pars quidem maxima incolarum religioni catholicae adhaeret; sed tamen iis immixti sunt acatholici, quibus pariter, prout catholicis, plena religionis libertas cum paribus juribus per leges civiles est asserta, eo tamen discrimine, ut gubernia catholica communiter plus faveant acatholicis, quam religioni catholicae, quae est religio et ipsorum et multitudinis multo majoris. Sic in *Italia* ubique locorum templa protestantica et scholae eriguntur, multo minus ob inclinationem populi ad Protestantismum, quam in odium religionis catholicae. In *Galliis*[6]) religio catholica tamquam ea quidem declarata est, quam longe maxima pars civium profitetur, sed caetera protestantes catholicis pares effecti imo et aliae quaedam sectae admissae sunt. Eadem paritas in Batavia[7]), in Belgio[8]), in plerisque Germaniae ditionibus inducta. (Cfr. supra § 48.) Ex 22 Pagis Helvetiae novem religioni catholicae, sex vero Helveticae addicti sunt; reliqui sex vero paritati favent, unus denique (Abbatiscellensis) intuitu religionis in duas partes dividitur.[9])

---

[6]) Concord. art. I. — Bullar. noviss. tom. 11. p. 176.

[7]) Grundgesetz des Königreichs der Niederlande 1815 et 14. Oct. 1848.

[8]) Staatsverfassung Belgiens 25. Febr. 1831.

[9]) Post Concilium Vaticanum plura Germaniae gubernia *(Vering,* Archiv. t. 28. p. CXXVII et LV seq.) sectam eorum, qui *fallibilistae* seu *veteres catholici* dicuntur, suis studiis suaque tutela fovere ac defendere studuerunt postpositis catholicis, antiqua juris possessione munitis! Neotericos istos esse veri nominis *haereticos,* tum per se patet, eoquod non solum Papae et ipsius ecclesiae inerrantiam, sed alia quoque ipsius dogmata e. g. Primatum, immaculatam B. M. V. conceptionem, ecclesiae indefectibilitatem, necessitatem confessionis auricularis etc. rejiciant; tum luculenter clarescit ex pluribus ecclesiae declarationibus, velut ex ipso Conc. Vaticano (Sess. IV. cap. 4. in fine) ex decreto s. C. Inquis. d. 17. Sept. 1871 (Archiv. t. 27. CLXXI), quo hi pseudocatholici ceu *haeretici* excluduntur ab officio patrinorum, eorumque matrimonia cum catholicis tamquam matrimonia mixta considerantur etc. Licet autem character haereticus hujus sectae satis illucescat tum ex obvia consideratione tum ex ecclesiae declaratione (nam ecclesiae soli competit irreformabiliter declarare quis catholicus et quis haereticus sit), nihilominus gubernia, cum quaestio exorta esset, quaenam jura addicenda sint neotericis, proprio marte de charactere hujus sectae judicium sibi formare sumserunt. Sed in hac re tum et ipsa gubernia tum eorum summa tribunalia in varias sententias sibi contradicentes inciderunt. Modo enim veteres catholicos intuebantur ceu partem ecclesiae romano-catholicae cum ipsa adhuedum unitam; modo sibi finxerunt, ecclesiam catholicam scissam esse in duas partes, paria jura habentes, modo sectam fallibilistarum tamquam veram et *unicam* ecclesiam catholicam considerabant cum exclusione romano-catholicae. Et juxta hujusmodi conceptiones diversa in diversis ditionibus jura hisce acatholicis sunt attributa e. g. quoad concessionem ecclesiarum, parochiarum, bonorum eccles., quoad valorem actuum parochialium, tuitionem publicam etc. Imo in eadem ditione (e. g. in regno Borussiae et M. Ducatu Badensi) isti neotericis

§ 55. Jura Acatholicorum in Austria.

Possumus haec temporum discrimina commode distinguere:

Usque ad a. 1781. 1. (Usque ad a. 1781.) Provinciae Austriacae haereditariae ab illa lege pacis Westphal., qua protestantibus propter possessionem anno normali habitam liberum religionis exercitium indultum est, omnino exemtae fuerunt. Siquidem Imperator nulla opera induci potuit, ut protestantibus earum provinciarum favores anni normalis indulgeret. Igitur acatholici in Austria ab initio nonnisi jure devotionis domesticae fruebantur, et intuitu favorum civilium infra catholicos consistebant.

Usque ad a. 1849. 2. (Ab. a. 1781—1849.) Verum Josephus II. *libera voluntate* iisdem lege particulari[1]) tolerantiam concessit, quae variis decretis deinceps subsecutis propius definita est. Hujus legis articuli principales ad haec capita commode revocantur:

a. Confessionis Augustanae et Helveticae consortes atque Graeci non uniti ratione *jurium civilium et politicorum* catholicis aequiparati sunt, cum aliquibus tamen restrictionibus, e. gr. ut ad emendas possessiones, ad acquirendum jus civitatis jusque magisterii in collegiis opificum, ad dignitates academicas et ad munera publica nonnisi dispensando admitti potuerint.

b. Concessum est illis *privatum* religionis exercitium in locis ubi hactenus exercitio publico non essent gavisi.[2]) Vi hujus exercitii privati poterant in locis, ubi centum familiae, vel quingenti homines suae religioni erant addicti, oratoria constituere, sed neque campanis instruenda, neque turri, neque janua publica versus plateam. Poterant etiam proprios ludimagistros a se alendos habere, suosque parochos, quos ipsi sustentarent, eligere.

c. Catholica religio tamquam *dominans* quibusdam praerogativis insignita est. Scilicet *α*) statutum erat, ut in matrimoniis mixtis, si pater esset catholicus, omnes omnino liberi, si vero mater catholica, nonnisi puellae in religione catholica instituerentur. *β*) Catholicis ad partes protestantium transituris quaedam difficultates obmovebantur; sic e. gr. eos praevie per sex hebdomades a

---

nunc ut secta propria, nunc mere ut factio religiosa *in* ecclesia catholica habita fuit, prout commoda eorum postulare videbantur. Vide plura de hac confusione apud *Vering*, K.-R. p. 400—406. Quoad Austriam vide § seq. 3. d. — Cfr. Circulare pulcherrimum Cardin. Rauscher d. 7. Apr. 1875 in Archiv. t. 34. p. 185 seq.

[1]) Toleranz-Patent 13. Oct. 1781.

[2]) In Hungaria Graeci non uniti jam a Maximiliano II. et Leopoldo I. publice religionem exercendi veniam obtinuerant. Porro in eodem regno etiam protestantibus utriusque confessionis publicum religionis exercitium edicto Regio Leopoldi II. (7. Nov. 1790) confirmatum est.

proprio parocho in doctrina catholica instrui oportebat. γ) Soli parochi catholici potuerunt actus baptismatis, copulationis et sepulturae libris parochialibus legitime consignare, iidem poterant, imo jubebantur aegrotos acatholicos semel invisere iisque officia sua offerre, necnon eorum ministro deficiente eosdem baptizare, sepelire et copulare tenebantur. δ) Diebus festivis majoribus et ipsi acatholici labore abstinere sunt jussi, quamvis illi dies ipsis solemnes haud essent.[3])

d. Sed cujuslibet alterius religionis e. g. Deistarum, Mennonitarum etc. professio ex Imperio Austriaco proscripta fuit,[4]) Unitariis in Transsilvania dumtaxat exceptis.

Inde ab a. 1849.

3. (Ab a. 1849 usque ad nostrum tempus.) Inter leges hoc tempore latas sequentes sunt maxime notandae:

a. Litteris pat. 4. Mart. 1849 cultuum libertati latissimus apertus est campus. Omnium enim omnino religionum asseclis jurium civilium et politicorum paritas, cum jure domesticae devotionis concessa est (§ 1); publicum vero religionis exercitium receptis dumtaxat religionibus (scil. Catholicae, Lutheranae, Helveticae et Graecae non-unitae) fuit addictum, cum pleno jure tum res suas prorsus libere dirigendi et administrandi, tum etiam fruendi fundis et fundationibus ad ipsas pertinentibus. (§ 2.)

b. Litteris pat. d. 31. Dec. 1851 (quibus constitutio, uti dicitur, repraesentativa abrogata est), favores lege superiori (§ 2) receptis cultibus promissi, denuo sunt confirmati; attamen revocata sunt, quae eadem lex superior (§ 1) favore reliquarum sectarum constituerat. Et ex hoc tempore usque ad 21. Dec. 1867 quibuscunque aliis sectis et societatibus religiosis (praeterquam antea dictis et Unitariis in Transsilvania) aditus in Imperium Austriacum omnino fuit occlusus.[5])

c. Litteris pat. sub. d. 8. April 1861[6]) res religiosae confessionis tum Augustanae tum Helveticae quoad singula capita ordinantur, ita quidem, ut vi legis istius protestantes plenam et per-

---

[3]) Cfr. *Rechberger*, §§ 292—296; — *Helfert*, K.-R. § 44 seq. Ejusdem: Die Rechte und Verfassung der Akatholiken im österr. Kaiserstaate. 3. Aufl. Prag 1843.

[4]) Adjecta erat dispositio, illum, qui unam ex receptis confessionibus profiteri noluerit, pro *catholico* haberi!! 13. Apr. 1784; 30. Jul. 1789.

[5]) Reichsgesetzblatt Nr. 53 1859. — Suprema resol. sub 16. Aug. 1852 sectae eorum, qui se dicunt amicos lucis, Germano-catholicos seu communitates christianae libertatis, prohibitae sunt. Lege etiam adacti sunt parentes, ut prolem recens natam baptizari permitterent a suae religionis ministro. Resol. supr. 1. Apr. 1859 denuo cautum est, ne novae sectae intra Imperii fines introducerentur. *Moy*, Archiv. t. 4. p. 370.

[6]) Cfr. lit. pat. 2. Sept. et ordin. Minist. pro culto 2. Sept. 1859, necnon ordinat. ejusd. Minist. 10. Jan. 1860.

fectam in rebus suae religionis administrandis libertatem, itemque eadem cum catholicis jura religiosa, civilia atque politica, paucis: *plenam* jurium cum catholicis *paritatem* consecuti sint. Sed haec lex abrogata est per resolutionem caesaream d. 6. Jan. 1866 (publicatam 5. Febr. ej. anni), qua Imperator adprobavit constitutionem confessionis tum Augustanae tum Helveticae in Cisleithania a synodo generali utriusque hujus confessionis a. 1864 elaboratam.[7])

d. In lege, quae sub d. 21. Dec. 1867 velut Imperii fundamentum est lata, ad verbum pene transscripta est dispositio in lege supra (3. a.) memorata (sub. d. 4. Mart. 1849). Declaratum enim est, jura *politica* et *civilia* omnium subditorum *paria* esse debere sine ullo religionum discrimine; insuper «asseclis eorum cultuum, qui ad legitime receptos haud pertinent, domesticum religionis exercitium conceditur, quatenus hoc neque juri contrarium sit, nec honestati laesivum (art. 16).» Itaque hac lege declaratum est 1. religiones hactenus *receptas* sibi prorsus *pares* esse quoad omnia 2. reliquis sectis, licet quoad religionis exercitium *impares* sint, tamen ostium in ditionem Austriacam apertum est. Sed plena paritas etiam his addicta est per legem d. 20. Maji 1874 «de agnitione societatum religionis,» in qua enuntiatur, societates religionis hucusque non receptas sub certis conditionibus a gubernio ceu legales et ceteris *pares* agnosci posse. Huic legi innixa societas pseudo-catholicorum publicam receptionem petiit, eandemque cum *plena* jurium *paritate* obtinuit vi decreti ministri pro cultu d. 18. Oct. 1877 cum denominatione «ecclesia vetus catholica.»[8]) — Quantum ad eas, qui nulli ex receptis cultibus sunt adscripti, lege d. 9. April. 1870 (Archiv. t. 24. p. 23) cautum est, ut loco parochi capitaneus circuli vel (in urbibus majoribus) magistratus loci tum eorum matrimonia conjungat, tum matriculas conficiat.

e. Lex denique novissima (d. d. 25. Maj. 1868) *interconfessionalis* inscribitur propterea, quod scopus illius est, connexiones singulas diversorum cultuum determinare. Haec, dum exactam juris aequabilitatem stabilire conatur, in pluribus juri canonico adver-

[7]) Cfr. *Vering*, Archiv. t. 16. p. 61—111, ubi ista nunc vigens constitutio in extenso exhibetur.

[8]) Societas veterum catholicorum in Austria tunc ubi in propriam sectam nondum coierant, sed adhuc manebant in sinu ecclesiae, qua societas propria et distincta non considerabatur. Et prorsus consequenter nec eorum pastor tamquam minister publicus agnitus fuit, nec ipsius actibus e. g. matrimoniis eo assistente contractis valor coram lege attributus est, sed potius hujus factionis membra semper catholicis adnumerabantur. Edict. ministri pro cultu 20. Febr. (Archiv. t. 27. p. CXXXV); item edict. 27. Dec. 1872 (Archiv. t. 29. p. 281). Sed cum deinde formaliter congrederentur in coetum peculiarem vi legis d. 20. Maj. 1874, omnes favores adepti sunt, quibus reliqui cultus legales gaudent.

satur, quandoquidem norma, quam haec lex, jura singulis cultibus propria dimetiendo, sequitur, principiis catholicis non est conformis.[9])

[9]) Reichsgesetzblatt Nr. 51 apud *Gautsch*, Die confessionellen Gesetze p. 215. — Determinat haec lex: I. *Religionem*, in qua instituendi sint *parvuli*. II. *Religionis mutationem* quantum ad adultos. De his duobus ex professo § 59 res nobis erit. III. *Functiones ad s. cultum et ad curam animarum* pertinentes quas confessiones invicem mutua vice exhibeant. Ex hoc capite cavetur, «ne superiores, ministri et asseclae alicujus ecclesiae vel societatis religiosae, nisi rogati fuerint a personis jus habentibus, quascunque functiones ad s. cultum vel curam animarum pertinentes membris alterius ecclesiae vel societatis religiosae exhibeant. Proin baptismus a parocho infanti acatholico collatus foret illicitus, quin vi hujus legis (art. 3. alin. 3) etiam invalidus!! Exceptio tamen est, quando vel ministri alterius religionis peractionem istiusmodi functionis petierunt, vel ubi leges et praescripta alterius confessionis tales actus permittunt. IV. *Contributiones et praestationes favore alienae societatis religiosae* praescriptas. Videlicet omnes omnino hujus generis contributiones praestationesque, sive cultum divinum, sive instituta indigentium, sive scholas alterius religiosae societatis respiciant, prorsus abolentur, nisi fundentur aut onere patronatus realis aut titulo juris privati, qui ex documentis legitime probari possit, aut denique nisi ex publica intabulatione constet de obligatione. ejusmodi contributiones vel praestationes faciendi. Itaque exigi de jure non amplius possunt taxae, donaria ex titulo stolae ab asseclis alieni cultus olim praestari solita, quaevis denique aliae praestationes favore alterius ecclesiae, vel ejusdem institutorum atque ministrorum olim impositae. V. *Sepulturas in coemeteriis alienae confessionis.* Nimirum sepultura honesta in tali coemeterio negari haud potest: a) Quoties agitur de condendo corpore in sepulchro gentilitio; b) quoties in tractu illius loci, ubi quis defunctus est, coemeterium proprium illius confessionis, cui defunctus erat addictus, non exstat. Haec ultima dispositio cum legibus vi concordati vigentibus communiter conciliari poterit. (Vid. infra de sepulturis § 205.) VI. *Celebrationem festorum alteri dumtaxat confessioni solemnium.* Cogi haud quisquam potest, ut hisce diebus a labore abstineat. Sed tamen diebus dominicis eo tempore, quo celebrantur divina, opera publica, nisi valde necessaria sint, intermitti oportet. Insuper diebus festis, dum sacra fiunt principalia, in locis templo vicinis omnia debent omitti, quibus sacrorum celebratio perturbari aut imminui posset. Eadem observanda sunt in vicis plateisque, in quibus ex more fiunt processiones solemnes. Denique si quibusdam diebus juxta leges alicujus confessionis campanarum sonitus conticescere debeat, ad hoc idem altera communitas minime tenetur, — Lex interconfessionalis pro exteris quoque in Austria commorantibus valet. Archiv. t. 41. p. 409. — Lex interconfessionalis provisoria pro Hungaria exstat in *Vering* Archiv. t. 24. p. 104 seq. Haec lex tractat I. de transitu ad alium cultum (de quo § 59. not. 6). II. De matrimoniis mixtis nec non de educatione prolis ex ipsis procreatae (de hoc § 58. not. 6). III. De diebus festis: Dies festi cultus alieni non debent celebrari, sed labores *publici* sunt ab omnibus vitandi, nisi necessarii sint. Praeterea in vicinia templorum, in quibus fiunt sacra solemnia, omnis turbatio vitanda, id quod etiam de solemnibus processionibus obtinet. IV. In publicis institutis providendum est, ut unusquisque religiosis indigentiis per ministrum *suae* religionis satisfacere possit. V. In coemeteriis omnes cujuslibet cultus asseclae permixtim sepeliri possunt. (Imo juxta cod. poen. Hungariae 1. Sept. 1880 introductum ille, qui ejusmodi sepulturam impedit, vi aut minis poena 300 fl. mulctatur.) VI. Novas communitates parochiales constituere, aut ex filialibus ecclesiis facere matrices, competit respectivae confessioni.

Corollarium. Ex quibus ultro fluit, illas antiquiores tolerantiae leges omni prorsus valore excidisse, quae aut catholicis prae aliis favorabiles, aut acatholicis qua talibus onerosae exstiterunt. Verum etiam illae tolerantiae leges, quae mutuum et pacificum confessionum commercium concernunt, hodie in judicio vix poterunt urgeri, nisi fors actiones acatholicorum religioni vel cultui catholico adeo adversentur, ut recidant in crimina a codice poenali (1852) damnata, cujusmodi sunt perturbatio sacrorum, turbatio exercitii religionis, despicientia religionis verbis factisque manifestata etc. (§§ 122, 174, 175, 303). Lege interconfessionali hoc solum interdicitur, ne asseclae alicujus religionis alieni cultus socios sive vi sive dolo ad suas partes pertrahant (art. 7. alin. 2).[10])

Denique, dum leges speciales circa nexum confessionum in nostro Imperio[11]) latas remittimus in partem specialem, ad quam nunc transitum facimus, nonnulla de relatione ecclesiae ad infideles adjungere opus est.

CAPUT III.

De relatione ecclesiae ad infideles.

§. 56. Relatio ad infideles in genere, et speciatim ad Judaeos.

Infideles eos dicimus, qui nunquam per baptismum ad ecclesiam accesserunt. In his igitur ne plus aequo immoremur, satis est

---

[10]) Lege 28. Aug. 1784 cautum est, ut acatholici in supplicationibus publicis, item quando s. Viaticum defertur ad aegrotos, aut dum alia data occasione Sanctissimo publice detato obviam fiunt, vel detecto capite transeant, vel modesto corporis habitu gressum sistant, vel penitus discedant. Sed merito dubitandum est, num haec cautio nostro quoque tempore valorem retinuerit Cfr. *Symerski*, in Linzer Quartal-Schrift 1885 p. 782 seq.

[11]) Provincia Tirolensis ex speciali Dei favore usque ad tempus novissimum in unitate religionis catholicae conservata est. Pro hac unitate populus Tirolensis per nonaginta fere annos summa contentione quavis data occasione decertavit, eamque haud minus efiam status provinciae in suis consessibus publicis (a. 1781, a. 1791 et 1795, itemque 1861, 1863 et 1866) contra infensa molimina propugnarunt. Ipsimet Imperatores Austriaci (2. Apr. 1834, 12. Jan. 1837, 7. Sept. 1859, a. 1861 et 7. Apr. 1866) edicta votis populi faventia ediderunt eo non obstante, quod tum lex tolerantiae (6. Nov. 1781) a Josepho II. emissa tum artic. 16. et 18. actorum confoederationis Germanicae adversari viderentur. Lex ultima, quae hanc rem concernit (7. Apr. 1866), sequentis est tenoris: «Communitas augustanae vel helveticae confessionis sive per se stans sive filialis intra fines Comitatus Tirolensis eo cum effectu, ut exinde jus cultum publicum exercendi pendeat, constitui non potest, nisi competentis magistratus et statuum provincialium unitis consiliis.» — Sed his non obstantibus, receptio protestantium in provincia Tirolensi et quidem cum jurium paritate, jam recensenda est inter facta consummata, ex quo auctoritate publica duae parochiae protestanticae cum ecclesia publica tum Merani tum Oeniponte (a. 1879) sunt admissae.

dixisse: *Ecclesiam de iis non judicare,* quod axioma innititur textui sacro et communi omnium doctrinae. Unde haec pauca notentur:

De infidelibus in genere.

1. Quoad *societates religiosas infidelium generatim* notandum est, eas *ex toto* esse extraneas, adeoque nullo nexu cum ecclesia colligari. Item esse societates *illegitimas;* quia societas religiosa nonnisi *una* potest esse legitima, nimirum ecclesia Christi. Hinc

a) infideles «*canonicis* constitutionibus non arctantur;»[1]) sed tamen obligantur lege divina, et quidem gentiles lege tantum naturali, Judaei vero etiam lege divino-positiva, quatenus haec est ipsis revelata. Unde si quis actus infidelium in foro ecclesiastico discutiendus venit, secundum principia juris divini judicari solet. Hoc principium inprimis usum habet, cum agitur de matrimoniis infidelium.

b) Ecclesia perpetuo conflictatur cum infidelibus, damnans tum superstitionem judaicam tum gentilium idololatriam.[2])

c) Ecclesia vehementer desiderat infidelium conversionem oratque pro ea, abhorret tamen ab omni coactione. (§ 50. 1. § 58. 7. c.)

In specie de Judaeis.

2. *Judaeos* a) ecclesia gentilibus praefert, et jam pridem inter christianas nationes cohabitare, commercia cum christianis exercere, religionem patriam libere profiteri, imo vel propriam jurisdictionem juxta jus ipsorum habere indulsit. Ipsi Rom. Pontifices nedum Judaeos in Urbem benigne receperint, eos vexari iterum atque iterum vetabant. Cur autem Judaei facilius tolerentur, inde est, quod ab iis minus periculum perversionis, neque aliud periculum imminere visum sit.[3]) Praeterea iidem erant populus a Deo electus, atque etiamnum ipsa sua caecitate irrefragabile testimonium praebent de adimpletis V. T. vaticiniis; insuper, ut s. Augustinus ait, *tamquam capsarii nobis serviunt, quia per eorum codices alios infideles convincimus.*[4])

---

[1]) c. 8. X. d. divort. (IV. 19).

[2]) c. 15. X. (V. 6); c. 2. X. vag. comm. (V. 2); c. un. Clem. (V. 2).

[3]) Utrum hodiedum verum sit, quod de suo tempore contendit c. *Zallinger,* p. 795, «a vilibus hisce ejectamentis nihil periculi ecclesiae vel reipublicae metuendum esse,» videant Consules! Illi, qui nescio qua humanitate ducti exactam judaicae gentis cum christianis paritatem saluti publicae conducere existimant, tum ex Talmude tum ex historia, si velint, facile intelligere possent, doctrinas Judaeorum maxime infestas esse tam religioni christianae quam ipsis christianis in sociali cum eisdem convictu. Vid. plura ap. *Schöpf,* K.-R. IV. p. 588. — Satis olim fuit Hebraeis a christianis *tolerari,* hodie ubique volunt *dominari.* Lege canonica prohibitum fuit, ne Judaei christianos conducerent servos (c. 1. 2. X. [V. 6]); hodie vero christiani turpissimum Judaeis exhibent servitutem; imo non erubescunt, in rebus politicis et religiosis ipsos adhibere ceu duces et magistros, ecclesiastica auctoritate posthabita. II. Tim. 4, 3. 4.

[4]) Super Ps. 40. — «Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre.» Id in ps. 56.

b) Sed hae concessiones limites simplicis *tolerantiae* non excedebant eorumque admissio precaria fuit et ad nutum Imperatoris. Nuperrime demum jura politica et civilia in diversis territoriis plerumque satis ampla, Judaei sunt adepti.[5])

c) Multa tamen tum sacra, tum (olim etiam) politica potestate cauta sunt, ne quid injuriae ac detrimenti tam religio, quam publica securitas a superstitione judaica capiant.[6])

---

[5]) In *Austria* Hebraei lege dd. 18. Febr. 1860 etiam ad possidendum bona immobilia in compluribus Imperii provinciis capaces sunt declarati. Lege dd. 25. Maji 1868 quoad omnia ceteris aequales sunt effecti. In *Borussia* vi edicti Min. dd. 13. Nov. 1850 ad munera publica capessenda, quamvis non ad omnia, admittuntur. In Bavaria, in Ducatu M. Badensi, in regno Würtemberg christianis omnino pares habentur, quod alibi non viget.

[6]) Ad pericula praecavenda ex consortio Judaeorum religioni imminentia hae potissimum leges sunt notandae: a) Hebraeorum per plateas non est deferenda ss. Eucharistia. S. Congr. Rit. 22. Febr. 1593. b) Hebraeorum accessus ad monasteria monialium nullo modo permitti debet ad colloquendum cum illis. S. Congr. episc. et regul. in Ravennat. 28. Apr. (alias 26. Nov. 1594 Ferraris s. voce Monialis IV. et s. v. Hebraeus n. 16). c) Descendentes a Judaeis et haereticis in ordines Fratrum Min. de Observantia non possunt recipi, neque ex ignorantia fors recepti munere Provincialis aut Guardiani in dicto ordine fungi. Const. Clement. VII. 19. Mart. 1525, confirmata a Paulo IV. et Pio IV. d) Medici Hebraei aut aliias infideles, ne ad curandos Christianos infirmos admittantur, imposita Christianis poena subtractionis Sacramentorum et sepulturae eccles., prohibuit Gregor. XIII. Const. «Alias piae» (68). Cfr. c. Nullus 13. C. 28. qu. 1. e) Ne Judaei christianos famulos vel ancillas habeant. (c. 2. 5. 8. 13. X. (V. 6.) f) Ne nutrices et ob stetrices christianae inserviant in domibus Judaeorum. c. 6. X. (V. 6.) In Constitutionibus Innocentii IV. *„Impia“*, Pauli IV. «Cum nimis» et Gregorii XIII. *„Antiqua“* deest appositio *„in domibus“* Adeoque (ait Card. Petra Comment. in Constit. II. Innocent. IV. t. III. Sect. p. 13. n. 8), secundum has Constitutiones prohibitio procedit sive in Judaeorum domibus, sive extra. — Cfr. *Phillips*, t. II. §§ 99 et 100. *Schöpf*, l. c. 589. — Ceterum praedictis legibus, ac praesertim sub d) et e) allatis, per consuetudines contrarias legesque particulares ubique fere derogatum est. Ita etiam sentit Cardin. Petra, dum quoad decretum s. C. Inquis. 15. Mart. et 17. Maj. 1612 prohibens, ne Judaei habeant nutrices christianas, animadvertit, cessante causa cessare etiam prohibitionem vel saltem episcopum dispensare posse (l. c. p. 9). — Sed tamen monet Bened. XIV. (de syn. dioec. l. 6. c. 4. n. 2), ut illis in regionibus, in quibus Judaei stabiliter habitant, episcopi coërceant nimiam christianorum cum illis consuetudinem, sanctionesque canonicas huc respicientes instaurent. Hinc recte aetate nostra episcopi Austriaci consortium christianorum cum Judaeis ad certum modum restringere conati sunt. Cfr. Concil. prov. Prag. 1860 t. 2. c. 3. In Concilio prov. Strigon. (1858 tit. 9. c. 4) parochi curare jubentur: a) ne christiani servitium suum Judaeis assidue impendant, ut fiant eorum domestici et familiares; b) ne christianae mulieres judaeorum nutrices in eorum domibus sint, extra eorum domos solum ex necessitate, parocho probata; c) ne mulieres christianae opera obstetricum haebraearum utantur. Cfr. currendas episcoporum Galliciae super hac re editas in *Moy* Archiv. t. 8. p. 62 seq. et responsum Nuntii Apost. Vienn. d. 3. April. 1861 p. 73.

PARS SPECIALIS.

LIBER I.

De ecclesiae constitutione et juribus ad eam pertinentibus.

§ 57. Materiae conspectus.

Dum jam ad jura ecclesiae interna convertimur, primo illa explicanda se nobis offerunt, quae ad constitutionem ipsius (§ 7.) proxime referuntur. Constitutio ecclesiae quoad essentialia a Christo determinata est (§ 22.); at successu temporis auctoritate ecclesiastica multa alia non tam adjecta sunt, quam potius ex indole primigeniae institutionis accreverunt. Quoniam constitutio ecclesiae non est, nisi illa ipsius formatio, qua ex variis membris organice dispositis constat; ideo in hoc libro de diversis statibus seu partibus, ex quibus ecclesia coalescit, disserendum venit. Et quidem exordiri juvat a statu ecclesiae communi seu laicali. Nam laici, cum per baptisma facti sint *de corpore ecclesiae,* ideoque in sensu latissimo personae *ecclesiasticae* dici possint, peculiarem statum efficiunt, cui certa tum jura tum officia inhaerent. Deinde res erit nobis de statu clericali; nam clerici qua personae *ecclesiasticae* in sensu strictiori pariter coustituunt statum specialem et distinctum. Inter clericos denuo sunt, qui certa munera publica gerunt in ecclesia, proptereaque sunt personae *ecclesiasticae* in sensu strictissimo, constituentes *statum ecclesiasticum in specie.* Hic porro status magistratuum ecclesiasticorum duplici respectu considerari potest: vel uti in se est, abstrahendo a gradibus hierarchicis, vel cum respectu ad hos gradus. Hinc hosce tractatus habebimus:

I. De statu ecclesiae communi seu laicali.

II. De statu clericali.

III. De statu ecclesiastico eximie tali in se spectato, seu de beneficiis ecclesiasticis.

IV. De eodem statu eccles. relative ad gradus hierarchicos. His adjungitur

V. De statu religioso, qui ex observantia consiliorum evangelicorum exsurgit et laicos simul ac clericos continet.

VI. Cum ecclesia sit societas non simplex, sed composita (§ 27), etiam de institutis in ea existentibus quaedam observari opus erit.

Quibus omnibus explicatis, jura ad ecclesiae constitutionem pertinentia in claro posita adparebunt.

SECTIO I.

De statu ecclesiae communi seu laicali.

§ 58. De ingressu in ecclesiam per baptisma.

Duo heic sunt pertractanda. Quaeritur enim 1., qua ratione quis laicus et de corpore ecclesiae efficiatur? 2. Quaenam sint laicorum tum jura tum obligationes? Ad primum dicendum: *infideles* fieri laicos et de corpore ecclesiae per baptismum; haereticos autem et schismaticos per reditum et voluntariam subjectionem ad ecclesiam. Itaque res nobis erit 1. de baptismo, seu de ingressu in ecclesiam; 2. de aberrantium regressu ad eandem.

Quod baptismum haec potissimum ad jus canonicum spectant:

Baptismus janua ad ecclesiam,

1. *Baptismus est via ad ecclesiam.* «Hoc Sacramentum (ait Catech. Rom.) veluti janua est, qua in christianae vitae societatem ingredimur.» «Per ipsum enim (verba sunt Concilii Florentini) membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae.»

ad jura societatis eccl.

2. Baptismus *unicum est medium,* quo homo originario capax efficitur jurium ex societate ecclesiastica redundantium. Etenim valide[1]) baptizatus omnia jura et privilegia christiani nominis participat et vicissim etiam legibus ecclesiae subjicitur.[2])

Baptismi valor.

3. Ad *valorem* baptismi, praeter legitimam materiam et formam uniendam seu applicandam ab eodem ministro et erga idem subjectum, requiritur debita intentio: scilicet in conferente saltem *virtualis,* in suscipiente, si est adultus, saltem *habitualis,* in infantibus autem et perpetuo amentibus etiam *interpretativa* seu praesumptio voluntatis patrocinatur.

Minister.

4. *Minister* baptismi *ordinarius* est sacerdos: *extraordinarius* et *solemnitatis* est diaconus; denique minister *extraordinarius* et *necessitatis* est quilibet homo ratione utens.

---

[1]) Baptisma *dubie* validum generatim quidem iterari oportet, sed etiam sequens regula attendenda est: «Et certe de illo, qui natus de *christianis parentibus,* et inter christianos est fideliter *conversatus,* tam *violenter praesumitur,* quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.» C. 3. X. de presb. non baptiz. (III. 43.) in fin.

[2]) Concil. Trid. (Sess. VII. can. 8.): «Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sacrae ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita, ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte submittere voluerint, a. sit.»

5. *Locus* baptismi olim erat baptisterium prope ecclesiam, hodie est ecclesia, nisi qua necessitas facere secus cogit.[3]) Baptismi domi collati jam antiquis legibus improbantur. Novo etiam jure cautum est, ut a suo quisque parocho, vel de ipsius licentia ab alio sacerdote, in *ecclesia* baptizetur, nisi aliud postulet vel necessitas, vel magna dignitas ejus, qui baptismum suscipere debet. Locus.

6. In conferendo baptismo adsunt *patrini* (sponsores, fidejussores, susceptores), sed unus tantum adhibendus est, aut ad summum vir unus, unaque mulier; munus hoc committi non debet, nisi ei, qui sit catholicus, et sana doctrina bonisque moribus imbutus. «Hos autem patrinos saltem in aetate pubertatis ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit» ait Rituale Romanum; nam ad validitatem non requiritur, nisi ut sint baptizati et habeant annos discretionis.[4]) Patrini.

7. *Subjectum* baptismi est omnis homo vivens nondum baptizatus. Sed notandum est discrimen inter infantes et adultos, itemque inter fidelium et infidelium infantes. Subjectum.

a) Infantes fidelium a parentibus indiscriminatim ad baptismum deferri oportet, idque, uti praescribit Rituale Romanum, «quamprimum fieri poterit» (de baptiz. parvulis). In qua re penes episcopos stat, terminum exactius definire.[5]) Ecclesia vero insuper Infantes fidelium.

---

[3]) Cfr. Rit. Rom. *Devoti,* tom. 2. n. 34. Conc. prov. *Vienn.* (1858) pag. 84. baptismos domesticos ad tempus tolerandos esse edixit «iis in locis, ubi ejusmodi consuetudo diuturno usu invaluit, nec facile tolli potest.» Similiter Conc. *Prag.* decrevit. Conc. prov. *Colon.* et *Strigon.* declarant, *optandum* esse usum, in ecclesia baptizandi; *Colocense* domi baptizare non permittit, nisi ex dispensatione episcopi.

[4]) Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de ref. matr. Rit, Rom. tit. de Patrinis.

[5]) Conc. prov. Vienn. praefigit biduum, Colon. triduum. Infantes baptizari vel ipsae leges saeculares, imo et guberniorum acatholicorum praecipiunt. In Imperio Austr. hoc idem lege dd. 16. Aug. 1852 quoad omnes cultus christianos receptos injunctum fuit. — Etiam hodie in Austria regula valet, quamlibet prolem certo cultui addictam et proin prolem parentum christianorum baptizari oportere etiam invitis parentibus. Praeterquam enim, quod id exigitur per rubricas libri baptismalis, obligatio *per vim coactivam* extorquenda a tribunalibus deducitur ex § 139 C. civ. A., ex lege d. 25. Maj. 1868 (Reichsgesetzblatt n. 49. art. 1–3), denique ex lege scholas respiciente d. 14. Maj. 1869 (Reichsgesetzblatt n. 62, §§ 1, 3, 17, 20). Quodsi parentes catholici *post nativitatem prolis* a fide deficiunt, nullique cultui adscribi volunt, tunc jus non habent, hanc prolem declarandi omnis religionis expertem (confessionslos), sed tenentur (si hoc nondum factum est) infantem baptismo offerre, neque possunt religionem ejus catholicam mutare, donec ista proles annos pubertatis adepta ipsamet determinaverit, certam religionem amplecti. Vide decisiones supremi tribun. pro causis. administr. d. 26. Apr. 1877, (Archiv. tom. 39. pag. 450) et d. 27. Sept. 1879 (Archiv. 43. pag. 223). Quoad exteros vid. Archiv. tom. 47. pag. 89. Cfr. autem etiam decis. 22. Apr. 1882 (Archiv. 49. 122). — In pluribus regnis nulla lege infantium baptismus praescribitur; hinc ibidem fideles cum infidelibus permixte vivunt.

statuit, ut *omnes* liberi, ex matrimoniis mixtis procreati, catholico ritu baptizentur et in catholica religione instituantur. Haec tamen ecclesiae lex per leges civiles contrarias ubique fere ad irritum redigitur.[6])

Infantes infidelium.

b) Quoad infantes (i. e. usu rationis nondum pollentes) *Judaeorum* et quorumlibet *infidelium,* ecclesia cum s. Thoma docet

[6]) Pro imperio Austr. lege dd. 25. Maj. 1868 haec statuuntur: *a)* Infantes legitimi, aut qui pares habentur legitimis, sequuntnr religionem parentum, si hi eidem cultui sint addicti. Quantum ad matrimonia mixta, infantes pueri sequuntur religionem patris, religionem matris puellae. Possunt tamen conjuges sive ante sive post contractionem matrimonii pacto determinare, ut contrarium sit servandum, vel ut omnes liberi aut patris aut matris religionem sequi debeant. Sed hoc pactum deinceps mutuo consensu mutare possunt quoad infantes, septennium nondum egressos. Religio autem infantium, qui in aetate 7—14 annorum sunt constituti, sive pacto sive lege semel determinata, absolute nequit mutari (decis. summi trib. pro admin. 28. Juni 1883 apud *Wolski* Judicatenbuch des k. k. Verwaltungsgerichtshofes Wien 1884 n. 277). — Decisio ministri pro Cultu 18. Oct. 1872 (Archiv. t. 28. p. 274), defuncto uno conjuge matrimonii mixti ab altero superstite religionem infantium, qui septennium nondum compleverunt, mutari posse, rejecta est a summo trib. pro administr. 2. Apr. 1884 (Wien. Dioec.-Bl. 1884, p. 161), quod sententiam tulit, religionem infantium per contractum determinatam, a solo conjuge superstite variari non posse, imo in tali casu generatim quamlibet religionis variationem prohiberi. — Ceterum Ministerium pro Cultu edixit, contractum quoad infantium educationem a conjugibus mixtae religionis initum etiam in *foro civili* validum ratumque haberi ac proinde ab una parte altera invita, impune infringi non posse. Parochi monentur, ut complemento horum contractuum invigilent et conjuges refractarios instantiae politicae indicent. Sed remedium non datur, ubi conjuges ambo animis concordibus pactum resolvunt (24. Jan. 1882; Linzer Quartal-Schrift 1882 p. 893). *b)* Illegitimi matris religionem sequuntur. Et hoc quidem etiam contra matris voluntatem. *Vering,* Archiv tom. 24. p. 20 seq. *c)* Casu, quo nulla ex dictis determinationibus locum habet, ille, ad quem spectat jus infantem educandi, religionem ipsius determinare potest. *d)* Litterae reversales super educatione et institutione liberorum in certa quadam religione, ministris hujus religionis traditae, omni effectu carent (i. e. vim pro foro civili non habent). — In Hungaria (supra § 55. n. 11.) pueri ex matrimoniis mixtis sequuntur religionem patris, puellae matris. Cautiones praestare vel pacisci de religione prolis in matrimoniis mixtis parentibus non licet, imo invalidum est. Religiosa prolium educatio non mutatur sive morte unius aut alterius conjugis sive legitima matrimonii separatione. — Territoria Germaniae quod attinet, conjuges mixtae religionis de religiosa prolis educatione vel omnino vetantur pacisci, vel ejusmodi pactum mutuo eorum consensu solvi potest; denique in omnibus casibus paciscentes civiliter nunquam obligantur erga ecclesiam. Quin potius ipsis legibus civilibus ubique definitum est, in quanam religione soboles, ex matrimoniis mixtis procreata educari debeat. Sic in regno Bavariae educatio juxta religionem parentum discernenda est. In regno Borussiae et Saxoniae, in Nassavia etc. educatio religiosa prorsus pendet a religione patris; item hoc viget in regno Würtemberg etc. nisi, parentes de hac re inter se convenerint; in M. Ducatu Badensi patri legitimo competit, religionem prolium determinare.

et statuit, eos invitis ipsorum parentibus non esse baptizandos, tum quia hoc esset contra justitiam naturalem (tales enim pueri secundum jus naturae sunt sub cura parentum), tum quia esset periculosum ex eo, quod de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.[7]) Duo tantum casus a Benedict. XIV. excipiuntur, quibus nempe tales infantes repugnantibus etiam parentibus a quolibet ad baptismum afferri et aqua baptismali ablui possunt. Prior est, quando ejusmodi pueri in extremo mortis discrimine constituti sunt; alter, quando forte evenerit, ut parvulus a patre Judaeo relictus aut destitutus inveniatur; nam hoc casu Judaeus patria sua potestate propter istam destitutionem excidit. — Quodsi quaedam Judaica proles in aetate infantili non consentientibus parentibus vel tutoribus baptizata fuerit, baptismus, quamvis illicite collatus, validus tamen est, et consequenter quoad omnia effectus suos sortiri debet. Hinc ejusmodi infantes a parentum infidelium consortio sunt separandi aut recuperandi, tradendique Christi fidelibus, ut ab his pie sancteque informentur. Casu, quo pater ex judaica perfidia ad fidem christianam conversus est, potest is filium suum infantem vel impuberem, Judaea matre licet dissentiente, aquis lustralibus offerre. Verum et matri fidem christianam amplexae haec eadem potestas competit, quantumvis pater in Judaismo perseverans contradicat.[8]) Praeterea ejusmodi ad baptismum afferendi jus ad tutores pertransit, illiusque paternus quoque avus particeps est, qui secundum opinionem a tribunalibus Romanis pluries confirmatam nepotem infantem vel impuberem sanctae religioni christianae valide offert, etiamsi vel pater vel mater aut etiam uterque in Judaismo permanens contradicat. Imo etiam aviae paternae (in Constit. «Probe te») asseritur jus afferendi ad baptismum infantes Judaeos ex filio praemortuo nepotes.[9]) — Denique regula, nullam prolem invitis parentibus a

---

[7]) Ita s. Thomas in summa II. 3. qu. 68. art. 10. et alibi. — Cfr. Const. Benedicti XIV. «Probe te» (1751. pag. 247. ejus Bullar. ed. Luxemb.) nec non Const. «Postremo mense» (1747. pag. 110. l. c.) ubi de baptismo Hebraeorum, tum infantium, tum adultorum late agitur.

[8]) Ratio a Benedict. XIV. allata est haec: *In favorem fidei christianae* judicium matris christianae anteponi oportere patriae potestati, istumque favorem tanti ponderis esse, ut patriae potestati longe praevaleat. C. 2. X. de convers. infidel. (III. 33; Gregor. IX.); c. 10. C. 28. qu. 1. (Concil. Tolet. IV. a. 633).

[9]) Cur avo et aviae jus tam amplum vindicetur, ex eo resultat, quod juxta jus civile Rom. etiam avus paternus et avia paterna sub appellatione parentum veniunt, et quia in re, ubi agitur de salute aeterna, pariter favor fidei christianae ab ecclesia respicitur. Eam rem tam clare quam solide, sed et copiosissime pertractavit Benedict. XIV. in citatis duabus Const.

ministris catholicis baptizandam esse, ad haereticos quoque et schismaticos sese exporrigit.[10])

Adulti. c) *Adulti* ad baptismum tunc admitti possunt, cum rite praeparati sunt et rectis motivis inducti sponte et libere baptismum

1. Aetas praescripta. implorant.[11]) Adulti regulariter illi censentur, qui septennium compleverunt, eaque aetas legitima reputatur, ut quis proprio motu ad baptismum admittatur. *Regulariter,* inquam; nam potest contingere, ut baptismi petitor etiam non completo septennio praeditus sit sufficiente ratione, ideoque baptizandus, licet reluctantibus parentibus. Vice versa etiam de illo, qui septennium jam complevit, dubitari potest, an doli capax existat, aut in fide satis instructus sit. Quomodocumque vero petitoris capacitas anceps sit et incerta, sacramentum semper est differendum, puer vero apud christianos retinendus, nec parentibus Judaeis aut gentilibus tradendus, casu nempe, quod spes solida conversionis affulgeat. Ratio, cur licet obstante potestate patria, infantes usu rationis capaces solo ipsorum consensu baptizari possint, est, quia lex divina baptismi patriae potestati longe praevalet. — Sed unus-

2. Voluntas. quisque *sua sponte* et *libere* baptismum implorare debet, quia ut ait s. Augustinus[12]) ad fidem nullus cogendus est invitus,[13]) et concilium Toletanum IV. relate ad Judaeos praecipit: «Nemini deinceps ad credendum vim inferri . . . non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes.»[14]) Item Clemens III. principium pronuntiavit: «Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.»[15])

---

[10]) Josephus II. (12. Apr. 1787) prohibuit, ne quis infans Judaicae gentis, excepto unico casu, quod ille expositus, derelictus et projectus reperiatur, invitis parentibus a quocunque baptizetur, inflicta in transgressores poena mille aureorum, aut carceris sex mensium, eo casu non excepto, quo baptismus imminente mortis periculo fuerit collatus. Poena mille aureorum pro hoc casu jam constituta fuit a. P. Julio III, licet non eadem extensione. — Vigore cit. decreti aul. d. 12. Apr. 1787 et supremae resol. 31. Dec. 1831 non licet infantes Judaeorum contra legis prohibitionem baptizatos separare a parentibus judaeis atque in catholica religione educare.

[11]) Rituale rom.: Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizari. De baptismo adult.

[12]) Can. 33. c. 23. qu. 5.

[13]) Idem s. August. ep. ad Vincent. 48: «Neminem ad unitatem Christi esse cogendum.» C. 3. § 1. c. 23. qu. 6. — Leo XIII. («Immortale Dei» p. 26.) dicit: «Atque illud quoque magnopere cavere ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (Tract. 26 in Joann. n. 2).»

[14]) C. 5. Dist. 45.

[15]) C. 9. Sicut Judaei. X. (V. 6). Cfr. c. 3. D. 45. (Greg. M.)

Huic principio etiam praxis conformis est, qua illi filii Judaeorum ad religionem catholicam transeuntium, qui usu rationis pollent, suasione tantummodo ad baptismum inducuntur, minime vero vi et coactione impelluntur,[16]) — *Motiva* denique baptizari volentium exploranda esse, tum per se liquet, tum a Benedict. XIV. in cit. Constit. «Postremo mense» gravissime inculcatur.[17]) — Ceterum ejusmodi casus semper ad Ordinarium praevie deferri debet.[18]) 3. Pura intentio.

§ 59. Reditus acatholicorum ad ecclesiam catholicam.

Principia ecclesiastica quoad reditum.

1. Apostatae, haeretici vel schismatici in sinum ecclesiae recipi possunt, si prona et spontanea voluntate reconciliationem petant, et reliqua, quae in hunc finem requiruntur, praestent. Praeprimis, cum sat bene instructi et examinati in proposito persistunt, haeresim et schisma abjurare necnon professionem fidei emittere tenentur. Hos actus coram ecclesia et modo ab ea praescripto peragi opus est.[1]) Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est, an baptizati fuerint, vel an rite id factum sit, sub conditione baptizentur. Illi autem, de quibus constat, quod in ipsorum baptismo debita materia et forma non sit servata, absolute baptizandi sunt; ubi vero debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, nisi aliter episcopo videatur, ad quem generatim dubium de baptismo referendum est.[2]) Tunc ille haereticus, de cujus baptismi valore non

[16]) Illicitum quidem est, cogere infideles ad fidem christianam suscipiendam; sed non absolute prohibetur, commodorum temporalium promissione voluntatem eorum proniorem reddere. Nam licet tales, prout observat Gregor. M. epist. V. 8, non prorsus sincera fide ecclesiae addicantur, eorum tamen posteri in fide christiana educandi spem multo laetiorem praebent.

[17]) Leges civiles nihil plerumque de aetate eorum statuunt, qui ex infidelitate ad ecclesiam convertuntur, aut si quid statuant, aetatem nonnihil majorem requirunt. Ex lege nostra sic dicta interconfessionali, aetas 14 annorum pro libera religionis optione requiritur. Ex art. 16 ejusdem legis priores omnes ordinationes et normae quantum ad aetatem recipiendorum ex Judaismo abrogatae censendae sunt.

[18]) *Gassner:* Pastoral. Salzburg 1881. pag. 625.

[1]) Pontificale Rom. Ordo ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel haereticum.

[2]) Ritualie Rom. De baptismo adultorum n. 16. — En desuper duo decreta Congregationis *Romanae et universalis Inquisitionis:* a) 21. Sept. 1853. «Rongeanos, de quibus sermo est in epistola episcopi, *baptizatos* quoad matrimonii validitatem considerandos esse sicut alios haereticos, *non baptizatos* vero sicut Judaeos vel infideles, idque independenter a civili potestate.» Angelus Argenti S. R. etc. b) 17. Nov. 1830. «An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint ita, ut inter eos et Catholicos disparitatis impedimentum dirimens adesse censeatur? R. 1. Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae

est dubium, aut qui nonnisi sub conditione baptizatus fuit, sacramentaliter absolvitur per confessarium ad hoc delegatum a censuris simul et a peccatis: conditionate baptizatus absolvitur sub conditione: Si indiges. Sed absolutio a censura excommunicationis fieri etiam debet *pro foro externo,* et quidem in actu receptionis ipso, in quo haec absolutio cum abjuratione et professione fidei conjungitur. Pro neo-conversorum receptione novissime edita est Instructio s. C. s. Offic. d. 20. Julii 1859, ubi etiam habetur forma pro absolutione a censura.[3])

Sanctiones legum civilium.

2. Ubi plures religiones vigent, ibi gubernia civilia transitum ab una ad aliam peculiaribus legibus definire solent. Status pares reditum ad ecclesiam ac defectionem ab ipsa eadem aestimatione metiendam esse putant; ex quo tamen fit, ut per ejusmodi leges principia catholica crebro laedantur, eoquod, quae ceteris religionibus conveniunt, saepe doctrinae catholicae repugnent. Ceterum leges civiles ad haec ferme redeunt:

a) *Apostasia* seu defectio *externa* a *christiana* religione sicuti in jure canonico inter maxima crimina recensetur, ita plane per leges Imperii German. prohibita fuit, nec hodie in aliquibus locis in jure civili conceditur.[4])

---

essentialis, debet examinari casus particularis. Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quodsi dubium persistit etiam in prima casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. 2. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium. — Resolutio haec a P. Gregorio XVI. eadem die adprobata est. (S. Rit. Congreg. decreta authentica. Romae et Leodii 1851 p. 205.) Ex decreto S. C. Inquis. 20. Nov. 1878 et 21. Febr. 1883 (Acta S. Sedis t. 16. p. 415) in conversione haereticorum a quocunque loco vel a quacunque secta venerint *in singulis casibus* examen de validitate baptismi in haeresi suscepti instituendum est. Si hoc examine instituto compertum fuerit, baptismum istud invalidum fuisse, tunc baptizandi sunt absolute; tunc autem conditionate et *secreto,* si investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur aut adhuc probabile dubium de valore supersit.

[3]) Vid. Append. ad Concil. Baltimor 1866 in Collect. Lacen. Conciliorum recent. t. 3. 550; etiam in *Gassner,* Pastoral p. 135 seq. vel Linzer Quartal-Schrift 1886. p. 391. Juxta declarationem s. C. Conc. «*potest* judex eccles. absolutionem in foro conscientiae datam etiam pro foro exteriori ratam habere, nisi hoc redundet in praejudicium partis.» (In Compsana 14. Jun. 1591 et pluribus aliis apud *Ferrar.* sub. v. *Excommunicatio* art. VIII.) Quia jam nemo in nostris regionibus in jus vocatur, quem constat pro foro interno reconciliatum esse cum ecclesia, adeoque omissio absolutionis pro foro externo haud «redundat in praejudicium partis»; eapropter absolutio haec pro foro externo in multis locis ex usu recessit. Sed ex recenti ecclesiae praescripto necessarium est, neo-conversos pro utroque foro absolvere. Id patet inter alia ex responso, quod s. C. de Propaganda fide dedit cuidam Germaniae episcopo: «si agatur de *haeretico publico.*»

[4]) In Imperio Austriaco usque ad novissimum tempus filius ob religionem christianam abjectam exhaeredari potuit (C. A. C. § 768): similiter qui christianum ad apostasiam inducere, aut sectam christianae religioni adversam

b) Transitus ad alias religiones receptas plerumque conceditur, sed restringi solet tum ad certam aetatem,[5]) tum ad quasdam solemnitates seu modos,[6]) quos in transitu observari oportet.

c) Deficientes sive a fide catholica, sive ab omni fide christiana in jure canonico censentur societati catholicae *ex parte* extranei, quandoquidem partim ab ea semet sejunxerunt et excom-

propagare conatus fuerit, criminis reus (§ 122 C. crim.) declaratus est. Sed hae determinationes in lege, sic dicta interconfessionali (art. 7) penitus abrogatae sunt. In regnis Borussiae et Saxoniae, itemque in M. Ducatu Badensi defectio a christianismo pariter legibus conceditur. Jus civile Galliae quoque, cum de hac re nil contineat, apostatas impunitos esse sinit.

[5]) Lex interconfess. Austr. unicuique, aetatem annorum 14 egresso, facultatem concedit, religionem mutandi, eumque in hoc suo jure prosequendo a judice tuendum esse edicit. Excipitur vero casus, quo aliquis in tali mentis statu versatur, qui liberam determinationem excludit. Eandem aetatem praescribunt leges Borussiae, Würtembergicae, Oldenburg etc. Aetas 16 annor. requiritur in M. Ducatu Badensi (9. Oct. 1860), 18 annor. in Hungaria, 21 annor. in Bavaria. In Helvetia religiosa educatio prolium usque ad annum 16. completum determinanda relinquitur patri vel tutori (Revid. Bundesverfassung v. 29. Mai 1874.

[6]) Vi leg. interconfess. (art. 6) in Austria aliud non praescribitur, nisi ut egrediens magistratum politicum de suo egressu ex ecclesia vel societate ecclesiastica certiorem reddat; magistratus deinceps ministro religionis derelictae rem denuntiare debet. Ingressum vero in ecclesiam vel religiosam societatem de novo electam proselyta in persona ministro hujus religionis declaret necesse est. Vi ordinat. ministri pro cultu (18. Jan. 1869) egressio denuntiari debet vel apud capitaneum circuli vel apud magistratum urbis, si haec propria habeat statuta. Si dubium fundatum obversetur circa identitatem personae egredientis, vel an haec annum 14. reapse compleverit, denique an ipsa in tali animi statu existat, qui ad egressum requiritur, magistratus politicus de his examen instituere debet. Lex civilis non impedit transitum de uno ritu catholico ad alium ritum e. g. graeco-catholicum in Gallicia (Ordin. ministri pro cultu 7. Febr. 1870); sed hoc intelligi tantum debet de facultate deserendi ritum alterum catholicum, quin tamen superiores eccles. alterius ritus ipsum teneantur recipere. Si non recipiatur, taliter egressus illis accensetur, qui nullam religionem profitentur. — In Hungaria transiturus coram parocho suo et 2 testibus declarare debet duabus vicibus (i. e. secunda vice post 14 dies vel saltem antequam 30 dies elapsi fuerint) se velle desciscere a sua religione. Deinde duo separata testimonia de his duabus declarationibus factis ab animarum curatore exaranda sunt, quae exhiberi debent ministro religionis recens electae (Archiv. t. 24. p. 105). — Mutatio religionis illicita est ante annum 18. completum. Excipe uxores, quae semper inito matrimonio ad alium cultum transire possunt. Nota, per § 53. novi codicis poen. Hungarici magnam catholicis creari difficultatem. Nam hoc § infligitur poena carceris usque ad 2 menses continuandi et 300 fl. ei, qui personam aliquam ante annum 18. completum, contra legem interconfess. a. 1868, recipit in *aliam* societatem religiosam. Hoc intelligi potest etiam de prole ex matrimoniis mixtis procreata, quae non posset in *omnibus casibus* catholice baptizari, prout ecclesia requirit nisi sub gravissimis poenis. Archiv. t. 44. p. 285; t. 45. p. 158. — In Borussia transitus fieri potest, quin praecesserit declaratio egressus ex altera religione. In Bavaria autem ejusmodi declaratio requiritur. *Schulte,* Lehrbuch p. 327.

municationi obnoxios se reddiderunt, partim tamen non soluti sunt ab obligatione redeundi, neque exemti a cura et potestate ecclesiae eosdem emendandi. Attamen leges civiles hujusmodi desertores, uti penitus ab ecclesia separatos considerant, et ab omnibus vinculis absolutos, quibus antea ecclesiae erant obstricti. Sed mutatio religionis ab uno alterove parente vel ab utroque facta etiam quoad prolis educationem certos effectus operatur a legibus civilibus determinatos.[7])

§ 60. De juribus laicorum.

Itaque omnes baptizati et actu ad ecclesiae corpus pertinentes sunt personae ecclesiasticae in sensu latissimo et constituunt illud sacerdotium internum et invisibile, de quo s. Petrus: «Vos autem,» inquit, «genus electum, *regale sacerdotium,* gens sancta, populus acquisitionis.»[1]) Hinc laicis quoque propter signaculum fidei et intimam cum ecclesia, et mediante ecclesia, cum Christo

---

[7]) Sic in lege interconfess. Austr. (art. 5) quoad transeuntes statuitur: «Per mutationem religionis exstinguuntur omnia jura socialia ecclesiae vel religiosae societatis derelictae relate ad hominem egressum ex ipsa, et vice versa etiam hujus jura in relatione ad illam.» Quoad liberos infantes (art. 2) haec sancita sunt: «In casu, quo alteruter parentum, aut uterque, aut mater illegitima religionem mutat, liberi jam nati, et septennium nondum egressi, quoad religionem ab ipsis amplectendam, sine ullo respectu ad pactum ante mutationem religionis initum perinde sunt tractandi, ac si demum post mutationem religionis, a parentibus vel a matre illegitima factam, nati essent.» Ergo non solum proles ejusdem sexus nascitura, sed etiam jam nata (ante completum septennium) in religione recens a parente electa educanda est. Pueri vero et puellae, septennio majores, relinqui debent in sua religione usque ad annum 14., quo completo religionem, quam voluerint, amplecti possunt. Si altera conjux se declaret se religionis expertem *ante nativitatem prolis,* haec proles sequitur religionem sui cujusque parentis (scil. juxta sexum). Hinc infantes nascituri, qui ejusdem cum apostata sunt sexus, nulli religioni adscribendi propterea ad baptismum invito apostata non sunt deferendi (Cfr. not. 5). Decis. supr. tribun. pro admin. 18, Apr. 1884. Wien. Dioec.-Bl. 1884 p. 163. 173. Cfr. *Wolski,* Judicatenbuch n. 286. 287. — In Hungaria, mutante uno conjuge religionem, nati septennio minores ejusdem sexus sequuntur religionem a conjuge electam.

[1]) I. Petr. 2, 9. — Inde explicatur, cur scriptores antiqui laicos quoque gradibus hierarchicis adnumeraverint. Ita Eusebius (Demonstr. Evang. l. 7. c. 3) tres gradus ordinum hierarchicorum recenset: Praefectos, baptizatos et catechumenos. S. Hieron. in cap. 19. Isai. quinque gradus enumerat: Episcopos, Presbyteros, diaconos, fideles et catechumenos. Vid. *Schöpf,* K.-R. t. 4. § 258. n. 1. — Caeterum ex theol. dogm. notum est, catechumenos non esse de corpore, sed de anima ecclesiae. Cfr. *Bellarmin,* de eccles. milit. c. 2. — S. Augustin. tract. in Joann. 11. «Quod signum crucis habent in fronte catechumeni, jam de domo magna sunt, sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt, qui jam ad domum magnam pertinent.»

connexionem eximiae praerogativae et jura quaedam singularia competunt. Haec laicorum jura ad duplicem classem revocari possunt.

Laici potestatem eccles. dupliciter participant:

1. Cum laici in sua relatione ad clerum seu ad hierarchiam in sensu proprio ecclesiam discentem, sanctificandam et regendam constituant de jure[2]) a rectoribus ecclesiae et sacerdotibus sibi praepositis exigere possunt, ut triplex ecclesiae potestas, in salutem animarum et in aedificationem corporis Christi a divino Salvatore instituta, rite administretur, sicque commoda spiritualia ubertim in fideles redundent.[3]) In specie jus habent:

1. passive;

a) ut doctrinam Christi rite edoceantur et pericula fidei, quoad fieri potest, procul arceantur;

b) ut sacramenta sibi fideliter administrentur, et sacramentalibus quoque non defraudentur;

c) ut ad statum clericalem vel religiosum sibi aditus pateat;

d) ut in rebus litigiosis praesidium judiciorum eccles. implorare ipsis liberum sit;

e) ut generatim illorum jurium participes efficiantur, quae ex actuali communione ecclesiae promanant, e. g. juris sepulturae ecclesiasticae.

2. active.

2. Verum etiam active vi sacerdotii interni in exercitium potestatis ecclesiasticae influunt et remotius saltem suas partes conferunt.[4]) Et quidem

a) respectu *magisterii* non solum magistri et literati laici scientias theologicas excolere, in earum formationem influxum habere, infideles et haereticos scriptis suis convincere et veritates fidei catholicae tueri possunt, sed etiam unusquisque paterfamilias domi suae, ut ait s. Chrysostomus, quasi episcopi munere fungitur; quin et ipsi mulieri, licet in ecclesia tacere jubeatur,[5]) fidem animis filiorum instillare incumbit, prout etiam ex more antiquae ecclesiae catechumenae honestis mulieribus informandae tradebantur.[6])

Attamen laicis (olim sub comminatione poenarum ecclesiasticarum) interdictum est praedicare,[7]) nec non cum haereticis et maxime cum illis, qui magistri sunt erroris et valde pertinaces in errore suo defendendo, de mysteriis fidei disputare;[8]) suis tamen

---

[2]) *Phillips*, I. § 33.

[3]) In regno gratiae fideles nulla quidem jura habent relate ad Deum, sed aliud obtinet respectu ad superiores ecclesiasticos.

[4]) *Walter*, K.-R. § 21.

[5]) I. Cor. 14, 34.

[6]) Constit. Apost. III. c. 16.

[7]) *Ferraris* sub voce *Laicus* et *Fides*.

[8]) Haec prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, quae nimirum fit animo impugnandi aliquem fidei articulum, sed et confirmativam, qua quis dogma catholicum adversus haereticum defendit.

limitationibus multis haec posterior prohibitio non caret. Nam haec disputatio in casu necessitatis aut evidentis utilitatis laicis doctis permittitur.[9])

b) Relatio laicorum ad sacrum ecclesiae *ministerium* in eo sese manifestat, ut precibus, quas fundunt pro salute ecclesiae, pro ordinandis, pro peccatorum conversione, non solum ecclesiam juvent, sed et quoddam sacrificii genus offerant, atque tali ratione unusquisque liturgiam publicam quodammodo intra animum suum imitetur tum oratione, tum ceteris omnibus actibus Deo consecratis. Id quod Catechismus Rom. praeclare ita exprimit: «Fide, quae charitate inflammatur, in altari mentis suae spirituales Deo hostias immolant; quo in genere omnes bonae et honestae actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandae sunt.» Quin et in offerendo Missae sacrificio, non obstante quod actio externa et consecratio a solo sacerdote peragitur, revera offerunt et in oblatione incruenti sacrificii cooperantur.[10])

Verumtamen (ita pergimus cum praelaudato Ferraris) laici non possunt sacrificare, nec absolvere et ligare. Et si laicus, vel clericus non sacerdos, attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non obstante errore communi. Ecclesia siquidem quandoque, dum adest *titulus coloratus,* supplet defectum jurisdictionis, sed nunquam supplet ea, quae sunt juris divini. Laici non possunt exercere ministerium minorum ordinum neque inservire ministris in altari, nisi ex quadam ecclesiae conniventia et cum restrictione. Porro sub specie panis tantum possunt communicare.[11]) Item non a se, sed a sacerdotibus, debent Eucharistiam sumere, excepto tamen, juxta plurimos probabilistas, mortis articulo saltem tempore pestis. Dum divina celebrantur, non debent inter canonicos et alios ecclesiae praebendatos in choro stare vel sedere, sed eorum loca in ecclesia debent esse distincta et separata a locis canonicorum et ministrorum divinis inservientium. Laici non possunt ss. reliquias, neque vasa sacra tangere, neque illa abluere.

c) In multis etiam, quae ad *disciplinam* ecclesiae pertinent, laici cooperari permittuntur. Ejus rei argumentum est admissio laicorum ad Concilia,[12]) institutum testium synodalium, participatio

[9]) *Pirhing,* ad tit. 7. libri V.

[10]) Conc. Trid. Sess. XXII. de sacrif. Missae c. 1. expresse dicitur, Christum *ab ecclesia* sacerdotum ministerio divino Patri offerri. Hinc sacerdos offerens non solum Christi vices explet, sed est simul fidelium caput, qui cum illo conjuncti hoc augustum sacrificium litant. Quod etiam in Offertorio exprimitur per numerum pluralem *Offerimus, Meum ac vestrum sacrificium V. Kössing:* Liturg. Vorlesungen über die hl. Messe p. 406.

[11]) Conc. Censtantiense Sess. XIII. c 1. — Con. Trid. Sess. XXI. c. 1 et 2.

[12]) S. Cypriani epist. 11. 13. 66. 71. 124. edit. Baluze. Vid. *Hefele:* Concilien-Geschichte I. p. 16 et 21. De jure et modo, quo laici ir Conciliis participare psosunt, suo loco sermo erit.

laicorum in administrando peculio ecclesiastico et in provisione beneficiorum.[13]) Imo principibus christianis vel ampliores favores conceduntur, praesertim cum res ecclesiasticae in ipsorum ditione rite ordinatae et compositae existunt.

Ast laici eligere non possunt ad dignitates et praelaturas ecclesiasticas, neque ad easdem eligi, quia iidem prorsus incapaces sunt tum beneficii tum juris spiritualis cujuslibet exercendi, nisi ex speciali Papae commissione jurisdictio illis delegetur. Porro laici etiam patroni non possunt *conferre* clericis beneficia aliasque ecclesias, sed possunt ad ea praesentare si habent jus. Et si concedunt sine licentia episcopi, nulla est concessio. Laicus nullam habet potestatem in personas et res eccles., et spiritualia negotia pertractare non debet.[14]) Laici non possunt frequentare monasteria monialium, alias excommunicationi subduntur. Neque possunt esse socii visitatoris in ingressu clausurae monialium.[15])

Caeterum cum reliqua laicorum jura per varios juris canonici tractatus disperguntur, necesse non est, ut uno hoc loco colligantur. Neque est, cur eorum officiis hic immoremur, quippe quae in Theologia morali ex professo pertractantur.

SECTIO II.

De statu clericali.

CAPUT I.

De aditu ad statum clericalem seu de ordinatione.

§ 61. Generalia de sacramento ordinis.

Janua, quae ducit ad statum clericalem est *tonsura clericalis*, per quam baptizati, ad hoc electi, a coetu fidelium segregantur et divino cultui specialiter consecrantur; ita, ut omnimode pars Domini fiant, Dominus vero ipsorum pars efficiatur.[1]) Tonsuram ex hodierno usu regulariter sequitur ordinatio, seu tonsura est praeparatio ad ordinem.

[13]) Principium in hac re idem semper fuit, sed modus varius. Sive populi acclamatio, sive patroni praesentatio, sive communicata cum regnantibus consilia in usu fuerint vel sint, eadem semper idea subest. *Walter*, K.-R. § 21. n. 5.

[14]) Vid. supra § 35 not. 2.

[15]) Constit. Gregor. XIII. «Dubiis» — S. Congr. Episc. et Regul. 20. Nov. 1601. — *Ferraris*, l. c.

[1]) Nomen *cleri* s. Augustinus (Comment. in Ps. 47) exinde ortum esse putat, quod Mathias *sorte* ad apostolatum evectus est, S. Hieronymus ad Nepotian. (c. 5. C. 12. qu. 1.) «Propterea,» ait «vocantur clerici, vel quia *de sorte* sunt Domini, vel quia Dominus *sors*, id est pars, clericorum est.» Patet utramque hujus nominis explicationem proprie in idem recidere. Clerici enim sunt tum specialiter electi, tum arctius Deo addicti. Hinc s. Hieron. (c. 7. l. .) scribit: Clerici, id est *sorte* electi. Omnes enim Deus *in suos* elegit.

Ordo.

1. Sumitur vero ordinis nomen dupliciter: 1. pro s. caeremonia seu solemni inauguratione, per quam s. potestas confertur, quaeque a Latinis ordinatio, a Graecis *χειροτονία* vel *χειροθεσία* vocatur; 2. pro gradu hierarchico, in quo quis vi ordinationis collocatur juxta mensuram potestatis acceptae. In antiqua ecclesia praeterea *ordo* certum quoddam officium sacrum denotabat, quod una cum ordinatione cuidam conferebatur.[2]) Ecclesia de ordine docet: 1. «Ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.» (Conc. Trid. Sess. 23. can. 3.) 2. Plures esse ordines (l. c. cap. 2); ibidem c. 3. statuitur: «Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur, a. s.» Plures in ecclesia sunt ordines ea de causa, ut qui ad sacerdotium tendunt, melius praeparentur, dum per gradus ad illud ascendunt, nec non ut per hoc dignitas sacerdotii apertius in oculos cadat.

Ordines majores et minores.

2. Latini septem ad minimum ordines agnoscunt et quidem *majores:* Sacerdotium (inclusive cum episcopatu) Diaconatum, Subdiaconatum; *minores:* Acolythatum, Exorcistatum, Lectoratum et Ostiariatum. Graeci nonnisi quatuor numerant: Sacerdotium, Diaconatum, Hypodiaconatum et Lectoratum. Majores illud sibi proprium habent, ut lex continentiae, obligatio horas canonicas recitandi, nec non obligatio permanendi in statu clericali ipsis sit adnexa. Olim etiam subdiaconatus ordinibus minoribus adnumerari consueverat. Sed saeculo 12mo ad finem vergente, cum lex coelibatus subdiaconis imposita esset, dictus ordo majoribus accenseri coepit, licet juxta sententiam nunc ferme communem auctoritate mere ecclesiastica constitutus sit. Hinc ad discernendos ordines divinitus institutos et sacramentales ab iis, qui sunt ecclesiasticae auctoritatis, alia partitio invaluit, qua ordines in *hierarchicos* (sacramentales) et non *hierarchicos* (non sacramentales) dispescuntur,[3]) seu illos, quibus ratio sacramenti certo competit, qui sunt, episcopatus, presbyteratus et diaconatus, atque illos, quibus character sacramentalis verosimilius abjudicari debet.

Ordines hierarchici et non hierarchici.

---

[2]) Ordinatio apud Romanos. ait Calepinus, erat magistratuum creatio, eorundemque per provincias dispositio. Sueton. in Domit. c. 4. Hoc vocabulum traductum ad res eccles., in primaeva ecclesia tum clericorum inaugurationem, tum eorum ad sacrum officium deputationem denotavit. Tunc enim temporis, quia ordinationes absolutae, i. e. quae non intuitu muneris cujusdam statim obtinendi fiebant, vetabantur (c. 1. D. 70), utrumque eodem actu conjunctim occurrebat, scil. sacra ordinatio et officii eccles. injunctio. Hodie tamen in sola episcoporum ordinatione vetus disciplina servatur, quia episcopi ordinari non possunt nisi ad titulum certae cujusdam ecclesiae. — Caeterum vox *ordinare* jam pridem de solo ritu ordinationis usurpata est. Epist. Firmiliani ad S. Cyprian. (75. a. 256).

[3]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. VIII. c. 10. n. 4.

3. Caeterum numerus ordinum certitudine fidei non est definitus, quod et de quaestione valet quibusnam ordinibus dignitas sacramenti competat. Ordinum numerum quod attinet, tota res ab eo pendet, quid tum de tonsura clericali, tum de ordinatione episcoporum sentiatur. Inprimis *tonsura* non est ordo, quia non confert speciale ministerium, sed est potius praeparatio ad ordines accipiendos,[4]) seu initium et habilitatio ad ordines et ad clericatum, id quod etiam ex concilio Tridentino[5]) colligitur. Econtra *episcopatus* non est mera extensio seu complementum presbyteratus, ut veteres scholastici[6]) tradiderunt, neque, ut aliqui dicunt, simplex deputatio ad quasdam functiones presbyteris in exercitium deduci interdictas, sed juxta sententiam hodie communiter receptam[7]) ordo a presbyteratu distinctus et sacramentalis. Haec sententia a) fundatur in s. Scriptura, in qua de ordinatione episcopi ita disseritur,[8]) ut eadem tamquam sacramentum haud obscure adpareat; b) eruitur ex traditione usque ad theologos scholasticos non interrupta;[9]) c) confirmatur ex ratione theologica, quae necessario sacramentum agnoscere debet, ubi cum materia, et forma etiam gratia conjungitur,[10]) ubi porro specialis potestas, nempe ordinandi et confirmandi, nec non distinctus et indelebilis character confertur, vi cujus potestas ordinis episcopalis nec amitti nec auferri potest (§ 24. 1. a.); d) fluit ex decisionibus dogmaticis Concilii Tridentini, quod docet: α) episcopos gradum eminentiorem supra presbyteros ideoque proprium ordinem tenere[11]) β) eosdem eoquod potestatem confirmandi et ordinandi privative habeant, etiam ratione *ordinis* presbyteris antecellere;[12]) γ) sacram

Numerus ordinum.

Tonsura non est ordo,

Episcopatus est ordo distinctus et sacramentalis.

---

[4]) Catech. rom. de Sacram. ord. n. 13.

[5]) Sess. XXIII. de reform. c. 6. et c. 10. ubi Concilium inter tonsuram et minores ordines manifeste distinguit.

[6]) S. Thomas P. 3. Q. 40. a. 5; s. Bonaventura in IV. Sentent. Dist. 24.

[7]) Episcopos esse presbyteris superiores, est dogma declaratum; episcopatum vero esse ordinem a presbyteratu distinctum rationemque Sacramenti participare, juxta Bellarminum (Disput. tom. 3. controv. 5. lib. 2. c. 2.) est *assertio certissima,* quam defendunt Estius, Franc. Sylvius, Petavius, Thomassin., Habert, Tournely, Benedict. XIV. omnesque ferme hodie theologi. — Vid. *S. Alphons,* Theol. Moral. l. VI. n. 738. *Phillips,* K.-R. I. p. 308. *Perrone,* Compend. theol. dogm. ed. Bruxell. t. 2. p. 432. *Furtner:* Das Verhältniss der Bischofsweihe zum hl. Sacramente des Ordo. München 1861. Cfr. *Tübing.,* Quartal-Schrift, 1857, p. 637 seq.

[8]) I. Tim. 4, 14; II. Tim. 1, 6.

[9]) *Furtner* l. c. p. 21—75, ubi testimonia traditionis exhibentur.

[10]) Not 9. — *S. Ambros.* lib. de sacerd. dign. c. 5; *s. Greg. M.* lib. VI. in I. Reg. c. 3.: «Cornu ergo pleno sacerdotes unguntur, qui ad *summum* gradum perveniunt cum plenitudine gratiarum.» Idem lib. VI. tn I. Reg. c. 5.

[11]) Sess. XXIII. can. 7.; cap. 4. Cfr. sess. XXIV. c. 1. de ref.: «in electione ejus (episcopi), qui super omnes gradus constituitur.»

[12]) Sess. XXIII. can. 7; cap. 4.

ordinationem esse sacramentum, per eamque dari Spiritum s., et proinde episcopos non frustra dicere: Accipe Spiritum sanctum.[13]) Ex quibus apparet, episcopatum tum distinctum ordinem tum sacramentum esse. Nec valet dicere cum scholasticis, omnes ordines ad ss. Eucharistiam referri, nihilque dari, quod Eucharistiae consecratione majus aut sublimius sit.[14]) Nam in ordinatione episcoporum reapse nova et specialis, etiam relate ad ss. altaris Sacramentum, potestas tribuitur, nempe constituendi hujus sacramenti ministros, simul et procreandi patres spirituales fidelium, dum hi, nempe sacerdotes, nonnisi filios spirituales per baptismum generare valent.[15])

An omnes ordines sint sacramentales.

4. Scholastici cum non paucis theologis et canonistis[16]) tam subdiaconatui quam ordinibus minoribus rationem sacramenti concedunt. Sed hodie vere omnes contrariae sententiae adstipulantur. Caeterum officia tum subdiaconatus tum ordinum minorum ex diaconatu, in quo olim conclusi erant, secreta sunt,[17]) diaconisque nobiliora dumtaxat officia relicta.[18])

Officia *minoribus* ordinibus alligata hodie, connivente ecclesia, plerumque a laicis peragi solent, licet synodus Trident. pristini moris desiderio flagrans decreverit, ut hujuscemodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur.[19])

[13]) Sess. cit. can. 3. 4.

[14]) S. Thomas p. 3. Supplem. qu. 40. a. 5. «Ordinatur omnis ordo ad Eucharistiae Sacramentum. Unde cum episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc episcopatus non erit ordo.» — Caeterum utramque sententiam ita conciliare student: Quatenus episcopatus consideratur relate ad principale sacrificium eucharisticum, non est ordo distinctus a presbyteratu; secus vero, si sumatur quoad particulares functiones episcopis proprias, ordinandi scil. et confirmandi, et relate ad hierarchiam eccles., juxta quam episcopi presbyteris superiores existunt. Ita Walter § 16 et jam Engel: Collegium juris can. l. I. tit. 11. n. 4. Ast hac distinctione nodus quaestionis, utrum per ordinem episcopalem character sacramentalis imprimatur, nec ne, haud solvitur.

[15]) *S. Epiphanius* haeres. 75. n. 4. episcopatum et presbyteratum sic ad invicem comparat: ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις πατέρας γάρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λούτρου παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὲν πατέρας, ἢ διδασκάλους. — Proinde vel octo ordines numerandi sunt, vel si numerus septenarius ex usu loquendi recepto retineatur, sub nomine sacerdotii duplex ordo distinctus intelligendus est. Ceterum summarium cap. 2. sess. 23. Conc. Trid. *de septem ordinibus* neminem perturbare debet, eoquod illud non statim, sed in posterioribus Concilii editionibus appositum, ideoque expers est auctoritatis, quae ipsimet concilio Trid. competit.

[16]) Barbosa: De officio episcopi. Patr. II. alleg. 2, n. 21.

[17]) Officia ordinibus adnexa exhibentur: can. I. D. 21; — c. 16—20. D. 23; — c. 1. D. 25.

[18]) «Oportet diaconum ministrare in altari, baptizare et praedicare.» Pontificale Rom.

[19]) Sess. XXIII. cap. 17. de reform. —

§ 62. Requisita ex parte ministri ordinationis.

Distinguendum est inter ministros, qui *valide* et qui *licite* seu *competenter* ordinant. Itemque minister valide ordinans vel *ordinarius* vel *extraordinarius* esse potest.

Minister valide ordinans: 1. ordinarius;

1. Minister *valide ordines conferens,* et quidem *ordinarius* est *solus* et *omnis* episcopus. Dixi 1.: *solus* episcopus; nam Concil. Florentinum in decreto unionis dicit: «Ordinarius minister hujus Sacramenti *(ordinis)* est episcopus.» Item Concilium Tridentinum declaravit, episcopos habere potestatem ordinandi eamque illis cum presbyteris non esse communem.[1]) Dixi 2.: *omnis* episcopus; nam etiam episcopi excommunicati, haeretici, schismatici vel simoniace electi valide ordines conferunt,[2]) modo quoad ritum, materiam, formam, intentionem omnia rite perficiantur, neque ob invalidam ordinationem interrupta sit series apostolicae successionis, sed continuetur usque ad episcopum ordinantem.[3]) Ad horum principiorum normam ordinationes ecclesiae graecae omnino validae habendae sunt, nec unquam ab ecclesia catholica iterantur. Verum ordinationes anglicanae nullae et irritae merito censentur tum ob interruptam successionis seriem episcoporum in illa secta, tum ob formam essentialiter vitiatam. Idem de Sueciae et Daniae episcopis dicendum. Episcopi Jansenistarum valide quidem ordinant ac ordinantur, sed illicite (§ 66. 2. d.).

2. extraordinarius.

2. Minister *extraordinarius* tonsurae, quatuor minorum et aliquando etiam subdiaconatus de licentia summi Pontificis presbyter quoque esse potest. Et haec quidem potestas vel ex privilegio certis dignitatibus de jure adnexo dimanat, vel ex speciali privilegio a summo Pontifice accepto. Itaque 1. Abbates regulares, qui sunt sacerdotes et ab episcopo *benedicti,* usuque pontificalium ornati, *subditis suis professis,* non vero etiam novitiis et oblatis (scil. qui non cum intentione sese obligandi per vota sed solum cum proposito perseverandi in instituto religioso habitum susce-

---

[1]) Sess. XXIII. can. 7. —

[2]) Plures antiqui canones (e. g. C. 9. totaque qu. 1. — c. 1. X. V. 8.) ordinationes a dictis episcopis factas *irritas* vocant. Attamen ex sententia, saltem hodie communiter recepta dictae ordinationes non quoad verum valorem sed solummodo quoad licitam executionem l. c. irritae vocantur.

[3]) Hoc jam s. Augustinus docuit. Ad Vincentinum Donatistam scripsit: «Ex catholica ecclesia sunt omnia dominica sacramenta, quae sic habetis et datis, quemadmodum habebantur et dabantur etiam prius, quam inde exiretis.» C. 31. c. 1. qu. 1. — Contra epist. Parmen. relate ad praepositos redeuntes ad ecclesiam dicit: «Non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in praecisione fuit vitium (quod unitate pacis est correctum), non in sacramentis, quae, ubicumque sunt ipsa, vera sunt.» Can. 97. § 2. l. c.

perunt) tonsuram et quatuor minores *de jure* suo conferunt.[4]) Etenim praelatis inferioribus *non regularibus,* etiam exemptis et et nullius dioecesis (§ 119), a Concilio Tridentino adempta, abbatibus autem *regularibus* coërcita ad *suos subditos* fuerunt privilegia conferendi tonsuram ordinesque minores, quibus antea gaudebant.[5]) — Abbates *non benedicti* hunc in finem speciale privilegium habeant necesse est.[6]) — 2. Eandem potestatem presbyteri Cardinales in ecclesia tituli sui et intuitu sibi subditorum eidem ecclesiae inservientium exercent.[7]) — 3. Ex speciali summi Pontificis concessione etiam alii presbyteri subdiaconatum ceterosque ordines minores conferre possunt. Attamen subdiaconatum conferendi privilegium vix conceditur presbytero, ex quo hic ordo ad majores pertinet.[8])

Minister licite ordinans.

3. Minister ordinationis *competens,* seu ille, cui non solum potestas sed et jus ordines conferendi competit, est *episcopus proprius ordinandi.* Solus summus Pontifex, tamquam totius Orbis

---

[4]) C. quoniam 1. § 1. D. 69; c. cum contingat 11. X. (I. 13). *Santi* Praelectiones jur. can. P. I. tit. 11.

[5]) Sess. XXIII. c. 10. de ref.; Bened. XIV. de Syn. l. 2. c. 11. n. 9. Notandum etiam est, 1. in privilegio alicui post Concil. Tridentinum concesso obtinendi benedictionem ab episcopo more abbatum, imo et utendi mitra et baculo, non comprehendi peculiare privilegium conferendi tonsuram (S. C. C. in Frising. 17. Sept. 1846. Cfr. Acta s. S. II. p. 340. n. 1); 2. S. C. Concilii 23. Nov. 1641 resolvit, abbates, habentes etiam jura episcopalia et facultatem conferendi tonsuram et ordines minores non posse regularibus *alterius* Congregationis, Ordinis vel Instituti tonsuram et ordines minores conferre, etiamsi habeant literas dimissorias suorum superiorum (contra alias decisiones s. C. C. apud Richter Conc. Trid. p. 198. n. 16. 20; *Petra.* in Const. 9. Pii II. t. V. n. 40.)

[6]) Quid vero si abbates benedicti, vel non benedicti (aut etiam praelati saeculares) sed privilegium habentes conferendi tonsuram et ordines minores, eosdem conferant non subditis, vel personis privilegio non comprehensis? *Benedictus* XIV. (Syn. Dioec. l. 2. c. 11. n. 13) cum aliis auctoribus, conformiter cum pluribus s. C. C. resolutionibus (Richter l. c. n. 17, 19, 22) dicit, collationem ordinum in hoccasu *validam* quidem esse, sed illicitam. Sed tempore recentiori (Olivetana 20. Sept. 1788 et Collen. 24. Jan. 1795) s. C. etiam validam esse negavit. Et 8. Apr. 1859 eadem s. C. rescripsit: Tonsuram et ordines minores a praelato inferiore tale privilegium non habente collatos *nullos* censeri et taliter ordinatum cogi posse ad habitum clericalem dimittendum (Acta s. S. l. c.). Hinc auctores recentiores (*De Angelis* h. t. n. 2, *Lucidi* De Visit. s. limin. t. 1. c. 6. § 1. n. 31) tales ordinationes invalidas esse censent. His tamen contradicit *Santi* (h. t. n. 26. 27), qui antiquioribus s. C. resolutionibus insistendum esse dicit, eoquod supra citatae resolutiones in causa Olivet. et Collen. propter circumstantias prorsus *peculiares* sint editae ideoque nihil probent contra decisiones priores claras et conformes.

[7]) Cfr. Bened. XIV. Const. «Ad audientiam.» Bullar. magn. t. 17. p. 30.

[8]) *Phillips* K.-R. I. § 38. — Idcirco multo magis suspectae fidei sunt illa diplomata, quibus nonnulli regulares comprobare voluerunt, superioribus suis etiam diaconatum conferendi a summa Sede privilegium indultum esse.

episcopus, quemlibet vel ipse ordinare vel ei, ut ab alio ordinetur, licentiam dare potest.[9]) Et haec est etiam ratio, ex qua jus episcopos totius Orbis consecrandi originarie et intrinsece ad summam Sedem pertinet, et nonnisi ea connivente alii quoque praeter ipsam hoc jus obtinere potuerunt. Hinc etiam explicatur, plures antiquitus episcopos quam presbyteros a Rom. Pontificibus esse ordinatos. Verum episcopi, quia ipsorum jurisdictio ad certum tractum et populum sibi subjectum adstricta est, haudquaquam indiscriminatim, sed nonnisi suis subditis et in sua dioecesi ordines conferre possunt.[10]) Hinc ut in alia dioecesi id faciant, Ordinarii hujus dioecesis licentia requiritur; peregrini vero, qui alibi ad ordines promoveri desiderant, a suo episcopo dimissoriales afferre debent. Ex quo etiam sequitur, episcopis, qui vel populum sibi subjectum non habent, quales sunt episcopi sic dicti titulares vel qui vinculo spiritualis matrimonii cum sua ecclesia non amplius conjuncti existunt, veluti illi, qui episcopatui suo renuntiarunt,[11]) nonnisi de alterius episcopi licentia ordines administrare fas esse.

Quoad saeculares.

Sed jam quaeritur ulterius, quotuplici modo quis cujusdam ordinandi episcopus proprius seu competens sit? Canones competentiam quadruplicem admittunt, seu episcopus potest (puta: intuitu *saecularium*) ex quadruplici titulo episcopus ordinandorum proprius esse. Videlicet

Titulus 1. Originis.

a) Ratione *originis*. Antiquitus, cum homines in aetate adulta baptismi sacramentum reciperent, ille episcopus, a quo quis baptizatus fuerat, ratione ordinationis proprius erat. Sed deinceps cum paedobaptismus in consuetudinem veniret, titulus originis seu nativitatis in locum competentiae ex baptismo ortae substitutus est. Igitur ille episcopus ratione originis nunc proprius censetur, in cujus dioecesi ordinandus natus est, et ejus pater, dum ordinandus nascebatur, domicilium habuit. Si quis autem casu fors extra domicilii paterni locum natus esset, e. gr. occasione itineris,

---

[9]) Reverentia erga Sedem apost. prohibet, ne quis alius episcopus illi clerico majorem ordinem conferat, qui a summo Pontifice minorem accepit; sed opus est, ut altiorum graduum ordines conferantur vel ab ipso Pontifice, vel ab episcopo, cui idem Pontifex facultatem dederit. Benedict. XIV. »In postremo.«

[10]) Can. apost. 36. (al. 34): Episcopum non audere extra terminos proprios ordinationes facere in civitatibus et villis, quae ipsi nullo jure subjectae sunt. Si vero convictus fuerit hoc fecisse ... et ipse deponatur, et qui ab eo sunt ordinati. Cfr. concil. Illiberitan. (a. 305 vel 306) can. 20. et concil. Nicaenum c. 16. etc. apud. Hefele: Concil. Gesch. I. p. 136, 404. — Concil. Trident. Sess. VI. de reform. c. 5: Nulli episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum.

[11]) Cap. 1. Requisivit. X. (I. 13).

tunc, uti sancivit Innocentius XII.,[12]) nullatenus ejus fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda; at si pater in alieno loco, ubi filius natus est, tam diu ac eo animo permanserit, ut inibi verum domicilium contraxerit, tunc non origo patris sed domicilium per patrem, ut praefertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debet.[13]) Caeterum haec originis competentia nunquam cessat, et licet unus aut alter ex titulis amodo enumerandis accedat, episcopus originis nunquam desinit esse episcopus proprius.

2. Domicilii. b) Ratione *domicilii,* ubi agitur de suscipiendis ordinibus, is est episcopus proprius, in cujus dioecesi ordinandus, licet alibi natus fuerit, fixam sedem habet, adeo, ut juxta eundem Innoc. XII. *vel* per decennium saltem in ea habitando, *vel* majorem bonorum suorum partem cum instructis aedibus illuc transferendo ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibi permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu vere et realiter hujuscemodi animum habere jurejurando affirmet.[14])

3. Beneficii. c) Ratione *beneficii* antistes illius dioecesis in qua clericus aliquis beneficium pacifice possidet, episcopus proprius ad effectum suscipiendi ordines existit, ea tamen lege, ut reditus hujus beneficii ad congruam vitae sustentationem sive juxta taxam synodalem sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat quin opus sit, illius insufficientiam supplere adjectione proprii patrimonii.[15])

4. Familiaritatis. d) Ratione *familiaritatis* seu *commensalitii* ad finem suscipiendi ordines ille cuidem episcopo subditus efficitur, quem is per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuit ac suis sumtibus aluit. Verum insuper illi beneficium sensu supradicto sufficiens intra terminum unius mensis conferat, necesse est.[16])

Illi, qui ex diversis titulis competentiae pluribus episcopis subjicitur, liberum est eligere, a quonam eorum velit ordinari.

---

[12]) Constit. «Speculatores» (96.) 1694. Hac Bulla quae est universalis ecclesiae lex, praesens materia plenissime definitur, nisi in puncto de regularibus. Hanc legum lacunam sequentes Pontifices expleverunt, et praesertim Bened. XIV. Constit. «Impositi» 1747. — Illegitimorum locus originarius est domicilium maternum, eoque deficiente, locus maternae originis: expositorum, quorum parentes ignorantur locus originarius est, in quo expositi et baptizati sunt, neophytorum seu baptizatorum in infidelitate, ubi baptizati sunt (Const. Pauli III. «Cupientes» d. 21. Mart. 1542). *De Angelis* I. p. 203.

[13]) Ibid. — Constit. «Speculatores» § 5.

[14]) Cfr. casus practicos decisos a Congr. C. Trid. apud Richter Conc. Trid. pag. 187. seq.

[15]) Quatenus sufficiat etiam beneficium manuale seu revocabile cfr. Acta s. Sedis IV. 558. VI. 510.

[16]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. c. 9. — «Speculatores» § 6.

Regularium episcopus proprius nullatenus est episcopus ori- Quoad regulares.
ginis (quia hunc abdicarunt, dum saeculo nuntium remiserunt), sed episcopus illius dioecesis, intra quam domus religiosa sita est, quam regularis ad ordines promovendus inhabitat, nisi forte iidem regulares speciale privilegium a Sede apost. obtinuerint, ut ipsorum alumni a quolibet antistite catholico ordinari valeant. Sed necesse est, ut ejusmodi privilegia post concilium Trident. et directe concessa, non vero communicatione privilegiorum de uno in alium ordinem derivata sint.[17])

Casu, quo episcopus aliquis cuicumque non subdito ordines contulerit, ordinans a collatione ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, eo ipso suspenditur, aliisque insuper gravioribus poenis pro summi Pontificis arbitrio infligendis uterque subjacet.[18])

§ 63. De literis dimissoriis et testimonialibus.

1. Dictae poenae nonnisi tunc evitantur, cum episcopus pro- Literae dimissoriae.
prius literis dimissoriis[1]) alii episcopo specialiter determinato, vel generaliter cuicumque antistiti gratiam et communionem Sedis apost. habenti. facultatem concedit, subdito suo ordines conferendi.[2]) Ab his dimissoriis, quae pro susceptione ordinum conceduntur, distinguendae sunt

a) Literae dimissoriales olim *Exeat* inscriptae, quae hodie *dimissoriales perpetuae* vel *excorporationis* (Acta s. S. XVI. 536) dicuntur danturque clericis, qui clero alterius dioecesis inseri volunt.[3]) Harum petitor priusquam exaudiatur, probare debet, alium quendam episcopum promisisse, fore, ut se in clerum illius dioecesis adscribat.[4])

---

[17]) Innoc. XIII. «Apostolici ministerii» 30. Maj. 1723; Bened. XIV. «Impositi.» Bullar. Bened. XIV. tom. II. 27. Febr. 1747. Ejusmodi privilegium e. gr. Societas Jesu a. Gregor. XIII. obtinuit.

[18]) Conc. Trid. Sess. XIV. de reform. c. 2; Sess. XXIII. de reform. c. 8; Constit. «Speculatores» § 8.

[1]) Ex Conc. Trid. Sess. XIV. c. 2. de ref. talis facultas etiam oretenus quandoque dari potest, quia verba sunt; *expresso consensu aut literis dimissoriis.* — Quoad hanc materiam cfr. Acta s. Sedis V. 498; XIV. 392. 399.

[2]) Hinc dimissoriae aliae *generales,* aliae *speciales* dicuntur.

[3]) *Schenkl,* § 415. Acta s. S. I. 361. not. 1. — Dimissoriae *temporales* sunt, quibus vel aliquis nonnisi pro ordinatione dimittitur, vel clerico ad tempus in alia dioecesi commorari conceditur.

[4]) Antiquitus nemo potuit sacris ordinibus initiari, qui adscriptus seu incardinatus non esset alicui peculiari ecclesiae, cui inservire teneretur. (Supra § 61. n. 1.) Ex hac arcta conjunctione s. ordinationis cum peculiari ecclesia inter alia fluebat strictissima obligatio, perpetuo in ministerio et in dioecesi manendi, adeo, ut discedentes ab episcopo proprio excommunicari potuerint

b) Literae commendatitiae seu testimoniales, queis episcopus vel de probitate clerici peregre abeuntis (discessuales) vel de alibi ordinandi moribus et fide testatur. Nam, ut mox dicemus, hae testimoniales dimissoriis, quae pro ordinibus suscipiendis dantur, semper adjungi solent. Imo nec ipsa tonsura extraneo literas testimoniales non exhibenti, licite confertur (S. C. C. 11. Jun. 1881. Acta s. S. tom. 14. p. 397).

c) Literae formatae, in quibus hodie[5]) fit publica fides de ordinibus cuidam collatis.

A quibusdam concedi possint

2. Literas dimissorias concedere possunt:

a) *Romanus Pontifex,* qui, cum sit episcopus Ordinarius omnium fidelium, etiam privilegium dare potest, ut quis a quocumque episcopo ordinetur.

b) Praeter *legatos* a latere, qui ejusmodi indulto frui solent, *episcopus proprius* seu competens (in sensu. § praec.) alteri episcopo ordinationem committere potest. Nam qui ordinare, is etiam literas dimissorias dare potest.[6]) Quin et episcopo nondum consecrato, si tamen confirmatus sit, hoc jus competit.

c) Vicarius generalis episcopi dimissorias dare non potest,[7]) nisi vel speciali mandato episcopi in hunc finem instructus sit vel episcopus in remotis agat, vel consuetudo id permittat.

d) Sede vacante potest Capitulum vel potius ipsius Vicarius dimissorias dare subditis dioecesanis omnibus *post annum* vacationis, intra annum solis arctatis beneficio h. e. iis, qui vel actu

---

(can. 5. conc. Nican., c. 5. Antiocheni, c. 13. Sardicensis (Acta s. S. III. p. 507). Ipsum Conc. Trid. sess. 23. c. 16. de ref. statuit, neminem ordinari debere qui certae ecclesiae aut loco non adscribatur. Sed temporis cursu laxior ejusmodi disciplina evasit. Quod inde est, quia hodie in clericorum ordinatione non respici solet utilitas aut necessitas peculiaris ecclesiae, sed potius spes, quae obventura sit dioecesi vel saltem ecclesiae indeterminate consideratae. Quare infirmior quoque evasit episcopi facultas denegandi clericis perpetuum ex dioecesi discessum, seu excardinationem. Eadem tamen facultas non adeo est infirma, ut episcopus aliquando non cogere possit eccles. poenis clericum, ac maxime sacerdotem, ut permaneat in sua dioecesi, praesertim perdurante penuria sacerdotum, si paratus sit eidem clerico stipendium et officium assignare. Non tamen potest saltem *de jure,* cogi ejusmodi clericus ad restituendos Seminario sumptus, nisi forte id fuerit aliqua lege peculiari constitutum. Acta s. S. tom. 5. p. 472 seq. — Ille qui in regionem exteram perpetuo discedit, licentiam emigrandi a regimine politico obtinere debet.

[5]) Olim *formatae* quascumque literas commendatitias, pacificas, dimissoriales etc. significabant (c. 9. D. 71).

[6]) «Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.» Reg. juris 68. in VI. — Ex decisione s. C. C. in Argentinen. et Algerien. 7. Jul. 1883 haud obscure innuitur, quod episcopus praxi et consuetudini suae dioecesis innixus ordinare possit, haud requirens ullas literas episcopi originis (Acta XVI. p. 262).

[7]) Cap. *cum nullus.* 3. de temp. ordin. in IV. (I. 9.)

obtinent vel designati sunt ad beneficium, e. gr. parochiale, exigens ordinem sacerdotalem intra annum suscipiendum.[8]) Si tamen ordinandi habeant privilegium Apost. a quocunque episcopo ordines suscipiendi, tunc Vicarius Capituli potest dare literas *testimoniales,* quia his non licentia ordinandi datur, sed solummodo de vita et doctrina promovendorum fit attestatio. Ex eadem ratione potest infra eundem vacationis annum episcopo extraneo licentiam dare, ut in dioecesi vacanti ordines conferat sive extraneis sive subditis dioecesanis dimissorias aliunde, e. gr. a defuncto episcopo, habentibus; nam etiam in hoc casu non datur licentia ordinandi, sed potius haec supponitur ordinando ab alio jam concessa.[9])

e) Praelati et superiores *regulares* suis respective subditis (nempe *professis*) possunt dare dimissorias ad ordines suscipiendos; sed dimissoriae nonnisi ad episcopum dioecesanum dirigi valent, praeterquam in casu, quo dioecesanus extra dioecesim abesset,[10]) vel *proximo legitimo tempore* per eccles. leges ad hunc effectum statuto ordinationes non esset habiturus. In his casibus dimissorias ad quemcunque alium episcopum dare possunt. Semper vero causa, ex qua eas non direxerint ad dioecesanum, probari debet per attestationem authenticam vicarii generalis, vel cancellarii aut secretarii ejusdem episcopi, adeo, ut ille antistes, qui regularem peregrinum solas dimissorias sine adjuncta praefata attestatione afferentem ordinat, ipso facto poenas canonicas adversus eos constitutas incurrat, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ad ordines promoverint.[11]) Quod vero attinet *congregationes* seu instituta religiosa votorum *simplicium,* eorundem superiores (nisi speciale privilegium habent [e. g. Patres Congr. Oratorii s. Phil. Nerii (Acta XVII. n. 495)] non possunt concedere literas dimissorias, sed potius eorum alumni subjiciuntur jurisdictioni illius episcopi cui subjecti erant, priusquam instituto adscriberentur. Proinde nec etiam locorum Ordinarii, in quibus exstat istiusmodi domus religiosa, possunt hujus domus alumnos ordinibus initiare, nisi servata Constitutione Innocentii XII. «Speculatores,» h. e., nisi

---

[8]) Concil. Trid. Sess. VII. de reform. c. 10.

[9]) *Schmalzgrueber,* P. III. tit. 11. n. 44. seq. — *Pirhing,* h. t. n. 59. — *Phillips* K.-R. § 43.

[10]) Puta, nisi habeant privilegium Apostolicum *post* Concilium Trident., et quidem directe datum, non autem vi communicationis privilegiorum. *De Angelis* I. p. 203.

[11]) Constit. «Impositi»: «Praeterea volumus.» Sed praelati, Ordinario extra Dioecesim commorante, sine hujus licentia alium episcopum vocare non possunt, ut in ecclesia monasterii ordines regularibus conferat (*Petra* Comment. I. 203. n. 61—78.) nisi monasterium sit nullius Dioecesis (Cfr. Petra I. 197. n. 1—15; IV. 171. 200. 285; V. 152).

exhibeant proprii sui episcopi dimissoriales, et respective testimoniales juxta dicenda num. seq. (Acta s. S. I. 366).

Forma concessionis.

3. In literis dimissoriis, quae regulariter gratis concedendae sunt[12]) et morte concedentis non exspirant, exprimi opus est nomen episcopi, ad quem diriguntur; causam ob quam proprius vel nolit vel nequeat ordinare; porro quinam ordines illarum vigore conferendi sint. Continere semper debent *testimoniales* de natalibus, aetate, moribus ac scientia ordinandi. Quando quis tanto temporis spatio in eo loco, ubi ex accidenti natus est, moram traxit, ut potuerit ibidem canonico impedimento irretiri; talis pariter *testimoniales* ab episcopo illius loci, ubi ex accidenti occasione natus est, habere, et episcopo ordinanti praesentare debet. Similiter ii, qui vel ex titulo obtenti beneficii vel familiaritatis extra dioecesim suae originis ordinantur ab episcopo originis testimoniales habeant necesse est.[13]) — Const. «Apost. Sedis» haec habet: «Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis absque ejus episcopi literis dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit,[14]) absque ordinarii ejus loci literis testimonialibus.» (Vid. hanc Constit. in append. inter «suspensiones» n. 3.) — Denique requiritur, ut dimissorias concedens qualitates ordinandi exploraverit perinde, ac si ipse ordines eidem conferat. Hinc regulariter ipse ejusdem examen instituat, nisi forte ordinandus in loco ab episcopali sede nimis remoto commoretur. Quin et episcopus, ad quem quis dimittitur, eundem, licet jam examinatum, novo examini subjicere *potest,*[15]) praesertim si compertum habeat, in illius dioecesi haud ea, qua decet, gravitate ejusmodi examina institui.[16])

---

[12]) Conc. Trident. Sess. XXI, de reform. c. 1.

[13]) Constit. «Speculatores.» §§ 3, 4, 6.

[14]) Verba haec non possibilitatem philosophicam, sed juridicam inuunt, seu talem, quae juxta computationem hominum communem contingere solet. Regula tutissima sumi potest de analogia literarum testimonialium de *statu libero,* quae pro ineundo matrimonio exhibendae sunt ab iis, qui in variis locis commorati sunt, ita, ut facile impedimentum contrahere potuerint. (*Avanzini* Comment. in Constit. «Apost. Sedis.» p. 130) i. e. semestre juxta *Santis.*

[15]) *Potest, at non tenetur,* juxta decisionem Congr. Conc. Trid. ap. Fagnan. in cap. *cum secundum* de praeb. n. 15. 16.

[16]) Quaeritur, utrum episcopus, ad quem quis pro susceptione ordinum dimittitur, eundem super irregularitate aliisque impedimentis canonicis dispensare possit? — S. Alphonsus (Theol. Mor. l. VI. n. 789) respondet, juxta sententiam probabiliorem *non posse.* Cfr. Acta II. s. S. 592.

4. Ex his pronum est concludere ad quamnam dioecesim pertineant egressi ex aliquo Ordine vel Congregatione, sc. a) Professi votorum *solemnium,* utpote ordinati absque dimissoriis episcopi originis vel domicilii, egredientes e sua religione jus non habent, ut ab episcopo originis acceptentur hoc invito, neque episcopus eos recipere tamquam proprios cogitur (Acta s. Sedis XVII. p. 499). Episcopus enim gravari non debet illis sacerdotibus, in quorum ordinationem ipse partes non habuit.[17]) b) Professi vero Congregationum votorum *simplicium,* qui a proprio episcopo vel cum ipsius dimissoriis ordinati erant, e suo instituto egredientes, jus habent ad dioecesim originis remeandi nec rejici possunt ab ejus Antistite (l. c 497. 499).[18]) c) Eo magis alumni Congregationis saecularis *per se* indigent dimissoriis, et ex ea egressi a suo episcopo recipi debent. Dixi *per se.* Nam aliquae Congregationes (v. gr. Oratoriani) indultum habent, quo promoveri facere possunt ad quoscunque ordines suos alumnos ab episcopis, in quorum dioecesibus habent domicilium absque dimissoriis episcoporum originis. Hi ergo dioecesi adscribuntur, ubi domus existunt et fiunt ejus proprii, proindeque, si ex instituto egrediantur, ab illius Antistite recipi debent. (Acta s. Sedis l. c.)

§ 64. De requisitis in ordinando. Incapacitas et irregularitas.

Promovendus ad ordines dotibus tum lege naturali tum ecclesiastica requisitis instructus sit oportet, et insuper canones exigunt, ut habeat titulum sustentationis, ad quem ordinetur. Illi qui lege naturali et divina ab ordinibus repelluntur, *incapaces,* qui vero lege canonica ordinari prohibentur, *irregulares* dicuntur. Unde primo de incapacitate, dein de irregularitate et postremo de titulo ordinationis tractabimus.

1. *Incapacitas.* Quia clerici statum singulariter electum constituunt, non omnibus indiscriminatim aditus in sanctuarium patet, Incapaces.

[17]) Sed tamen non potest excludi clericus a Dioecesi, quae sua non est, eo quod eidem non sit adscriptus, nisi adsint causae remotionis, intellige de sola commoratione in aliena dioecesi (juxta monitum s. C. Ep. et Reg. evulgatum jussu Gregorii XVI. Acta s. Sedis l. c. p. 501).

[18]) Congregationes votorum simplicium (secluso privilegio) ut supra (n. 2) dictum est, pro ordinatione semper dimissorias habere debent a proprio episcopo. Regulares vero proprie tales sc. cum votis solemnibus suis simpliciter professis, stante primo triennio, dimissorias tantum pro tonsura et 4 minoribus dare possunt (§ 138. not. 10). Ergo ad ordines majores recipiendos praeter titulum ordinationis indigent dimissoriis ab episcopo sive originis sive domicilii antea habiti, sub cujus dein jurisdictionem cadunt, si fuerint egressi. Hos ordinari posse ab episcopo loci, ubi situm est monasterium, uti asserit *Lehmkuhl* (P. II. l. I. Tr. VII. cap. II. § 2) improbabile esse videtur.

sed permulti ipsa lege naturali ab eo arcentur. Videlicet solus mas baptizatus et non coactus aut reluctans est subjectum ordi-
Non baptizati. nationis capax. *Non baptizati, mulieres* et *penitus contradicentes* valide ordinari non possunt, et characterem sacramenti non recipiunt. Ratio satis clara est. *Non baptizati* incapaces sunt, quia ad caetera sacramenta valide recipienda praeexigitur susceptio
Mulieres. baptismi;[1]) *mulieres* excluduntur, quia ipsarum subjectio sub viri potestate,[2]) perpetua ecclesiae praxis, unanimis Patrum et Doctorum consensus, mulierum ad sacerdotium promotionem constanter
Reluctantes. excludunt. *Reluctantes* vero nullum recipiunt sacramentum, quia in adultis ratione utentibus pro suscipiendis sacramentis intentio requiritur saltem *interpretativa,* haec vero omnino deest, si ordo animo omnino repugnante suscipitur.[3]) Et quamvis *infans,* ait Pirhing, et *amens,* valide ordinari possint, positive tamen dissentiens et reclamans, nec valide ordinari potest, cum aliud sit non consentire, quod fit in ordinatione infantis et amentis, aliud sit positive dissentire, quod fit in nostro casu. Distinguitur autem
Coactio absoluta et causativa. inter coactionem *absolutam* et *causativam (conditionalem).* Coactio *absoluta* habetur, si quis per vim physicam trahitur ad actum s. ordinationis. In hoc casu in foro externo irrita habetur ordinatio, si coactio in actu s. ordinationis illata legitime probari possit. E contrario *causativa* coactio dicitur, quando quis morali quadam coactione i. e. *metu gravi* cadente in virum constantem, extrinsecus et injuste incusso ad ordines accipiendos cogatur. Talis valide quidem ordinatur (cum voluntas coacta tamem voluntas sit), sed ejusmodi moralis coactio, quoniam voluntarium per eam valde imminuitur, *vel* efficere potest, ut sic ordinatus voto continentiae et officii canonici dicendi onere haud ligetur; *vel* causa esse potest Apostolicae dispensationis, *vel,* ut frequentius contingit, idonea non ostenditur sive ad primum sive ad secundum efficiendum.[4])

---

[1]) Unde in cap. 1. *Si quis presbyter X.* (III. 43.): de presbytero non baptizato statuitur, sacerdotem, qui deprehenderit, se non esse baptizatum, denuo baptizari et ordinari oportere, cujus rei exemplum notabile narrat Ferraris sub voce *Ordo,* Art II. n. 28.

[2]) I. Cor. 14, 34; I. Tim. 2, 11.

[3]) Cap. 3. Majores. X. (III. 42): «Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire; sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui penitus contradicens et reclamans thurificare idolis cogitur violenter.» (Innoc. III.) vers. fin.

[4]) Acta s. S. I. p. 328 seq.; II. 443 seq. — Idipsum etiam obtinet de ordinatis in infantia; hi, cum pervenerint ad annos discretionis, nec ad coelibatum, nec ad reliqua onera ordini adnexa adstricti sunt. Tamen completo anno 18. (scil. juxta Concil. Tolet. II., nunc vero ex praecepto Benedicti XIV. exacto anno 16.) eis optio datur, et si voluerint castitatem servare, admit-

2. *Irregularitas.* Haec est *impedimentum canonicum susceptionem tonsurae aut ordinis, vel ordinum susceptorum usum directe impediens.* Dicitur: *impedimentum canonicum,* quia lege ecclesiastica est inductum. Nam postquam lex divina ex numero hominum eos qui sunt *capaces* segregavit, lege ecclesiastica denuo ex *capacibus* secernuntur idonei, seu ii qui *licite* ordinari possunt. Siquidem canones certas dotes pro ordinibus *licite* suscipiendis praescribunt, uti sunt: probitas morum, aetas sufficiens, legitimi natales, scientia proportionata cuilibet ordini, integritas corporis, animi, voluntatis et fidei. Defectum harum dotum, *regulis* ecclesiae praescriptarum, recte *irregularitatem* vocant. Irregularitas *directe* duo operatur: 1. obstat, quominus ordo vel ipsa tonsura suscipiatur; 2. quominus ordo susceptus licite exerceatur. Sed praeterea *indirecte* impedit, quominus irregularis beneficium ecclesiasticum obtineat.[5]) Distinguitur irregularitas

Irregularitas. Notio.

Effectus.

a) *totalis* vel *partialis. Illa* omni ordine suscipiendo et suscepti omni exercitio privat, qualis est, quae ex homicidio provenit. *Haec* privat solummodo aliquo ordinum exercitio, vel solo ascensu ad ordinem superiorem. Sic v. c. oculo sinistro carens potest quidem in diaconatu ministrare, sed est inhabilis ad sacerdotium, et sacerdos, cui pollex praecisus fuit, inhabilis redditur ad celebrandum, non autem ad audiendas confessiones.

Divisio.

b) *Perpetua* vel *temporalis,* prout ex se semper durat (nisi tollatur dispensatione aut aliis modis infra indicandis), vel durat tantum ad aliquod tempus, quo expleto sponte cessat, cujus generis est irregularitas ex defectu aetatis.

c) Irregularitas vel *ex defectu* vel *ex delicto,* prout a jure[6]) imposita est ob solos defectus sacro ministerio indecentiam afferentes, aut ob certa delicta, propter quae quis ab ordinibus vel eorum exercitio arcetur. Verum exin haud sequitur, irregularitatem, quae dicitur ex delicto *proxime et directe* per modum poenae vel vindictae impositam esse. Ecclesia, cum ob crimen irregularitatem indicit, saltem *primario* haud poenam rei intendere videtur, sed potius indecentiam in s. ministerio praecavere. Itaque irregularitas ex delicto, cum principaliter sicut ea, quae est ex defectu,

---

tuntur ad exercitium ordinis; secus si noluerint. Bened. XIV. Constit. «Eo quamvis» 4. Maj. 1745. Eadem etiam obtinent (juxta cit. Constit. § 23.) de ordinatis ante pubertatem.

[5]) «Ea omnia irregulari licita sunt, quae laico non prohibentur, ut functiones Ordinum minorum exercere, in ecclesia cantare, sacramenta suscipere, si Ordo excipiatur.» Gury n. 1015. ed. 3.

[6]) Nulla prorsus incurritur irregularitas, nisi in jure canonico expressa sit (c. 18. «Is qui» in VI. V. 11.) — Sed quaelibet *ipso facto* et ante omnem judicis sententiam incurritur.

ad decorem status clericalis et s. ministerii tuendum statuta sit, quodammodo in irregularitatem ex defectu resolvitur, quoniam is, qui ea laborat, illa conditione destituitur, quam Apostolus ab ordinandis exigit, ut nempe sine crimine sint.[7]) Nihilominus tamen ista partitio sustineri debet, tum quia ex hac distinctione clarescit, a quonam super variis irregularitatibus dispensatio implorari debeat, prout § 67 videbimus,[8]) tum quia irregularitas ex delicto, licet ex intentione ecclesiae, saltem proxima, probabilius non sit poena peccatum concomitans.

§ 65. De irregularitatibus ex defectu.

Harum species sunt sequentes:

1. Defectus aetatis.

1. *Defectus aetatis.* Certa pro singulis ordinibus aetas requiritur; qua in re diverso tempore varia fuit disciplina. Hodie sequi debemus Concilium Trident.,[1]) quod ad subdiaconatum neminem vult promoveri ante 22. aetatis annum, ad diaconatum vero ante 23. et ad presbyteratum ante 25. (intelligendo semper annos inchoatos). Quibus vero ordinibus a Tridentino nulla certa aetas praefixa est, in ea secernenda jus antiquum etiam hodie locum habet. Hinc ad episcopatum requiritur annus 30. completus; pro minoribus aetas determinata non est, ideoque si eâ scientiâ ordinandus polleat, quam ordines hi requirunt, iis poterit initiari.[2]) Tonsura vero nunc ante septennium et susceptum Confirmationis sacramentum[3]) non confertur. — Ante legitimam aetatem ad aliquem ordinem *sacrum* promoti, (juxta Constit. Pii II. «cum sacrorum» 17. Nov, 1461) ipso jure suspensi sunt; si vero nihilominus ministrent, irregulares evadunt. Sed haec suspensio nunc sublata est.

---

[7]) Tit. 1, 7.

[8]) Quaestio, an irregularitas ex delicto poenae loco habenda sit, egregie dilucidatur a clar. Phillips K.-R. I. §§ 44, 54, 55. Consonant antiquiores, e. gr. *Leuren* V. 37. qu. 514. *Pichler,* qui pariter dicit: «Irregularitas principaliter non est poena sed inhabilitas in reverentiam Eucharistae et docentiam status ecclesiastici primario et per se statuta, licet secundario rationem poenae habeat. (V. 37. n. 25.) Et quia irregularitas ex delicto proprie non est poena, ideo ignorantia illius non excusat ab ejus incursione juxta sententiam communem. *Pichler* l. c. *Schmalzgrueber* ad h. t. n. 107. — Conf. etiam *Thesaurus* de poenis eccles. p. 11. — Thomistae irregularitatem censuris, alii theologi poenis adnumerant.

[1]) Sess. XXIII. de reform. c. 12.

[2]) *Schmalzgrueber,* tom. 1. p. II. tit. 11. n. 27. — Engel cum Barbosa putat, pro Acolythatu 12 completos annos requiri, pro reliquis 7 sufficere. lib. 1. tit. 14. n. 1.

[3]) c. 4. in VI. (I. 9.) Concil. Trident. Sess. XXIII. c. 4. de ref.

2. *Defectus corporis* ex duplici capite irregularitatem inducit: primo si quis ad ordinis ministerium sit ineptus; secundo si quis aliqua insigni deformitate notetur, ita ut aliis horrorem aut indecentiam afferat. Hinc irregulares habentur: a) *Mutilati,* crus ligneum gerentes, carentes aut uti non valentes manu, pollice aut indice. — b) *Coeci* visu totaliter destituti vel ita coecutientes, ut in Missali legere non possint. Carentia oculi dextri non facit irregularem, modo notabilis inde non enascatur deformitas, neque etiam carentia oculi sinistri, qui dicitur oculus canonis, eo casu, quod quis sine deformitate Missae canonem legere possit, id quod judicio episcopi subjiciendum est. — c) *Surdi,* qui nihil audiunt, ita ut vocem respondentis ministri auditu minime percipiant. Attamen, ait s. Alphonsus, si surditas superveniat sacerdotio suscepto, non interdicitur celebratio.[4]) — d) *Muti* et *balbutientes,* qui verba integra pronuntiare non possunt. — e) *Paralytici, claudi,* qui nonnisi baculo nixi ad altare consistere valent, item qui propter *cubiti rigorem* brachium flectere, ac propterea ceremonias praescriptas, prout oportet, peragere non possunt.[5]) — f) *Enormiter deformes* et *monstrosi;* ita ut risum aut contemtum adstantium moveant. — g) Certis *quibusdam morbis laborantes*[6]) qui inferunt debilitatem virium corporis aut horrorem et deformitatem moraliter incurabilem; et hinc ordinari non possunt leprosi, morbo caduco laborantes, abstemii etc., quorum aliqui ordinari non debent, etiamsi a tali morbo liberati videantur, quia vix unquam plene sani creduntur. 2. Defectus corporis.

3. *Defectus animi* a canonistis varia latitudine sumitur. Imprimis ex hoc capite irregulares sunt: perpetuo amentes, furiosi et energumeni, et generatim illis morbis laborantes, qui praeter corpus etiam animum attingunt; hinc nonnulli auctores etiam lunaticos et epilepticos huc referre solent. Omnes recensiti ab aliquibus *ex defectu rationis seu sanae mentis* irregulares dicuntur, illisque facilius ordinum susceptorum exercitium quam novorum susceptio permittitur. — Quoddam vitium animi est etiam defectus scientiae et fidei confirmatae. 3. Defectus animi.

4. *Defectus scientiae.* Irregulares sunt illiterati,[7]) qui non habent doctrinam *necessariam* pro ordinibus. Idcirco Concilium Trident.[8]) a prima tonsura arcet eos, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant. Accessuri ad or- 4. Defectus scientiae.

---

[4]) Theol. Mor. lib. 7. n. 405. Surdastri ad cautelam dispensari solent. Acta IV. 595.

[5]) S. C. C. in Brixin. 26. Jan. 1867.

[6]) Lib. I. Decretal. tit. 20. De corpore vitiatis ordinandis vel non; et lib. III. tit. 6. De clerico aegrotante.

[7]) Dist. 36. 37. 38. in Decreto.

[8]) Sess. XXIII. de reform. cap. 4; Bened. XIV. Instit. 42.

dines minores saltem linguam latinam intelligant, et insuper eam scientiae spem praebeant, quae ordinibus majoribus eos dignos ostendit.[9]) «Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in minoribus ordinibus jam probati ac *literis* et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi.»[10]) Pro initiandis sacerdotio requiritur, ut ipsi ad populum docendum, ac ad ministranda Sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur.[11]) Jam illi, qui ea praestare nesciunt, quae pertinent ad ordinis exercitium, et praesertim qui carent scientia linguae latinae, irregulares sunt et sine gravi culpa nec ordines suscipere neque susceptos exercere possunt. Et hunc defectum auctores indispensabilem esse dicunt, quia haec irregularitas ipso jure naturali assignatur. Et pariter advertunt, eam sublata causa, scil. ignorantia, de se tolli sine dispensatione.[12])

5. Defectus fidei confirmatae.

5. *Defectus fidei confirmatae* seu probatae. Ex hoc capite ab ordinibus repelluntur: 1. Neophyti, seu recens ad fidem conversi, qui etiam pluribus annis post conversionem elapsis, ad tonsuram et ad ordines promoveri non possunt, nisi obtenta dispensatione a Sede Apostolica.[13]) 2. Filii haereticorum in quibusdam casibus (infra § 66. 2. a). 3. Qui Sacramentum Confirmationis nondum susceperunt, prout pro recipienda jam prima tonsura Concilium Tridentinum praescripsit.[14]) Nam hujus Sacramenti omissio irregularitatem inducit juxta plures s. C. C. declarationes.[15])

6. Defectus libertatis.

6. *Defectus libertatis.* Ad tramites principii illius, quod *ii, qui certis vinculis huic saeculo innexi sunt, militiae Christi nomen dare nequeunt,* irregulares habentur:

a) Omnes servi, nisi a domino libertatem fuerint consecuti.

b) Qui obligati sunt ad rationes reddendas intuitu publicarum administrationum vel officiorum saecularium, *aut* alias ex officio et juramento negotiis saecularibus implicantur. Hinc judices, magistratus, administratores, curatores, tutores, milites juramento adhuc obstricti, ordinari non debent, nisi rationes reddiderint, atque ita omnem fraudis suspicionem excusserint, vel ab his saecularibus negotiis omnino liberi et expediti sint.

---

[9]) Sess. XXIII. c. 11. de reform.

[10]) Ibid. c. 13.

[11]) Ibid. c. 14.

[12]) S. Alphons. Theol. Mor. de Ord. lib. VI. n. 791.

[13]) Excipe, si in aetate infantili sint baptizati; tunc enim non dicuntur neophyti etc. S. C. decisiones apud *Richter* Conc. Trid. p. 339. *De Angelis* I. p. 272.

[14]) l. c. cap. 4.

[15]) *Phillips* I. p. 474. et *Richter* ad cap. cit. Conc. Trid. n. 1.

At neque piarum causarum administratio, neque personarum miserabilium cura hanc irregularitatem inducit.[16])

c) Maritus viva uxore, nisi uxor religionem ingrediatur, aut castitatem foveat.[17])

7. Defectus lenitatis.

7. *Defectus lenitatis* eos irregulares efficit, qui voluntarie, active, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicujus *auctoritate publica* (non vero privatâ) et *juste,* concurrunt per actum natura sua ad id ordinatum. «Quod ideo statuit ecclesia, quia sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus, neminem unquam laesit.»[18]) Id accidit:

a) *In bello.* α) Dicunt Theologi unanimes,[19]) in bello *injusto* omnes milites irregulares fieri, si ex hostibus aliqui interfecti aut mutilati fuerint. β) In bello *justo aggressivo* omnes (tum clerici tum laici), si propria manu mutilent aut occidant, non autem si alios quidem ad pugnam exhortentur, sed tamen ipsi propria manu non pugnent et proinde a mutilationibus et caedibus abstineant.[20]) γ) In bello *justo defensivo* juxta aliquos nemo fit irregularis, etsi quis hostem manu interfecit aut mutilavit, nec etiam clericus, «si *jussus* bellum ineat, nec pro ecclesia vel patria tuenda laici sufficiant.»[21]) (Bened. XIV. l. c.) Juxta alios vero clericus semper fit irregularis, etiam cum in casu necessitatis inevitabilis hostem occiderit aut mutilaverit. (Ferraris s. voce «Irregularitas» art. I. n. 4.) δ) Decisiones s. C. C. (distinctione inter bellum justum et injustum aggressivum vel defensivum praetermissa) quoad clericos haec declararunt:[22]) *primo:* «Clericus in bello militans contra hostes

[16]) c. un. X. (I. 19.): «De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.» — Cfr. c. 3. D. 51. D. 53; c. 3. D. 54. — *Schmalzgrueber* tom. 1. p. III. tit. 19.

[17]) c. 6. D. 77; c. 21—26. C. qu. 2; c. 5. X. (III. 32.): «Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.»

[18]) *S. Alphons.* Theol. Mor. l. VII. n. 457.

[19]) *Bened. XIV.* Instit. 101.

[20]) c. 24. X. (V. 12); (minus ad rem citatur: c. 18. ib.) c. 1. Clem. (V. 4). Bened. XIV. l. c.

[21]) Excipe, si quis cum moderamine inculpatae tutelae in individuo se defendit contra hostem aggressorem c. cit. 1. Clem. (V. 4). — Cum P. Anselmus Petramellara Capucinus, qui septem Turcas victoria superbos navim ejus invadentes, ad vitam suam defendendam sua manu obtruncaverat, ad pedes s. Pii V. provolutus supplicaret, ut irregularitatis vinculo solveretur, eundem omni prorsus irregularitate immunem a Pontifice declaratum fuisse, memoriae proditur. Ita Bened. XIV. l. c.

[22]) S. C. C. 13. Jan. 1703 in Ipren. *Kohn* in *Vering* Archiv. tom. 43. p. 196; d. 20. Nov. 1824; 30. Mart. 1805; 17. Febr. 1816 in Acta s. S. tom. 1. p. 273. seq.; 9. Apr. 1666 apud *Pittonium* in opere: «Decisiones pontif. et Roman. Congr. decisiones;» 25. Jan. 1851 in Albaregalen. apud *Lingen* et *Reuss* «Causae selectae» p. 145. In his. s. C. C. decisionibus fere omnibus sermo est de sacerdotibus, qui propria electione arma arripuerunt. Hi utique significantius laborant defectu lenitatis; sed exinde non sequitur, illos ab hujusmodi legibus exemtos esse, qui inviti trahantur ad militiam. *Kohn* l. c.

explodens et sacra exercens, efficitur irregularis, sive bellum sit justum vel injustum;» *secundo* clericus, qui inter armatas copias propria manu pugnat, etsi certus sit, neminem a se occisum aut mutilatum esse (e. g. si sclopetum semper in aërem explosit) nihilominus fit irregularis, modo ab aliis homines interfecti aut mutilati sint. ε) Propter *solam* militiae adscriptionem, vel ob *solam* conditionem militarem nemo irregularis efficitur.

b) *In judicio.* Scilicet irregularitatem contrahunt, qui directe concurrunt ad mortem aut mutilationem etiam justam, *(effectu secuto*[23]) ut judices sententiam mortis vel mutilationis pronuntiantes, accusatores, denunciantes, testes,[24]) assessores, procuratores, sententiam scribentes et subscribentes, et omnes ministri justitiae sententiam exequentes. Quoad clericos, qui illatas sibi a laicis injurias in judicio persequuntur, statuit Bonifacius VIII. eos irregulares non esse, modo vere et expresse protestentur, se non vindictam seu poenam sanguinis intendere.[25]) Eandem protestationem emittere jubentur Ordinarii in concedenda facultate potestati laicae effodiendi cadaver eum in finem, ut justitia publica suum sortiatur effectum.[26]) Pariter omnes illi non sunt irre-

[23]) Judex decernens poenam capitis, quae executioni non demandatur, tam parum irregularitatem contrahit, quam clericus ad ordines minores exceptus, qui militiam secutus sclopetum nunquam explosit in hostes Bened. XIV. l. c.

[24]) Episcopi territoriales (ut olim in S. R. I.), ut effugiant irregularitatem, aliis debent delegare jurisdictionem criminalem c. 3. in VI. (III. 24.) — Non consentiunt Doctores, utrum soli testes ultronei, an vero etiam a judice citati, irregularitati obnoxii sint. Antiquiores canonistae et moralistae, e. gr. Suarez, Palaus, Ferraris, s. Alphons. etc., testes nonnisi voluntarios irregularitati subjiciunt. S. Alphonsus (lib. VII. n. 468) sic habet: «Testes voluntarii, et qui libere se offerunt ad testificandum contra reum, etiamsi protestantur, non intendere sententiam sanguinis (scil. irregulares sunt); nam si coacti sint ad testificandum, sane excusantur.» At recentiorum aliqui, e. gr. Philipps Lehrb. d. K.-R. § 63. n. 40. et Schulte K.-R. II. p. 115. contrarium sentiunt. Rosshirt *Canon. Recht* (p. 395) testes quoscunque irregularitate immunes esse censet. Sed juxta declarationem s. Congr. Conc. *testes illi irregulares sunt, ob quorum depositiones sententia mortis vel mutilationis decreta est.* Zamboni Collect. decl. s. C. C. tom. 7. p. 172. — Cfr. c. 19. § 1. *ad ultimum* X. (V. 12).

[25]) Can. *Praelatis 2.* in VI. (V. 4.)

[26]) Cfr. *Acta* II. p. 117 seq., ubi ostenditur, violari immunitatem ecclesiasticam per exhuminationem cadaveris ex loco *sacro* nisi eam concesserit episcopus vi facultatum a S. Sede specialiter tributarum. In hac concessione episcopus vel ejus delegatus supra dictam protestationem canonicam (juxta cit. cap. Praelatis not. 25) emittere jubetur. — Literis patent. Imperatricis Mariae Theresiae (17. Apr. 1765) sacerdotibus injunctum fuit, ut tum exhumationem cadaveris ad dignoscendum homicidium permitterent, tum testimonia ad actionem criminalem requisita ex libris canonicis exscribere haud abnuerent. — In Guatimalen. 12. Aug. 1843 s. C. C. declaravit: «posse parochum, a judice (criminali) requisitum audito prius Ordinario transscribere ex libro parochiali fidem, quin ullam contrahat irregularitatem.» *Lingen* et *Reuss* Causae selectae p. 116.

gulares, qui remotius concurrunt, uti legislator ejusmodi legem ferens, sacerdos, qui reum ad supplicium comitatur, nisi fors, licet ex misericordia, quidquam agat, quod mortem accelerat.

Juxta aliquos canonistas recentiores etiam clericus in ordinibus majoribus constitutus fit irregularis, chirurgiam exercens per adustionem vel incisionem.[27]) Sed antiquiores[28]) ejusmodi irregularitatem nonnisi tunc incurri *probabilius* docent, cum culpa apparet homicidii vel mutilationis, seu quando irregularitas ex delicto (§ seq.) attrahitur. Si mors exinde non sequitur (juxta hos auctores), talis clericus quidem peccat contra prohibitionem ecclesiae, qua ipsi vetita est chirurgia extra necessitatem; at irregularitatem non parit mera inobedientia, sed actio tantum efficiens reatum homicidii.

8. Defectus Sacramenti.

8. *Defectus Sacramenti* (matrimonii) bigamiam indicat, quae triplex est; vera, interpretativa et similitudinaria. *Vera* est duplex matrimonium, quod tunc irregularem facit, quando utrumque consummatum est. Bigamus non tam propter incontinentiae suspicionem, quam potius ex eo ab ordinibus arcetur, quia conjugium secundum, licet toleretur, sacratissimam Christi cum ecclesia unionem[29]) significare et exprimere haud valet. Nam Christi cum ecclesia conjunctio est unius cum una, et hinc duplici aut multiplici matrimonio, in quo quis carnem dividit inter plures, ab Innocentio III.[30]) recte *signaculum sacramenti* deesse dicitur. Quod tamen haud valet, quando prius aut posterius matrimonium non est consummatum.

Interpretativa contrahitur ab eo, qui juris quadam interpretatione seu fictione duas uxores habuisse censetur, licet revera non habuerit, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam, aut ab alio corruptam, vel qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ea commissum.[31])

Similitudinaria est, cum quis religionem solemniter professus,[32]) aut ad ordines majores assumtus, matrimonium cum unica et virgine attentat et consummat.[33]) Ratio est, quia is merito duo matrimonia contraxisse censetur, primum spirituale et validum cum Christo, secundum carnale et invalidum cum muliere. Sed

---

[27]) E. g. *Phillips, Permaneder* etc. Allegant potissimum c. Sententiam 9. X. (III. 50), ex quo quidem prohibitio elucet, sed non ita perspicue etiam irregularitas.

[28]) V. gr. *Fagnani,* ad tit. 12. lib. V; *Tamburini,* de Irreg. p. 288. *Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Engel,* ad cit. cap. *Sententiam,* S. Alphons. Lig. etc.

[29]) Ephes. V. 32.

[30]) c. 3. 5. tit. de bigamis non ordinandis. X. (I. 21.)

[31]) c. 9. c. 11. c. 12. 13. D. 34.

[32]) c. 24. C. 27. qu. 1.

[33]) c. 4. 7. X. (III. 3.); c. 4. 7. X. (I. 21). Cfr. *De Angelis* I. p. 302.

notandum, quod haec bigamia sacrilega non tam ratione defectus, quam potius ratione delicti irregularem facit et proin proprie § seq. exhibenda esset.

9. Defectus natalium.

9. *Defectus natalium* tempore antiquissimo irregularitatem non induxit. In Concilio Toletano IX. (665) primum filii illegitimi clericorum majorum ordinum perpetuo officiis servilibus ecclesiae addicebantur, nec ad ordines admitti potuerunt, nisi libertatem ab episcopo accepissent.[34]) Porro saeculo 9. et 10. filii virginum raptarum,[35]) nec non procreati ex incestu arceri ab ordinibus sunt coepti. Filios vero illegitimos presbyterorum non licere ordinari, saepius nunc mitius nunc strictius canones statuerunt, ea praesertim de causa, ne iidem in paternum beneficium cum offensione populi succederent.[36]) Denique illa prohibitio ad quoscunque illegitimos extensa est, ne originis illegitimae macula ipsi ecclesiae statuique sacro dedecori esset. Igitur hodiedum quicumque ex toro illegitimo nati sunt,[37]) irregulares habentur, nisi vel per subsequens parentum matrimonium legitimati sint, vel professione religiosa hanc maculam eluerint, aut demum per Pontificis rescriptum[38]) qua legitimi declarentur. Etiam filii expositi, qui nequeunt suos parentes ostendere, pro ordinibus suscipiendis saltem ad cautelam dispensari solent.[39])

10. Defectus famae.

10. *Defectus famae* illos ab ordinibus repellit, qui ex quocumque titulo infames sunt, juxta principium: «Infamibus portae non pateant dignitatum»,[40]) vel ut Innocentius III. latius definivit «cum personis vilibus et indignis portae dignitatis patere non debeant

---

[34]) Conc. Tolet. (IX. 655.) c. 10. 11. ap. *Hefele,* Conc.-Gesch. t. 3. p. 94. c. 12. 13. D. 56. — «De filiis presb. ordinandis vel non» X. (I. 17.); in VI. (I. 11.)

[35]) Conc. Meldense a. 845 (*Hefele,* l. c. tom. 4. p. 111) c. 64, cujus canonis pars est: c. 17. C. 1. qu. 7.

[36]) Cfr. c. 2. 3. 4. etc. X. (I. 17.)

[37]) Scil. nati ex soluto et concubina (filii naturales); nati ex meretrice (manzeri); ex conjugato et soluta (nothi); nati ex copula a jure civili Romano damnata, ut ex incestu, stupro, raptu et sacrilegio (spurii). Vi Conc. Trid. (c. 15. Sess. XXV. de ref.) filii clericorum illegitimi a beneficiis et quovis ministerio illius ecclesiae sunt arcendi, ubi eorum patres beneficium eccles. habent aut habuerunt.

[38]) Rescriptum principis, cum nonnisi in ordine ad effectus civiles legitimare valeat, irregularitatem non aufert.

[39]) Excipiuntur quorundam ordinum et confraternitatum instituta, quorum favore filii expositi, in iisdem educandi, ob privilegium Apostol. legitimi declarantur. Gregor. XIV. Constit. «Circumspecta» 1591. — Filii presbyterorum procreati in legitimo matrimonio, scil. ante eorum promotionem ad subdiaconatum subsistente, non sunt irregulares, sed cavetur, ne filius penes eandem ecclesiam et in idem beneficium patri *immediate* succedat c. 10. 11. 13. de fil. presbyt. X. (I. 17.)

[40]) Bonif. VIII. in reg. 87. de reg. jur. in VI.

juxta legitimas sanctiones.»[41]) Est vero infamia (juxta juris consultos) laesae dignitatis status, vita et moribus reprobatus, seu clarius: est privatio seu diminutio existimationis hominum, indeque pendentium jurium, enascens ex laesae dignitatis statu. Efficit infamia 1. ut quis ordinari, aut susceptos ordines exercere nequeat; 2. ut *dignitates* i. e. quaecunque beneficia ecclesiastica aut officia publica obtinere non possit. Quoniam tria sunt, qua ex hoc capite obfuscant *lucidam sacerdotii dignitatem,*[42]) scilicet: ignominia *vi legis* cum facinore aliquo connexa, mala fama turpi agendi ratione contracta, vile denique et sordidum *vitae genus;* idcirco triplex infamiae genus distinguitur: infamia juris, infamia facti (turpitudo) atque levis nota.

a) Infamia *juris* est, quando lex statuit aliquem esse infamem, quod dupliciter fieri potest. Nam alii sunt infames jam ante sententiam judicis, eo ipso, quod certa delicta in jure notata committunt *(infamia immediata);* alii vero non ipso facto, sed post sententiam judicis secundum juris declarationem *(infamia mediata).* Itaque 1. crimina, quibus infamia *immediate* adnexa est, potissimum sunt *α) vi legis ecclesiasticae:* matrimonium cum meretrice, vel cum aliqua de iis, quae publicis spectaculis mancipantur,[43]) invasio Cardinalium,[44]) defectio ab ecclesia ad haeresim,[45]) raptus et duellum.[46]) *β)* Certa quaedam crimina, quae *ex lege civili* infamia immediata notantur. Nam in jure canonico etiam illi omnes habentur infames, *quos leges saeculi infames appellant.*[47]) Hinc ut exquiratur infamia, singularum regionum leges civiles sunt atten- Infamia juris.

---

[41]) c. 11. X. (V. 31.)

[42]) P. *Hormisdas,* in c. 3. D. 61.

[43]) c. 15. D. 34. — Excipe si quis meretricem ducat ad eam emendandam. c. 20. X. (IV. 1.)

[44]) c. 5. in VI. (V. 9.)

[45]) c. 13. § 5. X. (V. 7.) Infames sunt haeretici, si per annum steterint in excommunicatione. Cfr. c. 2. et 15. in VI. (V. 2.) Haereticorum filii non sunt infames, sunt tamen irregulares (§ seq.). Duo tantum personarum genera ex delicto parentum infamiam contrahunt: 1. Filii nepotesque eorum, qui manus violentas in Cardinalem injecerunt; 2. filii eorum, qui committunt crimen laesae majestatis. Tamburini de Irreg. l. 10. tract. 4. c. 10. n. 10.

[46]) Con. Trid. Sess. 24. c. 6. de ref. matr. et Sess. 25. c. 19. de ref.

[47]) c. 2. C. 6. q. 1. et c. 17. ibid. Voce «leges saeculi» initio utique leges Romanae significabantur, quibus ecclesia in dijudicanda infamia utplurimum innitebatur. Sic v. gr. in jure Romano infamia ipso facto statuta est: in lenones, in contrahentes eodem tempore bina matrimonia seu sponsalia, in gladiatores, in milites probrose ab exercitu dimissos, in usurarios manifestos; hi ultimi etiam in jure canonico sunt infames (c. 2. in VI. [V. 5]) etc. At medio aeve insuper in hac re leges Germanicae respiciebantur; ex quo merito infertur, omnibus aliis temporibus leges civiles regionum attendendas esse. Ecclesiam vero praeterea jam pridem peculiaria infamiae genera statuisse, intelligi potest ex cit. c. 17.

dendae. — 2. Infamia *mediata* contrahitur post sententiam judicis condemnatoriam, quae sit definitiva, jam transacta in rem judicatam, ob certa quaedam crimina in jure sive canonico sive civili expressa, vel etiam, si quis ex causa infamante ad poenam notorio dedecore affectam condemnatur.[48])

Infamia facti.

b) Infamia *facti* seu turpitudo accidit, quando quis tale crimen perpetrat, propter quod bona ipsius existimatio apud probos et honestos viros laeditur, licet ab ipso jure aliqua infamia non expresse notetur, neque haec per sententiam irrogetur. Inducitur ergo (sed intuitu ordinum tantum, minime etiam quantum ad alios effectus) per quodcunque delictum enorme et peccatum grave e. gr. adulterii, sodomiae, simoniae[49]) etc. puta, si opinio sinistra a tota communitate vel majori parte sit concepta, simulque certa, aut saltem orta ex probabilibus conjecturis. Imo etiam ille ab ordinibus repelli debet, qui *gravatae* seu *malae* opinionis est (infamatus), donec legitimis probationibus omnem objecti criminis suspicionem a se removerit. Illud vero animadvertendum, quod delicta *occulta* defectum famae nunquam inducunt.

Levis nota.

c) Quaedam species infamiae est etiam illa, quae (jam in jure Romano) dicitur *levis nota,* quaeque non ex delicto, sed potius ex vili et sordido vitae genere ex hominum aestimatione contrahitur. Ex hoc capite histriones, carnifices, lictores, macellarii, denique homines infimae notae, quaestum ignominiosum exercentes ab ordinibus sunt exclusi, etiamsi hi in proprio sensu non sint infames. Sub hac ratione pariter ad opinionem hominum et ad usum legesque civiles attendi opus est.[50])

---

[48]) Apud Romanos infamiam mediatam pariebant 1. delicta publica i. e. de quibus quilibet de populo potuit accusare delinquentem; 2. complura crimina privata e. g. homicidii, adulterii, rapinae, furti, injuriarum etc. In jure canonico ex hoc titulo infames declarantur, qui committunt crimen doli in contractu societatis, in tutela, mandato, deposito. Utrum juxta leges Austriacas vigeat infamia juris, merito dubitari potest. Etenim infamia *qua talis* nulla lege irrogatur, imo nec nominatur. Dixi: infamia qua talis; nam afferuntur quidem condemnatis propter crimina haud pauca juris detrimenta, quae bonam hominum existimationem natura sua imminuunt (Cod. crim. 1852 §§ 26 et 27), scilicet: privatio nobilitatis, titulorum, munerum, decoraminum, graduum academicorum, pensionum etc. Attamen infamia exinde enascens, eoquod a lege directe non irrogetur, potius facti quam juris esse videtur. Insuper lege novissima sub 15. Nov. 1867 (Reichsgesetzblatt p. 321) haec juris detrimenta valde coarctata sunt, ita quidem, ut effectus poenales, qui hactenus civilem agendi facultatem criminosorum limitarunt (juxta cod. crim. § 27. b. et juxta cod. civ. §§ 61. 574. 868), omnino sublati sint, reliqui autem favores ob crimina deperditi post certi temporis decursum recuperari possint.

[49]) Cfr. gloss. ad c. 22. C. 6. qu. 1; Acta s. S. I. p. 274.

[50]) In jure Rom. maculam levis notae attrahebant, quotquot non pertinebant ad cives *honestiores,* sed ad *humiliores* cujusmodi e. gr. erant textores, balneatores, tonsores, molitores, nautae, caupones, stabularii, venatores *(Vering,*

Quia defectus famae, licet utplurimum in crimine aliquo fundetur, tamen alios praeterea, qui criminis sunt expertes, attingit, ideo haecce irregularitas quasi medium tenet inter eas, quae sunt ex defectu, atque illas quae ex delicto proveniunt.

§ 66. Irregularitates ex delicto.

1. *Generalia.* a) In antiqua ecclesia, quisquis ob crimen sive notorium sive occultum publicam poenitentiam egerat, eoquod juxta monitum Apostoli et Patrum[1]) criminis purus non esset, ab ordinibus repellebatur, et si in iis constitutus esset, loco suo decidit, ad altiores ordines nunquam admittendus. At deinceps cum publica poenitentia ex usu recessisset, et quaevis crimina poenitentia occulta eluerentur, distinctio inter publica et occulta crimina exorta est, quam adprobavit Gratianus,[2]) omnibusque firmum esse coepit, quod ex publicis, non autem ex occultis criminibus irregularitas exoriatur. *Hodie* regula servanda est, quod nonnisi crimina, quae nominatim expressa sunt, sive occulta sint sive publica, irregularitatem ex delicto inducunt.

Disciplina antiqua, modo vigens.

b) Ut incurratur irregularitas ex delicto, requiritur actus *externus, consummatus* et *mortalis.* Hinc ait s. Alphonsus[3]) cum pluribus Theologis, si quis ex aliqua circumstantia excusatur a mortali, excusatur etiam ab irregularitate. Nam licet irregularitas non praecise propter crimen irrogetur, tamen non citra crimen in quo culpa gravis reperitur, irrogatur,[4]) si excipias homicidium, cujus intuitu etiam culpa levis quandoque irregularitatem inducit. Neque refert, aliquem vera poenitentia culpam eluisse. Sit ita sane; macula irregularitatis inde haud abstergitur, «quia sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit»,[5]) quibus verbis haud obscure indicatur, remoto per poenitentiam delicto semper

Quando inducatur irregularitas ex delicto.

---

l. c.). Apud nos quaedam macula levis notae haeret in personis dissolute vagantibus, in absolutis ab instantia, in damnatis ob delictum vel transgressionem ex animo doloso vel turpis lucri cupido admissam etc. *Ginzel,* K.-R.. II. p. 32, n. 4.

[1]) 1. Tim. 3, 10; Tit. 1, 7. S. Gregor. M. lib. III. epist. 49. et lib. IV. epist. 10. «Quis enim, quem paulo ante vidit jacentem, veneratur antistitem?» c. 3. D. 61. P. Hormisdas.

[2]) Post c. 32. § 3. D. 50: «Quorum enim crimina manifesta sunt ante vel post ordinationem, a ss. ordinibus dejicendi sunt; quorum autem peccata occulta sunt et satisfactione secreta secundum sacerdotis edictum purgata, in propriis ordinibus remanere possunt.» V. Devoti, I. p. 332.

[3]) Theol. Mor. lib. VII. n. 348.

[4]) «Quia, licet finis irregularitatis non sit punire, nec corrigere reos, non contrahitur tamen, nisi ratione delicti proprie voluntarii et vere gravis.» *Gury,* n. 1017 ed. 3 in Germ.

[5]) c. 18. Ventum est. C. 1 qu. 1.

aliquem defectum (fidei, famae, lenitatis aut sacramenti) remanere adinstar laquei, quo homo irretitus ab ordinibus detinetur.

c) Quaestio, utrum irregularitas ob crimen dubium incurratur, a S. Alphonso ejusque principia adoptantibus hoc pacto dirimitur. In dubio *juris* seu in dubio, an pro aliquo actu irregularitas in jure sit assignata, negative respondendum est, quia hoc ipso, quod jus in dubium vocatur, irregularitas non certo in jure expressa est. At in dubio *facti* (sc. ubi incertum est, an peccatum, irregularitatem inducens, ab aliquo sit vere patratum, an mortale sit, vel veniale) sic distinguunt. Si est dubium de homicidio patrato, *probabilius* et *verius* irregularitas contracta est, ob particularem indecentiam, quae in homicidio reperitur. Si vero dubitatur de alio delicto, *probabilius* et *verius* nulla adest irregularitas, quia in dubio nemo damnandus est.[6])

Quaenam in specie sint irregularitates ex delicto.

2. *In specie* haec crimina in jure irregularitate notantur:

a) Haeresis et apostasia.

a) *Haeresis, apostasia* et *schisma*. Haeretici[7]) generatim irregulares sunt, sive in haeresi baptizati fuerint, sive a catholica religione ad eam defecerint. Irregularitas pertinet etiam ad eos, qui haereticos recipiunt iisque favent aut eos defendunt; item ad eorum filios ex paterna linea ad secundum gradum, a materna usque ad primum tantum, si eorum parentes in haeresi decesserint.[8]) Nam quodsi parentes ad fidem conversi sint, filii immunes sunt ab irregularitate, prout pluries a. s. C. C. declaratum est.[9])

---

[6]) S. Alphons, Theol. Mor. l. VII. n. 344 seq. — *Gury*, n. 1018 ed 3. — *Neyraguet*, Compend. Theol. Mor. p. 497. — Sed non diffitendum, ab aliis Theologis, ubi agitur de dubio *facti*, paulo severius judicari. Dicunt enim, pro foro exteriori in dubio facti irregularitatem non esse statuendam; at pro foro interno eandem pro certa haberi oportere, ac propterea stante hoc dubio non licere vel ordines suscipere, vel susceptos exercere. Etenim, dicunt, cum dubia res videtur, pars tutior eligenda. Ita Benedict. XIV. Instit. 101. in fin.; *Fagnani*, in c. 12. Ad audientiam X. (V. 12); *Barbosa*, ibid.; *Ginzel*, K.-R. II. p. 31. Verum quidem est (ut Fagnani l. c. probat), in lege can. tutiorismum haud raro praescribi, sed et cavendum est, ne canonum dispositiones confestim ad alios casus, quam quos immediate respiciunt, extendantur. Id quod etiam in hac materia procedit. Conf. *Acta* I. p. 351.

[7]) c. 2. § 2. et c. 15. in VI. (V. 2.)

[8]) Cfr. *Braun* in Vering Archiv, t. 45. pag. 3. seq., ubi auctor inter alia probat: 1. ab ecclesia descendentibus haereticorum irregularitatem non irrogatam esse propter eorum infamiam, sed ad detestationem et odium haereticae pravitatis exprimendam; 2. irregularitatem istam in Germania, Gallia etc. nequaquam (prout a compluribus assertum est) cessasse titulo consuetudinis contrariae, sed adhucdum perdurare, eoquod neque de existentia talis consuetudinis neque de ejus legitimitate satis constet. Aliter sentit *Lemkuhl* Theol. Mor. II. n. 1011. cum *Laymann*.

[9]) Vid. *Richter*, Conc. Trid. p. 181. n. 2. et p. 339. n. 2. seq., unde etiam clarescit, quod orti ex paganismo et hebraismo, et simul in aetate infantili baptizati, non sint irregulares. (§ 65. n. 13.)

Apostasia tripliciter committitur, nimirum sive quis a religione christiana, sive ab ordine clericali sive a statu religioso deficiat; sed sola apostasia a fide irregularem facit et quidem propter infamiam (§ 65. 9. a. *α*). Sed subdiaconus a statu clericali desciscens, et simul matrimonium attentans et consummans, ex duplici titulo irregularis evadit scilicet ob infamiam facti *et* ob bigamiam similitudinariam.[10]) — *Schisma* nonnisi tunc irregularitatem secum fert, ubi haeresi conjungitur. Nam schisma purum nulla irregularitate in jure notatur.[11]) Caeterum haeretici etiam abjurata haeresi, apostatae peracta poenitentia, et schismatici etiam unioni fidelium restituti permanent irregulares.[12])

b. Abusus baptismi.

b) *Abusus baptismi,* cujus rei fiunt *primo,* serio, palam et scienter baptismum iterantes,[13]) estque irregularis tum baptizans, tum baptizatus, tum ille, qui baptismi iterationi *palam* inservit.[14]) *Sub conditione* denuo baptizantes in casu, quo prudenter dubitari nequit, quod primus baptismus rite peractus fuerit, secundum plures Theologos sat magnae auctoritatis[15]) (etsi temere et culpabiliter eosdem agere dicant) irregularitatis laqueum non incurrunt. Alii vero, inter quos Benedict. XIV., in hoc quoque casu irregularitatem adduci sentiunt.[16]) *Secundo* etiam is irregularis est, qui sine ulla necessitate scienter se sinit baptizari ab haeretico declarato. Ex quo sequitur, illos nulla irregularitate irretiri, qui in aetate infantili ab haereticis baptizati sunt.[17])

c. Abusus ordinis.

c) *Abusus seu usurpatio ordinis* committitur *α*) ab illis qui scienter et solemniter adhibitisque ordinis insignibus actum ordinis non recepti serio exercent, ut acolythi cum manipulo officium sub-

---

[10]) c. 69. D. 50; c. 6. de apostat. (V. 9). — *Schmalzgrueber,* L. V. tit. 9. n. 31.

[11]) *Reiffenstuel,* in Decretal. l. V. tit. 8. n. 15.

[12]) c. 32. 69. D. 50.

[13]) c. 65. D. 50.

[14]) c. 2. de apostat. et reiter. bapt. X. (V. 9). Minime vero patrini. S. Alph. Moral. l. 7. n. 356.

[15]) Eos recenset Benedict. XIV. Instit. 84. n. y., quibus etiam S. Alph. adnumerandus venit (l. c. n. 356).

[16]) Hi auctoritatem Catechismi rom. allegant, in quo (de Sacram. bapt. qu. 56) de iis, qui sine ulla inquisitione, utrum baptismus domi collatus rite administratus sit, indiscrete *sub conditione* baptizant, sic habetur: «Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt, et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores irregularitatem vocant. Nam ea baptismi forma ex Alexandri (III.) Papae auctoritate (c. 2. X. [III. 42] in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter discussa, dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint, aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione, baptismum alicui iterum administrare.» Cfr. Bened. XIV. de Syn. dioec. l. VII. c. 6. n. 2.

[17]) Ita expresse declaratum a. s. C. C. apud *Richter,* p. 181. 21. Maj. 1718.

diaconi exequentes, subdiaconi solemniter baptizantes, diaconi aquam lustralem solemniter benedicentes etc.[18]) Attamen qui vel actum jurisdictionis usurpant, vel *non solemniter* in ordine se usurpato ministrant, irregulares non efficiuntur. Circa hoc notandum, quod ex decreto s. C. Rit., deficiente subdiacono in missa solemni, constitutus in minoribus per superiores *in casu necessitatis* substitui potest ad cantandam epistolam paratus sine manipulo, sc. indutus quidem paramentis subdiaconi, quin tamen reliqua ejusdem munera peragat.[19]) — *β*) *Ex capite violatae censurae,* quoties nempe illi, qui innodati sunt censura [sc. suspensionis,[20]) interdicti,[21]) aut excommunicationis[22])] actum aliquem ordinis exercent. Et hanc irregularitatem, quae dicitur *ex capite violatae censurae,* etiam illi incurrunt, qui suspensionem ab episcopo ex *conscientia informata* inflictam temere violantes divinis se ingerunt.[23]) Neque differt, utrum clericus excommunicatione irretitus in majoribus vel in minoribus ordinibus constitutus sit. Pariter non solum excommunicati vitandi, sed etiam tolerati[24]) irregularitatem sibi contrahunt. Verum ut quis ex capite violatae censurae irregularis evadat, haec tria requiruntur: 1. ut actum *ordinis* exequatur; nam actus jurisdictionis a censuratis peracti, veluti praedicatio, copulatio, beneficiorum collatio, jurisdictionis impertitio etc., quamvis illiciti sint, tamen neminem faciunt irregularem. 2. Ut exequatur *ex officio* et qua *ecclesiae minister;* hinc si quis baptismum domi non solem-

---

[18]) c. 1. X. (V. 28). Etiam laicos, actus majorum ordinum exercendo, irregulares effici, contra aliorum sententiam probat Ferraris sub voce. Irreg. art. 1. n. 11.

[19]) Collen. n. 19. «An deficiente subdiacono pro Missa solemni possit per superiores substitui constitutus in minoribus ad cantandam epistolam, paratus absque manipulo? Resp. Data necessitate posse permitti. 8. Jul. 1690. — Amerina. «An extra casum necessitatis posset permitti a superioribus, ut canonicus constitutus in minoribus ordinibus cantet epistolam in Missis solemnibus paratus absque manipulo?» — Resp. *Negative* et episcopus curet abscindere consuetudinem tam in Cathedrali quam in collegiata; videlicet extra casum absolutae et praecisae necessitatis non posse a superioribus permitti, ut clericus in minoribus pro subdiacono suppleat in Missis solemnibus paratus absque manipulo etc. 18. Dec. 1874. Decreta auth. *Gardellini,* t. 3 n. 3328 et t. 5. n. 4269.

[20]) c. 1. de sent. et re jud. VI. (II. 14); — c. 1. de sent. excomm. in VI. (V. 11).

[21]) Ibid. c. 20. Irregulares etiam est, scienter celebrans in loco interdicto, in casibus non permissis. c. 18. § 1. in VI. (V. 11).

[22]) c. ult. de clerico excomm. ministrante X. (V. 27).

[23]) S. C. C. in Sagon. 21. Jun. 1625; Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. c. 8. n. 5. — Infra § 217. 2. d.

[24]) E. gr. sacerdos, qui complice in re turpi a se absoluto, ministrare temere praesumit.

niter confert, vel si clericus in minoribus, non paratus, more laicorum, ordines exercet, irregularitas nulla induciter. 3. Ut scienter et temere exequatur; hinc immunes sunt inculpabiliter ignorantes censuras, vel in articulo mortis Sacramenta administrantes, vel quos injuste censura ligatos esse, publice et notorie constat.[25])

d) Nonnulli canonistae hoc loco etiam *abusum ordinationis,* seu *malam ordinum susceptionem* commemorant. Controversia erat, num ejusmodi mala susceptio reapse *irregularitatem,* an vero potius (uti textus juris innuunt) *suspensionem* inducat.[26]) Sed in Const. «Apostolicae Sedis»[27]) haec controversia saltem quoad eos casus decisa est, in quibus vitium principaliter est *ex parte ordinantis.* Dicitur enim ibi: *Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt* (i. e. scienter receperunt) *ab excommunicato vel suspenso vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.* Igitur qui *mala fide* ab ejusmodi episcopis ordinati sunt, in sensu proprio ab ordine taliter recepto manent *suspensi,* quae suspensio Rom. Pontifici est reservata; qui vero *bona fide* sic sunt ordinati, proprie neque suspensi neque irregulares sunt, sed improprie, quatenus peccant ministrando in susceptis ante obtentam dispensationem.[28]) Quoad reliquos ordinationis abusus, in quibus vitium principaliter est *in suscipiente, α*) imprimis *ordinatus per saltum* ex usuali interpretatione Conc. Trident. non est irregularis, sed est ipso facto suspensus, ita ut si ministraverit, irregularis evadat, proindeque indigeat Apostolica dispensatione.[29]) *β*) Qui ordines suscipiunt sive

---

[25]) Haec omnia fusius exposita et probata vid. ap. *Kober:* Der Kirchenbann p. 306 seq.

[26]) *Kober:* Die Suspension der Kirchendiener, Tübingen 1872. p. 172 seq. *Tamburini:* Opp. omn. Tract. de irregul. cap. 14. — Controversia inde est, quia textus juris, qui de variis abusibus ordinationis agunt, ambigui sunt. Dicunt enim hi textus, ejusmodi male ordinatos «executionem officii non habere», «in acceptis ordinibus ministrare non posse», «a susceptis ordinibus esse suspensos», etc. Has phrases alii ad irregularitatem *(Zallinger,* ad tit. 13. lib. I.; *Devoti* Inst. tom. I. tit. 7.; Cfr. *S. Alphons.* Moral. l. 7. n. 360, 361), alii ad suspensionem, quae dicitur ab ordine, pertinere censent.

[27]) «Suspensiones summo Pont. reservatae» n. VI. Cfr. *Avanzini:* De Const. «Apost. Sedis» commentarii. Romae 1872.

[28]) *Avanzini,* l. c. not. 47. p. 137 seq.

[29]) Ordinatus per saltum in vetere jure prohabilius erat *irregularis;* sed post decretum Trid. (Sess. XXIII. cap. 14. de ref.) ob verba «si non ministraverint», satis declaratum videtur, eundem directe esse suspensum, sed posse fieri irregularem ex capite violatae censurae. *Avanzini,* l. c. p. 146.

simoniace,[30]) sive *furtive,*[31]) sive *irretiti excommunicatione,*[32]) sive *renitente uxore* ante matrimonii consummationem,[33]) sive denique ab *episcopo,* qui non loco tantum, sed et *dignitati episcopali renuntiavit,*[34]) in ordinibus sic susceptis vetantur ministrare, antequam dispensati fuerint. γ) Ordinatio *non subditi* sine literis dimissorialibus (§ 59 in fin.), item ordinatio sine titulo cum certo pacto simoniaco (infra § 68. 3.) suspensione plectitur.

Homicidium et mutilatio.

e) Quoad *homicidium* et *mutilationem*[35]) haec notanda sunt:

α) Homicidium *voluntarium,* etiam occultum, et etiam indirecte tantum voluntarium, perpetuo arcet tum ab ordine tum ab omni beneficio et officio ecclesiastico.[36]) Idem valet de *procuratione abortus* foetus animati, effectu secuto;[37]) supponit praxis poenalis ecclesiae, foetum masculinum 40mo, femininum 80mo die post conceptionem animari. Pariter irregulares evadunt omnes *mandantes* et *consilium dantes* effectu secuto ex mandato, excepto tamen, si ante effectum efficaciter retractaverint et retractatio innotuerit executori. Item ad homicidium *cooperantes.* Si plures in mortem alicujus conspiraverint, vel etiam si plures sine praevio et deliberato consilio, et absque animo occidendi, in publica rixa aliquem aggressi fuerint, nec resciri possit, a quonam eorum lethalis ictus sit inflictus; omnes sunt irregulares (in casu posteriori saltem pro foro externo). Porro *obligati* ex justitia *impedire* et non impedientes.[38])

---

[30]) Simoniace ordinati generatim «ab officio abstinere» et a beneficio amoveri debent. Cfr. c. 20. 32. X. (V. 3.): c. 21. X. (V. 1.); imo et excommunicati erant. c. 2. Extrav. com. (V. 1.); sed per Const. «Apost. Sedis» haec censura est abrogata, quod et de aliis dicendum, quae neque in dicta Const. exprimuntur, neque in Conc. Trid. directe pronuntiantur. Cfr. § 217. n. 5.

[31]) Furtive i. e. sine episcopi admissione ordinatus (c. 1. 3. X. V. 30.) juxta Schmalzgr. (a. h. tit.) fit irregularis, si furtiva susceptio ab episcopo antecedenter fuit sub excommunicatione prohibita; secus furtive ordinatus ministrare nequit in ordinibus susceptis. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXI. c. 1. de ref. Clem. VIII. Const. «Rom. Pontificem» 1595.

[32]) Vi c. 32. X. (V. 39.) clericus saecularis, qui in excommunicatione scienter recipit ordines deponendus est, regularis ab executione ordinis est suspensus. Quodsi uterque ordinetur ignorans jus vel factum, cum saeculari solus Papa, cum regulari dispensat abbas, si factum non est grave.

[33]) c. un Xvag. Joann. XXII. tit. 6.

[34]) Scil. talis episcopus non solum caret jurisdictione, sed quavis etiam externa dignitate; idcirco ordines *majores* neque cum licentia Ordinarii conferre potest, bene vero *minores,* ut dicitur c. 1. X. (I. 13.).

[35]) «Mutilatio intelligitur, quando a corpore separatur aliquod membrum principale, seu pars corporis, quae officium per se distinctum habet, v. gr. pes, manus, oculus» etc. *Gury,* n. 1036.

[36]) Concil. Trid. Sess. XIV. c. 7. de ref. — De hac materia vid. v. *Scherer:* Die Irregularitas ex delicto homicidii in Archiv t. 49 p. 37 seq.

[37]) c. 20. X. (V. 12.) — Hoc titulo multi casus practici proponuntur.

[38]) *Pirhing,* L. V. tit. 12. § III—VIII.

β) Homicidium pro necessaria et justa *defensione propriae vitae,* servato moderamine inculpatae tutelae, immune est ab irregularitate.[39]) Secus vero dicendum, si quis vim vi repellendo vel moderamen istud egreditur, vel non vitam suam, sed sive alia bona sua e. g. res suas aut famam, vel vitam alterius defendendo injustum aggressorem occidit.

γ) Quoad homicidium, quod dicitur casuale, *regula palmaris* est haec: In quovis casu investigari debet, utrum *culpa* et qualis intervenerit. Homicidium *mere* casuale, quod citra alicujus culpam prorsus inopinato et fortuite contingit, item homicidium a furioso, ab infante vel a dormiente patratum, irregularitatem haud inducit. *Regula* vero *secundaria* ad dignoscendam *culpam* in homicidio dubio casuali desumitur ex decretalibus, quae duplici modo homicidium casuale culposum esse declarant: 1. si quis dat operam *rei licitae,* non tamen adhibet debitam diligentiam, ne alterius mors aut mutilatio sequatur;[40]) 2. si quis dat operam *rei illicitae,* ex qua mors alterius sequitur, etsi ad eam evitandam operans adhibuerit omnem diligentiam, et hoc saltem tunc, cum quis operam dedit rei ex se et natura sua illicitae, cum mortis periculo conjunctae ita, ut ex natura sua nexus causalis intercedat actionis occisivae cum morte secuta.[41]) Quoad 1. irregulares sunt medici et chirurgi, qui omnem diligentiam et studium juxta artis praecepta non adhibent in aegris curandis, ita ut ipsorum culpa aliquis e vivis excedat. Generatim medicis ad ordines promoveri volentibus, teste Benedict XIV.,[42]) dispensatio *ad cautelam* concedi solet, quoniam hi non certo sciunt, semper se usos fuisse omnibus regulis ab arte praescriptis circa eos, qui obierunt. Quoad 2. irregulares sunt e. gr. omnes non periti et temere exercentes medicinam vel chirurgiam, et mortem alicui causaliter inferentes.[43]) Idem de omnibus generatim dicendum, qui dant operam rei illicitae et per se *periculosae,* eoquod

---

[39]) c. un. Clem. (V. 4). Decretales priores clericum irregularem declaraverant, qui vi repellendo usque ad occisionem injusti aggressoris processerat. Ergo per hanc decretalem jus antiquius aliquantum mitigatum est. *Scherer,* l. c. p. 54.

[40]) c. presbyterum. 7. de homicidio. X. (V. 12), cujus summarium sic habet: Homidium casuale imputatur ei, qui operam dabat rei licitae, sed non adhibuit diligentiam, quam debuit. Cfr. ibid. c. 8.

[41]) *Pirhing,* lib. V. tit. 12. § IV. — *Scherer,* l. c. p. 51.

[42]) De syn. dioec. lib. XIII. c. 10. n. 4. — c. 7. X. (I. 14).

[43]) Conc. Lateran. IV. 1215 c. 9. X. (III. 50) prohibuit, ne clerici ullam chirurgiae artem exerceant, «quae adustionem vel incisionem inducit» et generatim iis ecclesia exercitium medicinae interdixit. (Cfr. § 73. 1. c.) Etiamsi violator hujus legis non fiat per se irregularis, fit tamen, si ejus imperitia quis moritur. Melius ergo est, sacerdotem studere theologiae et medicum esse animarum, quam mederi corporibus.

regula juris verificatur: «Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet.»[44])

δ) Mutilatores, quando mutilatio inducit separationem et truncationem membri alicujus principalis, quod habet in corpore humano distinctum et peculiare officium. Et ideo abscissio digiti, cartilaginis, excussio dentis etc, non est mutilatio inducens irregularitatem.[45]) Irregulares etiam evadunt mutilantes se ipsos, aut mutilationem sine justa causa procurantes, etiam si ex zelo indiscreto id fiat.[46])

Quoad homicidium (et mutilationem) in praxi haec duo sunt observanda: 1. In *dubio culpae* (sc. ubi agitur de occisione certe facta) canones intuitu irregularitatis tutiorismum praecipiunt ex principio: «ad altaris ministerium nemo accedere debet, nisi *certo* sit immunis a culpa sanguinis.» Et proinde in dubio peti debet dispensatio *ad cautelam.*[47]) 2. In quovis casu, etiam in homicidio casuali, sacerdos ultro debet se avellere ab altari aut avelli ab episcopo, donec per inquisitionem ab hoc institutam constet de culpa vel innocentia hujusmodi sacerdotis.[48])

§ 67. De cessatione irregularitatum.

1. Cessatio causae.

1. Ex irregularitatibus, quae proveniunt ex *defectu,* nonnullae cessant sublata causa, unde procedunt. Ita qui caret idonea aetate, scientia, libertate, cum factus est liber, cum adeptus est debitam aetatem aut scientiam, recte ad ordines promovetur. Similiter irregularitas ex infamia *facti* sine ulla dispensatione cessat cessante infamia i. e. sive per purgationem a crimine mere conficto, sive per emendationem a crimine patrato, modo emendatio notoria sit, et (juxta aliquos) per triennium perseveret, sive denique per mutationem loci.[1]) Et infamia *juris* neque emendatione aboleri potest, sed solum per restitutionem famae a summo Pontifice factam. Si vero infamia inducta est a jure civili, tunc si in foro civili per

Speciatim de irregul. ex infamia.

---

[44]) Reg. juris in VI. n. 19.

[45]) Hinc minus recte a quibusdam statuitur, tali mutilatione fieri aliquem irregularem, quae inducat corporis defectum juxta anterius dicta. Abscindens tamen digitum pollicem aut indicem, petere debet dispensationem ad cautelam (s. C. C. 12. Jul. 1687 ap. *Ferrar.* l. c.).

[46]) Canon. Apost. 21. et 22. — Conc. Nicaen. c. 1. in c. 7. D. 55. — c. 4. X. (I. 20). Caeterum plures decisiones s. C. C., quibus doctrina de irregularitate ex capite homicidii elucidatur, collectae reperiuntur ap. *Ferraris* et *Richter* p. 92—96.

[47]) c. 12. 18. X. (V. 12); *Ferraris,* s. v. Irregul. art. 1. n. 78; — *Richter* et *Schulte,* ed Conc. Trid. n. 21—26 ad Sess. XIV. c. 7.

[48]) *Scherer,* l. c. p. 67.

[1]) S. Alphons. Theol. Mor. l. VII. n. 352 et 364. Gibellin. aliique tempus non praescribunt, sed solum petunt emendationem cognitam.

clementiam principis sit exstincta, hoc ipso etiam in foro canonico exstincta censetur. Insuper haec mitigatio est notanda: »Si tamen infamia per sententiam irrogetur ex crimine adulterii vel minori aliquo, facultas dispensandi cum clerico infami ad ordinis exercitium continuandum, peracta poenitentia, concessa est episcopo.»[2]) Denique maculam *levis notae* sine dispensatione cessare dicunt, postquam aliquis artem ignominiosam, aut vilem conditionem dereliquit. Nam tales in proprio sensu irregulares non sunt, sed nonnisi ob quandam indecentiam ab ordinibus arcentur.[3])

2. Dispensatio.

2. Reliquae irregularitates nonnisi dispensatione auferri possunt, dummodo tamen irregularitas ex defectu corporis vel animi, aut ex delicto, non sit talis, super qua dispensatio non conceditur. Jus isthoc absolute habet summus Pontifex, qui potest dispensare in omni jure ecclesiastico; jus limitatum etiam episcopus, et hic quidem vel ex jure, vel ex speciali facultate. Ex *jure* dispensat episcopus in irregularitate ex bigamia similitudinaria, porro ex defectu natalium legitimorum, sed pro susceptione ordinum minorum tantum. Item a Concilio Trid.[4]) statutum est: «Liceat episcopis in *irregularitatibus omnibus* et suspensionibus *ex delicto occulto* provenientibus, excepta ea, quae oritur *ex homicidio voluntario,* et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.» At episcopus nonnisi tum poterit dispensare, si dispensandus sit vere subditus ac verum domicilium in dioecesi collocaverit.[5]) In homicidio voluntario, publico et notorio vel ipse Papa raro dispensat.[6]) In illo vero homicidio, quod sui defensionis causa, sed non servato moderamine inculpatae tutelae patratum est, ex sanctione Concilii Trident.[7]) dispensatio pariter episcopo committitur. In homicidio casuali autem occulto episcopi dispensare possunt ex Trid. cap. *Liceat;* imo etiam in publico homicidio casuali relate ad ordines *minores* et beneficium simplex tantum. Item haud improbabile est, in homicidio *prorsus* occulto eum, qui ignorat poenam, ab episcopo absolvi passe (*Lehmkuhl,* n. 1012. 1013). Attamen ab irregularitate proveniente ex *occulta* haeresi, apostasia et schismate episcopi vi Concil. Trident. (not. 4) dispensare non possunt, eoquod haec crimina per Constit. «Apost. Sedis» Pontifici *speciali*

---

[2]) Ita Schmier de pot. ordinis n. 542 in c. 4. § de adult. 1. X. (II. 1).

[3]) Ferrar. annot. ad art. I. n. 15; Gibellin. de irregul. c. 5. qu. 4.

[4]) Sess. XXIV. de reform. c. 6. Cfr. Const. «Apost. Sedis» vers. fin. sub voce: «Firmam.»

[5]) *Bönninghausen,* Tractat. juridico-can. de irregularitatibus Monasterii 1863 p. 47.

[6]) *Richter:* Lehrb. d. K.-R. § 96. c. n. 4.

[7]) Sess. XIV. de reform. c. 7. — Ferrar. Art. III. n. 8.

modo sunt reservata.[8]) Eadem vero facultas absolvendi ab irregularitatibus occultis non competit praelatis, qui dicuntur nullius dioecesis, neque Cardinalibus in suis titulis.

Speciatim ob defectum corporis

Quod attinet *defectus corporis,* qui irregularitatem inducunt, eorum cognitio, minime vero dispensatio, quae soli Pontifici competit, ad episcopum dioecesanum spectat, qui experimentum oratoris super caeremoniis instituendum curare, et defectus, quibus corporis irregularitas gignitur, accurate describere debet, in quo praesertim attendendum est ad populi admirationem et scandalum quod excitari posset, vel ad periculum in sacris peragendis.[9]) Irregularitas *ex defectu natalium* a summo Pontifice tollitur, sed (ait jam s. Thomas[10]) «tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum turpior est origo», id quod e. g. valet quoad adulterinos. Causae, quae pro hujusmodi dispensatione militant, nominatim sunt: evidens ecclesiae utilitas et boni mores oratoris. Eadem haec irregularitas (juxta alibi dicta) etiam per professionem religiosam aufertur. Sed notandum est, tum professionem religiosam, tum dispensationem per se solummodo vim habere ad suscipiendos ordines, minime vero etiam ad obtinendas dignitates et praelaturas. Imo in rescriptis Apostolicis communiter etiam beneficia curata excipiuntur, pro quibus obtinendis dispensatus nova s. Sedis dispensatione indiget.

natalium.

Ex *facultate speciali* episcopi in Germania et in Austria solummodo possunt dispensare «super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.» (Facult. Quinquenn. n. 13.)

Denique ob delicta *ante baptismum* commissa nulla attrahitur irregularitas, sola bigamia (juxta aliquos) excepta.[11])

§ 68. De titulo ordinationis.

Notio tituli.

1. Vox tituli,[1]) quae proprie inscriptionem vel etiam signum alicui dominium certae rei addicens[2]) denotat, jam pridem ad

[8]) Cfr. ibi Excommunicationes speciatim Papae reserv. n. I. III. et vers. fin. s. voce «Firmam.» — Possunt autem dispensare vi facultatum triennalium. (n. III.)

[9]) Acta I. p. 90. Cfr. ibid. III. p. 529. Generatim haud facile, super defectibus corporis dispensari ex illis exemplis elucet, quae exstant apud *Richter,* ad: Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 6. Difficilius tamen clericum promovendum, quam sacerdotem jam promotum dispensari s. C. C. semper tenuit. Ibid. n. 12.

[10]) in 4. sent. dist. 25. qu. 2. art. 2. quaest. 3.

[11]) Ferrar. l. c. n. 2. Sed irregularitas ex bigamia per subsequens baptisma abstergitur.

[1]) Vid. *Calepini* Dictionar.; *Ducangii* glossarium. s. v. Titulus; Psalm. 56, 1.

[2]) Sic signa illa distinctiva seu tabulae in jure Rom. *tituli* vocantur, quae ab Imperatoribus bonis vacantibus et fisco incorporatis imponi sunt praecepta. Cod. l. 3. Lib. 10. tit. 10; l. 8. § 5. Lib. 10. tit. 10. — *Philipps,* K.-R. § 57.

Christianorum templa traducta est, vel quia nomine exstructoris aut s. martyris insignita erant, vel quia erant monumenta publica Deo et divino cultui sacrata.[3]) Cum titulo ordinari tunc temporis perinde erat, ac certae ecclesiae, seu (post saeculum V.) cuidam beneficio, perpetuo adscribi. Quia vero cum tali intitulatione jus congruam sustentationem ex eadem ecclesia vel beneficio percipiendi conjunctum erat, cum titulo ordinari idem erat, ac ordinari cum cautione sustentationis congruae; et haec *cautio pro susceptione ordinum praescripta* titulus ordinationis nuncupatur.

2. Titulus ordinationis nullo non tempore plane necessarius existimabatur, ne (ut dicit Concil. Trident.) «qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum quaestum exercere cogantur.» (Sess. 21. c. 2. de ref.) Primis ecclesiae saeculis nemo ordinari permissus est, nisi *determinato* aliquo officio seu beneficio futurae ipsius sustentationi provisum esset, prout inter alia ex Concilio Chalcedonensi (can. 6) compertum habemus.[4]) Tunc temporis nemo ordinari aut clericus esse poterat, nisi intuitu ecclesiae, cujus servitio perpetuo sic ferme erat adstrictus, quemadmodum nec ordinatur episcopus, nisi cum respectu ad ecclesiam, cui praesideat. Itaque titulus ecclesiae seu beneficii tunc fere unicus erat; postmodum vero praeter titulum religiosae professionis etiam alii tituli ordinationis pedetentim sunt admissi, ac propterea leges, quibus olim absoluta ordinatio prohibita erat, passim neglectae. Idcirco, cum multi clerici sine titulo ordinati in maximum ecclesiae dedecus incertis sedibus vagarentur (clerici vagi aut acephali inde dicti), Concil. Lateran. III. sub Alexandro III. celebratum decrevit: *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia clericalis militiae assignet, nisi talis forte ordinatus de sua vel paterna haereditate subsidium vitae habere possit.*[5]) Innocentius III. hasce sanctiones innovavit, imo etiam pro ordinibus diaconatu inferioribus titulum praescripsit,[6]) quae tamen sanctio nonnisi ratione subdiaconatus in effectum deducta est. Idque haud parum contulit, ut exin subdiaconatus ordinibus majoribus adnumeratus sit.

Disciplina vetus.

---

[3]) Gen. 28, 18. 22.

[4]) Canon hic, qui a Gratiano c. 1. D. 70. minus correcte refertur, ita sonat: «Nullum absolute ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiae civitatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii, qui ordinandus est pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit s. synodus, irritam haberi hujusmodi manus impositionem et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.» Erat videlicet sic ordinatus perpetuo suspensus.

[5]) c. 4. X. (III. 5).

[6]) c. 16. X. de praeb. et c. 23. X. (III. 5).

Caeterum ultima verba supra allegati canonis Lateranensis, quibus titulus patrimonii admitti videbatur, successu temporis tam late intelligi coeperunt, ut opinio percrebesceret, quoslibet ad titulum patrimonii ordinari posse, sicque ordinationes absolutae cum haud levi ecclesiae detrimento passim invaluerint.[7])

Disciplina vigens.

3. Vigens desuper ecclesiae disciplina potissimum ex Concil. Trident.,[8]) adhibitis simul s. C. C. declarationibus,[9]) sed ratione habita ad Const. «Apost. Sedis» desumitur. Nimirum Patres Trident. quemlibet cum titulo ordinibus initiari decreverunt, *antiquorum canonum poenas super his innovando.* Poenae antiqui juris, quae erant potissimum censurae cum quibusdam aliis, tum ad ordinantes tum ad ordinatos pertinebant. Sed post Constit. «Apost. Sedis» *censurae* contra ordinantes sine debito titulo *ex parte*, contra ordinatos vero *omnes* probabilius pro abrogatis haberi debent. Dicitur enim ibi: *Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.*[10]) Ex quo patet: *a)* Remanere antiquam juris dispositionem, vi cujus ordinatori ex sua culpa vel negligentia aliquem sine titulo ad ordines promoventi onus incumbit, subministrandi alimenta taliter ordinato.[11]) *b)* Occurrente pacto, quod ordinatus super alimentatione sua non inquietet ordinantem, suspensionem a collatione ordinum per triennium etiamnum incurrit ordinator, sed suspensio olim in ordinatum decreta, ab hoc non amplius incurritur. *c)* Cessavit etiam suspensio illorum, qui cum ficto titulo, e. gr. conficto patrimonio episcopum decipiendo scienter ad ordines promoti fuerint.[12]) Sed tales alimenta ab episcopo decepto petere non possunt. Quod etiam obtinet, quando ordinandus concessori tituli spondet, se non petiturum portionem vi tituli concessam sibi debitam.

---

[7]) Epist. Cardin. Bellarmini ap. Rigant. in reg. Cancell. 24. n. 113. — Dr. *Jul. Meyer:* Ursprung und Entwicklung des Tischtitels nach gemeinem und baier. Rechte. In *Moy* Archiv III. p. 257 seq.

[8]) Sess. XXI. de reform. c. 2.

[9]) *Richter,* p. 112, cfr. Bened. XIV. Instit. 26. — *Engel,* colleg. juris can. I. tit. 14.

[10]) Const. «Apost. Sedis» inter «suspensiones summo Pontifici reservat.» Nro. II. — Cfr. c. 45. X. de simon. (V. 3), ubi suspensio fertur tum in ordinantem tum in ordinatum. Sed haec dispositio per Const. «Apost. Sedis» ex parte tantum est innovata; incurrunt enim hanc suspensionem solum ordinantes. *Avanzini,* l. c. p. 124.

[11]) Vid. annot. 5. — c. 16. X. de praeb. (III. 5).

[12]) Ratio est, quia ejusmodi suspensio neque in Const. «Apost. Sedis» innovatur, neque a Conc. Trid. infligitur. Constans enim regula est, quod dicta constitutio, dum renovat censuras Tridentinas, valde probabiliter non renovavit censuras Tridentinas *indirecte* tantum inflictas, sed eas solas, quas Trid. concilium directe inflixit. *Avanzini,* l. c. p. 155 seq.

Sunt vero tres tituli a Concil. Trident. commemorati, quorum primus verus et praeceptus est, reliqui autem duo nonnisi per viam dispensationis admittuntur. Scilicet:

a) Titulus *beneficii,* qui in eo consistit, ut ordinandus beneficium ecclesiasticum proprie tale, quod sibi juxta taxam synodalem vel regionis morem ad victum sufficiat, pacifice possideat. «Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit.»[13]) Titulus beneficii,

b) Titulus *patrimonii,* si ordinandus patrimonium habet, aut ab aliis ipsi constituitur, et quidem ex bonis certis, stabilibus et immobilibus vel talibus, quae immobilibus aequiparantur. patrimonii,

c) Titulus *pensionis,* si quis ex proventibus ecclesiae alicujus aut aliunde e. gr. ex titulo laicali perpetuam eamque sufficientem pensionem percipiat. pensionis,

Hosce duos titulos Concilium Trident. ad sequentes limites reduxit: «Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum,[14]) eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab iis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandum satis sint, atque illa deinceps sine licentia episcopi alienari aut exstingui aut remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.»[15])

d) Praeter hunc triplicem titulum a Tridentino expresse admissum hodiedum etiam titulus *religionis* seu titulus *mensae com-* religionis,

---

[13]) Conc. Trid. l. c. S. C. C. declaravit: (I.) Ordinatus ad titulum beneficii in illius resignatione individualiter debet exprimere, se ad ejus titulum fuisse ordinatum. (II.) Nec sufficit exprimere: *forsitan* ordinatus. (III.) Constare debet per probationes concludentes, resignantem habere, quo commode vivere possit; (IV.) quae probatio plena esse non censetur per solam resignantis juratam confessionem. (V.) Resignans vero tenetur aliud beneficium obtentum vel alia bona subrogare beneficio resignato, (VI.) et haec subrogatio facienda est per episcopi sententiam declaratoriam. Lancianen. 9. Febr. 1726.

[14]) l. c. Necessitas tunc adesse censetur, quando ecclesia ministris indiget, nec alii reperiuntur, qui possint ordinari cum titulo beneficii; commoditas vero, quando ecclesia indiget quidem ministris, sed non desunt alii, qui possent ordinari. Sicque necessitas ecclesiae restringitur ad puram ejus indigentiam, commoditas vero ad pinguius ejus servitium. Ferrar. sub voce «patrimonium.» Rigant l. c. n. 115.

[15]) Ut talis pensio vel patrimonium alienari queat, semper licentia episcopi requiritur, et necessario exprimi debet, quod clericus ad illius titulum ordinatus sit. Quin etiam quando talis beneficium obtinuit, vel bona ad commodam sustentationem acquisivit, expressa subrogatio bonorum seu beneficii assecuti, loco patrimonii, ab episcopo facienda est. Ita declaravit s. C. C. ap. Richter l. c. n. 21. 22. 29. Cfr. Acta IV. p. 210.

munis agnoscitur in ordine ad suos alendos sufficienter instructo,
paupertatis, necnon titulus *paupertatis* in ordine mendicantium. Sed ad istos regularium titulos nonnisi *solemniter professi* ordinibus initiari possunt. Hinc clerici in quacunque Congregatione viventes, in qua non emittuntur vota solemnia, quoad hunc respectum aequiparantur religiosis nondum professis, omnesque, ut ad ordines majores ascendere valeant, egent titulo vel beneficii vel patrimonii ac pensionis.[16]) Hic notari debet sequens dispositio ex Constit. Pii IX.: «Suspensionem *(Papae reservatam)* per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua *congregatione* viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo» (n. IV). Praeterea exceptionaliter et per modum privilegii clerici saeculares ad alios quoque titulos ordinari possunt, prout e. gr. alumni seminarii
missionis, Pragensis ad titulum *missionis* promoventur,[17]) aeque ac discipuli Collegii de Propaganda fide.[18]) Quinimo etiam ordinari sine titulo
servitii ecclesiae. vel patrimonii vel beneficii, seu rectius loquendo, cum solo titulo *servitii ecclesiae* nonnullis dioecesibus vel collegiis a Sede Apostolica concessum est.[19])

Titulus mensae. *e)* A titulis Concilii Trident. in pluribus differt titulus *mensae* ex consuetudine introductus et hodie usitatissimus. Is est cautio legitima sustentationis competentis clerico tunc praestandae, quando ad obeunda sacra munera inhabilis factus fuerit. Haec sustentatio vel a monasterio, vel a communitate civili, vel ab hominibus privatis, vel a principe *(titulus principis)* sponderi potest. Hujusmodi titulus in Germania potissimum invaluit, quia in parochiis praesertim amplioribus opus est pluribus clericis cooperatoribus, neque beneficia adeo frequentia existunt, ad quae iidem possent ordinari. Porro cum titulus et patrimonii et pensionis raro praesto essent, episcopi Germaniae ob sacerdotum penuriam a praescriptionibus

---

[16]) S. Pius V. Constit. «Romanus Pontifex» (a. 1568). Illi tamen qui in Societate Jesu ter vota simplicia emiserunt, ad quoscumque ordines promoveri possunt. Constit. Gregor. XIV. «Ecclesia cath.» 28. Jun. 1591. § 16. Vid. § 137. 2. a. Alias exceptiones pro meris congregationibus refert *De Angelis* I. 235.

[17]) Urban. VIII. 13. Mart. 1640.

[18]) Hi aluntur Vicariatus Apostolici sumptibus, pro quo ordinantur et ubi jurant se ministerium exercituros. Urban. VIII. ddo. 18. Maj. 1638.

[19]) Tale indultum obtinuerunt: ecclesia metropolitana Florentina, Patriarcha Venetus, collegium Graecorum de Urbe, collegium Anglicum in Urbe, collegia in Germania superiore a Gregorio XIII. instituta etc. Moy Archiv. III. p. 271. Richter l. c. n. 33. — In Gallia et Belgio clerici passim sine titulo vel cum titulo minus sufficiente ordinantur, quia in iis regionibus perpauca exstant beneficia perpetua, et frequenter titulus patrimonii quoque et pensionis non habetur Acta IV. 554.

Concilii Trident. eatenus deflectere coacti sunt, ut eos ab ordinibus non arcerent, qui titulum mensae, licet tenuem et compluribus restrictionibus et conditionibus limitatum, exhibuissent.[20]) Differentia autem tituli canonici ordinationis a titulo mensae in eo posita est, ut *ille* in praesenti securitatem victus praestet, *hic* vero ad solum casum inhabilitatis, velut senii aut aegritudinis, restringatur, proindeque ordines intuitu promissionis in futuro demum implendae conferantur. Imo in nonnullis regionibus, e. gr. in nostro Imperio, ob eam dumtaxat inhabilitatem, quae *citra culpam* accidit, jus percipiendi promissam pensionem obtinetur. Itaque titulus mensae nonnisi *jus subsidiarum* confert, propterea, quod unice restringitur ad aetatem clerici decrepitam et ad casum aegritudinis, omni autem effectu caret, quoties clericus junior et sanus in angustias paupertatis conjicitur. Quapropter iste titulus, cum per ipsum non satis cautum sit sacerdotum mendicitati, legi ecclesiasticae non prorsus convenit. Nihilominus exigente necessitate toleratur, illiusque admissio ideo excusari potest, quia promoti cum illo statim post ordinationem ad certa servitia sustentationem praebentia in nostra Germania deputari solent, ita, ut ii, quamdiu habiles sunt, ad titulum servitii ecclesiarum ordinati esse videantur.

Titulus mensae ex fundo religionis in Austria.

In Imperio Austriaco omnibus clericis saecularibus titulus mensae ex fundo religionis certis sub conditionibus impertitur.[21]) Est autem ea hujusce tituli indoles, ut ordinandis ad commendationem episcopi pensio certa ex fundo religionis provinciae respectivae a regimine ejusdem provinciae pro casu futurae inhabilitatis assignetur. Sed restricta est haec pensio ad solos initiatos presbyteratu,[22]) et citra suam culpam inhabiles effectos.[23])

---

[20]) Titulus mensae, ut ad liquidum probat Dr. Jul. Meyer (Moy Archiv. III. p. 264 seq.) ex titulo patrimonii et pensionis originem traxit. Nam loco patrimonii primum pensio super re frugifera assignabatur (stipendium a laico assignatum), a clerico post ordinationem percipienda. Paulatim eo res devenit, ut concessores tituli nonnisi sub conditione onus alimentandi titulatum in se susciperent, quodsi nempe is se honeste sustentare nequiverit.

[21]) Decret. cancell. aul. ddo. 7. Jan. 1792. — Per Hungariam ad titulum dioeceseos *(Cherrier:* Enchirid. jur. eccl. II. p. 14), in ecclesia metropol. Salisburg. ad titulum seminarii illius *(Schöpf.* III. p. 320) ordines conferuntur.

[22]) Hinc si quis subdiaconus vel diaconus infirmitatem contraheret, titulo prorsus careret!

[23]) Illis qui in poenam delicti ab officio amoti sunt, si se ex propriis sustentare nequeant, summa nonnisi 20 crucifer. M. C. indies assignatur. 6. Nov. 1804. — Ex decr. cancell. aul. 25. Oct. 1838 beneficium a familia fundatum retineri potest a deficiente, absque omni diminutione summae a fundo religionis percipiendae. *Wörz:* «Der Tischtitel für Weltpriester in Tirol und Vorarlberg.» Innsbruck 1864. p. 39.

Insuper superveniens inhabilitas esse debet *completa* et *perpetua* ex medici testimonio.[24])

α) Ut quis ad hunc titulum ordinari possit, seu ut *jus ad rem* accipiat, requiritur, ut mox et sine mora ad ordinem presbyteratus promoveatur, et quidem post cursum theologicum cum debito progressu absolutum, insuper vero, ut talis omni ex parte ad curam animarum idoneus agnoscatur. Episcopi monentur, ne eum ad ordines majores admittant, quem diuturna debilitate aut defectu corporis functiones in cura animarum impediente laborare cognoscunt. Eadem de causa episcopus, cum ordinandos ad titulum mensae pro iis obtinendum regimini provinciae indicat, adjectis testimoniis eorum tum sanitatem tum nuper etiam bonum progressum in studiis tam gymnasii[25]) quam theologiae contestari debet.

β) Ad obtinendum *jus in re,* seu ad percipiendam dictam pensionem pro casu inhabilitatis, petitores literas supplices cum testimonio *infirmitatis* seu *inhabilitatis* mediante Ordinariatu ad regimen provinciae dirigant necesse est. De *infirmitate* medicus praeturae vel districtus (Gerichts- oder Bezirksarzt) fidem facere debet. Praeterea contestandum, petitorem statim post susceptum presbyteratum aut in cura animarum laborasse, aut munere professoris vel magistri functum esse moresque integros exhibuisse. Die 16. Maj. 1877 a ministro pro cultu praescriptum est, ut qualitates petitoris describantur in tabula peculiari, quae partim ab ipso partim ab Ordinariatu complenda est.

Privati quoque titulum mensae conferre possunt,[26]) sed cavetur, ne provisorie id fiat.[27]) Verum ratione *effectus* titulus privatus a titulo ex fundo religionis in eo differt, quod prior beneficio *definitive* obtento semper exspirat ejusque auctor ab omni onere liberatur. At vero titulus ex fundo religionis etiam post acceptum beneficium neque semper neque omnino exspirat; qua in re haec differentia notanda est. Videlicet beneficiati (i. e. qui vulgo sic

---

[24]) Decret. 1792, 1785 et 1788 apud *Wörz* l. c. p. 28 seq. Sacerdotes non penitus et ad tempus inhabiles aut suppleri per alios sacerdotes aut in locum minus laboriosum transferri jubentur. Sed quid cum iis, qui ex integro quidem, sed tamen non perpetuo deficiunt? De his quidem lex nihil statuit; sed tum spiritus legis tum praeceptum humanitatis, tum denique praxis hactenus usitata urget, ut isti miseri non relinquantur sine subsidio. Wörz l. c. p. 58. 59.

[25]) Vi ordinationis provisoriae c. r. ministerii ddo. 2. Jun. 1872 omnes adspirantes ad titulum ex fundo religionis saltem testimonia utriusque Semestris VIII. Cursus a *publico* aliquo Gymnasio percepta exhibere debent.

[26]) Decret. aulic. 27. Dec. 1810.

[27]) Decret. aulic. 23. Dec. 1817.

appellantur) in casu etiam infirmitatis in suo beneficio permanere ex eoque sustentari debent. Verum capellani locales et qui apud nos curati dicuntur, quando prorsus invalidi effecti sunt, beneficio suo resignare possunt ac debent, assignata eisdem pensione ex fundo religionis. Parochi autem senii vel debilitatis causa inviti a beneficio amoveri non possunt, sed eisdem, si ad munia parochialia inhabiles sint, provisor seu administrator adjungendus est, qui dimidia redituum parte fruatur, ita tamen, ut congrua a lege statuta parocho integra semper permaneat. Si beneficium parochiale, praeter congruam parocho competentem, non sufficiat pro alendo administratore, ex fundo religionis ea quae desunt suppeditantur. Pensio vi novae legis provisoriae[28]) a deficientibus percipienda varia est tum pro parochis tum pro subsidiariis et respondens annis servitii in ecclesia praestiti, nec non (quoad animarum curatores jurisdictionem ordinariam exercentes) fructibus beneficii ab eis possessi proportionata.

§ 69. De adjunctis ordinationis.

Sanctiones canonicae circa ipsam s. ordinationem versantes tum praeparationem ordinandorum proximam, tum eorundem scrutinia, tum denique tempus et locum ordinationis respiciunt.

S. exercitia ordinibus praemittenda.

1. Ut suscepturi sive subdiaconatum sive presbyteratum puriori mente ardentiorique animi voluntate ad rem tanti momenti accederent, s. Carolus Borrom. in IV. concilio provinciali sacra exercitia per mensem vel longius breviusve tempus ex episcopi consilio continuanda praescripsit. Alexander VII. a. 1662 ordinandis Romae et in 6 episcopatibus suburbicariis praecepit, ut hujusmodi exercitationibus antea decem dies impenderent. Et haec quidem lex ab Innocentio XI. (1682) ad totam Italiam insulasque adjacentes extensa, et in aliis etiam locis haec disciplina spiritualium exercitiorum invecta et consuetudine penitus firmata est. Eorundem duratio vel a conciliis provincialibus vel a legibus dioecesanis determinatur.[1])

---

[28]) Lex dotationem cleri catholici concernens d. 19. Apr. 1885 (R.-G.-Bl. No. 47) nec non ordinatio ministri pro cultu d. 2. Jul. 1885 de executione legis istius. — Leges antiquiores circa hanc rem continentur in Tirol. Prov. Gesetzsamml. t. 5. p. 59; t. 10. p. 155; t. 15. p 37; t. 21. p. 257.

[1]) Cfr. *Bened. XIV.* Instit. 104. *Lucidi*, de Visit. ss. Liminum P. I. vol. I. p. 463, ubi hic auctor advertit, quod s. C. C. in suis responsionibus ad cunctos orbis catholici episcopos eandem tenendam praxim nunquam inculcare omisit. Juxta Const. «Apost. Sollicitudo» pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis per 10 dies ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus vacare debent sub suspensione incurrenda tum ab ordinante, tum ab ordinatis. Const. «Apost. Sedis» de suspens. in fine.

Triplex scrutinium.

2. Ad tramites mandati Apostolici (I. Tim. 5, 22.): *Manus cito nemini imposueris,* antiquissimis ecclesiae legibus[2]) inducta sunt ordinandorum scrutinia,[3]) ad obtinendas de ipsorum statu, vita et moribus sufficientes informationes. Concilium Trident. hasce leges confirmans, bina examina praemitti jussit, quibus ex usu antiquo tertium in ipsa ordinatione accedit. Scilicet:

a) Uno mense ante ordinationem nomina assumendorum ad majores ordines a parocho publice in ecclesia denuntianda sunt, ut tum ex hac denuntiatione tum ex informatione aliunde percepta de eorum qualitatibus et moribus testimonia obtineantur ad episcopum transmittenda.[4]) Hoc tamen decretum non ubique in Germania usus recepit,[5]) et ejusmodi defectus testimoniis professorum et superiorum seminarii clericalis suppleri creditur.

b) Alterum scrutinium est, quo episcopo secundum antiquorum canonum[6]) et Tridentini[7]) statuta incumbit, ut omnes ordinandi feria IV. ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad curiam episcopalem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus aliisque peritis viris sibi adjunctis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem i. e. titulum juxta Gloss.), mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. Sed neque isthoc scrutinium in hac forma apud nos peragitur, nisi relate ad examen *doctrinae.* Hoc instituit episcopus proprius, sive per se ordinet sive literas dimissorias concedat.[8])

---

[2]) C. 2. D. 24. Conc. Carthag. III.: Nullus ordinetur clericus, nisi probatus fuerit vel episcoporum examine, vel populi testimonio. Cfr. 4. D. 81. (Conc. Nicaen.)

[3]) X. de scrutinio in ordine faciendo (I. 12).

[4]) Conc. Trid. Sess. 23. de reform. c. 5.

[5]) In provincia Pragensi isthaec proclamatio in omnibus ecclesiis parochialibus fieri solet. Ginzel II. p. 60. n. 3. — In quibusdam locis hic mos nuper introductus est. «Expediret tam salubrem constitutionem observare», ait Engel ad h. tit.

[6]) C. 5. D. 24. (Conc. Nannetense a. 890).

[7]) Sess. XXIII. de ref. c. 7., ubi sanctiones citati Concilii Nannet. vix non ad verbum referuntur.

[8]) Debet tamen nonnunquam clerici examen doctrinae institui etiam quoad alienos: 1. quoad saeculares, qui a s. Sede facultatem habent promoveri se faciendi a quocunque episcopo; 2. quoad regulares (Conc. Trid. Sess. 23. c. 12. de ref. *Petra* I. 202. n. 44.) nisi privilegium habeant post Conc. Trid. obtentum, velut clerici Societatis Jesu (Const. Gregor. XIII. 22. Sept. 1582 et Pauli V. 5. Sept. 1606); sed quoad regulares episcopus nihil aliud inquirere debet, nisi doctrinam, cum in reliquis requisitis e. g. aetatis etc. attestationi regularium superiorum stare debeat. *Petra* I. 201. n. 42.; 3. saeculares vero ab alio episcopo ad ordines dimissi, examinari ab ordinante, si voluerit, *possunt* sed non debent (supra § 63 in fin. s. Congr. 16. Jan. 1595. *De Angelis* l. c. p. 242. 243.

c) Tertium denique scrutinium illud est, quando episcopus in actu ordinationis quaerit, utrum praesentes digni sint, qui ad ordinem assumantur, et archidiaconus, qui ordinandos episcopo praesentat, huic quaestioni respondet: «Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor, ipsos dignos esse ad hujus officii onus.»[9])

Tempora ordinationum.

3. Quoad *tempus* ordinationis duplex quaestio exoritur: *a)* cuinam tempori, vel quibus diebus ordinatio sit adstricta? *b)* quale temporis spatium inter singulos ordines interjacere oporteat?

Ad *a).* Distinguendum est, quid lege universali et ordinarie circa hoc statutum sit, et quid episcopi extra ordinem vi facultatum quinquennalium valeant. Ex lege communi et ordinarie pro suscipienda prima tonsura quaevis anni dies et hora apta declaratur, pro minoribus vero recipiendis assignatur tempus matutinum cujuslibet diei dominici et festivi seu festi, quod etiam in foro a populo celebratur.[10]) Pro ordinibus majoribus semper inter Missarum solemnia conferendis, determinata sunt sex sabbata, scil. sabbata quatuor Temporum, item sabbatum Passionis et sabbatum sanctum.[11]) Attamen (ut nihil dicam de indultis *extra tempora* nuncupatis, quae a Papa impertiri solent) episcopis Germaniae et Austriae vigore quinquennalium (in Append. n. 12.) etiam extra tempora lege statuta ordines conferre fas est, ita tamen, ut usus talis indulti diebus dominicis et festis adstrictus sit.[12]) Episcopi diebus dominicis aut in Apostolorum natalitiis ordinari possunt, imo cum venia Pontificis aliis quoque diebus festivis.

Ordinatio *extra tempora* poenis in jure statutis subjacet;[13]) sed *suspensio* in taliter ordinatos pronuntiata post Constitutionem «Apost. Sedis» non amplius habet locum.

---

[9]) C. un. X. de scrutin. in ord. faciendo (I. 12), — Pontif. rom. de Ordinat. diaconi et presbyteri.

[10]) Pontif. Rom.: *diebus festivis duplicibus.* Sub his festa fori intelligi oportere, pluries declaravit s. C. C. e. gr. in Brixien. 15. Jan. 1689 (v. Bened. XIV. Instit. 106), Tirasan. 11. Mai 1782 ap. Richter p. 186.

[11]) C. 7, D. 75; c. 3. X. (I. 11).

[12]) «An episcopus, cui datur facultas ordinandi extra tempora, possit conferre ordines majores festis Apostolorum et aliis festivis *abrogatis?* Et an etiam minores?» Resp. *Affirmative ad primum et affirmative ad secundum* sed *mane tantum.* S. C. Rit. 12. Nov. 1831. (Gardellini tom. VI. n. 4520. Consonant declarationes s. C. ap. Richter et Schulte edit. Conc. Trid. p. 186 et nuperrime in Marionapal. 18. Maj. 1883. Standum est hac stricta et constanti interpretatione s. C. C. nisi forte diuturna et legitima consuetudo usum contrarium invexerit, id quod ex eo facile contingere potuit, quod quinquennales indiscriminatim facultatem ordinandi tribuere videntur «extra tempora et non servatis interstitiis.» *Lehmkuhl* II. 605.

[13]) C. 2, 8. et 9. (in parte decisa) X. (I. 11). Const. Pii II. «Quum ex sacrorum.» Bullar. I. p. 365 ed. Luxemb.

Interstitia.

Ad *b)*. Ex eo, quod canones nonnisi illos ad ordines altiores admittunt, qui inferiores jam exercuerunt in iisque probati sunt, ultro consequitur, inter ordinem et ordinem certa intervalla seu interstitia servari oportere. Et quidem inter ordines minores in nostris regionibus plerumque nulla servantur interstitia. At inter minores et subdiaconatum, item hunc inter altioresque singulos ordines, annus ecclesiasticus (computando e. gr. a Paschate ad Pascha) intermedius sit oportet.[14]) Possunt vero episcopi ex rationibus, nimirum si videant id exigi ex utilitate vel necessitate ecclesiae, super interstitiis dispensare,[15]) et maxime super interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum. Minus tamen conveniens est, tempus inter minores et subdiaconatum nimis contrahere. Hinc reprobanda est consuetudo in aliquibus locis practicata, ut quatuor minores et subdiaconatus eadem die conferantur.[16]) Porro eadem die duos ordines majores conferre aut suscipere severe interdicitur.[17]) Denique serie praescripta ordines sibi succedere debent, prohibeturque severe *per saltum* ordinari i. e. unum pluresve accipere ordines, omisso medio seu inferiore aut etiam prima tonsura.[18]) Caeterum in tali casu, licet valida habeatur ordinatio (excepto tamen si quis praetermisso presbyteratu in episcopum ordinatus esset),[19]) ordo praetermissus suppleri debet.

Locus.

4. *Locus* ordinationis sit *proprius,* seu in dioecesi ordinatoris positus eique subjectus; *sacer,* seu ecclesia consecrata vel benedicta, saltem pro ordinibus majoribus, minores enim etiam in oratorio, et prima tonsura in quovis loco conferri possunt; *publicus* et omnibus accessibilis, et si agatur de majoribus, quantum fieri potest, ecclesia cathedralis, vocatis praesentibusque ecclesiae cano-

---

[14]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. c. 11.

[15]) Conc. Trid. l. c. c. 13. 14. et facultat. quinquenn. n. 12. Regulares et subditi inferiorum praelatorum dispensari super interstitiis debent ab episcopo, in cujus dioecesi monasterium ordinandorum situm est, sed attestari causas dispensandi pertinet ad superiores regularium. *De Angelis* I. p. 220.

[16]) *Engel* ad h. tit. n. 19. — Alii e. gr. *Schmalzgrueber* h. t. n. 15. *Kober* l. c. p. 209 hanc consuetudinem admittunt. Sed S. C. in hac re distinguit. Nam eadem quidem (cfr. *Fagnani* ad c. 3. X. [II. 11.]) consuetudinem localem respexit; in aliis tamen locis, ubi talis consuetudo non viguit, id reprehendit, ut in Boren. 29. Jan. et 7. Mai 1707 et d. 21. Febr. 1728 *De Angelis* I. p. 219.

[17]) Sed suspensio, olim in ordinantem et ordinatum statuta, per Bullam «Apost. Sedis» sublata est. — Graviter etiam prohibitum est, quominus eodem die ordines minores (sive omnes sive unus aut alter) simul cum subdiaconatu suscipiantur. Item nec vi privilegii licet tribus diebus succedentibus, etiamsi festivi sint, ordines recipere, imo nec duobus, saltem si privilegium est mere personale. *Lehmkuhl* l. c. n. 606.

[18]) Cfr. § 66. not. 29.

[19]) C. 10. de excessibus praelat. X. (V. 31): «Pontificale officium sine altaris ministerio non valet adimpleri.»

nicis, vel si ordinatio alibi celebretur, reliquis dignior, praesente clero loci.[20])

CAPUT II.

De effectibus ordinationis.

§ 70. I. De privilegiis, et in specie de immunitate clericorum.

Effectus ordinationis ad jus canonicum spectantes sunt tam certa *privilegia,* quam speciales *obligationes* ordinibus adnexae. Ad contestandam eorum dignitatem, qui militiae Christi sunt adscripti, insignia privilegia clericis ab ecclesia adjudicari contigit, etiam a principibus saecularibus confirmata, imo et novis concessionibus aucta. Attamen temporum injuria privilegia ab imperantibus clero impertita vix non penitus abrogata reperiuntur. Veniunt vero haec recensenda:

Privilegium canonis.

1. *Privilegium canonis* (olim *privilegium* et *excommunicatio canonis* dictum) nomen traxit a canone 15. Concilii Lateran. II. (1139) sub Innocentio II. celebrati, qui personas ecclesiasticas contra injurias reales inviolabiles reddere intendit hisce verbis: *„Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat et nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur et ejus mandatum suscipiat.“* [1]) Interpretatio hujusce canonis ad haec tria capita commode revocatur:

Quibusnam suffragetur hic canon.

a) Illi, in quorum *favorem* ea lex sancita est, sunt clerici, etiam ii, qui prima tonsura sunt initiati, et *monachi* seu utriusque sexus regulares adprobatorum ordinum, etiam fratres laici atque novitii. Excipiuntur tamen: 1. Omnes clerici actualiter degradati; [2]) 2. vi decretalis a Pio IX. (20. Sept. 1860) editae omnes illi clerici *in s. ordinibus non constituti,* qui ex eo, quod juxta praescriptum Concilii Tridentini (Sess. 23. c. 6. de ref.) [3]) habitum clericalem

---

[20]) Conc. Trid. l. c. c. 8.

[1]) C. 29. C. 17. qu. 4. Eadem fere ab eodem Innocentio II. statuta erant a. 1130 in Synodo *Claromont.* (Mansi tom. 21. p. 439) contra Catharorum, Henricianorum etc. sententias clero valde injuriosas; item in Synod. Rhemensi et Pisana (1135) contra Arnoldum Brixiens. Vid. Dr. *Hüffer:* Das Privilegium canonis. In Moy Archiv. III. p. 155.

[2]) C. 2. de poenis in VI. (V. 9).

[3]) Juxta hoc conc. decretum clericus non gaudet fori privilegio «nisi beneficium eccles. habeat, *aut* clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versetur.»

et tonsuram non deferant, privilegium fori amittunt. Hi omnes, sive coelibes sint, sive conjugati, *ipso jure et facto,* quin ulla admonitio aut judicis declaratio necessaria sit, amittunt etiam privilegium canonis et cetera privilegia suo ordini adnexa.[4])

Quibusnam poenam minetur.

b) Illi, in quorum *vindictam* iste canon poenalis constitutus est, sunt omnes, qui quavis actione externa corporali et injuriosa et mortaliter mala clericum vel monachum afficiunt, sive id fiat in ipsam personam sive in res personae adhaerentes e. gr. per violentam ereptionem rerum illi adhaerentium. Item illi, qui in talem actionem suadendo, mandando et quavis alia cooperatione efficaciter influunt, nisi congruo tempore mandatum revocatum esset.[5]) Excusatur vero percussio, quae fit α) inter clericos per jocum aut ludendo; β) vel a superioribus ecclesiasticis et magistris correctionis causa; γ) ad vim a clerico illatam vi in *continenti* h. e. primo impetu repellendam; δ) ex ignorantia, si quis ignoret, percussum esse clericum; ε) qua quis in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas; ζ) impuberes; si tamen ob gravem malitiam excommunicationem incurrerunt, ab episcopo absolvi possunt.[6])

Quaenam sit haec poena.

c) Poena in clericorum percussores decreta est excommunicatio latae sententiae, quae duplicem effectum importat. *Alter* est, ut percussor clerici ipso facto sit excommunicatus, et quidem (juxta Bullam «Ad evitanda») *vitandus,* si tum factum percussionis notorium sit, tum *de gravi culpa* percussionis plene constet. Ut vero *plene constet,* crimen percussionis tum *notorium* tum inexcusabile et proinde reum ab aliis vitandum esse, *plerumque* judex ecclesiasticus percussorem citare et, factum notorium esse, declarare debet.[7]) *Alter* effectus, in ipso canone expressus, in eo consistit, ut hac excommunicatione innodatos ad absolutionis bene-

---

[4]) Cfr. Acta III. p. 433, ubi haec decretalis ad verbum refertur. Ibid. p. 443 et IV. p. 394. seq. — Juxta jus antiquius illi dumtaxat minoristae non deferentes habitum clericalem amittebant privilegium canonis: 1. qui erant conjugati (c. un. de cler. conj. in VI. [III. 2.]). Cfr. s. C. C. 3. Dec. 1718; 2. qui arma militaria assumta (c. 25. X. [V. 39.]), vel vitae genus prorsus saeculare (c. 45. l. c.), vel artem joculatoriam (c. un. in VI. [III, 1.]) non dimittebant; 3. qui enormibus delictis sese tradebant (c. 14. X. [V. 39]; c. 23. ibid.).

[5]) Pirhing. ad h. tit.

[6]) C. 1. 3. 4. 10. 24. X. de sent. excomm. (V. 39). Percussor ignorantiam praetendens, in dubio jurare debet, se revera statum clerici ignorasse.

[7]) *Kober,* Kirchenbann p. 260, ubi in Bulla Martini V., «Ad evitanda» is a fidelibus vitandus esse dicitur, «quem pro sacrilega manuum injectione in clericum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari . . . *licet denunciatus non fuerit.*» *Richter* ad Conc. Trid. Sess. XXV. c. 3. de ref. n. 6.

ficium obtinendum in persona Romam excurrere oporteat. Circa quod tamen notandum est, aliquando etiam episcopos ab hujusmodi casibus absolvere posse. Videlicet 1. *de jure* absolvunt *α*) a percussione levi, etiam publica; *β*) a percussione occulta etiam gravi;[8]) *γ*) omnes impeditos adire Romam, cujusmodi sunt (juxta s. Alphonsum): regulares, senes, pauperes (exceptis vagis), mulieres, obstricti cura alendae familiae vel publico officio, quod non possit relinqui sine publico detrimento, valetudinarii, et quicunque iter suscipere nequeant sine gravi damno spirituali vel temporali suo aut suorum.[9]) 2. Vi facultatum triennalium pro foro conscientiae absolvere ab hujusmodi casibus possunt, «dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint.»[10])

Haec omnia confirmantur in Const. «Apost. Sedis», in qua (n. II.) clericorum et monachorum percussio excommunicationi Papae simpliciter reservatae subjacere declaratur. Sed nihil novi in hac re per hanc Constitutionem inducitur, ideoque ejusdem articulus huc respiciens interpretandus est juxta canonis Lateranensis, ex quo est desumtus, traditionem. (Avanzini l. c. p. 87.)

Privilegium competentiae.

2. *Privilegium seu beneficium competentiae* i. e. competentis sustentationis pro clerico *aere alieno gravato*. Nempe vi hujus privilegii[11]) clericis *obaeratis* a creditoribus bona ipsorum occupantibus nunquam non congrua sustentatio relinqui debet, ut nullatenus idcirco indigne tractari vel iis, quae ad victum necessaria sunt, privari possint.[12]) Excipitur tamen, si debita essent ex delicto vel luride vivendo, vel prohibitis lusibus, commessationibus etc. contracta, supposito nempe in tali dissipatione simul formalem dolum in fraudem legis intervenisse, eoquod e. gr. clericus confisus de hoc beneficio debita contraxerit. Insuper clericus obaeratus praestare debet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam venerit, simulque ad partialem saltem solutionem, ubi fieri potest, confestim tenetur.[13])

---

[8]) Ex c. «Liceat» 6. in Sess. XXIV. Conc Trid. de ref.

[9]) Theol. Mor. l. 7. n. 88. 92. Neque hi juxta eundem auctorem per epistolam a Pontifice expetere absolutionem tenentur l. c. n. 89.

[10]) Vid. in Append. facult. triennales n. I. — Cfr. s. Alphons l. c. n. 279. et generatim n. 264—280. — In cod. Austr. crimin. § 153 peculiares poenae indicuntur ob corporales lacsiones clericis aut in exercitio sui officii aut *propter* illud exercitium illatas. Item cod. crim. Borruss. § 192.

[11]) Privilegium hoc deduci solet ex cap. *Odoardus*. 3. X. (III. 23), sed ultima et propria juris ratio eadem plane illi subest, qua nititur titulus ordinationis, ut nempe clericorum mendicitas omni meliori modo praecaveatur.

[12]) S. C. C. 23. Jun. 1725. apud Ginzel, K.-R. II. p. 84. n. 1

[13]) Pirhing. I. III. tit. 23 § 4. Schmalzgrueber cod. § 3. Acta IV. p. 211.

Hoc privilegium lege quoque Austriaca confirmatur. Scilicet decreto cancell. aul.[14]) statuitur, ut bona beneficiaria quoad *substantiam* nullo prorsus modo retentioni judiciali subjaceant; quoad fructus vero beneficiato obaerato vi legis d. 21. Apr. 1882 semper summa 800 fl. intacta permanere debet. Si vero proventus annui sive ex praebenda, sive ex salario aliunde percipiendi, summam 800 fl. superent, tunc nonnisi tertia pars proventuum, dictam summam exsuperantium, a creditore occupari potest. Pensionis deficientium, ex fundo religionis percipiendae, tunc solum pars tertia retineri potest, si et quatenus deficiens annuos proventus percipiat, qui transcendunt summam 500 fl. Proventus stolae retineri non possunt, nisi quatenus ex praecepto legis in fassionem computandi veniunt.[15])

Privilegium immunitatis personalis.

3. *Privilegium immunitatis personalis,* quod tum *privilegium servitiorum,* tum *privilegium fori* comprehendit. Nimirum immunitas ecclesiastica *generatim* est illud privilegium, quo ecclesiae, personisque ac rebus ecclesiasticis singulares quaedam praerogativae conceduntur, cujusmodi sunt: jus asyli, vacatio clericorum a quibusdam servitiis et muneribus publicis, eorundem exemtio a foro laicali, immunitas bonorum ecclesiasticorum a solvendis tributis et vectigalibus. Est ergo immunitas alia personalis, quae personas, alia realis, quae res ecclesiasticas attingit. Dicenda sunt hic pauca *a)* de immunitate ecclesiastica generatim; *b)* de immunitate personali clericorum. De immunitate reali suo loco res nobis erit.

Immunitas eccles. est de jure divino,

a) Immunitas ecclesiastica non est mere privilegium a jure civili concessum, sed ex ipso jure divino derivatur. Propositio est contra eos, qui dicunt, immunitatem ecclesiasticam unice ex legibus civilibus ortum habere, ac propterea ab imperantibus pro eorum lubitu revocari posse, imo et revocari debere, eoquod ejusmodi indulta dignitati regnantium haud parum repugnent. Probatur propositio 1. *ex decisionibus ecclesiasticis.* Bonifacius VIII.: «Cum igitur, inquit, ecclesiae, ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum non solum jure humano sed et *divino* a saecularium personarum exactionibus sint immunes» etc.[16]) Concilium Lateranense V. (1512 sess. IX.) renovans leges favore immunitatis ecclesiasticae latas, pariter ad jus tum *divinum* tum humanum provocat. Haud minus Concilium Tridentinum declaravit, «ecclesiae et personarum

---

[14]) 8. Jul. 1791 et 13. Nov. 1835. — In regno Bavariae pars quinta, quarta vel tertia annui salarii clerico obaerato deduci potest, prout illud summam 500 fl., 1000 fl., aut majorem efficit. Cfr. leg. d. 17. Nov. 1837. In regno Borussiae hoc privil. clerici non gaudent, nisi sint publici officiales.

[15]) Quartal-Schrift, Linz 1883. p. 239; Wien. Dioec.-Bl. 1882. p. 261.

[16]) C. 4. Quamquam in VI. (III. 20).

ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione* et sanctionibus canonicis constitutam.»[17]) Denique Pius IX. hanc propositionem damnavit: «Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.»[18]) 2. *Ex rationibus intrinsecis* facile ostendi potest, immunitatem *saltem mediate*[19]) esse juris divini. Hoc enim est, si fundamentum habet in principiis divinis, adeo, ut necessario ex iis fluat. Atqui immunitas revera fluit ex principiis divinis, scilicet tum ex dignitate et excellentia ecclesiae statuique clericali *divinitus* concessa, tum ex *reverentia* Christi fidelium, ecclesiae et clero propter istam excellentiam semper exhibita. Enimvero immunitas non primo a legibus inducta est, sed a religione, sive a reverentia, qua Christi fideles in religionem ferebantur. Sensus enim religionis animis hominum impressus fecit, ut tum populi christiani tum eorum regnantes pro magna illa opinione, quam de ecclesia habebant, ultro insignes illas praerogativas addicerent, quae simul sumtae privilegium immunitatis efficiunt. Itaque immunitas naturali et divino jure affixa est ecclesiis, et antiquissimae, quae de ea sunt, leges tum ecclesiasticae tum civiles illam non tam constituerunt, quam jam consensu hominum vigentem confirmarunt. Ergo reapse saltem mediate ex jure divino descendit. saltem mediate.

Exinde sequitur, immunitatem ecclesiasticam pro lubito societatis civilis sine injuria de medio tolli haud posse. Ratio est, quia immunitas (sicut demonstratum est) ex ipso jure divino profecta est, et praeterea sive ex consuetudine sive vi Concordatorum in jus positivum ecclesiae evasit. Atqui jus ecclesiae divinum interpretari, eaque quae proxime cum jure divino cohaerent, quaeque insuper ad jus legitime quaesitum pertinent, immutare inconsulta vel dissentiente ecclesia non licet. Et sane: ecclesia ex causis gravibus haud abnuit ejusmodi privilegia plus minusve relaxare, id quod e. gr. ex Concordato Austriaco (Art. XIII. et XIV.) luculenter adparet. Quotiescunque enim vi religionis fideique languescente, inter gentes christianas contingit, ut hujusmodi privilegia, quae fundamentum habent in sensu religioso populique erga ecclesiam reverentia, invidiam hominum potius quam commoda pro

---

[17]) Sess. XXV. c. 20. de ref. — Cfr. insuper c. 13 Silvester c. 15. C. 11. qu. 1. et c. 11. D. 96.

[18]) Syll. n. 30. Cfr. Breve «Multiplices» 10. Junii 1851 contra assertiones Franc. Vigil sacerdotis Peruani.

[19]) Non constat inter doctores, utrum immunitas immediate, an mediate juris divini sit dicenda, id quod nullibi reperitur decisum. Nempe immediate juris divini esse dicitur, quidquid directe et expresse a Deo constitutum est; mediate vero juris divini illud est, quod quidem directe non est a Deo ordinatum, sed tamen necessario fluit ex rebus immediate a Deo ordinatis. Cfr. Stimmen aus Maria-Laach VII p. 70.

ecclesia inferant; *tunc* sedes Apostolica non rigide praedictis privilegiis insistere solet, sed tamen concedere non potest ut, prout libet, a sola potestate civili aboleantur.

Privilegium servitiorum.

b) Immunitas clericorum *personalis* constat *privilegio servitiorum* et *privilegio* fori. *a) Privilegium servitiorum* illud est, quo clerici et regulares eximuntur ab oneribus personalibus et a servitiis et officiis civilibus, quae statui clericali minus conveniunt. Quo spectant: Vacatio a militia, a jure metatus, a muneribus publicis curialibus et municipalibus, a muneribus sordidis et servilibus, ad quae medio aevo potissimum quaecunque angariae publicae pertinebant. Haec privilegia a primis jam christianis imperatoribus sunt concessa[20]) et ecclesiasticis quoque legibus stabilita.[21]) In specie ad nostra usque tempora clerici a servitiis militaribus praestandis ubique gentium liberi sunt declarati. Pius IX. sequentem propositionem damnavit: «Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.» Syll. 32.

Legibus Austriacis 1. intuitu servitii militaris non solum clerici minorum ordinum, sed et theologiae studiosi, imo et fratres laici et novitii adprobatorum ordinum vi Concordati[22]) privilegio satis liberali gavisi sunt. Sed lege militari d. 5. Dec. 1868 (§ 25) dura pro statu ecclesiastico statuta sunt, quae tamen durities mitigata est per legem novellam d. 2. Oct. 1882.[23]) — 2. Clerici eximuntur

---

[20]) Cod. Theodos. tit. de episc et cler.; item tit. de extraordin. sive sordid. muner.; l. 15. eod. tit. Cfr. Thomassin, Vet. et nova eccles. displ. Vot. 7. p. 257. seq. — Eadem sancita sunt in Capitularibus regum Francorum l. 7. c. 185 apud Baluze tom. 1.

[21]) C. 69. C. 12. qu. 2. (conc. Tolet. III. 589. c. 21. Hefele tom. 3. p. 49); c. 4. et 7. X. (III. 49).

[22]) Not. «Ecclesia» Docum. II. n. VII. in Append. et Lit. pat. d. 29. Sept. 1858. § 14.

[23]) Lege ista (§ 25) haec ferme sunt constituta: «Candidati status ecclesiastici cujuslibet ecclesiae et societatis religiosae a lege agnitae, si pro militari servitio idonei declarati tempore suae insertionis ad militiam (1. die Octobris) studia theologica jam inchoarunt, si ipsi supplicent, pro continuandis studiis theologicis, a militia dimittuntur. Sed postea sacerdotes effecti, respective ad curam animarum deputati, inscribuntur catalogo curatorum animarum militarium, ut qua tales, eveniente bello, prout id exigit eorum obligatio militaris, vel apud militiam ordinariam (etiam nauticam) vel apud militiam limitaneam seu subsidiariam (Landwehr) vel etiam in hospitalibus ad animarum curam applicentur. — Durante sacerdotum penuria praedictus favor etiam studiosis VII. et VIII. Cursus Gymnasii addicitur, si 1. inculpabiliter serius studia Gymnasialia inchoarunt; 2. si declarent, se clero adscribi

a tutelis et curatelis, nisi sponte id muneris suscipere velint; regulares vero ab his officiis prorsus excluduntur.[24]) Ab onere milites in domos suas recipiendi liberantur: 1 .Aedificia tum divino cultui dicata, tum curae infirmorum aliorumque indigentium destinata. 2. Monasteria monialium, virorum vero nonnisi illae aedificii partes, in quibus iidem habitant. 3. Tum animarum curatores, tum altioris gradus viri ecclesiastici confessionum receptarum, sed tantummodo quoad illa habitaculi spatia, quae ipsis stricte necessaria sunt sive ad inhabitandum sive ad functiones tum sacras tum

---

velle, respective si exhibeant testimonia, se ad studia theologica seu ad novitiatum esse receptos; 3. si postea reapse eos studia theologica absolvere, iisque absolutis ad ordines majores ascendere vel ad animarum curam deputari contigerit. — Pari privilegio gaudent illi voluntarii unius anni, qui conditionate (§ 24 hujus novellae) qua tales admissi sunt, quique vel usque ad illud tempus, quo definitive participes effecti sunt beneficii competentis voluntariis unius anni, jam theologiae studiosi sunt, vel eo tempore studia theologica aut novitiatum incipiunt. Sed hi bello erumpente, antequam haec studia inchoarunt, ad militiam obligantur. — Ii, qui studiis gymnasii valedicunt, aut ea culpabiliter retardant, vel qui non statim studia theologica aut novitiatum incipiunt, vel qui ante susceptos ordines majores a theologia discedunt, aut qua sacerdotes infra certum tempus ad curam animarum non applicantur, deinceps ad actuale servitium militare praestandum obligantur. Sed qui sacerdotes sunt, generatim durante eorum obligatione militari a servitio militari liberantur et in catalogum pastorum militiarum sunt inferendi. Denique quidam favores conceduntur tum illis, qui absoluta militia studia theologica vel incipiunt, vel continuant, tum iis voluntariis unius anni, qui theologiae student, sed supradicto privilegio vigore legis non fruuntur; Cfr. Reichsgesetzblatt 1882. n. 153; item ordinat. Ministerii pro defens. 1. Nov. 1882. ibid. n. 154.

In *Hungaria* lex a. 1868 sancivit, candidatos theologiae pro studiorum continuatione dimittendos, et ad sacerdotium promotos ceu capellanos militares deputandos esse. Sed 1. Jan. 1870 severior edita est ministerii ordinatio, quae statuit, clericos, sive studentes sive jam sacerdotes, inserendos esse militiae sed *tempore pacis* ab actuali servitio liberandos. Edicto ministri pro cultu 31. Mart. 1875 pronuntiatum est, eos qui *contra* legis sancita ad ordines majores admissi essent, ad militiam trahendos esse. (Archiv. tom. 23. p. 417; tom. 44. p. 149.) — In *Borussia*, resp. in *imperio Germanico* ex regula generali etiam clerici militiae subjiciuntur. Leviores, quae conceduntur exceptiones non obveniunt nisi illis, qui leges Maji a. 1873 observant, nec unquam a militia immunes evadunt theologiae studiosi, nisi anno vitae 23. absoluto. — In *Italia* omnes clerici, nisi pecunia redimantur, ad militiam trahuntur. — Lex in *Gallia* a. 1881 rogata solos saeculares ad curam animarum deputatos a militia sinit esse liberos.

[24]) C. C. A. §§ 195, 281, 192. Insuper animarum curatores inviti ceu testes in criminalibus citari non possunt. Strafprozess-Ordnung § 69. — In regno Borussiae clerici ad animarum curam deputati consanguineorum curatelas et tutelas suscipere tenentur, intuitu vero aliorum ab iisdem omnino excluduntur. Item in eodem regno Borussiae, nec non in regno Bavariae munere judicum ex turba selectorum (Geschworne) fungi non possunt. Idem pro Imperio Austr. statuitur lege d. 23. Maj. 1873. § 3.

officii sui peragendas.[25]) — 4. Lege antiquiore cautum fuit, ne sacerdotes curam animarum gerentes diebus dominicis et festivis sive a judicibus sive a magistratibus politicis ad judicium citentur, et in nota, quae incipit «Ecclesia» statuitur, «ut in expetendis testimoniis sacerdotum, quantum rei natura sinat, caveatur, ne persolvendis muneris sacri officiis impedimenta ponantur. Quodsi accidat, ut judex quidam indiscretius agat, episcopi Augustissimum adeant, qui curabit, ut negotium secundum Ipsius voluntatem et ad mentem legis pertractetur» (n. XIV).

β) *Privilegium fori* in eo consistit, ut omnes clerici (exceptis iis, qui juxta superius dicta [1. a] privilegio canonis privantur), quoad *omnes* causas, tum litigiosas tum criminales a foro et jurisdictione judicis laici eximantur. Hodie tamen hoc privilegium vix alicubi viget. — In Imperio Austriaco, quamdiu viguerunt leges Josephi II., clerici non solum quantum ad causas civiles, sed etiam quoad illa delicta, quae muneris sacris administrationem spectant, judiciis laicis suberant. In concordato ea quidem, quae natura sua (abstrahendo a privilegio) ad ecclesiam pertinent, eidem sunt reddita (art. XI.); at privilegium fori restitui haud contigit, sic connivente et annuente Sede Apostolica.[26]) (Art. XIII. XIV.)

§ 71. II. De obligationibus clericorum. I. Praecipua virtutis subsidia.

1. In C. J. C. prolixi tractatus occurrunt *de vita et honestate clericorum*,[1]) qui non sunt nisi uberiores expositiones doctrinae a s. Paulo in suis epistolis pastoralibus[2]) pro viris ecclesiasticis in specie destinatae. Concilium Trident. ad eandem materiam pariter in pluribus sessionibus excurrit.[3]) Harum autem praescriptionum fundamento ea omnia innituntur, quae serius in synodis tum provincialibus[4]) tum dioecesanis desuper saluberrime constituta sunt.

---

[25]) L. d. 11. Jun. 1879 (Reichsgesetzblatt St. XXXIV. n. 93). Stabula, horrea et similia rerum receptacula non sunt immunia ab hoc onere Cfr. decis. supremi tribun. pro administr. d. 2. Jul. 1877 No. 902 apud *Wolski* p. 57. Cfr. Not. «Ecclesia» n. XV.

[26]) «Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est etiam inconsulta et reclamante Apostolica sede.» Sent. damnata in Syll. n. 31. — Ceterum de hoc privilegio infra in Tractatu de jurisdictione (§ 213) sermo erit.

[1]) Dist. 23—50. in Decr. Grat.; lib. III. tit. 1. X. in VI. Clem, X. vag. commun.

[2]) I. Tim. 3, 1. seq. 4, 7. seq.; II. Tim. 3, 10; Tit. 1. 7—9.

[3]) Sess. XXII. c. 1; Sess. XIV. prooem. et c. 6; Sess. XXIII. c. 14; Sess. XXIV. c. 12; Sess. XXV. c. 1. (de reform.).

[4]) Concil. provinc. Viennense a. 1858. tit. V. de clericorum vita et progressu spirituali; Decreta et Acta Conc. provinciae Strigoniensis a. 1858. tit. VI; Acta et Decr. Conc. prov. Coloniensis a. 1860. P. II. tit. III. Conc. prov. Prag. 1860. tit. I. cap. 5—8.

Sunt vero hae leges duplicis tenoris. Multoties enim in jure canonico viris ecclesiasticis *generaliter* studium perfectionis clericalis gravissimis verbis et propositis efficacissimis motivis injungitur, praesertim vero provocantur, ut vitae suae integerrimae exemplo[5]) fideles ad virtutem excitent. At *in specie* quoque canones nunc vitia clericorum prohibent, nunc virtutes eorum statui consentaneas praescribunt, itemque negotia, quae non fert eorum dignitas, interdicunt, imo etiam conversationem externam ipsumque eorum vestitum certis regulis attemperant.

2. Igitur ea strictim exposituri, quae ad nostram disciplinam spectare videntur, praeprimis duo praecipua vitae clericalis subsidia indicabimus, quibus veluti duobus cardinibus omnis sacerdotum operatio moveri et sustentari debet.

Studium orationis et medit.

a. Cujuscumque gradus viri ecclesiastici a Conciliis serio admonentur, ut instent orationi atque meditationi,[6]) ut frequentiori sacramentali Confessione noxas suas eluant,[7]) necnon quotannis spiritualibus exercitiis vacent.[8]) Iidem vero, si ordinibus majoribus initiati sint, jam ex titulo suscepti Subdiaconatus stricte ad pensum canonicum in dies persolvendum obligantur. Illi vero novo titulo ad hoc adstringuntur, qui vel beneficium eccles. possident, vel religionem professi sunt. Et haec quidem obligatio, veteri traditione et immemorabili consuetudine clericis imposita,[9]) legibus etiam scriptis confirmata est.[10]) Omittentes divinum offi-

---

[5]) Concilium Trid. in Sess. ult. l. c. probae vitae exemplum vocat *perpetuum quoddam praedicandi genus*, et Sess. XXII. c. 1. de ref. sic habet: «Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Quum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.»

[6]) Concil. prov. Viennense dicit, meditationem esse fontem irriguum. qui in corde nostro ascendat oportet, ut fructus salutis ferat. pag. 141. — Synodus Brixin. (1603 et 1767) ait: «Omnes in Domino adhortamur, ut . . . quotidie piae meditationi aut spirituali lectioni ad minimum per semihoram vacare ac semel in anno sacris exercitiis fervorem ecclesiasticum resuscitare et augere connitantur.» tit. X. n. 3.

[7]) Synod. Brixin. ibid. n. 2.: Omnes et singuli saltem bis in mense sacramentaliter confiteantur, extraordinarie, quoties alias in peccato mortali celebraturi essent. Cui saluberrimae ordinationi, ut sacerdotes subjecti satis faciant, invigilent Decani.

[8]) Bened. XIV. Instit. 51. — Pius IX. in Encycl. ad episcopos Austriae. 1856. — Concil. prov. Vienn. semel vel bis in anno sacra exercitia pro clero institui jubet pag. 150.

[9]) Bened. XIV. Constit. «Eo quamvis tempore» (4. Maj. 1745) § 43. Cf. ejusd. Instit. 13 et 24.

[10]) c. 1. X. (III. 41) (Conc. Agath.); ib. c. 9. (Conc. Lateran. IV.); Conc. Basil. Sess. XXI. c. 5.

cium poenis ad arbitrium episcopi infligendis coërceri possunt,[11]) beneficiati vero partem congruentem fructuum amittunt.[12]) A recitatione Breviarii nonnisi impossibilitas physica aut moralis excusat.[13]) Illis, qui ob defectum oculorum vel ob aliam causam diuturniore impossibilitate detinentur, potest episcopus vi quinquennalium recitationem rosarii aut aliarum precum in locum pensi canonici substituere.

Studium literarum.

b. Ministros suos ad literarum studium statui clericali congruum acriter incitare nunquam destitit ecclesia catholica. In solo Gratiani Decreto extant tres Distinctiones (36—38), quae omnes de literarum studio clericis necessario tractant, et in quibus tum necessitas animum literis excolendi exprimitur,[14]) tum regulae pro studio rite instituendo traduntur. Inprimis s. Scripturae[15]) et ss. canonum[16]) studium clericis injungitur: iidem haud minori contentione ad theologiam moralem animam applicare jubentur, cum harum rerum cognitio, ait Bened. XIV.[17]) jure Pontificio et Pontificum decretis innitatur, quae sane nemo divinare potest, licet praeclarissimo floreat ingenio. At saecularibus quoque literis ecclesiastici laudabiliter operam dant, quando illud vergit in ecclesiae utilitatem.[18]) Sicut enim Moyses et Daniel omni scientia Aegyptiorum et Chaldaeorum eruditi fuerunt, ita ad confutandos philosophos et haereticos eorundem libri evolvi possunt, sed eo consilio, ut scientia saecularis eodem modo inserviat regno Dei, prout argentum et aurum, quo Israëlitae Aegyptios spoliarunt, construendo s. tabernaculo inserviebat.[19]) Verumtamen non solum quilibet excessus in addiscendis rebus profanis acriter per canones

---

[11]) Conc. Mediolan. I. de horis can.: Qui vero sacris initiati beneficium eccles. non habent, si divinum praetermiserint officium, praeter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab episcopis in eos animadvertatur.

[12]) De hoc in seq. tractatu sermo erit.

[13]) Hinc in Synodo Mediolan. dioec. IV. decretum est, ut aegroti quoque Sacerdotes horarum can. officium non omittant, nisi de consilio confessarii sacerdotis, et ubi adhiberi potest, etiam medici, nisi gravitas morbi aperte ejusmodi recitationem impediat. Decr. 20.

[14]) «Ignorantia, ait Conc. Toletan. IV. (a. 633) mater cunctorum errorum, maxime sacerdotibus vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt.» c. 1. D. 38; c. 3, 5. ib.

[15]) «Qui nescit Scripturas, nescit Dei virtutem ejusque sapientiam; ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.» c. 9. Dist. 38. (s. Hieron. prooem. ad Esaiam). — «Cor Dei, Scriptura ipsius.» s. Aug. in Ps. 36.

[16]) c. 4. 7. D. 38.

[17]) Instit. 32. n. 3.

[18]) Summarium Dist. 37. «Episcopi et ecclesiastici literas saeculares sciant ad necessitatem.»

[19]) c. 7—10. 13. 14. D. 37. Cfr. Conc. prov. Prag. 1860 tit. I. cap. 3. ubi deducitur summa necessitas, ut sint «sacerdotes in humanis pariter ac divinis scientiis versati.»

perstringitur,[20]) sed fieri etiam potest, ut propter abusus intervenientes certae cuidam scientiae vacare clerici omnino prohibeantur, sicuti v. gr. olim et clerici et monachi studiis juris civilis et medicinae se tradere prohibiti sunt.[21])

§ 72. 2. Sanctiones canonicae quoad principales ecclesiasticorum virtutes.

Omni quidem probitate omnique genere virtutum sacerdotes exornatos esse oportet; prae reliquis vero illae ab iisdem exiguntur, quae vitiis in mundo maxime dominantibus opponuntur. Ejus generis sunt; castitas, temperantia, beneficentia.

Castitas.

1. *Castitas.* Cum peccata contra castitatem in clericis majorum ordinum naturam induant sacrilegii, a clero omnia removenda sunt, quae *aut delictum in se aut occasionem delinquendi habent,*[1]) imo quae aliis *suspicionem* delicti ingerere possent. Ad ejusmodi praecautionem latae sunt leges, quae convictum seu cohabitationem clericorum cum mulieribus respiciunt.[2]) In concilio Nicaeno I. decretum est, ut clerici non alias mulieres in domo retinerent, *nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas personas, quae fugiunt suspiciones.*[3]) Dein canones episcopos monent, ne permittant *cum clericis mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari.*[4]) Juxta recentiores canonistas[5]) ex consuetudine licet clericis servitii causa etiam extraneas feminas sibi assumere, modo provectioris aetatis sint, honestae famae et extra suspicionem. Nam semper subintelligenda est limitatio: *nisi adsit periculum vel scandalum.* Hac de causa episcopus, tametsi non per *modum regulae generalis* potest prohibere, ne dioecesis suae clerici cum ulla omnino femina cohabitent

[20]) v. c. «Sacerdotes Dei omissis Evangeliis et prophetiis videmus comoedias legere, amatoria bucolicorum versuum verba canere, Virgilium manibus terere» c. 2. D. 37. (s. Hieron. ad Damas. ep. 146.

[21]) c. 3. et 10. X. (III. 50). — Hodie studium juris civilis non amplius prohibetur. In Seminario, quod a suo auctore Pio IX. *Pium* nuncupatur, cursus etiam juris civilis et criminalis praescribitur. *Moy,* Archiv. I. p. 659.

[1]) c. 9. X. (III. 1) in part. decisa.

[2]) Vid. X. (III. 2) de cohabit. cleric. et mulierum. — Benedict. XIV. Inst. 83; de syn. dioec. l. XI. c. 4. n. 7.

[3]) c. 16. D. 32. — Conc. Carthag. III. (a. 397) c. 17 mulierum conjunctarum numerum paulo extendit: «ut cum omnibus omnino clericis extrancae feminae non cohabitent, sed solae matres, aviae et materterae, amitae, sorores et filiae fratrum et sororum.»

[4]) c. 9. X. (III. 2). — c. 1. X. (III. 2) interdicitur quaecunque cohabitatio etiam cum mulieribus in primis gradibus consanguineis. Sed hoc capite (juxta Bened. XIV. de synod. l. c.) statuitur exceptio, dum cap. 9. cit. regula datur episcopo, in hoc puncto disciplinae servanda.

[5]) *Zallinger,* ad h. tit.; *Bouix,* tractat. de parocho (Paris 1858) p. 607 seq.

(eoquod jure communi id generaliter non prohibetur), tamen quasdam restrictiones constituere et convictum cum certa persona prohibere valet, imo et legem dare potest, non licere clericis cum quibusvis feminis cohabitare, nisi ipse prius earum qualitates examinasset atque abesse periculum scandalumve comperisset. Ergo attendi oportet ad leges particulares uniuscujusque dioecesis.[6])

Temperantia.

2. *Temperantia.* Concilium Trident.[7]) exemplo Patrum Carthaginiensium[8]) etiam ab episcopis exigit, ut modesta suppellectili et mensa, ac frugali victu contenti sint. Praesertim *a crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant . . . nec ad bibendum alios incitent aut se mutuo ad aequales haustus provocent. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.*[9]) Ad evitandum ebrietatis periculum aliosque abusus abscindendos statuunt canones, ut clerici tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ejusmodi prohibitio jam occurrit in canonibus Apostolicis,[10]) in Concil. Carthag. III. [a. 397],[11]) in Concil. Laodicensi [a. 320];[12]) eademque deinceps saepe repetita est: a Concil. generali Lateran. IV.,[13]) a Concil. Trident.,[14]) a compluribus denique synodis tum provincialibus[15]) tum dioecesanis,[16]) usque ad

[6]) Concilium prov. Vienn. p. 145: «Ancillae, quibus ad res domesticas procurandas indiget, maturioris sint aetatis, integerrimae famae, castae, sobriae, subditae, . . . ut sumptuosius vestiantur, vel choreas frequentent, non toleret. Quidquid familiarius commercium redolet, id longe absit. Ancillam commensalem non habeat, neque cum ea deambulet, vel aliorum domos adeat, aut eodem vehiculo, nisi forsan publico, vehatur. Ut rebus, quae ad eam non pertinent, se immisceat, vel dominatricis partes sibi arroget minime patiatur.» — Conc. Colon. l. c.: «Ne quis famulam vel oeconomam ex quacunque causa unquam mensae vel itineris vel deambulationis sociam faciat, vel cum ea societates, convivia, nundinas adeat, serio interdicimus. Synodus dioec. Brixin.: «Feminae non necessariae, suspectae, juvenes non consanguineae e canonicis (domibus) exsulent» (tit. 11. n. 14). Cfr. *Laurin:* Der Coelibat der Geistlichen p. 20 seq. — Cfr. causam Bambergen. et Herbipolen. a s. C. C. d, 17. Aug. 1883 decisam, juxta quam mulier a parocho dimitti debuit ob meram suspicionem (Acta s. Sedis t. 16 p. 341).

[7]) Sess. XXV. de reform. c. 1.

[8]) c. 7. D. 41.

[9]) c. 14. X. (III. 1.) (Conc. Lateran. IV.)

[10]) Can. Apost. 53. (54.) ap. *Hefele,* I. p. 791.

[11]) «Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.» c. 4. D. 44. V. *Hefele,* II. p. 54, ubi isthaec lex inter canones synodi Hipponensis (393) reperitur.

[12]) c. 2. D. 44. Cf. c. 3.

[13]) «Et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti» c. 15. X. (III. 1).

[14]) Sess. 24 c. 12 de reform.

[15]) Conc. prov. Salisburg. a. 1569 p. 150; Conc. prov. Viennens. a. 1858 p. 147; Conc. prov. Strigon. 1858 t. VI. I. 8; Conc. prov. Colon. 1860 t. 3 c. 34.

[16]) Synod. Brixin. tit. 26 n. 9. Jam in syn. Brixinen. sub Bertholdo Episc. a. 1419 dicitur: «Tabernas prorsus evitent»; in synodo habita a Joanne

nostra tempora coactis. Praevaricatio legis hujus saluberrimae, hodie in quibusdam regionibus adeo frequens, vulnus grave et insanabile infert disciplinae status ecclesiastici! Equidem praeter causam itineris hodie etiam aliae causae rationabiles adeundi tabernam possunt occurrere; sed has causas non pro lubitu uniuscujusque sed ex mente episcopi oportet dijudicare. Consuetudo autem contraria, nostro tempore in multis locis vigens, non recte citatur, cum Pius IX. (d. 30. Jun. 1857 Hist. polit. Blätter 1869 p. 88) consuetudinem cauponas adeundi *clericos summopere dedecorare* edixit, multique episcopi contra hunc abusum continuo reclamarunt. Hinc non solum ebrietas sed et frequentatio cauponae *via disciplinari* et *correctionali* ab Ordinariis castigari potest et debet. — At etiam convivia sumptuosa et comessationes in domibus privatis clericis prohibentur.[17])

Liberalitas.

3. *Beneficentia in pauperes.* Ea est bonorum eccles. indoles, ut, quae ad honeste vivendum clericis non sunt necessaria, ex mente ecclesiae in miserorum et indigentium solatium impendi debeant. Quum vero, quominus id fiat, duo potissimum vitia obstent, scil. *sordida avaritia* et *luxuriosa prodigentia:* ab utraque hac macula quam maxime ministros ecclesiae alienos esse canones jubent. Et quia inprimis nihil magis in contemptum status sacerdotalis vergit, quam labes avaritiae, clerici serio monentur, ut *amorem pecuniae quasi materiam cunctorum criminum* fugiant,[18]) et ut, rerum temporalium amore deposito, sicut *clericos* decet, soli Domino adhaereant.[19]) Sed non minus iidem bona ab ecclesia

Episc. «nec ipsi clerici in publicis tabernis ad vina resideant». In synodo celebrata a. 1438 sub Georgio episc. prohibiti sunt sacerdotes tabernas intrare, nisi in itinere constituti vel ex manifesta rationabili causa aliquem introire oporteat. *Bickel,* Synodi Brixinenses saeculi 15. — Conc. prov. Colon. 1860 (p. 151): «Cauponas sine necessitate nec in itinere ingrediantur; ne vero eas, quae sint in propria parochia vel in locis proxime vicinis, nisi ministerii causa adire necesse sit, frequentent, graviter prohibemus.» Synod. Leodiens: «Tabernarum nomine intelligitur proprie omnis locus, in quo publice quacumque diei hora adventantibus vinum, vinum adustum, cerevisia, cafoca etc. venduntur, . . . Ut saluberrima juris communis lex eo accuratius observetur, statuimus et declaramus, omnes et singulos clericos dioecesis nostrae, sive saeculares sive regulares, qui animo potandi, aut tabacum fumandi, aut ludendi et cum potatoribus fabulandi, tabernas adiverint in communique loco (sive sit conclave, sive atrium vel hortus) id ibidem peregerint, praeter reatum culpae, quem contraxerunt, *eo ipso esse suspensos* ab Ordine et Jurisdictione.» c. 3. Art. 2. p. 19.

[17]) c. 1. D. 44.

[18]) c. 3. D. 23. (s. Isidor. de offic. eccles.)

[19]) c. 5. Clericus. C. 12 qu. 1. (s. Hieron. ad Nepotian.) «Qui Dominum possidet et cum propheta dicit: *Pars mea Dominus,* nihil extra Dominum habere potest. Quodsi quidpiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus: v. gr. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur.»

percepta levi animo prodigere vetantur, id quod S. Bernardus[20]) rapinam et sacrilegium vocat. Idcirco etiam hospitalitas a Concil. Trident.[21]) clericis injungitur.

§ 73. 3. Occupationes et delectationes clericis prohibitae.

Regulae generales.

Fundamentum canonum, certas qua occupationes qua delectationes clericis interdicentium, est principium, quod circa medium saec. V. a Leone M. pronuntiatum est: «Omnium sacerdotum tam excellens est electio, ut quae in aliis membris ecclesiae vacant a culpa, in illis tamen habeantur illicita.»[1]) Ex quo sequitur *primo* generatim, vivendi rationem externam honestiorem a clericis requiri, quam a laicis, prout expresse etiam exigit Synodus Trid.: «Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnino rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.»[2]) Sequitur *secundo,* complures tum oblectationes tum negotia, quae statui clericali minus congruunt, ab ecclesia clericis interdici posse. Concilium Trident. generaliter ea omnia renovavit sub iisdem, imo etiam *majoribus poenis,* arbitrio ordinarii imponendis, quae antiquioribus canonibus de clericorum vita, cultu doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, necnon saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt.[3]) In specie duplex prohibitionis genus notandum est:

1. *Prohibitio negotiorum saecularium* scil. eorum, quae clerum vel *dedecent* vel nimis *distrahunt*, juxta monitum Apostoli:[4]) «Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.» Unde prohibentur:

a. *Negotiatio,* quae *quaestus causa,* seu talis, qua res minori pretio coëmuntur, ut cum lucro vendantur, sive clericus in persona sive per alios negotiationem exerceat.[5]) Porro agros aut

---

[20]) Epist. 2. et 42. — c. 3. C. 23. qu. 7. «Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus.» (s. Aug. ad Bonifac.)

[21]) Sess. XXV. de reform. c. 8. — Dist. 42: «Episcopi et ecclesiastici sint hospitales.»

[1]) c. Omnium 1. D. 32.

[2]) Sess. XXII. de ref. c. 1.

[3]) l. c.

[4]) II. Tim. 2. 4. Cf. tit. 50. libri III. Decretal. «Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis sese immisceant.»

[5]) Juxta c. 6. X. (III. 50) negotiatores debent excommunicare, nisi moniti desistant. c. 1. Clem. (III. 1); Bened. XIV. Constit. «Apostolicae servitutis» 25. Febr. 1741. — Excipitur, ut per se patet, si quis clericus fructus prae-

praedia a laicis conducere prohibentur.[6]) — Huc etiam munera sordida et opificia vilia, quae statum clericalem dedecent, referenda sunt.[7])

Prohibita in specie: Negotia saecularia.

b. *Officia* tum *militaria* tum etiam *curialia,* scil. ne clerici notarium, procuratorem vel advocatum agant coram judiciis, nisi propriam causam, vel ecclesiae suae aut pauperum aut conjunctorum causam prosequantur.[8]) Etiam pupillorum tutelam nequeunt in se suscipere, saltem sine episcopi venia.[9])

Quaestio hodie agitari solita est, qua ratione clerici circa *res politicas* se habere debeant? Generale principium hoc statuendum esse videtur: Clerici, quia bono tam ecclesiae quam civitatis consulere tenentur, cavere debent ne in hac re sive per defectum sive per excessum a recto tramite declinent; hinc non possunt esse indifferentes quoad res politicas, sed tamen agere debent cum multa moderatione et discretione. Regulae speciales hae potissimum erunt servandae. *a.* Ceu membrum et *minister ecclesiae* clericus se non immisceat rebus *mere* politicis. Non pertinet ad eum cura de forma regiminis civilis, legitimitatis dynastiae, nec de legibus, quas statuit civitas in sphaera ipsi propria. Sed salvis Dei praeceptis et ecclesiae juribus, legibus civilibus tum ipse obe-

---

diorum beneficialium cultura comparatos vendat. Item Congreg. episc. et regular. 5. Mai 1593 declaravit: Tabernam non dicuntur exercere, qui vinum suum ad minutum vendunt. — Constitutiones Urbani VIII. «Ex debito» 22. Febr. 1633 et Clem. IX. «Sollicitudo» d. 17. Jun. 1669 sub poena excommunic. (quae poena hodiedum in vigore est s. C. Inquis. d. 4. Dec. 1872 ap. Avanzini p. XVII.) missionariis in provinciis Indiae orientalis, Chinae et Japonum ac etiam in America septemtr. et austr. mercatura prohibetur. — Quaeritur: num venditio et retentio actionum industrialium et commercialium (die Betheiligung an Actien-, Handels- und Industriegesellschaften) licita sit? Respondeo, licitam esse, quatenus agitur tantum de necessaria sortis elocatione, sed illicitam, si fiat potissimum quaestus et lucri causa. Zeitschrift für kath. Theologie. Innsbruck 1877 p. 453.

[6]) c. 1. Multa X. (III. 50). — Concil. Mediolan. I. (1565): «Ne aliena praedia lucri causa conducat.» In eodem concilio et in concilio Avenionensi (1849) cavetur, ne quis intra parochiae fines pro se vel suis emat praedia.

[7]) Sic e. gr. c. 1. Clem. (III. 1) sub poenis prohibitum est, ne clerici carnificum seu macellariorum aut tabernariorum officium publice et personaliter exerceant.

[8]) c. 1. 3. X. (I. 37) et c. 2. X. (III. 50). Cfr. causam «Nullius Cluniен» d. 4. Aug. 1883 apud s. C. C. agitatam, in qua indultum fuit sacerdoti saeculari, ut in laicalibus tribunalibus ageret causas civiles et criminales, sed tantum ad *defensionem.*

[9]) Ferraris sub voce *Clericus* plures desuper allegat s. C. C. declarationes. Statuta dioeces. Leodiensis: «Neque pupillorum tutelam absque episcopi consensu in se suscipiat.» Lex, qua clericis et monachis prohibentur studium juris et physices (c. 3. et ult. X. (III. 50) latas propter circumstantias temporum particulares hodie non amplius viget. *De Angelis* tit. 50 p. 393.

diat, tum hanc obedientiam alios doceat. Pariter amorem patriae et ipsemet ostendat et apud subditos foveat. «Optimae curae de salute patriae (Cicero de republ. VI. 26).» *Sed in rebus arcte cum religione* connexis ad eum spectat tueri qua *recta principia* qua *jura ecclesiae* legitimo quovis modo, sed nunquam auctoritatem aggrediendo, seu *active* et violenter ei resistendo. — *β. Tanquam civis reipublicae* potest, et multoties tenetur uti juribus civilibus sibi competentibus, ideoque in publicis electionibus — nisi in certis casibus prudentia dissuadeat — tum eligere tum etiam mandatum eligentium accipere potest et interdum debet. Hoc tunc maxime procedit, ubi in statu, in quo viget constitutio repraesentativa, agitur de viris eligendis et mittendis ad comitia publica. Maximi enim interest, ut etiam clerici his comitiis intersint, in quibus saepe quaestiones ecclesiasticae summi momenti agitantur. Item non indifferens sit sacerdos circa quaestiones sociales, quae hodie orbem commovent, memor temporis pristini, quo clerus vim et influxum maximum habuit ad stabiliendum et servandum ordinem socialem. In rebus, quae habent nexum cum religione tanto magis invigilare et operam suam navare clerici tenentur, quia praecise in hoc puncto bellum atrocissimum ardet adversus ecclesiam. Attamen caveat unusquisque, ne justo plus, ne injuste, ne imprudenter agat, neve avidus sit aurae popularis. — *γ.* Neque per veteres canones neque ex disciplina ecclesiae vigenti generatim clerici arcentur *a muneribus publicis civilibus* in se suscipiendis, si pro eorum natura salva conscientia obtineri et retineri possint. Hujusmodi sunt e. g. munera professoris in Universitate, aut in gymnasio etc. vel munus, quod ad ministerium instructionis et cultus pertinet. Ad tale officium suscipiendum, praesertim si totum hominem occupat, hodie communiter consensus Ordinarii requiritur. Qua officiales reipublicae clerici legibus ejusdem pro munere rite gerendo datis subduntur et jura publica ceterorum officialium participant.[10])

c. *Praxis chirurgiae et medicinae,* quae clericis tum ob periculum irregularitatis (§ 66) tum ex aliis rationibus prohibetur, idque vel tunc, cum artem medicinae addidicerunt ad eamque

---

[10]) Cfr. *Hergenröther,* über die Betheil. des Clerus an polit. Fragen in Archiv. tom. 15. p. 67 seq. Synod. Budwic. dioec. c. 25 l. c. t. 14. p. 301. *Vering,* K.-R. 452. Item syn. Lavantina p. 56, ubi citatur epistola Leonis XIII. ad episcopos Hispaniae d. 8. Dec. 1882 scripta, ubi inter alia dicitur: «Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana quam coelestia curare videantur, non est secundum officium.» Inprimis scriptores monentur a Pontifice, ut eorum disputatio pro ecclesiae juribus tuendis sit «moderata et temperans, quae potius rationum pondere, quam stilo nimis vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem efficiat.»

profitendam adprobati sunt.[11]) Quod per se cadit in modum curandi, qui dicitur homoeopathia.

Delectationes saeculares.

2. *Prohibitio delectationum saecularium.* Vix reperitur hodie clericus, qui histrionem aut joculatorem agat, quod leges antiquiores prohibent. Sed vetantur etiam clerici choreas ducere, personati incedere et inhonestis interesse spectaculis, *ne aures et oculi sacris officiis addicti, ludicris et impuris actionibus sermonibusque distracti polluantur.*[12]) Porro interdicitur ludus alearum et taxillorum,[13]) quo omnes illi lusus comprehenduntur, qui potius fortuna quam arte reguntur. At ex praesenti consuetudine leges eccles. non infringere censetur, qui parce, recreationis causa et secluso scandalo aleis chartisque ludit. Demum praecipit Concil. Trident.,[14]) ut clerici *ab illicitis venationibus et aucupiis abstineant.* Leges canonicae, generatim loquendo, haud favent venationi.[15]) Distinctio illa inter venationem clamorosam et quietam suo fundamento non caret, eoquod prior magis exosa est legibus, quam posterior; at non usque eo urgeri debet, quasi venatio quieta nunquam prohibita foret. Potius omne venationis genus interdicitur, cui clericus vel cum nimia temporis jactura vel cum aliorum scandalo indulget. Caeterum in hac re leges particulares attendendae sunt, quae pro temporum et locorum indigentiis venationem saltem quietam clericis moderate permittere, ast etiam interdicere possunt. Dantur enim complures provinciae et dioeceses, in quibus leges clericos ab omni venationis genere alienos esse volunt,[16]) advertitque Bened. XIV.,[17]) non posse nimiae severi-

---

[11]) Docet Bened. XIV. (de synod. dioec. L. 13. c. 10. n. 5), etiam iis, qui artem medicam antea exercitam post ordines profiteri volunt, hunc in finem indultum Apostolicum necessarium esse, hoc tamen nonnisi ex causa justa et probata concedi. Cf. s. C. C. 16. Febr. 1884 et 8. Mart. 1884 (Wien. Dioec. Bl. 1884 p. 170). Circulari Ordinariatus Brixin. (22. April. 1857) sacerdotes homoeopathiam profiteri interdicuntur. Dioec.-Bl. 1857 p. 31.

[12]) Conc. Mediolan. I. — A Concilio prov. Vienn. p. 147 omnes confessarii atque theologiae et religionis Professores, necnon regulares, theatrorum spectaculis interesse omnino prohibentur.

[13]) c. 15. X. (III. 1).

[14]) Sess. XXIV. de ref. c. 12.

[15]) c. 1. D. 34; — c. 11. D. 86; — c. 1. et 2. X. (V. 24). — c. 2: «Omnibus servis Dei venationes et silvaticas vagationes cum canibus, et accipitres aut falcones habere interdicimus.»

[16]) E. gr. Concil. Mediolan. I.: «A venatione abstinebunt» Concil. prov. Avenion. (1849): «A venatione sint prorsus alieni»; statuta synod. Leodiens. art. IV. n. 21. Instr. Eystett. tit. 13. cap. 1. § 2. n. 4.

[17]) De syn. dioec. L. 11. c. 10. n. 8. — Conc. prov. Viennen. p. 148: «Cunctis sacerdotibus, qui curam animarum agunt, aut theologiam tradunt, sive religionis doctrinam publice docent, omnino interdicit, ne venationibus intersint, quae confluente hominum turba instituuntur. Si eorum aliquem vel solum vel cum amico ambulantem delectet, avem feramve ictu appetere, intra

tatis nota adspergi synodalem constitutionem ablegantem clericos, praecipue majorum ordinum aut eccles. possidentes beneficium, a venationis exercitio.

Eidem prorsus fundamento innititur prohibitio, ne clerici cujusvis generis arma ferant.[17])

§ 74. 4. De vestitu clericali.

1. Relate ad vestitum clericalem haec principia valent:

a. Vestitus cleri distinctus.

a. *Vestitus clericorum distinctus esse debet a vestimentis laicorum et ordini uniuscujusque congruens.* «Etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.»[1])

b. Quae lege univers. sint statuta.

b. *Forma vestitus clericalis ex parte ab universali ecclesia determinatur.* Sub hac ratione praescribitur, ut clerici *vestem talarem,* i. e. oblongam et ad talos usque defluentem deferant, nec non ut *coronam* in vertice conspicuam gerant. Similiter ubique fere locorum *collare* quoque gestare jubentur. Attamen per consuetudinem contrariam necnon ipsorum Pontificum et praesulum tolerantiam delatio vestis talaris tantummodo in obeundis sacris functionibus ac praesertim in celebranda s. Missa praescribitur. Extra ecclesiasticas functiones aliis etiam vestibus uti licet, sed honestis et obscuri coloris.[2]) Item prohibentur anulos in digitis deferre, nisi quibus ex officio id competit, necnon barbam[3]) aut comam nu-

---

debitae moderationis limites consistat; eis enim neglectis res intolerabilis redderetur. Alios clericos, et tanto magis regulares, utpote qui sanctius vitae institutum profitentur, graviter adhortatur, ne se immisceant venationibus, quae confluente hominum turba instituuntur, vel alias quascumque ita tractent, ut status vel officii sui rationem negligant.» Concil prov. Colon. 1860 (p. 151): «Ut autem prorsus sese a venatione abstineant, etiam atque etiam monemus.»

[17]) c. 2. X. (III. 1.)

[1]) Conc. Trid. Sess. XIV. de ref. c. 6.

[2]) Bened. XIV. Instit. 34. § IV. et Instit. 71. p. 363; — de synod. dioec. L. 11. c. 8. n. 1. 3, ubi inter alia sic scriptum reperitur: «Vestium talarium usus valde antiquus est apud clericos; recentioribus etiam saeculis color niger vestium passim praecipitur. Certe cavendum, ne vestis sit auro vel argento ornata, ne viridis, multicolor, ad vanitatem vel luxum composita.» Concil. prov. Vienn. sacerdotes et clericos omnes admonet, «virorum ecclesiasticorum, quibus habitus religiosus deferendus non est, indumentum proprium vestem talarem esse. Hanc absque rationabili causa non deponant. Quodsi ad deambulandum, seu viam longiorem conficiendam, brevioribus utantur vestimentis, nigra haec vel saltem subobscura sint et ad modestiam omnino composita.» pag. 149.

[3]) Cum nonnulli ex Bavariae sacerdotibus aliquot abhinc annis usum barbam gestandi iterum introducere conarentur, Nuntius Apostol. Monachii residens Archiepiscopo Monacensi (4. Maj. 1863), nomine Suae Sanctitatis significavit, a Bavariae antistitibus omnino curandum esse, «non solum ut

trire vel modo saecularium componere. Praeterea nulli sacerdoti licet ficta caesarie seu pileolo uti in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostol., non obstante quacumque consuetudine, prout declaravit s. R. C.[4]) Ea vero facultas vix unquam episcopis a Pontifice conceditur; bene vero Nuntii Apostolici licentiam dare possunt, cum ejusmodi coma supposititia (vulgo perucca) Missam celebrandi.[5])

c. Quid in hac re episcopi valeant statuere.

c. *Ex parte vero forma habitus clericalis a legibus particularibus praescribitur.* Nam ea, quae lege universali circa hanc rem ad amussim non sunt definita, a Concil. Trident. episcopis determinanda relinquuntur; ex quo sequitur, unumquemque ad ea adstringi, quae lege seu consuetudine dioecesana imperantur.[6])

Poenae contra transgressores.

2. Harum legum transgressores Concil. Trident. (Sess. XIV. c. 6. de ref.), innovando et ampliando Constitutionem Clementis V. in Concil. Viennensi editam,[7]) si post monitionem episcopali edicto peractam, adhuc parere recusent, obnoxios declarat suspensioni ordinum, officii, ac beneficii et proventuum; si vero semel correpti denuo in hoc deliquerint, tunc officia ac beneficia ipsis adimenda constituit. Sixtus V.[8]) eosdem cunctis dignitatibus, canonicatibus, beneficiis simplicibus ac pensionibus *ipso facto privatos* decernit, *sine ulla monitione, citatione, judicis decreto aut ministerio.* Benedict. XIII.[9]) vero sancivit, ejusmodi beneficiatos transgressores *ipso*

---

praedictus usus expresse prohibeatur, sed etiam ut disciplinae unitas et perfecta cum Ecclesia Romana omnium magistra conformitas in omnibus ac proinde etiam in habitu et tonsura clericorum servetur, vel si opus sit restauretur» etc. Vide *Thalhofer:* Ueber den Bart der Geistlichen seu de barba clericorum. Archiv t. 10. p. 93 seq. Advertit *Giraldi* (Expositio jur. pontificii parte 1. sect. 324) anuli delationem interdici sacerdotibus et abbatibus non benedictis in celebratione Missae, item Protonotariis non participantibus, doctoribus ac canonicis ecclesiarum cathedralium ex decreto s. R. Congr. d. 13. Febr. 1625; canonicos autem ex alio decreto d. 4. Aug. 1633 posse uti anulo aureo sine gemma aut effigie.

[4]) s. R. C. 31. Jan. et 24. April. 1626. Cfr. c. 57. D. 1. de consecr. Extra missarum celebrationem deferre peruccam episcopus potest concedere. (Bened. XIV. Instit. 34.)

[5]) Cfr. de his citatas duas Instit. Bened. XIV.

[6]) Concil. Trid. l. c. *„juxta episcopi ordinationem et mandatum.“* Episcopi in id maxime solliciti erunt, ut clericorum vestitus a laicorum habitu *differat* ita, ut (juxta verba s. Caroli Borrom. in concil. dioeces. II.) *eos esse ecclesiastici ordinis homines, agnosci facile possit.* Hinc haud objurgationem mereri mihi videtur Concil. prov. Vienn. statuens: Quidcumque scandalo possit esse populo fideli, vel ad *saecularium mores propius accedat,* sollicite vitare oportet: unde in hac provincia nulli, cujuscumque sit ordinis seu conditionis, viro eccles. *fas* est, femoralibus uti super caligas ad pedes usque demissis. pag. 149.

[7]) c. 2. de vita et honest. cler. Clem. (III. 1.)

[8]) Constit. «Cum Sacrosanctam» de 9. Jan. 1589.

[9]) Constit. «Cathol. ecclesiae.» 6. nonas Maj. 1725.

facto quidem in conscientia amittere fructus beneficii, sed beneficio nonnisi servato ordine juris per sententiam declaratoriam esse privandos. Attamen (prout observat Benedict. XIV. in cit. Inst. 71) pro hisce poenis subeundis non una solum violatio sufficit, sed juxta doctorum sententiam aliquod temporis spatium intercedere debet. Clericos sacris ordinibus non initiatos, rejectis vestibus clericalibus, omnibus clericorum privilegiis *ipso facto* privari, alibi jam dictum est.[10])

§ 75. 5. De coelibatu clericorum.

Ex gravissimis rationibus[1]) ministris ecclesiae in majoribus ordinibus constitutis lex sacri coelibatus imposita est, qua prohi-

---

[10]) Supra § 70. 1. a. — Vid. Acta IV. p. 394, ubi leges praecipuae de habitu clericali deferendo sancitae, in unum locum congestae reperiuntur. Cfr. ib. III. p. 433. «Epistola declaratoria s. C. Immunitatis eccl. circa privilegia clericorum (d. 20. Sept. 1860).»

[1]) Cum vindiciae coelibatus clericalis non spectent ad nostrae disciplinae institutum, illas rationes summatim indicasse sufficiet, in quibus ejusdem fundamentum situm est.

1. Coelibatus *generatim,* ipsis gentilibus venerabilis, manifestis N. T. testimoniis (Matth. 19, 12—29; 1. Cor. 7, 1. 6—9; 25—28; 32—40) commendatur, magnis ss. Patrum et scriptorum eccles. encomiis (v. gr. Tertulliani, s. Basilii, s. Hieronymi, s. Augustini, s. Epiphanii *(Laurin:* Der Coelibat der Geistlichen. Wien 1880. p. 27—60) celebratur, ac propterea majorem quam status conjugalis praesefert sanctimoniam (intellige, si eligatur *propter regnum coelorum)* prout definivit Concil. Tridentinum, quod (Sess. 24. can. 10) dicit: «Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius et beatius, manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio, an. sit.» Quae cum sint omnibus dicta, tanto magis valent pro clericis.

2. Causae, quae coelibatum *clericalem* commendant, imo postulant, sunt: a. *Dignitas et sanctitas Sacerdotii N. T.,* quae tanta est, ut ad sacerdotium nonnisi ii possint elevari, qui mundo et carnalibus desideriis omnino renuntiare sunt parati. Sacerdotium N. T. nil commune habet cum generatione physica, sed propagatur per generationem spiritualem, sc. per ordinationem. Per hanc sacerdos efficitur pater spiritualis fidelium et mediator spiritualis inter ipsos ac Deum, ac propterea, ceu alter Christus, vivam in omnibus imaginem divini Salvatoris exhibere debet, proindeque eum a connexione cum carne et sanguine prorsus liberum esse oportet. Mariti et patris carnalis nomen prorsus non convenit Christi sacerdoti. Inprimis tam *sanctum* et divinum opus est oblatio tremendi mysterii, *ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate peragi debeat.* (Concil. Trident. Sess. 22. de obs. et evit in celebr. Miss.) Unde hoc solo titulo integra offerentium continentia requiritur, non temporalis tantum. Nam et ipsi gentiles (vi legis 12 tabul. «Ad divos adeunto caste») sacerdotibus suis tempore, quo rem divinam faciebant, continentiam imponebant, et haec a Judaeorum quoque ministris dum sacra obibant, exigebatur. Lev. 10, 9; 22, 3. (Cfr. c. 3. 5. X. [III. 3.]) — b. *Quantitas et qualitas obligationum sacerdoti incumbentium.* Hae obligationes ejusmodi sunt, ut *primo* integrum hominem, non divisum qualis est uxoratus (1. Cor. 7, 33. 35) exposcant, prouti sunt indigentium cura, aegrotorum visi

betur tum post ordinationem matrimonium contrahere, tum matrimonio antea contracto uti.[2]) Est vero coelibatus clericalis haec historia et vigens disciplina.

Historia legis coelibatum praescribentis.

1. Lex continentiae saltem mediate ab Apostolorum tempore et instituto repetenda est, scilicet in eo sensu, quod tum ipsi Apostoli[3]) tum ecclesiae ministri per eos, et post eos deputati, verbis et exemplo Christi inducti, continentiam sunt professi, antequam eadem certa aliqua ac declarata lege ipsis fuisset imposita. Sed jam pridem s. coelibatus, sive traditione apostolica sive moribus et consuetudine inductus, legibus etiam scriptis sanciri et confirmari coepit, quamvis ejusmodi leges haud statim universalem vigorem obtinuerint. Jam varia saeculi 4. concilia nuptias sacerdotum[4]) et diaconorum,[5]) imo in Occidente etiam subdiaconorum,[6]) sub poena depositionis prohibuerunt, illosque, qui uxorati ad or-

---

tatio et reliqua officii pastoralis munera. *Secundo* ejusmodi sunt, ut cum matrimonio et officiis eidem adnexis nequeant conciliari. Cura propriae familiae (ac saepe *cura pungens*), procella saevientis persecutionis, grassans epidemia, aliaque permulta distrahunt uxoratum clericum et violenter abstrahunt ab officiis status. — c. *Evidens ecclesiae utilitas,* quia *primo* coelibatus liberiores reddit sacerdotes in obeundo suo munere et in tuenda veritate, unde illud Gregorii VII. (Epist. III. 7): «Non liberari potest ecclesia a servitute laicorum, nisi liberentur clerici ab uxoribus.» *Secundo* quia nonnisi per coelibatum pestilens ille nepotismus, seu propriae familiae amor, a sanctuario arcetur, quo dignitates, beneficia et bona eccles. inevitabiliter in filios et familias clericorum, adinstar haereditatum, transfunduntur cum magno ecclesiae dispendio. *Tertio* quia solummodo per coelibatum universim praescriptum illa difformitas (quae in ecclesia graeca conspicitur) evitari potest, vi cujus una pars cleri matrimonium amplectitur, altera vero (status monasticus) coelibatum servat et privative populi veneratione fruitur. — Cfr. Der Coelibat. Regensburg 1841. (Auctore *Volk* ex protestante postea catholico). *Philipps* K.-R. I. § 63. — *Zallinger* l. III. tit. 3. § 12 seq. — *Perrone* Dogm. vol. 8. p. 103 seq. — *Zaccaria* hist. polem. coelibatus. Aug. 1789. Liber praeclar. *Laurin* cit. — Horum aliorumque scriptorum eminens et invicta eruditio comparata quidem esset, ut obtrectatoribus coelibatus os obstruatur. Sed mirum! Semper profligati semper redeunt, veterem cramben recoquentes! Nam contra nolentes nulla prodest disputatio!

[2]) S. Leo (ep. ad Anastasium a. 446) legem coelib. sic. definit: «Qui habent (uxores) tanquam non habentes sint, et qui non habent, permaneant singulares (i. e. coelibes.»)

[3]) S. Hieron. (ad Pammachium pro libris contra Jovinian. ep. 68. c. 20): «Christus virgo, Maria virgo . . . Apostoli vel virgines vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici.»

[4]) Concil. Neocesar. a. 314. (c. 9. D. 28).

[5]) Concil. Ancyr. a. 314. (c. 8. D. 28).

[6]) Concil. Eliber. a. 306 c. 33: «Placuit, in totum prohiberi episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.»

dines admissi fuerant, ab uxoribus abstinere jusserunt. Papa Siricius in epistola a. 385 data edixit: «Quarum sanctionum omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora.» In eadem epist. Pontifex contra transgressores statuit depositionem, eos vero qui ignorantiam legis obtendebant, ascensum ad altiorem honorem praeclusit, omnibus denique episcopis, presbyteris et diaconis continentiam severe injunxit.[7]) In Concil. Carthag. II. (387 vel 390) cum non solum presbyteri et diaconi, sed omnes, «qui sacramentis divinis inserviunt», penitus continentes esse monerentur, addiderunt Patres: *„Ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.“* [8]) Et quamvis lex continentiae *ex hominum ignavia*[9]) in quibusdam locis minus religiose observata fuerit, ipsaque ecclesia propter sacerdotum penuriam ministris uxoratis usum conjugii quandoque permittere debuerit;[10]) tamen eadem lex *in ecclesia occidentali* per continuas Pontificum et Conciliorum sanctiones propius usque definita et strictius imposita est, ita, ut legibus saeculi 4. 5. et 6. illud firmum fixumque steterit, subdiaconos quoque, nedum ministros iisdem superiores, vel coelibes esse oportere vel post nuptias prorsus continentes. Et hoc quidem in ipsa ordinatione etiam voto sponderi opus erat, et quidem primo *voto expresso,* deinde ex intentione ecclesiae *voto* castitatis *tacito,* (seu cum ipsa ordinatione indivulse connexo), violantes vero legem coelibatus loco suo exciderunt.[11]) *In orientali tamen ecclesia* eadem quidem in conciliis sunt statuta; sed in hoc paulatim laxior irrepsit disciplina, quod usus matrimonii jam *contracti* in quibusdam regionibus toleraretur, nec stricta lege prohiberetur, etsi plurimi clerici nihilominus sponte coelibatum profiterentur. Et haec mitior observantia postea per canones Trullanos (692) stabilita et ab ecclesia Romana ad evitandum schisma apud Graecos tolerata. Illius siquidem vigore monachi tantum ad continentiam adstringuntur, in presbyteros vero et diaconos ordinari possunt etiam conjugati, et permanere etiam

---

[7]) Epist. 1. ad Himerium episc. Tarracon. n. 10.

[8]) Harduin. tom. I. pag. 951.

[9]) S. Epiphan. († 403) adv. haer. l. II. tom. I. haer. 59. c. 4.

[10]) Concil. Nicaen. I. Socrat. hist. eccl. I. 11. Vid. *Hefele:* Concil.-Gesch. tom. I. p. 415 seq.

[11]) I. Quantum ad *diaconos:* c. 3. 4. D. 82 (Siric. a. 385); c. 3. D. 84 (Conc. Carth. II. 397); c. 13. D. 32. (Conc. Carth. V. a. 401); c. 4. 5. D. 31 (Innoc. I. 404); c. 2. D. 82 (Id. 405). II. Quantum ad *subdiaconos:* c. 1. D. 32 Leo I. a. 443); c. 5. D. 28 (Concil. Tolet. II. a. 531); c. 1. D. 31 (Greg. I. a. 591); Concil. Turon. II. a. 567. c. 19. — Cfr. *Walter* § 212. Ed. 11. not. 9—12. Nonnulla Concilia pro *omnibus* clericis coelibatum praescripserunt. *Laurin* l. c. p. 81.

in usu matrimonii antea contracti. At post sacros ordines contractum irritum foret.[12]) Tales conjugati consentiente uxore etiam in episcopos consecrari possunt sic tamen, ut ab usu matrimonii abhinc penitus abstineant.

Conatus Pontificum medio aevo.

2. Cum deinceps in Occidente, praesertim nutante vita canonica, clerogamia luctuose invalesceret, summi Pontifices Leo IX., Nicolaus II. et Alexander II.[13]) tantae corruptelae invicte sese opposuerunt, quorum legibus insistens Gregorius VII. sub poena excommunicationis prohibuit, ne laici sacerdotum conjugatorum Missae interessent neve iisdem sacramentaliter confiterentur.[14]) Ut vero ea, quae Gregorius et post illum Urbanus II. constituerant, majorem firmitatem nanciscerentur, in Concil. Lateran. I. et II. (1123 et 1139][15]) clericorum conjugia, quae hactenus valida et nonnisi sub poena privationis beneficiorum et dignitatum eccles. interdicta erant, *nulla prorsus* et *irrita* declarata sunt. Et hanc quidem legem etiam Concil. Trident.[16]) adprobavit et innovavit, ideoque matrimonium *post majores ordines jam susceptos* invalidum et simul cum irregularitate conjunctum prolesque ex eo suscepta illegitima est; *post initum matrimonium* nemo hodie ad ordines admittitur, nisi illi, qui unicam duxerunt ac virginem, hac tamen consentiente et continentiam profitente.[17]) Verum isti ab usu matrimonii antea contracti tanta severitate arcentur, ut filius ex legitima uxore post susceptos a patre ordines natus respectu ordinum et beneficiorum eccles. pro illegitimo habeatur. Ast idem Concilium severitatem disciplinae medii aevi quantum ad ordines minores aliquatenus temperavit, permittens, ut conjugati quoque ministeria quatuor minorum ordinum exercere possint, dummodo ad munia obeunda idonei et probatae vitae sint atque tonsuram et habitum clericalem gestent.[18]) Verumtamen hodiedum regula servatur: ministros conjugatos ad beneficia eccles. obtinenda inhabiles esse et actu pos-

Disciplina vigens.

---

[12]) Cfr. Bened. XIV. Constit. 57. «Etsi Pastoralis» 26. Maj. 1742 et Const. 129: «Eo quamvis» 4. Maj. 1745. quoad Graecos unitos. Hinc Pontifex apponit conditionem, sub qua Graecorum subdiaconi, diaconi et presbyteri uxores retinere possunt, scil. «dummodo ante s. ordines virgines, non viduas, neque corruptas duxerint. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota (sc. ad alterum matrimonium) prima uxore mortua, convolarunt, ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum promoveri omnino prohibemus.»

[13]) c. 5. 6. 14. D. 32; c. 16. D. 81.

[14]) Cfr. c. 15. D. 81.

[15]) c. 8. D. 27. et c. 2. D. 28; c. 40. C. 27. qu. 1. Cfr. *Mittermüller,* (Vering, Archiv t. 16. p. 3) qui putat, impedimentum dirimens quod dicitur ordinis probabiliter saeculo jam 6. exstitisse.

[16]) Sess. XXIV. de sacram. matrim. can. 9.

[17]) c. 5. et 6. de conv. conjug. X. (III. 32).

[18]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de ref. c. 6. et 17.

sessa amittere. Et quidem clerici majorum ordinum post sententiam judicis condemnatoriam, alii vero clerici *ipso jure,* ita, ut ante omnem judicis sententiam se iis abdicare et fructus post nuptias forte perceptos restituere teneantur.[19])

SECTIO III.

De statu ecclesiastico eximie tali, seu de sacris officiis et beneficiis.

CAPUT I.

De officiis et beneficiis ecclesiasticis in genere.

§ 76. Notio et divisio officiorum et beneficiorum.

Notio officii ecclesiastici.

1. Ut clerici Dei ministerio et fidelium saluti procurandae ordinate et in certo quisque loco et gradu operam et laborem suum impendant, varia ab ecclesia tum officia tum beneficia sunt constituta. Est vero *officium* ecclesiasticum, *objective* sumtum, *certa et determinata mensura functionum ecclesiasticarum, ad quas clerici a superiore ecclesiastico stabiliter*[1]) *deputantur. Subjective* sumtum, *officium* ecclesiasticum est *jus et obligatio ejusmodi functiones vi stabilis et legitimae deputationis in certo loco aut quoad certas personas exercendi.* Illi, quibus sacra officia taliter injunguntur, dicuntur *magistratus* seu *personae ecclesiasticae* in sensu strictissimo (§ 57) et peculiarem statum constituunt, qui dicitur status ecclesiasticus in specie, de quo in praesenti Sectione agemus, quin tamen graduum hierarchicorum heic ulla ratio habeatur.

Cum vero his, qui altari deserviunt, etiam de altari participare concessum sit, officiis ecclesiasticis regulariter etiam certi reditus annexi sunt, ex quo deinceps notio beneficii resultat. Scilicet officium eccles., cui certi reditus ex bonis ecclesiae sunt ad-

Notio beneficii.

nexi, dicitur *beneficium eccles.,*[2]) quod communiter definitur: est *jus*

---

[19]) c. 1. 2. 3. 5. de eleric. conjug. X. (III. 3). — Amissio beneficii adnexa est matrimonio, sive sit ratum tantum, sive invalidum (excipe si invalidum sit propter defectum consensus) ideoque etiam si contrahatur matrim. civile. *Laurin* l. c. 145. *De Angelis* l. III. tit. 3. p. 30.

[1]) Cfr. *Laurin:* Der Coelibat etc. p. 9. not. 1. — Notabile discrimen est inter *provincias Sedis Apostolicae* et *terras Missionum.* In illis cura animarum et regimen eccles. *ad normam juris* ordinata et firmiter fixeque composita sunt; in his vero rebus ecclesiasticis extraordinarie et quasi provisorie consultum est, quippe cum inibi loco episcoporum Vicarii apostolici constituti sint, locum vero parochorum missionarii suppleant. Vid. *Schulte,* K.-R. II. 237. Acta I. p. 410.

[2]) Petr. *Rebuffii.* Praxis beneficiorem. Parisiis 1664. f. — *Garcias* tractatus de beneficiis. Coloniae 1636 f. — *Lotterii* de re beneficiaria. Lugdun. 1659. *Pyrrh. Corradi* praxis beneficiaria. Neap. 1656. *Shguanin* tractatus beneficiarius. Romae 1752. 4.

perpetuum percipiendi fructus, ex bonis eccles. provenientes, propter officium spirituale, cui jus illud auctoritate eccles. est annexum. Itaque ad notionem beneficii haec criteria pertinent:

Officium sacrum.

a. *Officium sacrum* seu ecclesiasticum; *officium* enim est causa et fundamentum beneficii ejusdemque principale, quia beneficium non datur otiosis, sed propter officium.[3]) Officium vero debet esse *sacrum,* veluti ministerium altaris, pensum canonicum, cura animarum aut jurisdictionis exercitium. Hinc ministeria profana in ecclesiis, e. gr. aeditui, organoedi, quae etiam laici possunt obire, non habent rationem beneficii. Nam soli clerici beneficiorum capaces sunt.

Jus percipiendi reditus.

b. *Jus percipiendi reditus* ecclesiasticos, seu *fructus* beneficii. Regulariter omne officium habet beneficium, et vice versa. Propter hanc arctam rei temporalis cum re spirituali connexionem, beneficia merito *rebus quasi spiritualibus* adnumerantur, et haec eadem connexio efficit, ut una eademque res, prout hoc aut illo respectu consideratur, nunc *officii,* nunc *beneficii* nomine compelletur. Si spectetur momentum spirituale, nomen officii quadrat, si vero jus temporalium *praecipue* ob oculos versetur, vocabulum *beneficii* adhiberi solet, ac propterea illud jus temporale in definitione beneficii nota principalis est, etiamsi proprie sit aliquid officio ecclesiastico accessorium. Vicissim *praebenda* fructus tantum et reditus comprehendit, quae clericis certi officii causa obveniunt. Denique dum dicitur jus percipiendi *fructus,* indicatur, beneficiatos esse solummodo usufructuarios sui beneficii, dominio nimirum penes ecclesiam remanente.

Perpetuitas duplex.

c. *Perpetuitas* in duplici sensu: tum ratione *beneficii*, tum ratione *beneficiati.* Siquidem *beneficium ipsum* perpetuo debet perdurare, ita ut cum amotione vel morte beneficiati haud exspiret, sed vacet tantum et alteri conferri possit. Per hoc differt beneficium a pensione, quae morte pensionarii exstinguitur. Respectu *beneficiati* perpetuitas in eo consistit, ut beneficium communiter non conferatur ad tempus, sed ad titulum perpetuum et ad dies vitae, ita ut citra gravem et justam causam auferri non possit.

---

[3]) Excipiuntur *commendae* ac praecipue monasteriorum. Jam antiquitus interdum duplex ecclesia data est episcopis vel clericis, altera in titulum, altera in commendam. Pariter episcopis e sedibus suis ejectis opportunum est visum commendare alios episcopatus aut abbatias, ut his reditibus vitam ducere possent. Concil. Trid. (Sess. XXIII. c. 21. de reg.) disciplinam commendarum regulavit. Dantur a Romano Pontifice in perpetuum, ita, ut clerici (seu abbates) commendatarii iisdem fere juribus, quibus beneficiarii, fruantur. Verum cura et regimen monasterii omnino pertinet ad superiores regulares. *Devoti,* Lib. II. tit. 14. n. 23 seq. — Hodiedum aliqui Cardinales tenent commendas. Innsbr. theol. Zeitschrift 1877 p. 284.

Idcirco proprie beneficiati non sunt qui vel obtinent beneficia sive *regularia* sive *manualia* ad nutum revocabilia,[4]) scil. ad beneplacitum et voluntatem superioris; vel qui administrant beneficium vacans aut impeditum ad tempus tantum, vel qui gerunt administrationes, quae morte concedentis exspirant, e. gr. vicarius generalis aut officiales episcopi.[5])

Interventus auctoritatis eccl.

d. *Interventus auctoritatis ecclesiasticae* reditus ex bonis fundatis officio spirituali adnectentis, ac praeterea in titulum beneficii erigentis. Quare si quis certos reditus fundet clerico dandos pro celebrandis Missis, haec fundatio non statim ceu beneficium consideranda est, sed refert, utrum eadem ab episcopo acceptetur ut merum legatum pium, vel ut officiatura Missarum etc., an vero etiam agnoscatur et erigatur formaliter in titulum beneficii, nimirum per formale erectionis decretum. Hoc dumtaxat in casu fundatio quaedam censetur veri nominis beneficium.[6])

---

[4]) Beneficia manualia aliquo sensu dici possunt perpetua, nimirum intuitu ipsius fundationis seu ipsius beneficii, quatenus hoc ex intentione fundatorum perenniter perdurare debet, sed intuitu beneficiati temporaria tantum sunt. His quodammodo accenseri debent illi vicariatus temporales, qui cappellaniae seu expositurae dicuntur legibusque ecclesiae parum congrui esse videntur ob vinculum nimis laxum pastorem inter et populum. Quod elucet ex Concil. Trid. Sess. VII. de ref. c. 7; XXIII, 16; XXIV. 13. Cfr. Declarationes s. C. C. in Vering. Arch. tom. 21. p. 423 seq. Parochi succursales in Gallia, cum amovibiles sint, aequiparari possunt possessoribus *beneficiorum* manualium, vel etiam vicariis amovibilibus ad nutum episcopi, qui habent curam animarum. Acta s. Sedis tom. 4. p. 13; tom. 11. p. 392. *Vering* Archiv. tom. 22. p. 54.

[5]) Ortus et progressus beneficiorum cum charactere perpetuitatis est hic. Ab initio clerici ex communi ecclesiae aerario alimenta accipiebant. Lapsu temporum (saeculo 6.) certi reditus, e. gr. ex oblationibus aut ex fundis, presbyteris praesertim ruralibus ab episcopo sunt tributi, sed nonnisi modo revocabili et precario (unde nomen *precariae*) seu ad breve tempus, quo finito vel clerico, cui data fuerant, mortuo, praedia ad ecclesiam revertebantur. Post haec tales fundi cum proventibus citra novam episcopi concessionem parochis relicti et ipsis parochiarum titulis innexi sunt. Unde parochis ejusmodi proventus percipiendi jus *perpetuum* competere credebatur. Certe saeculo 11. omnis ruralis ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinebat c. 25. C. 23. qu. 8). Urbanae quoque ecclesiae, deserta praesertim vita communi, eandem disciplinam accipiebant. Scilicet separatis capituli bonis et inter canonicos divisis, stabiles praebendae formatae sunt, quae etiam *beneficia* vocabantur. Hocce nomen, quod antea omnibus *feudis*, quae viris optime de republica meritis a rege seu principe concedebantur, commune fuerat, tandem fere privative ad praebendas eccles. traductum est. Cfr. Acta III. p. 509.

[6]) Si quis vult fundare capellaniam Missarum, potest, si placeat, in literis fundationis auctoritatem Ordinarii tum in ea erigenda tum in ipsa conferenda expresse excludere, salvo tantum jure et officio ejusdem Ordinarii fundationem in acceptis habendi ejusque implemento invigilandi (id quod in omnibus fundationibus juxta leges eccl. servari semper debet). Talis cappellania est mere *laicalis*, cujus criteria haec duo potissimum sunt: 1. ut a

Divisio beneficiorum.

2. Beneficiorum variae sunt species. Dividuntur enim *a) in* beneficia *majora et minora. Majora* sunt, quibus jurisdictio eccles. propria et pro foro externo adnexa est, qualia beneficia obtinent patriarchae, metropolitae, episcopi et praelati seu abbates cum jurisdictione quasi episcopali. Imo vel ipsa dignitas papalis beneficium vocatur.[7]) Communiter tamen hi dignitatum apices communi nomine beneficiorum non comprehenduntur, licet eorum favores quoad omnia participent. *Minora* jurisdictione pro foro externo carent. — Rursus respectu adeptionis *b)* in *electiva, collativa,* et *patronata,* prout iis vacantibus vel electione collegii alicujus (capituli), vel libera praelati collatione, vel patroni praesentatione providetur. — *c)* In *simplicia* et *duplicia. Simplicia* sunt, quae simplex officium habent, scil. aut solum *officium divinum* sive in choro sive extra chorum, aut etiam altaris ministerium et obligationem certas Missas persolvendi. Duplicia vero sunt, quae praeterea curam animarum, aut officium, aut jurisdictionem aut praeeminentiam adnexam habent. Horum species sunt praecipue *beneficia curata,* quae curam animarum, administrationem sacramentorum, ac praesertim sacramenti poenitentiae, adnexam habent, quibus prae reliquis beneficia parochialia et quaedam commendae perpetuae, sed in sensu quodam latiori etiam reliqua beneficia, in subsidium parochorum erecta, adnumeranda sunt.[8]) Beneficiis duplicibus annumerantur etiam *dignitates* seu praelaturae, quibus in foro externo jurisdictio competit: *personatus,* qui includunt praecedentiam prae aliis personis eccles. sine ulla jurisdictione pro foro externo; denique *officia,* quae carent quidem ejusmodi jurisdictione, habent autem rerum ecclesiasticarum administrationem. § 121. 3.) — *d)* Ex simplicibus beneficiis quaedam sunt *residentiaria,* uti sunt beneficia choralia aut canonicatus, alia *non residentiaria,* quibus scilicet neque lege, neque fundatione obligatio residendi in loco beneficii est imposita.[9]) Porro *e) saecularia* sunt, quae vel ab initio pro clericis saecularibus fundata sunt, vel in quibus saeculares temporis successu, e. gr. ex legitima praescriptione,[10]) jus quaesitum obtinuerunt. *Regularia* sunt, quae

testatore excludatur ecclesiastica auctoritas in ejus tum erectione tum collatione; 2. ut conferri ab Ordinario non possit sive libera collatione sive institutione, sed constituatur capellanus amovibilis ad nutum patronorum cum causa aut sine causa. Acta I. 619. 624; II. 325. 327; III. 95. V. 25. 203.

[7]) C. 1. X. (V. 26).

[8]) S. C. C. in Sublacen. 13. Jul. 1743. apud Richter Concil. Trident. p. 37. n. 7.

[9]) «Verum canonicatus, quamquam inter beneficia simplicia recenseantur, tamen accedunt ad dignitates (c. 11. in VI. I. 3), ideoque in odiosis simplicium beneficiorum nomine non comprehenduntur» *Devoti,* tom. 2. tit. 14. § 7.

[10]) C. 5. de praeb. et dignit. in VI. (III. 4).

solis religiosis conferuntur, utpote iis solis ex fundatione vel consuetudine aut alio titulo addicta. Talia sunt Abbatiae, prioratus et parochiae regularium. In dubio, utrum beneficium sit saeculare an regulare, praesumitur esse saeculare, quia saeculares frequentius ad beneficia solent deputari. — Denique *f)* juxta superius dicta notanda est differentia inter beneficia *proprie* et *improprie* sic dicta, seu in *perpetua* et *manualia,* quae non titulum sed modo revocabili conferuntur. (§ praec. 1. c.)

§ 77. Officiorum ecclesiasticorum mutua relatio ad invicem.

Officia et beneficia eccles. diversi sunt ordinis et potestatis, prout hierarchia ipsa variis gradibus distributa est. Ex hac diversitate enascitur illa sacrorum officiorum relatio, quae *majoritas et obedientia* nuncupatur.[1]) Nimirum majoritas seu praeeminentia superioribus competit, obedientia vero et reverentia ab inferioribus exhibenda est.

Majoritas in superioribus.

1. Potest vero clericus variis modis altero esse major, *a) Potestate et jurisdictione,* vel etiam *ratione ordinis.* Qui in majori ordine constituti sunt, tum in sessione tum in portione beneficiali, seu praebenda consequenda aliis praeferri debent, etiamsi hi prius recepti sint. — *b)* Majores alii dicuntur *ratione antiquitatis,* seu ex praerogativa temporis; et haec majoritas de jure locum habet inter eos, qui ordine sunt aequales juxta principium: «Prior in tempore, potior in jure.» (Reg. 54. jur. in 6to.) Haec temporis majoritas valet ceteris paribus. Quare antiquior episcopus non praecedet archiepiscopo. — *c)* Alii aliis majores sunt *ob dignitatem ordinantis,* prout e. gr. ille aliis (ceteris paribus) praefertur, qui a Rom. Pontifice ordinatus est.

Caeterum in unaquaque dioecesi vicario generali episcopi, tanquam principali ejusdem ministro, de jure debetur praecedentia ante alios clericos et canonicos etiam in dignitate constitutos (nisi consuetudo aliud induxerit). Porro capitulum cathedrale, si collegialiter sit congregatum, reliquis ordinibus et statibus ecclesiasticis inferioribus supereminet, singulis vero et separatis canonicis praeferuntur abbates et praepositi. Capitula collegiata saecularia praeferuntur regularibus, haec vero religiosis ordinibus, inter quos mendicantes reliquis praecedentiam dare tenentur.[2])

---

[1]) Tit. de majoritate et obedientia (I. 33); in VI. (I. 17); X. vag. comm. (I. 8.).

[2]) Cfr. Concil. Trid. Sess. XXV. de regul. c. 13. De praecedentia inter ordines mendicantium vide *Santis* h. t.

Obedientia inferiorum.

2. Subjectos majoribus reverentiam, tunc autem praeterea obedientiam, quae dicitur canonica, exhibere oportet, quando ii intuitu ipsorum aliqua jurisdictione pollent. Et hanc obedientiam, quae ad finem ecclesiae obtinendum plane necessaria est, cuncti fideles summo Pontifici, dioecesani suo episcopo, regulares vero suae religionis superioribus praestare tenentur. Cuilibet vero obtemperandum est pro modo suae superioritatis, et intra terminos suae jurisdictionis praecipienti. Unde Papae, quia habet concurrentem cum omnibus inferioribus praelatis, simulque superiorem prae iisdem potestatem, prae cunctis aliis obediendum est. Metropolitae vero in iis tantum casibus suffraganei obedire tenentur, in quibus illi quidpiam potestatis in hos ex jure competit. Similiter regulares deputati ad parochiam episcopo subditam, circa curae animarum administrationem episcopo, circa observantiam vero regularem suo praelato parere debent.

Obedientiae canonicae promissio.

Attamen ut subditi fortiori vinculo ad debitam obedientiam adstringantur, iidem communiter in muneris sui ingressu juramento eam specialiter spondere jubentur. Id obtinet praeprimis de episcopis, a quibus, dum ordinantur juramentum obedientiae erga summum Pontificem exigitur,[3]) ut ad explendas muneris sui partes fortius incitentur et centro unitatis arctius adstringantur. Siquidem mos, Pontifici rom. fidelitatem et obedientiam juramento spondendi, jam pridem a legatis in terras remotas abituris (e. gr. a s. Bonifacio), a metropolitis pallium a s. Sede recipientibus, observari consuevit, donec tandem universi episcopi, praesertim ex quo jus electos confirmandi ad Sedem apostolicam devenit, ad illud juramentum adstringerentur. (Differt juramentum, quo episcopi erga principem civilem se obstringunt eidemque fidelitatem tanquam subditi civiles adpromittunt, prout e. gr. in nostro Concordato [Art. XX.] praescribitur.[4]) — Idem obedientiae jusjurandum suo episcopo praestare tenentur clerici, qui beneficium aliquod *duplex*[5]) obtinuerunt. Adepti vero beneficium *simplex* ad hoc non

---

[3]) Antiquitus, dum constitutio metropolitana fuit in vigore, istud juramentum metropolitae quoque praestari debuit. Imo etiam laxato nexu metropolitano suffraganei archiepiscopo fidem jurare perrexerunt, uti definitum est in Concordia Constant. a. 1418.

[4]) Forma juratae obedientiae erga Pontificem pro temporibus et casibus quam maxime variabat; formula qua Patriarcha Aquilejensis fidem Pontifici jurare debuit, paucis mutatis eadem est ac illa, quae reperitur c. 4. X. de jurejur. (II. 24). — Clemens VIII. stabilem illam formam primus praescripsit, quae nunc in Pontificali rom. habetur.

[5]) Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. statuit, ut provisi de beneficiis curam animarum habentibus a *die adeptae possessionis ad minus intra duos menses* in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali ejus vicario seu officiali, orthodoxae fidei suae publicam faciant professionem,

obligantur, nisi jam deliquerint contra obedientiae praeceptum.[6]) Denique non praetereundum, eos qui ad sacerdotium promoventur, obedientiam canonicam episcopo dioecesano spondere.[7])

Contra eos, qui contumaciter detrectant parere episcopi mandatis, infligi potest ab episcopo poena excommunicationis, eandemque poenam contra regulares inobedientes possunt Abbates et Priores pronuntiare.[8])

§ 78. De erectione beneficiorum.

Requisita:

In erectione beneficiorum haec requiruntur:

1. Auctoritas ecclesiae.

1. *Legitima superioris eccles. auctoritas,* uti ex notione beneficii sponte consequitur. Et quidem ad Romanum Pontificem non tantum *majorum* beneficiorum, omniumque illorum, quorum totius interest ecclesiae, spectat erectio, e. gr. episcopatuum, sed potest ille pro sua, qua pollet, universali auctoritate, etiam alia creare, quae non ad universae ecclesiae, sed dioecesium bonum referuntur. Hoc titulo sine ipsius consensu non possunt erigi abbatiae, capitula cathedralia, novaeque eorundem dignitates, vel ecclesiae collegiatae. Sed collegiatarum erectio a Papa vi Brevis specialis Ordinario loci committi, seu concedi solet.[1]) Beneficia vero *minora,* uti canonicatus, beneficia parochialia etc., ab episcopis erigi possunt, et si opus sit, etiam debent.

2. Justa causa.

2. *Justa causa* seu finis bonus per erectionem obtinendus, nimirum ecclesiae necessitas vel utilitas et cultus divini incrementum.

3. Locus congruus.

3. *Locus fundationis congruus,* scil. ut quodlibet beneficium habeat suam ecclesiam, tanquam titulum, cui adscribatur; imo etiam speciale altare beneficio solet assignari, in quo beneficiatus pensum suum absolvat. Inter alia ad episcopalem dignitatem tuendam lege can. cautum est, ne sedes episcopales in locis obscuris et ignobilibus constituantur.[2])

---

et *in Romanae ecclesiae obedientia* se permansuros spondeant ac jurent. At ex legibus particularibus et ex consuetudine eo ipso die, quo beneficiatus possessionem sui beneficii ingreditur, hi duo actus conjunctim peragi solent, et quidem communiter coram decano foraneo.

[6]) C. 10. X. (I. 33).

[7]) Pontificale rom. in ordinat. presbyteri: «Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam.» Resp.: «Promitto.» — Nihil magis destruit ecclesiam, quam si laici ipsos ministros ecclesiae contra canones et praecepta episcopi impingere cernant. Et quomodo illi obedientiam a subditis obtinebunt, qui eandem superioribus suis negligenter exhibent vel audacter detrectant? Vide quae egregie dicuntur *de obedientia et reverentia* in Conc. Strigon. (1858) tit. 9. 2.

[8]) c. 2 et 10 h. t.; Cfr. can. c. C. 11. 9. 3.

[1]) Ferraris sub voce *Collegiata,* et Ginzel II. p. 165, n. 1. *Philipps* K.-R. tom 7. p. 285.

[2]) C. 5. D. 80: «Non debere in vicis et villis episcopos ordinari.» C. 4. ibid. c. 1. X. (V. 33).

4. *Fundus dotalis sufficiens,* juxta legem vel morem dioecesis. 4. Dotatio sufficiens.

5. *Leges fundationis* seu determinationes, juxta quas beneficium administrari debeat. Cuivis fundatori liberum est statuere conditiones a beneficiato religiose servandas, quas mutare nec episcopo integrum est. Voluntas enim et conditiones in limine fundationum appositae omnino servandae sunt, ceu juxta canones statuit Concilium Tridentinum.[3]) 5. Leges fundationis.

6. *Modum erectionis* quod attinet, competens praelatus ante omnia, an modo dictae conditiones adsint, inquirere debet, necnon omnes interesse habentes advocare et audire, ne forte jura tertii v. gr. parochi illius loci violentur, deinceps vero per contractum ex utraque parte obligatorium beneficium acceptare et eccles. auctoritate in titulum perpetuum erigere, de quibus etiam publicum instrumentum confici oportet. 6. Solemnitates.

Jus gubernii civilis in beneficiorum erectione interveniendi (quod etiam in mutationibus circa beneficia faciendis [§ seq.] obtinet), *ex rei natura* derivari haudquaquam potest, quia beneficia res mere ecclesiasticae sunt. Praesertim vero episcopatuum erectio et circumscriptio ad essentialia Sedis apostolicae jura referendae sunt.[4]) Ast quia erectio beneficiorum, praesertim majorum, nexum cum rationibus reipublicae habet, ex regulis prudentiae et mutuae concordiae non sine rogatu principis in ea procedendum est. Inprimis potestas civilis jam ex eo in erectione beneficiorum intervenire debebit, quia illius auxilium vel ad cogendam ex communitate pecuniam, vel ad tuenda beneficii jura plane necessaria est. In compluribus statibus interventio gubernii in erigendis vel immutandis beneficiis statuta est *per pacta cum Sede Apostolica inita.* In imperio Austr. (Concord. Artic. XVIII.) non solum in erigendis et noviter circumscribendis episcopatibus s. Sedes appromisit, fore, ut cum gubernio imperiali consilia conferat, sed hoc ipsum etiam (Art. IV. c.) constitutum est, quoties agitur de parochiis instituendis, dividendis et uniendis,[5]) non vero de aliorum beneficiorum erectione.[6]) — Restat animadvertere, *beneficiorum* Interventus gubernii.

---

[3]) Sess. XXV. c. 5. de ref. et c. 9, ubi legitur: «Legitima patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est.»

[4]) Concord. austr. art. XVIII.: «S. Sedes *proprio utens jure* novas dioeceses eriget» etc.

[5]) Ex ordinatione caesar. 20. Apr. 1854, cooperatio isthaec ad regimen provinciae respectivae pertinet.

[6]) Sed lex d. 7. Maj. 1874 § 20 indiscriminatim pro erectione, divisione et unione praebendarum gubernii consensum requirit. — Ad statum parochiarum aevo recentiore apud nos inductum accuratius cognoscendum, haec notentur. Saeculo jam 17. et deinceps complures ecclesiae filiales ab ecclesiis matricibus avulsae et proprium pastorem curatum adeptae sunt, curatiae

erectionem quandoque naturam *restitutionis beneficii exstincti* induere. Quod tunc evenit, quando beneficium aliquod suppressum, exstinctum, vel cum alio unitum erat (§ seq.). Causa suppressionis vel unionis cessante, prior rerum status auctoritate legitima restitui potest et nonnunquam etiam debet. Erectio beneficii *vi mutationis* vel *per transformationem* contingit, quando species beneficii mutatur v. gr. cum beneficium simplex in parochiale transformatur. Sed ei potius ratio innovationis insita est, ad quam nunc transimus.

§ 79. De innovatione beneficiorum.

Quidquid statum primitivum beneficiorum, seu eorum officia, jura, redditus, immutat, generatim *innovatio beneficiorum* appellatur. Quum vero cujusvis beneficii erectio pactum constituat inter ecclesiam et fundatorem, jure naturali perpetuo servandum; quum porro beneficia integra et *sine diminutione* conferri praecipiantur: apparet, omnem innovationem communiter odiosam esse, nec nisi certis solemnitatibus et conditionibus, scil. ex justa urgenteque causa, salvo jure tertii, per legitimi superioris auctoritatem[1]) et auditis iis, quorum speciatim interest, perficiendam esse.

Contingit vero innovatio pluribus modis:

Unio triplex.

1. Per *unionem,* quae est duorum vel plurium beneficiorum aut ecclesiarum per legitimum superiorem facta conjunctio. Et haec triplicis generis est: *a)* unio *aeque principalis,* quando scil. duo beneficia in perpetuum *uni* rectori subjiciuntur, salvis utrius-

---

exinde dictae (in Tiroli) vel vicariatus (in archidioecesi Salisburg.). At parochiarum mutatio valde notabilis in ditionibus austriacis inde ab anno 1783 regiminis civilis auctoritate perfecta est. Nimirum complures novae parochiae et capellaniae praesertim locales erectae, aliarum vero parochiarum limites aliter definiti sunt, et per hoc status ecclesiarum haud parum immutatus est. — Dotatio pro novis parochis et capellanis (utrique ordinaria jurisdictione parochiali, a parochis antiquis nullo modo dependente, instructi sunt) assignata est aut ex fundo religionis aut ex beneficiis simplicibus, quae vel in capellanias locales convertebantur vel ad sustentandum cooperatorem applicabantur. Illis tamen pastoribus, quibus ex fundo religionis congrua sustentatio, vel ejus portio, assignata est, obligationes Missarum fundatae, quas fundus religionis ex sublatis monasteriis et confraternitatibus, item ex ecclesiis clausis et beneficiis suppressis susceperat, impositae sunt. Parochis antiquis de reditibus quidquam detrahi leges initio (1783) vetabant. Sed deinceps (25. Jan. 1810) decretum est, ut vacante parochia antiqua Gubernium cum Ordinariatu deliberaret, an non ea pars fructuum parocho novo addici possit, quae datur intuitu earum functionum, quae jam eidem novo parocho incumbunt (Cfr. § seq. n. 3). — Cum deinde nimium beneficiorum incrementum parum utile esse videretur, decretis caesar. 1790 et 1792 praeceptum est, ut parochiae et capellaniae absque necessitate erectae denuo supprimerentur proximaeque parochiae, licet populo obstrepente, adjicerentur.

[1]) Pro beneficiorum innovatione eorundem auctoritas requiritur, quos in eorum erectione intervenire oportet. (Cfr. § 20. cit. legis 7. Maj. 1874.)

que beneficii aut ecclesiae juribus, statu et nomine;[2]) *b)* unio per *confusionem (promiscua),* dum duo vel plura beneficia in unum quoddam tertium conflantur, ita, ut singula quidem existere desinant, eorum tamen jura et privilegia in beneficium novum ex iis consurgens transferantur;[3]) *c)* unio per *subjectionem* (accessoria, subjectiva), dum unum beneficium fit alterius accessorium, seu una ecclesia subjicitur alteri tanquam superiori, ita, ut *matris et filiae* relatio inter eas intercedat, et penes filiam vicarius constituatur. Hoc contingit, e. gr. si qua parochia convertatur in exposituram et proximae parochiae subdatur. Sed in hoc casu veri nominis unio tunc tantum habetur, si etiam pars dotationis ab ecclesia subjecta in alteram transferatur.[4])

Requisita.

Ut beneficiorum unio fieri possit, haec requiruntur: 1. Non possunt uniri beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, neque beneficia regularia cum parochialibus vel praebendis tenuiter fundatis capitulorum cathedral. vel ecclesiarum collegiatarum, neque demum beneficia collativa cum beneficiis patronatis.[5]) 2. Unio debet esse perpetua[6]) et realis i. e. intuitu ecclesiae facta et in posterum permansura, non vero personalis seu in personae dumtaxat favorem, utpote quae non esset nisi pallium, quo prohibita beneficiorum pluralitas tegitur. 3. Praeter solemnitates supra recensitas pro uniendis beneficiis minoribus etiam consensus capituli, consensus patroni laicalis (si patronata cum aliis patronatis conjungantur), et consensus beneficiati (si unio cum ipsius praejudicio fiat), et interpellatio etiam parochianorum requiritur. At locus datur unioni, etiamsi parochiani refragentur, dummodo fuerint auditi.[7])

Incorporatio.

2. Per *incorporationem* seu *adnexionem,* quae pariter quoddam unionis genus est ideoque in jure can. etiam nomine unionis venit.[8])

---

[2]) Sic a Pio VII. uniti sunt episcopatus Bellunensis et Feltrensis, ita, ut duae ecclesiae episcopales cum duobus capitulis cathedral. independenter ac aeque principaliter consociatae existant, et ab uno tantum praesule perpetuo administrentur. Vid. Constit. «De salute.» 1. Maj. 1818. (Contin. Bullar. tom. 15. p. 231). Similiter ecclesiae Posnoniensis et Gnesensis aeque principaliter et perpetuo unitae sunt. — Qualis parochiarum *sic* unitarum sit conditio, exponitur in ephemer. «Acta» II. 288 seq. Cfr. ibid. I. 530.

[3]) Cfr. Acta I. 602 seq.; III. 418.

[4]) Exemplum unionis subjectivae habetur in Constit. Leonis XII. «Locum b. Petri» 20. Jun. 1828 (Contin. Bullar. tom. 12. p. 378), in qua episcopatus Justinopolitanus (Capo d'Istria) Tergestino, episcopatus vero Polensis Parentiano accessorie subjicitur.

[5]) Conc. Trid. Sess. XIV. c. 9; XXIV. c. 13. 15; XXV. c. 9 (de ref.).

[6]) Conc. Trid. Sess. XXI. c. 5. de ref.

[7]) Ferraris sub v. *parochia* n. 39. et Conc. Trid. l. c. edit. Richter et Schulte. n. 1. et 4.

[8]) Vid. *Bouix:* tract. de regular. II. p. *Engel* de capellis monachorum tit. 37. I. III. et *Schmalzgrueber* ibid. *Reiffenstuel* lib. 3. tit. 12. n. 45. 46.

Consistit vero in eo, ut aliquod beneficium cuidam collegio, capitulo, monasterio, universitati, vel dignitati, et quidem plerumque augendae dotationis causa, adjiciatur. Ad munera beneficii incorporati obeunda semper vicarius deputari debet, quia secus esset unio personalis, puta si e. gr. dignitarius ipse ministeria beneficii incorporati persolveret. Distinguitur triplex incorporationum species. Prima dicitur unio *quoad temporalia tantum,* seu *non pleno jure,* quando reditus parochiae assignati sunt e. gr. cuidam monasterio, sed cura animarum administratur a rectore beneficii ab episcopo constituto ad praesentationem monasterii. Unio *pleno jure* est, quando tum temporalia tum spiritualia pertinent ad monasterium, ita, ut cura animarum habitualiter resideat penes capitulum seu penes praelatum, qui repraesentat capitulum, actualiter vero exerceatur per vicarium temporalem e gremio capituli deputatum. Mediante hac unione mutatur status et natura beneficii uniti, adeo, ut desinat esse beneficium, et fiat *pars* seu *praedium* alterius, cui unitur. Unio denique *plenissimo jure* ea est, qua praelatus monasterii jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum subjectum obtinet, haecque praelati jurisdictio ex episcopi dioecesani potestate eximitur. (§ 120. 1. c.)

Concilium Trident., ut abusus in hac re exortos ad rectum usum revocaret, *a)* quoad incorporationes jam factas statuit, tum ut beneficia curata incorporata ab episcopis quotannis visitarentur, tum ut vicarii idonei, portione fructuum ipsis assignata, ibidem constituerentur; *b)* pro futuro vero prohibuit, ne nova *parochialium*[9]) ecclesiarum incorporatio fieret; *c)* «nihilominus tamen, beneficia *simplicia* uniri seminariis, capitulis, monasteriis, aliisque piis locis ad tenuem dotationem augendam permisit.»[10])

Divisio triplex.

3. Unioni opponitur *divisio* seu *(sectio)* beneficiorum et *dismembratio. Divisio* est, si ex uno fiant duo vel plura nempe in-

---

Caeterum unio ab incorporatione in eo differt, quod in unione 1. beneficia semper etiam quoad spiritualia conjunguntur; 2. quod in parochia incorporata *semper* vicarius constitui debet, non semper in unita; 3. quod beneficiato defuncto utrumque insimul vacuum evadit; quod secus est in incorporatione.

[9]) Sess. VI. c. 7; Sess. XXIV. de ref. c. 13.

[10]) Ib. XXIII. c. 18: Sess. XXI. c. 7. XXIV. c. 15. (de ref.). Nota tamen, quod jam Clemens V. (c. 2. Clem. [III. 4.]) prohibuit incorporari aliquam ecclesiam *mensae* sive *episcopi* sive *Capituli* (quia ejusmodi unio potius studio proprii commodi, quam ad ecclesiae utilitatem facta censeri posset); sed incorporatio fieri debet singulis praebendis *distributive,* ita, ut indirecte tantum in utilitatem capituli vertatur. Nec fieri potest massae distributionum, fabricae, sacristiae etc. Porro ut fieri possit, et praebendarum et distributionum tenuitas *simul* adesse debet. *Pyrrhus Corrad.* Praxis beneficiaria II. 8. n. 57; *Leuren* forum beneficiale III. 2. cap. 1. qu. 889. — De hac materia vid. *Schulte* in *Moy* Archiv. tom. 16. p. 147. seq. — Cfr. Dr. *Foesser* ibid. tom. 21. p. 353: De unione, speciatim de incorporatione beneficiorum.

tercedente justa causa et servata solemnitate. *Dismembratio* fit, si pars redituum aut etiam plebis, uni beneficio ablata, adnectitur alteri, salva utriusque substantia. Dismembratio est *totalis,* quando *tum* pars populi *tum* pars redituum a beneficio abstrahitur; *partialis,* ubi *solummodo* pars bonorum aut *solummodo* pars populi alteri beneficio adjungitur. Itaque

a. Populi et redituum.

a) Dismembrari *ex integro* potest parochia, si adsit justa causa, et serventur debitae solemnitates extrinsecae. *Justa* autem *causa* ex mente Concilii Trid. (n. 12.) non quidem judicanda est magna populi celebritas (quippe cum in hoc casu ex mente Concilii plures sacerdotes subsidiarii assumi possint ac debeant) sed potius locorum distantia, itineris difficultas, torrentium excrescentia, et similia. Ast ex praxi vigenti etiam nimia incolarum multitudo justam causam praebet, novas parochias erigendi, et generatim causae non adeo graves, ut olim, pro dismembratione requiruntur, praesertim ubi manifestum est, erigendae ecclesiae nihil deesse, nihil antiquae deperire.[11]) *Solemnitates* quod attinet, audiendus est ecclesiae rector (aut ejus defensor, si viduata sit pastore), itemque audiendi sunt patroni, parochiani, aliique quorum interest. Sed horum non exigitur consensus, quinimo etiam spernendus est dissensus, etiamsi, causa canonica *pro* divisione existente, jacturam aliquam persentiant. Siquidem Concilium Tridentinum[12]) ad tramites decretalis Alexandri III.[13]) non solum statuit, subsistente causa, *etiam invitis rectoribus* ad novae parochiae erectionem deveniendum esse, sed insuper praecepit, ut novo parocho assignetur competens portio ex fructibus ecclesiae matricis; si vero necesse fuerit, populus compelli debet ad ea subministranda, quae ad vitam dicti sacerdotis sustentandam sufficiant.[14]) Casu, quo ecclesia matrix ex reditibus suis novam parochiam dotavit, illius rector

---

[11]) Acta s. Sed. tom. 13. p. 64; tom. 10. p. 272; tom. 13. p. 292. *Maupied* vol. 1. p. 1244. — Ceterum distantia unius horae, imo etiam minor sufficit, juxta arbitrium episcopi, ubi haec est causa principalis dismembrationis.

[12]) Sess. XXI. c. 4. de ref.

[13]) C. 3. ad audientiam X. (III. 48).

[14]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 13 de ref. Cfr. Acta III. Append. VI. p. 396: «De parochi populique consensu in parochiarum dismembratione.» Ex praxi s. C. C. dictae solemnitates in parochiarum dismembratione non requiruntur ad formam, seu substantiam actus, sed tantummodo ad causae cognitionem et ad declinandum praejudicium tertii. Doctores enim in Curia distinguunt inter parochiarum dismembrationem et nudam beneficiorum divisionem. In *illa* non necessario requiritur forma judicialis seu citatio solemnis eorum, quorum interest. Cfr. Acta I. 520. 545. Econtra ubi agitur de nuda beneficiorum dismembratione aut unione (quae quoad canonicas solemnitates in jure aequiparantur) districte eas Patres Tridentini prohibuerunt, nisi fierent in solemni forma judicii. Sess. VII. c. 6. de ref.

jus patronatus intuitu ecclesiae sic fundatae acquirit. Praeterea ecclesiae matrici competens honor servari debet, variis modis et per annuas etiam praestationes exhibendus. — Ceterum hodie dismembratio communiter fit, quin ex dote et ex proventibus parochi antiqui quidquam depereat; imo potius populus a parochia avulsus etiam deinceps eidem solitas praestationes facere adigitur.[15])

Caeterum etiamsi generatim magis congruat, ut avulsâ parochiâ veri nominis *parochus* constituatur, praesertim si ea fractio parochianorum longius distet ab ecclesia parochiali, quandoque tamen ex praxi s. C. C. etiam vicarius perpetuus et independens, interdum etiam vicarius tantummodo temporalis constitui solet. In quovis casu distinguendum est, quid magis expediat populo.[16])

b. Nonnisi redituum.

b) Altera species dismembrationis est, quando aliqua bona seu reditus a beneficio pinguiori separantur, et alteri tenuiori applicantur, remanente beneficio penes suum ordinarium rectorem. Et haec dismembratio nonnisi ex causa (cujusmodi e. gr. est abundantia unius beneficii et indigentia alterius) et servatis debitis solemnitatibus, quae alias ad alienationem rei ecclesiasticae requiruntur, perfici potest. Ad res vero ecclesiasticas alienandas inter alia etiam venia sedis Apostolicae requiritur, prout suo loco dicetur.[17]) (§ 226.)

c. Populi tantum.

c) Denique tertia dismembrationis species, in qua scil. pars populi alteri parocho (jam existenti) addicitur, proprie non est, nisi *nova parochiarum limitatio.* Fieri potest ex gravi causa ac legitima solemnitate et auctoritate, nempe per episcopum, attamen in plerisque regionibus, et etiam in Austria, haudquaquam sine interventu gubernii saecularis.[18])

Diminutio.

4. Per *diminutionem* beneficii seu novi oneris impositionem,[19]) quando scil. beneficium vel beneficiatus aliquo onere reali vel personali gravatur, aut in collatione pars redituum beneficialium novo beneficiario subtrahitur. Quaedam scil. onera sunt *personalia,* quae ipsi personae beneficiati imponuntur, eaque vel *spiritualia* sunt,

---

[15]) Ast vi leg. d. 7. Maj. 1874 parochiani, qui avelluntur a suo parocho, liberantur ab omnibus contributionibus parochialibus eidem hactenus debitis, nisi istae titulo privato nitantur, aut expresse in pactum deducantur. Idem applicari debet etiam ad dismembrationes *jam factas,* salvo tamen jure parochi, qui nunc est in possessione. § 21.

[16]) Ctr. *Moy* Archiv t. 3. p. 439, ubi casus dismembrationis apud s. C. C. deductus exhibetur; Acta s. S. t. 1. 524. 545; t. 3. 354. t. 4. 264.

[17]) *Reiffenstuel* ad lib. III. tit. 12; *Engel* ib. n. 5.

[18]) Cfr. Acta I. 520. — Vi legis d. 7. Maj. 1874 pro nova parochiarum limitatione requiritur consensus gubernii. § 20.

[19]) In sensu latiori etiam divisio et dismembratio nomine diminutionis veniunt.

v. c. si jubetur adjuvare parochum in concionibus, catechesibus, excipiendis confessionibus; vel *temporalia,* si praestare jubetur partem fructuum, censum, pensionem etc., sed ad dies vitae dumtaxat, quin ad hoc obligentur etiam successores. Secus enim onus censetur esse *reale,* quia non tam beneficiatus quam beneficium ipsum eo gravatur.

Impositio onerum temporalium;

Igitur diminutio beneficii generatim legibus odiosa est, et status ejus primitivus, etiam postquam vacans evasit, in quantum fieri potest, servari debet,[20]) salvis dumtaxat exceptionibus in jure permissis. In specie vero attendendae sunt sequentes regulae:

a) Ad onera realia maxime *census* et *pensiones* pertinent. Nimirum *census* est praestatio in signum subjectionis, concessae exemtionis aut alterius juris persolvenda ex beneficio; *pensiones* vero ex auctoritate superioris pariter ex beneficio aut ex proventibus ecclesiasticis tertio adsignantur. Itaque *census antiquus* (i. e. in limine fundationis impositus), seu praestatio quaedam annua a beneficiato persolvenda, ab episcopo vel in commodum patroni constitui,[21]) vel etiam aliis de voluntate fundatoris[22]) ac inprimis in signum subjectionis addici potest.[23]) Census vero *novum* eumque *perpetuum* et pensionem *perpetuam* imponere vel veterem augere solus Pontifex valet, quibuslibet vero inferioribus a Concilio Lateran. III. hoc interdicitur.[24]) Ratio est, quia impositio pensionis perpetuae est scissio beneficii (supra 3. b.) nec non etiam alienatio rerum ecclesiae, quae illicita semper est sine beneplacito Apostolico. Permittunt vero canones, ut episcopus certis in casibus et causa semper expressa (non quidem ipsi *beneficio,* sed tamen *beneficiato*, quamdiu tenuerit beneficium) imponat censum seu pensionem *temporalem,* quae nempe (juxta probabiliorem sententiam) ad successores in beneficio non transeat.[25]) Ejusmodi census vel pensio statui potest e. gr. pro studio pauperum scholarium, pro utilitate ecclesiae vel egenorum etc., et maxime tanquam pensio pro bono pacis et concordiae inter duos litigantes de beneficio, vel pro alimentatione resignantis aut a beneficio injuste expulsi, et in similibus casibus. Sed tamen pensionem episcopus debet *ordinare,* antequam alicui conferat beneficium, minime

Census antiqui.

Census novi.

Pensionum.

---

[20]) Superscriptio tit. 12. lib. III. decretal habet: «Ut beneficia eccles. sine diminutione conferantur.» Conc. Trid. Sess. XXV. de ref. c. 5: «Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur.»

[21]) C. 23. X. de jure patr. (III. 38).

[22]) C. 30. C. 18 qu. 2: — c. 16. X. (III. 39).

[23]) Hinc omnino legitimi sunt census, qui dicuntur *recognitionis,* qui a nostris curatis persolvi debent parochis antiquis.

[24]) C. 7. X. (III. 39). — Cfr. *Fagnani* ad c. «nisi» 21. X. (III. 5).

[25]) Sic *Reiffenstuel* h. t. et Fagnani l. c. contra *Zallinger* h. t.

vero potest absque labe simoniaca per modum conventionis aut adjectae conditionis pacisci de solvenda pensione cum beneficiato noviter instituendo. Praeterea pensio debet esse moderata, ut beneficiario sustentatio congrua remaneat integra. Parochiales autem ecclesias, quae annuos ducatos centum suis fructibus non superant, Tridentina synodus pensionibus onerari vetat.[26]) Imo Benedictus XIII. indiscriminatim prohibuit, ne quaecunque ecclesiae parochiales ullo pensionum genere gravarentur, ut parochus integros habeat reditus; cum quibus et pauperibus et ecclesiae beneficiali subvenire possit.[27])

Retentio fructuum in collatione etc. beneficii.

b) Prohibitum diminutionis genus praeprimis est illud, quo patronus, cum ad beneficium praesentat, aut collator, cum id confert, partem fructuum sibi, aut suis, aut mensae suae vel capituli reservat; quodsi cum eo, cui confert, paciscatur, etiam simoniam admittit. Praeterea in Concilio Trident. omnes consuetudines improbantur, ex quibus in quacumque electione, praesentatione, institutione, collatione sive admissione ad possessionem cujuslibet beneficii deductiones fructuum, solutiones, promissiones, compensationes, quae in usus pios non convertantur, fiunt.[28])

Impositio onerum spiritualium.

c) Utrum *nova* onera spiritualia ab Ordinario sine auctoritate Apostolica imponi possint, e. gr. officium chori, residentia, servitium in cura animarum, conciones catecheticae etc., erat quaestio olim[26]) controversa, quae tamen hodie omnino negative decidenda

---

[26]) Sess. XXIV. c. 13. de ref.

[27]) Constit. «Quanta» (1724), qua confirmatum est edictum, quod pridem (11. Nov. 1692) Innocentius XII. ea de re emiserat. Cfr. Acta II. p. 223.

[28]) Sess. XXIV. de ref. c. 14. cum resolutionibus et declarationibus s. C. C. — Ex his et ex Artic. 27. et 34. Concord. elucet, taxas toties solvendas, quoties quis beneficium eccles. obtinet, non adeo recte exigi, eoque vel minus, quia taxae aerario obveniunt (Gebührenges. J. P. n. 40). Sc. qui accipiunt beneficium eccles., aequiparantur iis, qui munus aliquod vel servitium in se suscipiunt et proinde certam taxam proventibus beneficii commensuratam aerario pendere debent. Si quis deinde secunda, tertia etc. vice aliud beneficium obtinet, taxa nova solummodo pendi debet, in quantum fructus novi beneficii sunt copiosiores quam beneficii antea possessi. In quo notandum est, quod nihil refert, utrum beneficium unum aut alterum sit patronatum, nec ne, quia *concessor* beneficii semper est episcopus. (Gebührenges. l. c. Anmerkung 3.)

[29]) *Zallinger* (ib. III. tit. 12. § 145) dicit, episcopum ex gravi causa tam beneficiato quam beneficio posse onus personale tum tempore vacationis tum in ipsa collatione imponere, modo istud onus fini per fundatorem intento non praejudicet. Cui consonat *Shguanin* (in tractatu beneficiario. Romae 1752 p. 5). *Pirhing* distinguens dicit, episcopum posse onus spirituale imponere beneficio, dum vacet sed non personae beneficiati per modum pacti, conditionis etc. Alii tamen, uti *Fagnanus* in c. 11. significatum X. (III. 5.) et *Reiffenstuel* (lib. III. tit. 12. n. 6.) omnibus Papa inferioribus eam potestatem abjudicant.

est, propterea quod adnexio novi oneris repugnat decreto Concilii Trid. (Sess. XXV. de ref. c. 5), et quia a s. C. C. saepius declaratum est, non posse episcopum beneficiis novum onus imponere, sed eum potius curare oportere, ut, quae illis ex fundatione aut consuetudine incumbunt, exacte adimpleantur.[30]) Tenendum est ergo principium generale, onera beneficiorum determinanda esse ad normam legis fundationum, nec posse episcopali auctoritate ea onera augeri. Confirmatur per novissimam declarationem s. C. C. (9. Dec. 1865), ex qua patet, capellanos regulariter non posse cogi ab episcopo ad celebrandum determinatis horis et diebus, si illud lege fundationis non sit ipsis impositum. Ex quo tamen haud sequitur, illos, qui vivunt de altari, et vi fundationis paucas tantummodo habent obligationes, otio marcescere sine culpa posse; tenentur enim ex ipso titulo sacerdotii vires suas animarum saluti fideliter impendere.[31])

Exstinctio et suppressio. 34

4. Per *exstinctionem* et *suppressionem* beneficii. Exstinctio est destructio beneficii et ecclesiae simul, e. gr. dum occupatur ab infidelibus vel schismaticis.[32]) Suppressio vero est ablatio beneficii, manente tamen ecclesia cum reliquis beneficiis ibidem fors existentibus. Et haec quidem fit auctoritate eccles.[33]) et ex causa justa, quia absque causa non licet diminuere aliquid de cultu divino. Istiusmodi causae sunt: paucitas incolarum, vindicta gravis sceleris,[34]) diminutio redituum talis, ut non possit persona

---

[30]) Sic refert. Fagnan. l. c., ubi etiam hoc allegat: Cum s. Carolus Borrom. vellet cogere obtinentes simplicia beneficia in parochialibus, ut per se vel per substitutos deservirent, s. Congregatio ab eo consulta respondit, non esse cogendos ad aliud, quam ad dicendas horas canonicas, nec teneri, si beneficia simplicia sint, deservire per se, nec per substitutum. — Exemplum recentissimum refertur in Moy Archiv (III. 442). Cum videlicet in parochia quadam dioecesis Mantuanae late diffusa et 3600 animas complectente non esset nisi unicus parochus, minime placuit beneficiatos *simplices* in loco existentes cogere ad nova officia praestanda, sed potius (19. Dec. 1857) reductis Missarum oneribus sustentationi duorum novorum cooperatorum provisum est.

[31]) Cfr. Acta II. p. 297 seq. — Potest tamen et debet episcopus quandoque *hortari* beneficiatos ad aliquid praestandum, ad quod vi fundationis non tenentur, imo in casu necessitatis etiam *cogere*, ex principio nempe generali, quia ipsi utpote sacerdotes habent ratione ordinis munus suum addictum populo. Hoc e. gr. procedit ratione Missae determinatis diebus vel horis celebrandae pro indigentia populi, cui succurri nequeat cum aliis Missis. Acta l. c. p. 300. not. 1.

[32]) Exempli species videntur exstare in c. pastoralis. 42. C. 7. qu. 1, et c. 3. X. vag. comm. (I. 3).

[33]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 15. Cfr. c. 33. (V. 40).

[34]) C. fin. C. 25. qu. 2.

idonea sustentari. Intellige tamen, si haec diminutio contingit *post* acceptatum beneficium: secus enim sibi ipse imputare debet, qui tam tenue beneficium acceptavit. Episcopatus ob similes causas, ac praesertim etiam ob territorii dioecesani angustiam, a Papa supprimuntur.[35]) Canonicatus, non vero dignitates (§ 122. 3.) canonicales, supprimere valet episcopus, si aliunde tenuitati praebendarum canonicalium succurri nequeat.[36])

Translatio.

Translatio beneficii, qua titulus illius alio transfertur, non habet rationem suppressionis,[37]) imo, stricte loquendo, neque innovationis, quia jura, proventus et obligationes ob mutationem loci ne minimum quidem immutantur. Causam et formam translationis indicat Concilium Trident.[38]) — «Episcopi etiam tanquam Sedis apostol. delegati transferre possint beneficia simplicia, etiam

beneficiorum x ecclesiis collapsis

juris patronatus *ex ecclesiis,* quae *vetustate vel alias collapsae sint* et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus,

ex ecclesiis parochialibus.

prioribus ecclesiis impositis.»[39]) *Parochiales* vero ecclesiae dirutae ut reficiantur, omni modo allaborandum est. Ubi hoc ob inopiam fieri omnino non potest, «ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi.»[40])

---

[35]) Sie e. gr. Patriarchatus Aquilejensis suppressus est a Benedicto XIV., ita ut duo archiepiscopatus Utinensis et Goritiensis erigerentur. Vide Alloc. Bened. XIV. 2. Jul. 1751. Bullar. Rom. tom. 17. p. 224. Item a Pio VII. suppressae sunt dioeceses Caprularum et Torcellana, et patriarchatui Veneto attributae (Constit. «De utiliori.» 27. Jun. 1818).

[36]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 15. Edit. cit. cum resolut s. C. C.

[37]) Nisi in episcopatibus, in quibus titulus ecclesiae cathedr. prioris a s. Sede supprimi et alia ecclesia in alio loco in cathedralem erigi solet. *Ginzel.*. II. p. 146.

[38]) Sess. XXI. c. 7. de ref.

[39]) Ejusmodi capellae in usus profanos, sed non sordidos converti, ac propterea, quum sacra esse desinant, in commercium hominum venire possunt s. C. C. 4. Sept. 1869. Acta s. S. (II. 464) V. p. 189.

[40]) Ubi agitur de ecclesiis parochialibus, translatio parochiae ad aliam ecclesiam longe difficilior evadit neque a s. Sede concedi solet, nisi ceu remedium extraordinarium, quando in casu fatiscentiae episcopus omnia alia remedia inutiliter expertus fuit. Aliae translationis causae esse possunt indecentia vel angustia, quando haec incommoda auferri non possunt. Ad transferenda jura alicujus ecclesiae ad aliam nunquam non beneplacitum Apostolicum est necessarium (§ 226). Cfr. Acta s. Sed. I. 220; II. 464; IX. 482.

CAPUT II.

De beneficiorum provisione canonica.

§ 90. Generalia.

Actus triplex in provisione.

1. Provisio, institutio[1]) seu collatio est juris beneficii vacantis ab habente potestatem facta in aliquem translatio. Ea triplici maxime actu perficitur. *a) Designatione personae idoneae* per electionem, postulationem, nominationem aut praesentationem vel etiam per simplicem collatoris designationem; *b) collatione tituli* seu juris beneficii per confirmationem Papae quoad episcopatus, et per collationem seu institutionem episcopi quoad beneficia minora; *c) introductione in possessionem beneficii,* seu institutione reali vel verbali.

Sola personae designatio, scil. electio, praesentatio, nominatio (quo etiam collatio nondum acceptata, potestas optandi pinguiorem praebendam (§ 85. not. 1.), coadjutoria cum jure successionis pertinet) tantummodo *jus ad rem* tribuit; sed confirmatio electionis, admissio postulationis, institutio praesentati, collatio acceptata, optio actualiter secuta *jus in re* seu in ipso beneficio *(titulum), investitura* vero actualem possessionem conferunt.

Provisio ordinaria et extraordinaria,

2. Provisio multiplex distinguitur. a) Vi competentiae collatoris alia est, *ordinaria,* alia *extraordinaria.* Regula est, beneficia majora ac praesertim episcopatus a summo Pontifice, minora vero ab Ordinario esse conferenda, ex quo notio provisionis *ordinariae* resultat. Quodsi vero vel ex titulo speciali jus collationis ad tertium spectat, vel ex jure devolutionis (§ seq. 3.) ad superiorem eccles. transit, vel si quaedam beneficia specialiter summo Pontifici reservantur, ea provisio dicitur *extraordinaria.*

Collatio libera es necessaria.

b) Rursus collatio aut *libera* est, quae a collatore pro arbitrio et independenter ab alterius praesentatione, electione vel nominatione exercetur, et haec *collatio* in specie appellatur; vel *necessaria,* quae ad alterius praesentationem aut nominationem est adstricta, et haec *institutio* in specie vocatur.

Provisio plena et minus plena.

c) Demum ubi jus designationis et jus collationis ad eundem spectant, et actu uno exercentur, provisia *plena,* secus vero, si hi actus ad diversos pertinent et distincti occurrunt, provisio *minus plena* contingit.

---

[1]) Institutio (cfr. tit. 7. lib. III. «de institutionibus») latissime sumitur pro quovis modo canonico beneficium acquirendi. Est alia *collativa tituli* seu *juris in re,* aut libera aut necessaria. Alia est *institutio corporalis* seu immissio in beneficium, quae a multis vocatur *investitura. Zallinger,* h. t. § 118.

§ 81. Requisita ad provisionem.

Ut collatio seu provisio fiat *canonice,*

Requisita: 1. Ex parte beneficii.

1. *ex parte beneficii* requiritur, ut non sit plenum, sed revera i. e. *de jure et facto* vacet.[1]) Beneficium *de facto tantum* vacans conferri non potest. Beneficium *de jure solum* vacans conferri potest, sed nonnisi priori possessore, cui fors adhuc quidpiam in eo juris competere possit, ante audito, causaque summarie cognita. Neque licet beneficium nondum vacans cuidam pro casu, quo vacaverit adpromittere seu *exspectativam* concedere (exceptis coadjutoriis episcoporum), id quod in Conc. Trid.[2]) salva tamen Sedis apostol. auctoritate[3]) prohibitum est.

2. Ex parte personae ad beneficium promovendae.

2. *Intuitu promovendi ad beneficium* requiritur, ut dignus et idoneus sit, seu debitis qualitatibus praeditus. Collatoribus namque beneficiorum sub poena infligendae suspensionis injungitur per canones obligatio, ut nonnisi viros idoneos ad beneficia eccles. promoveant, quorum dotes in examinis trutina probaverint.[4])

In specie pro singulis beneficiis requiritur:

a) Aetas legitima

a) *Legitima aetas;* videlicet pro episcopatu annus 30. completus,[5]) pro beneficiis duplicibus annus 25. inchoatus, pro personatibus et dignitatibus in capitulis quibuscumque annus 22. completus, pro poenitentiario in cathedrali aetas 40 annorum exigitur. Pro beneficiis simplicibus, nisi speciatim altiorem ordinem requirant, sufficit annus 14. incoeptus.[6]) Sed in recentioribus concordatis pro canonicatibus obtinendis tum ordo presbyteratus, tum annus 25. saltem inchoatus expresse requiritur. Super defectu legitimae aetatis solus Pontifex dispensare valet, nisi alicubi per statuta locorum aetas major, quam quae ex jure communi sufficit, requiratur, in quo casu dispensandi potestas est penes episcopum. Non dispensatus *valide* institui nequit. — b) *Legitimi natales,* nisi desuper in favorem eorum, qui morum integritate et doctrina commendantur, dispensatio impetretur, quae intuitu beneficiorum simplicium ab episcopo, pro beneficiis curatis vero a Pontifice conceditur. Et haec posterior dispensatio simul cum ea peti

b) Natales legitimi.

---

[1]) Vacat vero beneficium: *a) de jure tantum,* quod quis tenet, sed sine legitimo titulo; *b) de facto tantum,* si quis titulum quidem seu proprietatem beneficii, non tamen ejus possessionem tenet, v. c. injuste expulsus; *c) de jure et facto,* si nec titulum nec possessionem beneficii quisquam habet.

[2]) Sess. XXIV. c. 19. de ref. — Cfr. Sess. XXV. c. 7: c. 2. X. (III. 8); tot. hunc tit. de praeb. non vac. etiam in VI. (III. 8); et Clem. III. 3);

[3]) Sess. XXV. c. 21 de ref.

[4]) Conc. Trid. Sess. VII. c. 3. de ref.; c. 7. § 3. X. (I. 6); c. 29. X. (III. 5).

[5]) Pro obtinenda dignitate papali certa aetas non praescribitur (c. 7. X. [I. 6]), condecens tamen ea est, quae pro episcopatu requiritur. (c. 6. ib.)

[6]) Conc. Trid. Sess. XXIV c. 12. de ref. cum declarat. s. C. C. (edit. *Richter* et *Schulte)* n. 12; c. 8. ejusd. Sess.; Sess. XXIII. c. 6. de ref.

et dari solet, quae pro suscipiendis ordinibus majoribus obtinetur.[7]) — c) *Status clericalis* et *coelibatus* pro quibuscumque beneficiis, et praeterea *ordo* pro qualitate beneficii vel alias praescriptus. Ordo presbyteralis necessarius est pro obtinendo episcopatu [ad quem promovendus praeterea sex mensium spatio *in ordine sacro* i. e. saltem in subdiaconatu constitutus sit, necesse est],[8]) pro abbatiis et praeposituris, pro beneficiis parochialibus et pro dimidia saltem parte canonicatuum, salvis tamen statutis localibus, concordatis et legibus fundationis, in quibus major bresbyterorum numerus praescribitur.[9]) Conceditur tamen in jure, ut etiam illi beneficium conferatur, qui ordine requisito non est initiatus, dummodo illum ordinem intra annum recipiat; quod si neglexerit, ipso jure beneficio curato privatur.[10]) — d) *Vitae integritas,* quo etiam immunitas a censuris et irregularitate referenda est. Collatio beneficii illi facta, qui crimine aut sinistra fama laborat vel censura, aut irregularitate innodatus existit, *ipso jure* nulla et irrita est, nisi beneficium collatum solummodo simplex sit, quo casu nullitas per sententiam judicis pronuntiari potest. — e) *Literarum scientia.* Praeter supra (§ 65 n. 4.) jam dicta, et infra de concursu parochiali dicenda, illud hic praecipue notandum est, quod assumendus ad episcopatum debeat esse doctor aut licentiatus in Theologia vel in Jure can., aut saltem publico Academiae testimonio ad alios docendos idoneus declaretur. Idem exigitur a canonico theologo, a poenitentiario et archidiacono, et praeterea synodus Trident. hortatur, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in Theologia vel Jure canonico.[11]) — f) Inter plures dotibus legitimis instructos *dignior* eligendus est, nimirum ille, qui consideratis omnibus ecclesiae utilior futurus speratur. Legibus enim ecclesiae diserte praecipitur, ut beneficia eccles. dignioribus conferantur.[12]) Obligatio isthaec potissimum ad

c) Status clericalis, coelibatus ordo.

d) Integritas vitae.

e) Literarum scientia.

f) Dignitas caeteris praestans.

[7]) Sed communiter cum restrictione: «Citra dispensationem ad dignitates ac canonicatus et praebendas in cathedralibus et dignitates principales in ecclesiis collegiatis.» Pyrrhus Corr. Prax. disp. l. III. c. 1. n. 15. (Cfr. § 67. vers. fin.) — Ad quaenam beneficia filii clericorum illegitimi promoveri nequeant, vid. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 15. de ref. et Bened. XIV. de syn. dioec. L. XIII. c. 24. n. 13. seq.

[8]) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 2. de ref.

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. — Hodie capitula Germaniae et Austr. nonnisi presbyteros in suo gremio tenent. Concord. austr. Art. XXII.

[10]) Canonico non recipienti ordinem dimidia pars distributionum subtrahenda est. *Engel* l. I. tit. 14. § 2.

[11]) Conc. Trid. l. c. — Sess. XXIII. c. 18.

[12]) Can. 15. C. 8. qu. 1. «Qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur.» (s. Hieron.) —

episcopatum et ad alia beneficia, quae jurisdictionem eccles. fori externi, vel non modici momenti administrationem, vel curam animarum adnexam habent, referenda est. Valida tamen censetur collatio inferioris et etiam parochialis beneficii, qua simpliciter dignus, praetermisso digniore, eligitur.[13]) Nec praetereundum, ex ipso jure et ex doctrina communiter recepta in quibusdam casibus permitti, ut simpliciter dignus digniori praeferatur. Quod procedit e. gr. in beneficiis certae familiae destinatis, in collegiis seu monasteriis, in quibus haud recte assumeretur extraneus *dignior,* praetermissis personis ex ipso collegio.[14]) Insuper (et hoc intellige maxime de beneficiis simplicibus) utilitas ecclesiae, modicum discrimen inter dignum et digniorem, propositum collatoris, aliud aequale saltem beneficium digniori conferendi, et similes causae, excusant conferentem, si dignum praeponat digniori.

3. Adjuncta.

3. Collatio juxta *formam* per canones praescriptam fiat, necesse est. Unde beneficia conferri debent a) *gratuito,* nullo interveniente pretio, praemio aut mercede, ad cavendam simoniam; b) *libere,* citra vim et coactionem, tamquam liberalis quaedam donatio; c) *pure* seu absolute, non conditionate vel disjunctive; d) *ex integro sineque diminutione* (ex antea dictis), salvis tamen legitimis exceptionibus; e) *aperte* seu palam coram aliis, quia actus clandestini fraudis aut simoniae suspecti esse censentur; f) *tempore definito,* quia legibus cavetur, ne beneficia justo diutius i. e. generatim ultra semestre vacua permaneant. In regula electio ad ecclesiam cathedralem et ad praelaturam regularem intra *tres,* libera vero collatio beneficiorum, personatuum et dignitatum minorum intra *sex* menses, praesentatio in beneficiis patronatus eccles. pariter intra *sex,* laicalis vero intra *quatuor* menses post acceptam vacationis notitiam fieri debet.[15]) Si collator ordinarius infra tem-

---

Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 18. «Ex his episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit» etc. Sess. XXIV. de ref. c. 1. collatores aut operam suam praestantes monentur, ut meminerint, se «alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles judicaverint, praefici diligenter curaverint.»

[13]) Imo, ut observat *Pirhing* (in synopsi lib. III. tit. 5. § II.) valde probabile est, quod non sit (caeteris paribus) obligatio, ad beneficia curata inferiora, v. gr. parochialia, promovendi digniores vel dignissimos, sed nihil peccaturum conferentem, si vere dignum ad tale beneficium promoveat, quamvis digniorem praetermiserit; quum contraria sententia neque semper utilior sit ecclesiae, neque expediendis collationibus prosit, cum collatores scrupulosi multum de digniore essent inquisituri. Quatenus patroni digniorem debeant praesentare, infra dicetur.

[14]) c. 12 et 13. D. 61. — Notat s. Thomas (2da 2dae quaest. 63. art. 2) non esse obligationem vocandi ad praelaturam digniorem extraneum, quando dignus habetur in gremio.

[15]) c. 2. X. de conc. praeb. (III. 8); c. 41. X. de elect. (I. 6).

pus a canonibus praescriptum de beneficio providere neglexerit, jus providendi ea vice ad superiorem devolvitur. (Et hoc *jus devolutionis* etiam tunc locum habet, quando *indignus* designatus, vel designatio haud canonice facta est. Scilicet si patronus vel collator, jus suum negligens, sit persona episcopo inferior (e. gr. capitulum), jus providendi ad Ordinarium, et ab hoc gradatim ad Metropolitam et ad summum Pontificem devolvitur. Si beneficium communiter ad episcopum ceu praelatum et ad capitulum simul pertineat, uno negligente et praemonito, potest provisio fieri ab altero; utroque negligente, illa devolvitur ad Metropolitam. Episcopo non providente, jus ex praxi recentiore pariter transit ad Metropolitam.[16]) Denique summus Pontifex competens efficitur, ubi electio (et juxta analogiam juris etiam nominatio) episcopi vel non canonice vel non intra tempus legitimum facta est.[17])

In nonnullis regionibus praeterea requiritur, ut promovendi praesertim ad episcopatus et canonicatus sint indigenae et personae gratae gubernio saeculari.[18])

---

[16]) l. c. *V. Walter*, § 337, not. 8. — Parochialium ecclesiarum, quae patrono non subsunt, collatio, sex mensium termino elapso, Sedi Apost. est reservata ex Const. S. Pii V. «In conferendis» 15. Apr. 1567. Acta II. 73. 215. Hoc tamen ubique fere ex usu recessisse videtur.

[17]) Excipe episcopatus Hildesheim. et Osnabrug. et episcopatus provinciae eccles. Rheni superioris, quorum capitula indultum habent alteram faciendi electionem, ubi prima non fuerit canonice facta. *Permaneder* § 255 ed. 4. Cfr. tit. 10. L. I. «de supplenda neglig. praelat.» et *Zallinger* a. h. t. tom. I. § 375. — Pro praxi notandum, quod ex specialibus causis, ac praesertim ob sacerdotum penuriam beneficia praesertim minora frequenter *definitive* infra tempus jure statutum non possunt conferri. Unde contigit, ut jus devolutionis hodie vix unquam in usum deducatur.

[18]) In Brevi 5. Nov. 1855 episcopi Austriae tum in parochiis tum in aliis beneficiis conferendis curare jubentur, ut ad illa minime ii eligantur viri ecclesiastici, qui Caesareae et Apostolicae Majestati minus sint accepti. Ex reverentia hujus concessionis Apostolicae episcopi Austriaci leges quasdam novas civiles observare non detractant, quae beneficiorum collationem concernunt. Nimirum l. d. 7. Maji 1874 haec desuper statuit: 1. Pro obtinendis muneribus et beneficiis eccles., quin etiam ut munere vicarii aut coadjutoris in cura fungi quis possit, requiruntur: jus civitatis Austriacae, vitae moralis et politicae integritas, studia rite absoluta etc. (§ 2.) 2. Gubernium exercet juspatronatus, prout ipsi competit et proinde infra hanc competentiam praesentat personas idoneas. Quoties vero episcopus sive libere confert beneficium, sive ad praesentationem alterius patroni, persona in utroque casu designata, item etiam designatus administrator praebendae incorporatae gubernio provinciae praevie indicari debet. Persona dictis modis designata institui nequit, nisi gubernium infra 30 dies vel consensum expresse vel tacendo declaraverit. (§§ 4. 6.) 3. Cujuslibet muneris eccles. vel praebendae vacatura statim denuntianda est provinciae gubernii. (§§ 11.) 4. Sine ipsius consensu ejusmodi vacatura non prolonganda est ultra annum. (§ 12.) Cfr. supra p. 138.

§ 82. De beneficiorum majorum provisione canonica.

I. De personae idoneae designatione.

Agitur hic maxime de sedium episcopalium provisione; at ea, quae hac § dicentur, praelaturas quoque respiciunt.

Provisio episcopatuum pro vario tempore varia.

Certus modus providendi vacantibus sedibus episcopalibus in jure fundamentali ecclesiae non est determinatus. Unde disciplina designandi personas idoneas ad episcopatus non eadem semper fuit. In ipsis ecclesiae exordiis episcopos ab apostolis aut eorum mandato constitutos esse ex s. literis et ex traditione patet. Deinde usque ad Concil. Nicaenum I. episcoporum electiones ceteris ejusdem provinciae episcopis constat fuisse attributas, populo aliquando expresse excluso. Post hoc Concilium in eligendis episcopis pars quidem plebi tributa fuit. Sed populus concurrebat tantum postulatione et bonae vitae testimonium dando, jure eligendi penes comprovinciales remanente. Neque enim populus in re ecclesiastica dare poterat jus electo. Demum in Concil. Constantinop. IV. populo omnis fere vis in electione ademta fuit. Loco populi subinde primores in electionibus partes suas habere coeperunt et maxime imperatores et principes, qui *investituras* et indirecte electiones episcoporum, reclamante apostolica Sede, sibi usurparunt. (Tarquini p. 107—110. Zallinger L. I. tit. V. § 244 seq.) Inde a saeculo 12. jus episcopum eligendi in regula ad capitula devenit, ita tamen, ut in multis regionibus ex dicto tempore electioni subrogata fuerit nominatio, quae vocatur regia. Qualiscumque vero modus hac in re viguerit aut vigeat, illud tamen firmiter tenendum est, episcopos institui non posse sine auctoritate Pontificis, in cujus sollicitudinis partem vocantur. Et hoc jus intrinsece haeret in Primatu, dum e. gr. Metropolitae jus episcopos (suae provinciae) constituendi et confirmandi nonnisi ex conniventia s. Sedis exercere potuerunt.[1])

1. Ordo canonicus electionum.

1. Acturi jam de actibus partialibus, quibus ad dignitatem episcopalem pervenitur, praeprimis de *electione canonica* tractabimus, quae est personae idoneae legitima ad praelaturam ecclesiae designatio a capitulo vel congregatione per vota singulorum canonice facta. Haec electio in sensu latiori sumta dividitur *in electionem in sensu strictiori*, cum ad praelaturam promovendus juxta canones est omnino habilis, et *postulationem*, quando idem canonico aliquo impedimento laborat. Electioni locus est in Pontificatu, in nonnullis episcopatibus, in capitulis regularium multisque ecclesiis collegiatis. Sunt vero hae regulae circa ipsam attendendae:

---

[1]) Hinc injustae sunt querelae de imminuta per Papam potestate metropolitica, quia lex ecclesiae, quae supra episcopos posuit Metropolitas, nil detraxit de juri divino summi Pontificis.

a. *Vocem activam* seu jus suffragii in electione *de jure communi et ordinario* habent omnes et soli capitulares, qui sessionem et votum habent in capitulo illius ecclesiae. Verum *impediuntur* aliqui, etsi sint de capitulo, quominus eligant, videlicet non habentes aetatem vel discretionem, ordinem subdiaconatus nondum consecuti, censura eccles. innodati, privati voce activa *pro una vice,* item absque legitimo impedimento absentes, non observantes debitam formam, indignum eligentes vel postulantes; privati voce *in perpetuum* ex sententia judicis vel alia ex causa; nondum professi et fratres laici in collegiis regularium. *De jure speciali extraordinario* quandoque etiam extranei eligere possunt ex lege fundationis, ex privilegio Pontificis, ex consuetudine ab antiquis deducta temporibus, et nomine procuratoris. Procurator, si est de capitulo, non potest alterum suo, alterum alieno nomine eligere, sed debet eidem votum suum dare; excipe si constitutus sit cum mandato *speciali* de eligenda certa persona. Nam legitime impediti, licet per literas suffragium dare nequeant, tamen procuratorem et quidem consentiente capitulo, etiam extraneum constituere possunt, nisi juri suo cedere malint. — Ad electionem omnes capitulares, etiam absentes, convocandi sunt. Quodsi vel unicus non fuerit vocatus, jus habet ob sui neglectum impugnandi electionem etiam jam confirmatam. — Electio fieri debet *capitulariter* h. e. sub forma congregationis aut capituli congregati in debito loco, qui est ecclesia aut capitulum secundum cujusque ecclesiae consuetudinem. Haec *communis* electio adeo necessaria est, ut formae vitio fiat nulla, si omittatur. — Caeterum ad electionem capitulariter faciendam certus numerus eligentium haud requiritur. Quinimo vi regulae: «Collegium remanet in uno» etiam unicus jus suffragii habens eligere potest, dummodo se ipsum non eligat.

a. Eligentes jure ordinario et extraordinario.

b. *Voce passiva* seu jure eligibilitatis fruuntur, qui dotibus § praeced. enumeratis pollent, vel alias neque natura neque legis dispositione sunt inepti; quales sunt: qui professionem religiosam non in eo religioso ordine emiserunt, in quo ad praelaturam regularem promovendi sunt, item omnes irregulares ex defectu aut delicto vel quacumque censura irretiti, necnon omnes indigni. Etenim cum ad beneficia potissimum majora caeteris digniores eligi opus sit, electio *indigni,* seu lege prohibiti aut irritanda aut omnino nulla est, quoties nempe vel persona electa de jure naturali est inhabilis, vel canones addunt clausulam irritatoriam, v. gr. in electione censurati, cujuscumque infamis infamia juris etc.; capitulares vero scienter indignum eligentes, pro ea vice jure electionis privantur atque per triennium a beneficiis illius ecclesiae, in cujus opprobrium jure suo abusi sunt, suspen-

b. Eligibiles.

duntur.[2]) Nihilominus tamen electio digni, praetermisso digniore, valida est.

c. Actus electionis.

c. Ad actum electionis praevia ejusdem *praeparatio* necessaria est, ad quam praefixio termini electioni praestituti, invitatio eligentium, indictio precum publicarum (si episcopus sit eligendus), praevia celebratio Missae de Spiritu s., praestatio juramenti de eligendo digniore, determinatio formae, qua electionem instituere placeat, et reliqua in jure praescripta pertinent.

Est vero triplex *forma* seu *modus* eligendi: 1. per *quasi-inspirationem* seu acclamationem, ubi electores, nullo praevio tractatu, omnes uno ore in eandem personam sine vitio consentiunt. — 2. Per *scrutinium,* quod, dirigente praeside electionis, sic instituitur: Eliguntur a capitulo tres scrutatores, ad quos singuli eligentes vota sua deferunt sive ore prolata, sive (quod usitatius est) scripta et clausa, quae dein annotantur in protocollo. Vota dantur secreto et singillatim. Postea fit *publicatio scrutinii,* quae duos actus continet: Nam a) publicantur vota cunctorum in scriptis redacta in communi a scrutatoribus (c. 42. h. t.) et comparatur numerus votorum cum numero eligentium; b) cognito suffragiorum legitimo numero in aliquem concurrente, decretum de peracta electione scribitur et solemniter publicatur atque dicto intimatur. Si cui vota non tantum relative, sed absolute majora faveant, i. e. si eorum ultra dimidiam obtinuerit, canonice electus censetur, et qua talis coram collegio pronuntiatur (publicatio electionis). Deficientibus votis absolute majoribus, scrutinium tam diu iterandum erit, donec vota absolute majora obtineantur, aut ad viam compromissi transeundum est. — 3. Per *compromissum* fit electio, quando electores sponte et unanimi consensu uni pluribusve clericis, sive de gremio, sive extraneis, pure vel sub certis conditionibus negotium electionis deferunt. Re adhuc integra, seu electione a compromissariis nondum peracta, compromissum per majora capituli vota revocari potest. Ad perficiendam per compromissum electionem perinde ac in electione vota absolute majora requiruntur.[3])

---

[2]) c. 7. X. (I. 6.) in fin. — Probabile est, hanc censuram etiam post Bullam Pii IX. «Apost. Sedis» subsistere. Vid. ibi «de suspens.» «Quae vero.» — Ceterum vid. tit. 6. L. I. «de electione et electi potestate et obvios quosque auctores, qui fuse de hac tractant v. gr. *Zallinger* h. t. § 273 seq. aut *De Angelis* h. t.; in specie cfr. *Redn* «De electione» tom. 3. fol. Aug. Vindel. 1720. *Maschat* ad hunc tit. v. not. 10. § 80.

[3]) Constitutio praepositorum regularium fit secundum approbatas a sede Apost. ordinum regulas. Si ea per electionem capitularium fiat, necesse est, ut eligantur per *vota secreta,* ita, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Con. Trid. Sess. XXV. Reg. c. 6. Idem observandum est in electione abbatissarum atque aliarum praepositarum. Ceterum in harum electio-

2. *Postulatio* [4]) non est nisi peculiare electionis genus; est scil. concors petitio jus eligendi habentium directa ad superiorem, ut aliquem pro utilitate ecclesiae admittat ad praelaturam, qui ob impedimentum canonicum, in quo tamen dispensari solet, eligi non potest. Quodsi videlicet electores aliquem caeteroquin idoneum et dignum, sed laborantem impedimento dispensabili, v. gr. intuitu natalium, aetatis, ordinis requisiti, ligaminis cum alia ecclesia cathedrali, ad praelaturam promovendum duxerint, tunc petitionem seu postulationem ad superiorem dirigere debent, ut postulati admissionem per modum dispensationis obtineant.[5]) 2. Postulatio.

In postulatione eadem fere observanda sunt, quae pro electione praescribuntur, ideoque postulatio indigni vel inpostulabilis ex defectu corporis et judicii necnon ex defectu morum ea vice jure eligendi privat. Porro ad indicandum, personam vocatam non esse eligibilem, omnes voce *postulo* [6]) uti debent. Quodsi concurrit postulatio cum *postulatione,* requiritur majoritas votorum ut in electione v. g. sex ex decem; si vero postulatio concurrit cum *electione,* seu quodsi una pars capituli eligit, alia vero postulat, postulatus nonnisi tunc victoriam de electo reportat, cum duas tertias suffragiorum partes obtinuerit.[7]) — Quando in tali impedimento jam ante electionem dispensatum est, seu Breve eligibilitatis, uti vocant (sive generale, sive ad certam ecclesiam restrictum) fuit indultum; tunc non postulatio sed electio locum habet. — Si petitio ad superiorem electi dirigitur, ut in sui subditi, nullo impedimento laborantis, electionem consentiat, postulatio *minus*

---

nibus regulae peculiares sunt notandae. Cfr. *Schels:* «Die relig. Frauengenossenschaften» p. 160. *Schuppe* in Moy Archiv. tom. 12. — Quod in regulis Ordinum quoad modum electionum non est specialiter expressum, id juxta regulas generales perficiendum est; nam receptum est, quod casus omissus cadit sub dispositione juris communis. Acta s. S. XVII. 456. — Denique in electionibus minoris momenti, puta canonicalium praebendarum, officiorum capitularium etc. non omnia accurate servanda sunt, quae pro *solemni* canonica electione, quantum ad praesules eccles. jure positivo sunt statuta, sed satis est servare, quod ipse electionis conceptus natura sua exigere videtur. Acta III. p. 234; ibid. I. 163.

[4]) X. de postulatione praelatorum (I. 5); — in VIto. eod. (I. 5); — X. vag. comm. eod. (I. 2).

[5]) Postulatione non egent, sed eligi possunt: a) episcopus nondum confirmatus, licet electioni consenserit; b) praepositus saecularis, etsi habeat jurisdictionem quasi-episcopalem; c) abbas, si petitur ad aliud monasterium sui ordinis vel ad episcopatum; d) is, qui non est de gremio capituli, nisi contrarium adsit statutum; e) episcopus resignatus.

[6]) c. un. in VI. (I. 5.) reprobantur formulae aequivocae: *eligo postulando,* et: *postulo eligendo,* aut: *eligo postulandum,* seu *postulo eligendum* etc.

[7]) «Si ex 20 suffragiis postulatus numeret 13, electus 7; hic electus censetur ultra tertiam habere suffragiorum partem, etsi tertiam partem duntaxat superet hac fractione: $^1/_3$». *Zallinger* h. t. § 261.

solemnis dicitur. Sed haec potius electio est, quam postulatio, et quoad omnia ad electionis regulas componitur.

3. Nominatio regia.

3. In electionis aut postulationis locum ubique fere, saltem intuitu sedium episcopalium, *nominatio* vel *praesentatio regia* successit. Cum nimirum principes jam pridem partes praecipuas in episcoporum electione sibi vindicassent, ipsorum in hac re interventio tandem ad certam legalem normam redacta est, ita, ut iidem vel jus praesentandi ad plures ecclesias episcopales ex patronatu, vel jus nominandi ex speciali indulto,[8]) a Sede apostol. obtinuerint. Et hoc privilegium plane eximium hodie in omnibus fere regnis catholicae fidei addictis viget, ita ut electio episcoporum per capitulum nonnisi in Helvetia, in Belgio et in acatholicis Germaniae territoriis locum habeat. Jus nominandi 1. non est jus juri territoriali adnexum, quia princeps non potest dare *spiritualia,* sed est *privilegium speciale* et prorsus habet naturam privilegiorum. 2. Est privilegium *personale* seu personae summi gubernatoris inhaerens ac propterea non committendum summis officialibus, qui utplurimum non genuino zelo sed sinistris doctrinis et motivis in designanda persona ecclesiastica ducuntur. 3. Nominator (ac etiam praesentans) attendere debet canones, qui pro electoribus sunt dati; nam nominatio, ubi viget, locum supplet electionis.[9]) Hinc qui de jure sunt capaces, simpliciter sunt nominandi, qui vero de jure sunt postulandi, cum postulatione. Eadem de causa pro episcopo *nominando* eaedem prorsus dotes requiruntur, quas canones exigunt pro eligendis.[10]) Principes

[8]) Damnata est sententia dicens: «Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas literas accipiant.» Syll. n. 50. Tale jus nominandi episcopos jam a Concil. Toletano XII. a. 681 concessum est regi Visiogothorum in Hispania (c. 25. D. 63), accedente tamen archiepiscopi Toletani confirmatione exercendum. Alia exempla in regionibus Germaniae ex a. 1249, 1447 etc. refert *Schulte:* System d. K.-R. § 32 p. 225. — Reges Hungariae jam ex tempore s. Stephani regis, et deinceps Bohemiae reges, et Austriae Archiduces, pariter jus praefatum acceperunt. — Caeterum ex Conc. Trid. Sess. XXV. c. 9. de ref., ex Concord. austr. (artic. 19) et Brevi Pii VII., quod Concordato cum rege utriusque Siciliae adjunctum est, liquido apparet, patronatui regio etiam ecclesias cathedrales subjici posse et proin ratione tituli discrimen esse inter regiam praesentationem et nominationem. Illa ex patronatu, haec ex indulto Apostolico oritur. *Schulte:* System, p. 675.

[9]) c. 13. 20. C. 16. qu. 7.; c. 5. X. (III. 38); c. 2. in VI. (III. 4).

[10]) Pro episcopis dotes non mediocres, sed *eximiae* postulantur c. 7. X. (I. 6); Conc. Trid. Sess. XXII. c. 2. de ref.; Sess. XXIV. c. 1. de ref., ubi de omnibus, qui in promotione praeficiendorum cooperantur, dicitur, «eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ... praefici diligenter curaverint.» Cfr. S. Thom. Summa II. 2. qu. 84. 5; Supplem. p. 36. 1. — *Oberkamp:* Die hönigl. Nomination der Bischöfe in Baiern. München 1878.

acatholici solummodo jus obtinent dandi exclusivam personis minus gratis.[11])

In episcopatibus Austriacis pariter vel praesentationi vel nominationi Imperatoris locus est,[12]) exceptis sedibus metropolitanis Olomucensi et Salisburgensi, ad quas per capitulum fit electio; item exceptis episcopis Secoviensi, Lavantino et Gurcensi, quorum duo priores semper, postremus vero nonnisi quavis tertia vice ab archiepiscopo Salisburg. constituuntur et consecrantur; duos vero episcopos Gurcenses sibi ordine succedentes nominat Imperator, qui deinde ab eodem archiepiscopo Salisburg. confirmantur et consecrantur.[13]) Jus nominandi aut prasentandi episcopos hactenus exerceri solitum, Caesari in Concordato (Art. XIX.) confirmatur, idemque appromisit, fore, ut in hac re nonnisi consultis episcopis comprovincialibus agat.[14])

§ 83. II. Confirmatio electi, admissio postulati, et novi episcopi consecratio.

1. Electo vel nominato actus designationis suae personae infra octiduum promulgandus est, ut suum consensum (saltem infra mensem, nisi jus ex electione proveniens amittere velit) declaret; interim eligentes exspectare tenentur, nec possunt ab electione recedere. Consensu declarato electus *jus ad rem* acquirit, h. e. Designati consensus.

[11]) Quem in finem capitulum praevie de nominibus candidatorum a se selectorum ministros principis certiores reddere debet; atque si quis candidatorum forte minus gratus gubernio existat, eum e catalogo expungi oportet, remanente tamen numero sufficiente scil. trium saltem candidatorum. Const. «Impensa» et Const. «Ad dominici gregis.» At gubernia Borussiae et M. Ducatus Badensis juxta doctrinas quorundam pseudo-canonistarum (cfr. *Vering*, K.-R. p. 562. not. 12) etiam *omnes* candidatos rejiciendi jus sibi tribuerunt. Sic a. 1868 cum electio archiepiscopi Friburgensis peragenda fuisset, gubernium Badense in elencho eligendorum a capitulo sibi proposito ex octo candidatis *unum* tantum reliquit, postulavitque, ut novus elenchus conficeretur, cui tamen iniquae postulationi jure merito obstitit capitulum metropolitanum. Archiv tom. 20. pag. 265 seq.

[12]) Vid. not. 8. et *Ginzel* tom. II. p. 20 ubi bullae Clem. XIV., Pii VI. et Pii VII. allegantur, quibus Caesari jus nominandi ad complures episcopatus conceditur. Intuitu sedis tum. Brixin. tum Trident. isthoc jus indulsit Pius VII. «Quae nos gravissimi.» 29. Sept. 1822 (Bullar. contin. tom. XV. p. 573).

[13]) De origine et historia hujus exceptionis agit. Bened. XIV. de synod. dioec., l. 13. c. 7. n. 5. Lege 7. Maji 1874 § 3 statuitur, omnes ad episcopatum sine ingerentia gubernii promotos ministerio pro cultu esse denuntiandos, quo reclamante tales institui non possunt.

[14]) Collatio libera episcopatuum competit summo Pontifici pro dioecesibus status Pontificii, Angliae, Hiberniae et Americae septemtrionalis. In Hibernia tres candidati proponuntur a clero, in America vero septemtrionali item tres a provinciae episcopis, ex quibus Pontifex eligit unum. In Hispania regi jus patronatus ratione episcopatuum competit. *Vering*, K.-R. p. 564.

non est vere praelatus nec se uti talem gerere potest, sed solummodo habet jus ad praelaturam, et quidem sic, ut superior illi nisi ex rationibus canonicis, confirmationem denegare non possit.

Confirmatio electionis.

Est vero *confirmatio* decretum superioris, quo praevia electionis cognitione eam canonicam declarat suaque auctoritate ratam habet. — Fieri debet ab illo eccles. superiore, cui confirmandus immediate subjicitur, ergo episcopi a Papa, praelati saeculares in dioecesi ab Ordinario, praelati vero regulares exempti a superiore regulari confirmantur.[1]

Preces pro confirmatione.

Episcopus electus intra trimestre, ex quo electioni consensit, nisi jure suo excidere velit, a Papa confirmationem petere debet,[2] quae tunc demum subsequitur, quum et in personam electi et in electionis modum debita inquisitio instituta fuerit. Hunc in finem sive in Curia romana, sive extra Curiam vel a Nuntio Apostolico (prout in Austria et in Bavaria moris est) vel ab archiepiscopo aut finitimo aliquo episcopo aut alio hac potestate instructo, processus super qualitatibus promovendi *(processus informativus)* conficiendus est. Itaque instrumentum electionis vel nominationis inquirenti tradi oportet, qui per testes graves, sinceros et doctos in doctrinam et mores confirmandi diligenter inquirit et fidei professionem in scriptis dandam ab eo exigit.[3] Tum acta inquisitionis, addito suo judicio ad s. Sedem transmittit, ubi in congregatione consistoriali processus, qui vocatur *definitivus* conficitur, seu res denuo examinatur, et confirmatio per ipsum summum Pontificem succedit, per praeconisationem in consistorio Cardinalium. Posthac bulla confirmationis expeditur, qua accepta confirmatus acquirit *jus in re* habetque ex momento suae praesentationis fructus beneficii sui.

Processus informativus.

Papa, si tam forma electionis quam persona electa vitio careat, generatim confirmationem impertire tenetur,[4] quae *efficit,* ut per eam electus vere *promotus* ad certam sedem episcopalem censeatur, nomenque episcopi acquirat, sed cum titulo: *episcopus electus.* Is igitur per confirmationem vinculum spiritualis matri-

[1]) Jus confirmandi regulares immediate s. Sedi subjectos nullatenus episcopo dioecesano, nequidem qua Sedis apostol. delegato, competit. S. C. C. ap. Ferrar. sub v. *Regulares* art. II. n. 6. et *Richter* et *Schulte* p. 541.

[2]) Scil. electus per se vel per procuratorem Romae se sistere jubetur; at ex consuetudine in Germania et etiam in Austria vigente sufficit, ut instrumentum electionis ad inquirentem transmittatur.

[3]) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 2. de ref.; XXIV. c. 1. de ref. — Constit. Gregor XIV. «Onus apostolicae.» 1591. — Urban. VIII. instructio de modo conficiendi processus etc. a. 1627. — Bened. XIV. «Gravissimum apostolicae.» a. 1757.

[4]) Intuitu Germaniae in Concord. Vienn. 1448 *(Koch:* Sanctio pragmat. p. 205) exceptio statuta est: ... «et si canonice factae fuerint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili evidenti, et de fratrum consilio, de digniore et utiliore persona duxerit providendum.»

monii cum sua ecclesia contrahit,[5]) quod sine venia Pontificis ipsi solvere haud licet, et accipit *jus in re,* vi cujus potestatem plenam administrationis et jurisdictionis habet, praeterquam in iis, quae majoris inquisitionis discussionem (prout e. g. est depositio clericorum) exigunt et ministerium consecrationis desiderant.[6]) Potest vero confirmatus ea, quae sunt Ordinis episcopalis, delegare alteri episcopo.

Admissio postulationis.

2. *Postulatio* pariter superiori praesentanda est ab ipsis postulantibus, quibus deinde resilire et poenitere non amplius licet, ne superiori illudatur. Hic *admittere* postulationem non tenetur *ex justitia,* quia postulatio vi nominis est mera supplicatio pro gratia, et ideo neque postulantes quidquam *suffragante jure* petunt a superiore, neque postulato est ullum *jus quaesitum* et proinde sine illius praejudicio repelli potest postulatio. Hoc tamen vix unquam factum legitur intuitu postulationum ex Germania Romam delatarum. Caeterum ubi agitur de episcopo postulato, Pontifex per processum informativum tam de meritis postulati, quam de necessitate ecclesiae, ad quam est postulatus, necnon illius, a qua forte avocatur, diligenter inquirit, quo facto *admissio postulati* consequitur, quae vim habet confirmatae electionis.

Institutio vi nominationis.

3. Provisio ecclesiae alicujus, quae fit ad regiam nominationem vel praesentationem, *institutio canonica* dici solet,[7]) quae pariter nonnisi confecto processu tum informativo tum definitivo peragitur et servatis servandis a summo Pontifice negari haud potest, nisi facta sit in forma postulationis, in quo casu superius

---

[5]) Episcopi connexio cum sua ecclesia c. 4. X. (I. 7) elegante allegoria foederis conjugalis illustratur, «quod *in electione initiatum, ratum in confirmatione,* et in *consecratione* intelligitur *consummatum,* sine illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri et vicarius Jesu Christi.»

[6]) c. 15. X. (I. 6). — Dispensatio illa generalis c. 44. huj. tit., vi cujus *episcopis valde remotis,* videlicet ultra Italiam constitutis, *si electi fuerint in concordia* (i. e. sine ullo contradictore) administratio dioecesis conceditur, a Bonifac. VIII. (c. 1. X. vag. comm. [I. 3] et a Julio II. Constit. «Romani Pontifices» a. 1505) revocata est, nisi iidem Breve administrationis a S. Sede obtinuerint. Et quamvis non obstante hac prohibitione episcopi Germaniae noviter electi ex consuetudine. quin tale Breve haberent, suam dioecesim administrare inchoarent, tamen hodie istius indulgentiae usus jam non tutus esse videtur. *Zallinger,* I. 219. — *Schulte,* System d. K.-R. p. 232. n. 4. Nunc res ista in claro posita est, postquam Pius IX. in Const. «Romanus Pont.» data 5. Cal. Sept. 1873 disposuit, Vicarium Capitularem tamdiu debere fungi officio suo, usque dum novus episcopus literas Apost. de oblato sibi episcopatu exhibuerit et quidem sub poena excommunicationis tum a capitalaribus tum ab electo, seu nominato episcopo incurrenda, si hic ecclesiae vacantis curam ex concessione capituli suscipere ausus fuerit. *Santis* h. t. n. 41—43.

[7]) Concord. austr. (Art. XIX.): «episcopos a s. Sede *canonice instituendos* nominat aut praesentat.»

dicta applicanda sunt. Canonica tamen institutio eosdem, ac electionis confirmatio, effectus operatur.[8])

Consecratio in episcopum.

4. Omnes ad episcopatum quocumque modo promoti (nisi tantummodo ad aliam sedem transferantur) infra tres menses consecrationem suscipere tenentur. Id si neglexerint (nisi praedictum spatium ad aliud trimestre prolongetur), tenentur ad restitutionem fructuum perceptorum.[9]) Consecratio episcoporum, perinde atque confirmatio, hodie summo Pontifici reservata est, sed solet delegari in partibus. Ex antiquo ritu ad consecrationem episcopi praeter unum principalem consecratorem requiruntur duo assistentes episcopi, sed jure dumtaxat ecclesiastico; unde ex causa summus Pontifex potest dispensare, ut ab uno episcopo peragatur assistentibus duobus presbyteris, qui, si fieri potest, vel abbates sint vel alias in eccles. dignitate constituti.[10]) Ordinarie consecratio in illa ecclesia, ad quam quis promovetur, instituenda est, si commode fieri possit, aut saltem in provincia. Caetera, quae ad ritum consecrationis pertinent, in Pontificali rom. legi possunt. — Abbatibus quoque benedictio impertitur, quae consecrationi haud absimilis est ideoque pariter consecratio, licet minus proprie, interdum dicitur.

§ 84. De electione summi Pontificis.

Varia fata.

1. Teste s. Cypriano[1]) electio episcopi Romani, ut reliquorum episcoporum electio, a finitimis episcopis, adscito clero et populo civitatis, peragi solita est. Et ad hanc fere formam post varia fata, quae habuit ista electio per saeculorum decursum, totum electionis negotium revocavit Nicolaus II. (1059), eam provinciam Cardinalibus demandans, sic tamen, ut reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accederent. Porro decrevit, ut Pontifex eligatur de ipsius ecclesiae (Romanae) gremio, si reperiatur idoneus, secus ex alia assumatur; salvo tamen debito honore et reverentia Imperatorum, *qui ab apostolica sede personaliter hoc jus* (approbandi electionem) *impetraverint.*[2]) Successu temporis res eo paulatim devenit, ut electio summi Pontificis privative ad Cardinales ecclesiae Romanae pertineret, exclusa reliquorum participatione. Alexand. III. (in Conc. Later. III. 1179) irritam esse voluit electionem, nisi duae tertiae Cardinalium partes conspirarent in unum.[3]) In Conc. Lugdu-

a Nicolao II.

ab Alexand. III.

[8]) Exceptio singularis in Hungaria, vi cujus episcopi a Rege nominati ex usu a s. Sede tolerata jam ante suam canonicam institutionem exercebant jurisdictionem in ecclesia sua, per Constit. Pii IX. «Romanus Pontifex» d. 28. Aug. 1873 abrogata censeri debet.

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 2. de ref.

[10]) *Maschat* Instit. canon. t. II. tit. 11 § II. p. 212.

[1]) c. 5. et 6. C. 7. qu. 1.

[2]) c. 1. D. 23. § 4 Vid. *Mansi* XIX. p. 903.

[3]) c. 6. X. (I. 6.) § 1.

nensi II. (1274) a Gregorio X. statutum est, ut Cardinales, decem diebus post obitum Pontificis elapsis, in *conclavi* communi convenirent et quam celerrime ecclesiae de pastore providerent.[4]) Haec et a subsequentibus Pontificibus[5]) circa rem istam constituta quasi fundamentum earum praescriptionum sunt, quae in Constitutione Gregorii XV. «Aeterni Patris» (1621) continentur, quibusque forma electionis hodie consueta exacte definitur. a Gregor. X. a Gregor. XV.

2. In hac electione praecipua sunt: a) Post soluta justa funeri defuncti Pontificis et debitas praeparationes, per dies decem factas, Cardinales die undecima ad clausuram conclavis solemni ritu procedunt, ubi confestim inchoatur electio. — b) Non vocantur absentes, sed tantummodo exspectantur per decem dies computatos a morte Pontificis. — c) Eligere possunt soli et omnes Cardinales[6]) in ordine saltem diaconatus constituti, et etiam censuris irretiti; sed absentes non possunt constituere procuratorem. — d) Eligi possunt illi omnes, qui requisita habent de *jure naturali et divino*, ergo (absolute loquendo) quilibet clerici etiam extra collegium Cardinalium (iis tamen omnibus exceptis, qui criminis vel simoniae vel haeresis rei sunt). Notandum tamen est, post Urbanum VI. solos Cardinales ad solium pontificium evectos esse. — e) Si electio fit per scrutinum (nam fieri potest etiam per compromissum et per quasiinspirationem), requiruntur secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi clauso praesentium. Si publicato scrutino nemo electus deprehenditur, *accessus* adhibetur, h. e. publicatis a scrutatoribus suffragiis in schedis descriptis Cardinales possunt accedere, scripto suffragio in nova scheda, in electionem illius, qui aliquod saltem suffragium obtinuit, ita tamen, ut non possint iterum dare suffragium illi, cui jam dederant in scrutinio. — f) Regnantes Austriae, Galliae, Hispaniae Disciplina vigens.

[4]) c. 3. in VI. (I. 6.) § 1. Hunc in finem Gregor. X. decrevit ut, nisi infra tres primos dies Pontificem elegissent, Cardinales eligentes per spatium quinque dierum tam in prandio quam in coena uno solo ferculo contenti essent, his vero provisione non facta elapsis, tantummodo panis, vinum et aqua ministraretur electoribus. Sed rigor iste aliquatenus mitigatus fuit a Clem. VI. in Bulla «Licet in Constitutione» d. 6. Dec. 1351.

[5]) c. 2. Clem. (I. 3. Clem. V.); Const. «Cum tam divino» Julii II.; Const. «In eligendis» Pii IV. etc. cfr. *Philipps* K.-R. V. 729—810.

[6]) Quaestio, utrum sede Apost. vacante electio Papae ad Concilium generale devolvatur, resoluta est a Pio IX. in Const. «Cum Romam. Pontifex» edita 4. Dec. 1869, in qua statuitur, ut quibuscumque futuris temporibus Rom. Pontifex demoriatur pendente alicujus concilii generalis celebratione electio Pontificis exclusive a Cardinalibus perficiatur, nec non ut concilium tamdiu suspensum intelligatur, quoadusque novus Pontifex illud iterum coadunari et continuari mandaverit. Ideo prorsus exclusa est via devolutionis, ideoque certum tempus peremptorium definiri nequit ad electionem Pontificis perficiendam. *Santis* h. t. n. 34.

et utriusque Siciliae jus obtinuerunt, ut per Cardinalem ad hoc deputatum contradictionem suam, quam *Veto* dicunt, *semel* interponant, quando duae tertiae votorum partes in personam minus gratam conspirare videntur.[6]) — g) Rite electus post assensum suum declaratum regulariter nomen novum assumit, quod deinceps populo foris exspectanti denunciatur. — h) Electionem (qua jus administrandi jura sua acquiritur) deinde sequitur consecratio per Cardinalem Decanum episcopum Ostiensem, (nisi electus jam sit episcopus), coronatio et subin possessionis occupatio in ecclesia Lateranensi.[7])

§ 85. De provisione beneficiorum minorum.

Duo sunt actus partiales, quibus minorum beneficiorum provisio absolvitur: 1. Concessio seu collatio beneficii; 2. institutio realis seu investitura.[1])

1. *Collatio* beneficii vel libera esse potest, vel necessaria seu facta ad alterius nominationem aut praesentationem.

Collatio libera.

a. *Collatio libera.* Regula generalis est: Episcopus in sua dioecesi omnia confert beneficia (saltem non collegialia), eoque jure utitur, donec alius jus sibi competens probaverit: atque hoc est, quod doctores ajunt, episcopum pro conferendis beneficiis habere *intentionem fundatam in jure,* nempe jus fundatum tum in antiqua possessione, tum in imperio et cura universae dioecesis. Nihilominus tamen jus *conferendi* beneficia etiam ad praelatos episcopo inferiores vel ad alias personas eccles. ex privilegio Apostolico, consuetudine aut praescriptione pertinere potest, nullatenus vero etiam ad laicos. Cum episcopus jus provisionis plenum habet, actu unico beneficium conceditur, nempe transmissione diplomatis legitime confecti, quo accepto statim *jus in re* in beneficio acquiritur.[2])

---

[6]) Multum olim disputatum est de hoc jure; tanto magis *hodie* de eo disputari potest, temporum circumstantiis prorsus immutatis.

[7]) Vid. A. S. *Camarda* Constitutionum Apostolic. una cum Caeremoniali Gregoriano de pertinentibus ad electionem Papae Synopsis etc. Reate 1737 f.

[1]) Equidem etiam per alias vias ad minora beneficia pervenitur, quales sunt: provisiones pontificiae, optio, turnus etc. *Optio* est jus in quibusdam canonicorum capitulis (imo in ipso Cardinalium collegio) quandoque obtinens, vi cujus antiquiores capitulares praebendam vacantem meliorem, propria dimissa, eligere possunt. *Turnus* est ordo, juxta quem capitulares, unusquisque vice sua, ad beneficium vacans aliquem nominant, sive gradatim, e. gr. secundum senium capitularium, exerceatur, sive certum cuique tempus assignetur, ut beneficia intra illud vacantia conferat. Sed hi modi rariores sunt. De jure Pontificis relate ad beneficia in sectione proxima sermo erit. (§ 106.)

[2]) c. 17. in VI. (III. 4): «Si tibi absenti per tuum episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi, *donec eam ratam habueris, jus*

b. Verum praesentatio per tertium facta nonnisi *jus ad rem* efficit; ad efficiendum *jus in re* episcopi[3]) institutio, quae dicitur *collativa,* qua titulus beneficii confertur, accedat necesse est; neque ista institutio, nisi ex rationibus canonicis, negari potest, eaque ex hoc capite *necessaria* appellatur. — Quodsi vero plena provisio alii competit, per illius collationem beneficium acquiritur sine ulla episcopi institutione.[4]) Attamen si tale beneficium est curatum, plane necesse est, ut ab episcopo concedatur institutio vulgo *auctorizabilis* dicta, per quam cura animarum (non *subsidiaria* tantum, sed) ordinaria intuitu certae plebis tribuitur, quae est *auctoritas data ab episcopo in oves, seu commissio regendi.* Et haec episcopo adeo propria est, ut aliis neque per privilegium, neque per consuetudinem aut praescriptionem competere possit. Excipe tamen praelatos jurisdictionem quasi-episcopalem habentes. Collatio necessaria.

2. Institutionem collativam sequitur *institutio quoad possessionem* seu investitura ecclesiastica (intuitu episcoporum inthronisatio, intuitu canonicorum installatio dicta), qua quis in possessionem et jura beneficii immittitur, cum effectu, ut 1. exinde possessor beneficii esse censeatur ejusque fructus faciat suos. Cum autem beneficium duabus rebus constet, praebenda, quae res est corporalis, et officio, quod est res spiritualis, cumque haec res sit principalis, illa accessoria; ideo beneficii possessio apprehenditur capiendo possessionem officii, vereque beneficium possidetur ab eo, qui spirituale illius officium tenet et exercet, quamquam ipsius bonis fuerit exspoliatus.[5]) Insuper capta possessio efficit, 2. ut ille, qui eam anni spatio pacifice et tranquille retinuit, inde dimoveri aut beneficium alteri, qui illud impetraverit, adscribi nequeat, nisi primum lis judicio petitorio finita sit; 3. ut qui procul a labe (i. e. nec vi, neque clam, neque precario) vitioque simoniae triennii spatio beneficium obtinuit quocumque titulo, etiam *colorato,* legitimus proprietarius habeatur nullisque super eo molestiis affici possit.[6]) Investitura vel verbis solummodo perficitur, adjunctis nonnunquam etiam signis, puta clavium, bireti, sigilli etc. traditione Investitura.

---

in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras: ipse tamen episcopus, vel quicumque alius, de ipso beneficio, nisi consentire recuses, in personam alterius ordinare nequibit; quod si fecerit, ejus ordinatio facta, de beneficio non libero, viribus non subsistet.»

[3]) Acta s. S. VIII. p. 19. — In quantum vicarius tum episcopi tum capituli sede vacante beneficia conferre possit, § 121. 2. d., et § 123. 3. e. dicetur.

[4]) Ex consuetudine immemorabili ad capitulum pertinere admittitur, judicare *in prima instantia* quaestiones quoad beneficia simplicia et *curata,* et de idoneitate praesentati judicare, si eorum collatio ad idem capitulum spectat. Acta s. S. XVII. 583.

[5]) *Ferrante:* Elementa juris can. Romae 1872. Ed. 2. p. 127.

[6]) Regula Cancellariae 35. et 36. de annali et triennali possessore.

(institutio verbalis), vel actuali introductione in locum juraque beneficii absolvitur. Atque haec institutio (vulgo *realis* vel *corporalis* dicta) est vel temporalis[7]) vel spiritualis, prout beneficiatum in jura *profana* aut *sacra* immittit. Caeterum modus *investiturae realis* pro varietate beneficiorum et locorum varius est. Episcopi juxta ritus in Caeremoniali episcoporum praescriptos solemniter possessionem capiunt in cathedrali, quin peculiari institutioni in temporalia locus detur. Canonici per Decanum capituli *investiuntur* habitu canonicali et tum in stallum proprium tum in capitulum perducuntur, assignata in utroque loco sede peculiari.[8]) Parochi populo praesentantur et in ecclesiam inducuntur, nonnunquam vero absque omni solemnitate solummodo duobus aut tribus ex populo praesentantur et in bona beneficii immittuntur. (§ 87. 1.)

Investitura generatim ab eo fieri debet, qui jus habet beneficium conferendi: sed episcopus eam committere solet suis vicariis et maxime decanis ruralibus. Haud minus etiam potestas immittendi in *temporalia* beneficii est penes auctoritatem eccles., prout in nostro etiam Concordato (art. XXVII.) statuitur. Episcopi austr. a. 1856 Viennae congregati desuper statuerunt: Ad beneficium promoto postquam institutionem *canonicam* consectus est, decanus, vel alius vir ab episcopo delegatus, *bona* beneficii tradet, adhibitis pro beneficii conditione ecclesiae vitricis et patrono vel ejus delegato.[9]) — Vicarii temporanei (ac etiam ad nutum amovibiles) et regulares, etsi sine episcopi adprobatione ad curam animarum accedere licite non possint, tamen formaliter institui aut installari non solent; qui vero promoti sunt ad veri nominis beneficium, citra ullam institutionem adire beneficii possessionem sub poenis prohibentur.[10])

---

[7]) Immissio in bona temporalia olim pariter signis convenientibus peragi solita est, e. gr. per *glebam,* aut *cespitem,* ipso ex agro sumtum.

[8]) Possesio de canonicatibus et de quavis dignitate quae est de capitulo, *capitulariter* capienda est, secus est nulla. Acta s. S. l. c. p. 21. — Apud nos quilibet beneficiatus statim post investituram debet fassionem beneficii conficere eamque in duplo exhibere officio circuli (Dioec.-Bl. 1867 p. 77).

[9]) L. d. 7. Maj. 1874 permittit quidem institutionem realem, quae est in *sacra,* fieri a competente superiore ecclesiastico; sed immissio *in bona beneficii* fieri debet a commissario civili, cooperante episcopo et communitate parochiali, nec non patrono privato, si beneficium est patronatum. § 7.

[10]) c. 18. sub v. Insuper de praeb. in VI. (III. 4.) Nihil tamen obstat, quominus *ex consuetudine* etiam vicarii temporales et *regulares* populo solemniter praesententur a Decano seu alio commissario episcopi, tradendo eis certa quaedam symbola et insignia. *Linzer* Q.-Schrift a. 1864 p. 540 seq. — In beneficiis post Tridentinum erigendis non amplius a fundatoribus potest reservari jus instituendi favore alicujus episcopo inferioris. Id quod colligitur ex Sess. XXIV. c. 12. de ref.; Acta III. p. 86.

§ 86. De examine promovendorum ad beneficia.

Ut de idoneitate promovendorum ad beneficia sententia ferri possit, in Concilio Trident. sancitum est, ut omnes praesentati seu electi vel nominati ad *quaevis* beneficia non instituantur, neque confirmentur, neque admittantur, nisi fuerint primo a locorum Ordinariis examinati et idonei reperti. Igitur hoc examen et haec adprobatio in omnibus beneficiis, etiam simplicibus,[1]) et apud nos in dignitatibus quoque et canonicatibus requiritur, sive beneficia per concursum publicum, sive absque tali concursu conferantur. *Forma* tamen peculiaris hujus examinis non praescribitur, nisi pro *beneficiis parochialibus,* quorum collatio a Concilio Trid. certis legibus adstringitur, quae subin a summis Pontificibus propius definitae sunt.[2]) Distinguimus formam lege universali praescriptam a forma in nostris regionibus vigente. Itaque

Sancita a lege universali.

1. *Jure universali* haec statuta sunt: *α*) Quoties parochiam vacare contingit, publico edicto ii, qui ad eam adspirant, evocandi sunt, ut die ab episcopo praestituta habeatur concursus, in quo ab episcopo (vel ejus vicario generali), atque ab aliis examinatoribus saltem tribus, concurrentes examinandi sunt quoad *aetatem, mores, doctrinam, prudentiam* et *alias res ad vacantem ecclesiam opportunas.*[3]) Illi, qui idonei reperti sunt, inhabilibus rejectis, episcopo renuntiari debent, ut hic ex iisdem eum eligat, quem caeteris magis idoneum habuerit. Si vero ecclesia juris patronatus *ecclesiastici* est ac institutio ad episcopum pertinet, is instituendus est, quem patronus digniorem inter idoneos probatos ab exami-

---

[1]) Sess. VII. c. 13. de ref. — *Garcias* (de beneficiis) refert declarationem s. C. C., vi cujus istud Concilii decretum sola beneficia simplicia respicit. P. IX. c. 3. n. 19.

[2]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. Constit. Pii V. «In conferendis» (1567); lit. encycl. Clementis XI. 10. Jan. 1721; Bened. XIV. Constit. «Quum illud» (14. Dec. 1742); ejusd. Constit. «Redditae Nobis» (9. Apr. 1746). Vide has Constitutiones in Conc. Trid. edito a *Richter* et *Schulte* p. 576. seq. — *Ginzel:* Die Pfarr-Concursprüfung nach Staats- und Kirchengesetz. Wien 1855. — Kurze Darstellung der Praxis des Concurses (in Moy Archiv. II. p. 385. seq.). *Lingg,* Geschichte d. trident. Pfarrconcurses. Bamberg 1880.

[3]) Conc. Trid. l. c. — «Parem, ni forte majorem, solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis (praeter doctrinam) qualitatibus regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam; praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda.» Constit. «Cum illud.» § 16. n. IV. — Potest episcopus *non* admittere ad concursum eum, qui manifeste deinde non potest idoneus probari e. gr. si quis bona fama non gaudeat ob culpas eidem imputatas, quamquam non probatas s. C. C. 30. Mart. 1743 (Acta s. Sedis tom. 7. p. 351. not. 2.

natoribus judicaverit et reapse praesentaverit.[4]) Cum vero institutio ab alio est facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligere jubetur digniorem, ut hic a patrono praesentatur ei, ad quem institutio pertinet. Si ecclesia est juris patronatus *laicalis,* concursus ex lege communi non indicitur, debet vero, qui a patrono praesentatus est, ab iisdem deputatis, ut supra examinari et nonnisi cum idoneus repertus fuerit, admitti. — *b)* Examinatores in synodo dioecesana ab episcopo proponi et ab ipsa synodo adprobari oportet; in defectu synodalium ab eodem episcopo, peculiari facultate a Sede Apost. ad id instructo, de consensu capituli *prosynodales* constituendi sunt. «Sint vero hi examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut jure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad s. Dei evangelia, se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros.»[5]) — *c)* Modus examinis est hic: Eaedem omnibus concurrentibus assignantur quaestiones, iidem casus, idem textus Evangelii, super quo conciuncula componenda est, et quidem omnibus eodem tempore. Idem pariter temporis spatium constituitur, infra quod concurrentes, in conclavi clausos, scripta sua conficere eaque manu sua subscripta cancellario concursus exhibere oportet, ita tamen, ut etiam ab examinatoribus et Ordinario subscribantur. Haec responsa quidem latine, concio vero ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribenda sunt. — *d)* Istiusmodi concursus non solum pro obtinendis beneficiis parochialibus et iis, quae in jure parochialibus aequiparantur, sed etiam pro dignitatibus et canonicatibus curam animarum habentibus, et vel tunc, cum Sedi Apostol. reservata sunt, requiritur.[6]) Porro requiritur etiam pro iis beneficiis parochialibus, quae sunt juris patronatus ecclesiastici; item pro vicariis perpetuis, quando in vicarium est translata *totalis cura.*[7]) Quaevis alia beneficiorum

[4]) Facultas judicandi digniorem inter probatos ab examinatoribus est penes patronum ecclesiasticum s. C. C. 1573. Edit. cit. Conc. Trid. p. 381. n. 21; Constit. «Redditae Nobis.»

[5]) Conc. Trid. l. c., ubi non solum quidquam accipere hac occasione tanquam simonia inhibetur, sed insuper statuitur, ut examinatores, si opus fuerit, ad rationem in synodo reddendam obstringantur.

[6]) Constit. «Cum illud» § 19. — Bened. XIII. Constit. «Pastoralis officii» (19. Maj. 1725) etiam canonicum tum poenitentiarium tum theologum concursui subjecit, sed solummodo in Italia insulisque adjacentibus.

[7]) Quoties scilicet rectori principali ecclesiae certa portio seu congrua assignatur, ceteris fructibus remanentibus penes vicarium. Vicissim vero si vicarius perpetuus habet solum *exercitium curae* et certa portio ex proventibus beneficii assignatur vicario, tunc sine concursu, solo praevio examine et adprobatione Ordinarii vicarius deputandus est. *Ferraris* s. v. Benef. III. 32. seq. Constit. Pii V. cit.

provisio a quibusvis facta praeter et contra formam a Concilio Trident. praescriptam,[8]) nulla et irrita est, nollumque provisis jus titulumve etiam coloratum possidendi praebet eaque proinde beneficia vacua permanere censentur. Porro si episcopi vel alii collatores ordinarii parochiae vacanti intra *sex* menses in forma praedicta non providerint, vel si institutionem unius ex legitime a patrono praesentatis ultra *duos* menses distulerint, tunc in priori casu jus provisionis ad s. Sedem devolvitur,[9]) in altero vero casu patrono pro obtinenda institutione recursus ad metropolitam vel ad summum Pontificem conceditur. — Excipiuntur a lege concursus: *α)* Beneficia regularia. (Sed vid. not. 19.) *β)* In permutatione ecclesiarum parochialium non requiritur concursus, sed tamen requiritur simplex examen, si permutans pro obtinendo priori beneficio curato non fuerit examinatus, aut permutatio sit de simplici beneficio et curato.[10]) *γ)* Quando nemo est, qui se concursui subjicere velit, aut exigui reditus totius hujus examinationis operam non ferunt. Sed proprie, cum nullus comparuit, episcopus aliud tempus assignare debet ex decreto s. C. C., et si adhuc nemo compareat, tunc potest parochiam absque concursu conferre. *δ)* Sine concursu conferuntur parochiales patronatus laici et mixti.[11]) — *ε)* Reprobato ab examinatoribus, vel posthabito ab episcopo, intra decem dies a die collationis appellare conceditur, sive *a mala relatione examinatorum,* sive *ab irrationabili judicio episcopi* (sc. ob praetermissionem dignioris), sed prior appellatio alium effectum non producit, nisi ut famae atque existimationi suae appellans consulere possit, amovendo notam ab examinatoribus sibi inustam.

---

[8]) Constit. cit. Pii V., ubi per adjectam *clausulam irritantem* nullus et irritus declaratur concursus, si in eo neglecta fuerit *forma Tridentina* (scil. Sess. XXIV. c. 13. de ref.). Haec forma habetur *substantialis,* dum regulae per subsequentes Pontifices (Clem. XI. et Bened. XIV.) datae pertinent ad formam *accidentalem,* qua neglecta concursus eo ipso non fit irritus. Acta s. Sedis tom. 7. p. 351. et 353. seq. Nota tamen, Constitutionem s. Pii V. «in conferendis», qua concursus, neglecta forma Tridentina, nullus declaratur ex declaratione Gregorii XIII. ibi vim non habere, ubi synodi dioecesanae celebrari non solent (*Garcias* de benef. P. IX. c. 2. n. 4). Proinde in hujusmodi regionibus collationes beneficiorum, etiam neglecta forma substantiali concursus non habentur irritae (Archiv. tom. 44. p. 474. not. 1).

[9]) Const. cit. Pii V. Sed ejusmodi reservatio in Germania effectum non est consecuta. — Qua ratione differat jus devolutionis a jure reservationis, explicant Acta II. p. 73.

[10]) Garcias de benef. P. 9. c. 2. n. 165; *de Angelis* III. 5. p. 177. Sed ex novissima decis. s. C. C. 28. Nov. 1884 in permutatione beneficiorum requiri videtur novus concursus novumque examen. Acta s. S. XVII. p. 462.

[11]) *Ferraris* s. v. Benef. art. III. n. 38—54; *Garcias* P. IX. c. 2. n. 218; *De Angelis* tom. 2. p. I. pag. 177. De exceptionibus, quae apud nos sunt, vide in fine § hujus.

Posterior pariter locum habet in devolutivo tantum et non in suspensivo, sic nempe, ut provisio, non attenta appellatione ab episcopo facta, suum sortiatur effectum, donec provocans, injuste se posthabitum esse per legitimas instantias probaverit.[12])

Forma examinis juxta leges particulares.

§ 2. Concursus parochialis haud ubique viget, vel saltem ejus forma canonica circa complura capita per locorum consuetudines et ipsas leges civiles immutata est. 1. Prae reliquis illud usu inductum est, ut examen, quod circa concurrentium doctrinam instituendum est, praesertim in Germania, ac etiam in Austria, ab examine, quo reliquae examinandorum dotes investigantur, *seorsim* haberi soleat. Nam cum concurrentes in istis regionibus, ob dioecesium amplitudinem, quoties parochia conferenda est, personaliter comparere vix possint, consuetudo invaluit, ut adspirantes ad beneficia parochialia immediate ante eorum collationem quidem examinentur de dotibus canonice requisitis, quin tamen praesentes sint, non vero insimul quoad ipsorum in literis peritiam. Nam ad hanc explorandam bina quotannis examina generalia pro concursu parochiali institui solent, ita, ut qui iisdem satisfecerunt, per aliquod tempus (in Austria per sexennium) ad munus parochiale adipiscendum habiles censeantur. 2. Praeterea (ut neglectum formae canonicae aliosque abusus taceam) gubernia civilia jus sibi arripuerunt,[13]) leges et conditiones pro examine concursus statuendi, nec non per commissarios civiles tentamen dirigendi praeter commissarios insimul ab Ordinario deputatos. Sed tum in imperio Austriaco tum in aliis locis ista gubernii directio et cooperatio novissimo tempore cessavit. Nominatim pro nostro Imperio, supplicantibus episcopis, a Sede Apostol. usus regionis cum sanctionibus canonicis conciliatus est. Nam Pius IX. episcopis Austriacis speciatim petentibus ad decennium concessit,[14]) ut dicto modo bis in anno concursus quoad doctrinam a parochias promoveri volentium instituatur, ea tamen lege, ut id fiat

---

[12]) «Cum illud.» § 7. et § 16; n. 6. et § 17; «In conferendis.» § 7. et «Redditae Nobis.»

[13]) Cfr. *Lingg* p. 39. seq. Leges civles (nunc ubique fere abrogatae) in sequentibus discrepant a forma Tridentina: 1. Examen ex doctrina infra certum tempus institui consuevit (in Austria bis annuatim). 2. Pro admissione ad hoc examen requirebantur: indigenatus, certum tempus in munere eccles. expletum (in Austria 3 anni in cura animarum transacti), sufficiens studiorum testimonium. 3. A lege concursus in Austria per se exemti erant: Professores et doctores Theologiae, catechetae scholarum normalium; alii a gubernio dispensari poterant. 4. Examinatores a gubernio determinati erant (apud nos professores Theologiae, aut alii examinatores ad arbitrium episcopi). 5. Soli examinatores jubicabant de doctrina eorum, quos scripto examinarunt. 6. Disciplinae, ex quibus examen instituendum erat, per leges civiles determinabantur etc.

[14]) Vid. «Brixner Dioecesanblatt» 1858. p. 110—123.

per examinatores synodales aut prosynodales (quorum seligendorum facultas pariter a s. Sede impertita est) et diligenter servatis canonicis sanctionibus, ac praesertim literis Apostolicis Benedicti XIV., quae incipiunt: «Cum illud.» Ad hoc examen nonnisi illi sacerdotes admittuntur, qui iis dotibus pollent, quas sacri canones et lex dioecesana [15]) postulant, ac tum voce tum scripto respondere debent quaestionibus propositis ab examinatoribus, et quae inter caetera de *positiva* theologia dogmatica et morali, itemque de positivo jure canonico sunt ferendae.[16]) Isthoc examen nonnisi ad sexennium validum habetur. Omnes in eo adprobati, si infra primos sex annos beneficium parochiale non acceperint, eo spatio elapso denuo concursui se sistere debent. Facto examine ad beneficium promotis, si ad aliam parochiam adspirent, novum examen sub certis conditionibus *via dispensationis* [17]) remitti potest. Scilicet ab onere *denuo* concursui se sistendi «ii dumtaxat eccles. eximentur viri, qui in praesentia inter synodales, vel prosynodales examinatores sint adsciti, quique propter muneris aut beneficii, quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua ecclesiae cum laude servierunt, de eorum scientia probationem satis superque exhibeant, quique idcirco ab episcopo audita examinatorum scientia ab hac concursus lege immunes fuerint declarati.» [18])

Quoties jam beneficium parochiale conferendum est, examinatores, prae oculis habentes praedictam adprobationem quoad scientiam, in reliquas petitorum dotes juxta mentem Concilii Trid. inquirunt, et quinam ex iisdem digniores sint, judicant, salvo tamen episcopi jure eligendi inter sic adprobatos, quem ipse digniorem in Domino censuerit.

Caeterum articulo XXIV. nostri Concordati dictus concursus pro *omnibus* parochiis, etiam pro illis, qui laicalis sunt patronatus, praescribitur. Imo concilium provinc. Viennense (p. 175) etiam

---

[15]) In Austriacis dioecesibus praesertim servitium saltem triennale in cura animarum requiritur.

[16]) Examen fit etiam ex theologia pastorali, necnon concionis pars et explicatio homiletica super quadam pericopa evangelica exarari debet. Ex catechetica quoque, sed voce tantum, examen instituitur.

[17]) Dispensatio conceditur vel totalis vel partialis, prout quis vel ex integro vel ex parte tantum ab onere istius examinis liberatur. Scilicet ex parte dispensatus nonnisi ex theologia dogmatica et morali atque ex jure can. examinari debet. Cfr. Brixn. Dioec.-Bl. 1885 p. 29.

[18]) Rescriptum Congr. negotiorum ecclesiae extraord. ad episcopos tum Austriae tum Germaniae. Dioec.-Bl. l. c. p. 113. — Nec ipsos examinatores a concursu immunes esse, declaratum est a praedicta Congr. in responso ad episc. Brixinen. 1873; sed ex gratia praesentes examinatores personaliter eximebantur.

pro regularium parochiis administrandis formam tentaminis bis quotannis quoad scientiam habendi praescripsit.[19])

§ 87. De beneficiatorum obligationibus, et in specie de residentia.

Professio fidei.

1. Infra duos menses post beneficii ingressum professio fidei emittenda est, quod apud nos in ipso ingressu fieri solet (§ 77. not. 5).

Pensum canonicum.

2. Omnes beneficiati ex titulo justitiae horas canonicas persolvere tenentur. Quoad transgressores hujus statuti canonici Pius V. sancivit, ut qui horas canonicas omnes uno die intermiserit, omnes beneficii fructus illi diei respondentes, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui horarum singulas, sextam partem fructuum admittat.[1]) Per se patet, hanc privationem non solum beneficiatos choro addictos, sed ceteros quoque attingere, ac etiam in conscientia vim habere. At vero si beneficio aliae praeterea obligationes adjunctae sint, iisque beneficiatus satisfaciat, privatio fructuum non secundum praedictam mensuram sed ex parte tantum et proportionate ad has obligationes locum habet. Restitutio facienda est pauperibus, vel beneficio aut ejus ecclesiae. Qui per 15 dies pensum canonicum neglexit, post factam monitionem beneficio privandus est.[2])

Officia beneficialia.

3. Tenentur beneficiati officia beneficio pro ejus natura cohaerentia explere, idque pariter ex justitia, et quidem generatim in sua persona, quin alium ceu mercenarium in locum suum subrogent. Nam persolutio officiorum beneficialium ita *personae* beneficiati inhaeret, ut eorum intuitu ea regula applicari haud possit, quae de realibus ut plurimum praestationibus usurpari solet: «Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum» (Reg. jur. in VI. 72). Siquidem beneficia ac praesertim duplicia intuitu dotum personalium conferri solent, et qui ea accipiunt, pacto saltem tacito se obligant, pro commodis percipiendis se obligationes fideliter praestituros esse. Et haec quidem potissimum beneficia curata et parochialia maxime respiciunt. Unde haud

---

[19]) Hac sanctione nonnisi *forma* examinis determinatur. Nam ipsum examen pro regularibus quoque praescribitur a Trident. Sess. XXV. de regular. c. 11: «praevio examine per eum (episc.) aut ejus Vicarium faciendo.»

[1]) In Constit. «Ex proximo.» 20. Sept. 1571. Bull. II. 369. et c. 2. in VII. (I. 15). — Praedicta privatio fructuum etiam locum habet, «tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis can. cum aliis praesens adsit fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia juxta statuta fundationis vel alias sibi lucrifecisse praetendat.» Cfr. s. Alph. Th. Moral. l. 4. n. 663—674.

[2]) Leo X. in concil. Lateran. c. 1. in VII. (I. 15). — Sanctio isthaec poenalis non pertinet ad primum semestre post obtentum beneficium, in quo omissio pensi can. quidem peccatum grave est, sed nullam poenam attrahit.

levi crimini obnoxii fiunt parochi, qui otio marcescunt oneraque sui beneficii aliis, e. gr. subsidiariis, imponunt. «Qui adjutorem habent» (ita Bened. XIV.[3]) parochos suis monuit, cum esset archiepiscopus Bononiensis), «meminerint, illum esse ministrum, quo uti possint, non ita tamen, ut omnem populi curam et custodiam in illum rejiciant.» Quin et canonici per *vicarios* nequeunt in choro assistere et psallere, illosque ad hujusmodi subrogationem nulla consuetudine etiam immemoriali legitime communiri, exploratum est.[4])

Hoc fundamento innititur beneficiatorum

Residentia.

4. Obligatio ad *residentiam,* quae est *assidua seu moraliter continua in loco beneficii commoratio ad effectum servitii personalis.* In qua notione duo insunt: 1. commoratio beneficiati in loco ecclesiae vel beneficii i. e. episcopi in ecclesia cathedrali vel in dioecesi, ceterorum in eo loco, ubi functionibus personaliter obeundis commode adesse possint, ergo beneficiatorum curatorum in domo ad hoc destinata; 2. obligatio deserviendi personaliter, eoquod residentia otiosa non sufficit, sed requiritur laboriosa. Et hanc obligationem praestantissimi theologi et canonistae ex ipso jure divino derivant, eam potissimum ob rationem, quia in Conc. Trid. cura pastoralis super grege commisso *juris divini* esse expresse declaratur.[5]) Quidquid tamen de hac controversia sit, quae in Concilio Trid. non potuit ad finem perduci,[6]) illud saltem indubium est, obligationem residentiae tum ex naturali aequitate tum ex lege positiva canonica strictissime injungi. *Aequitas* enim *naturalis* exposcit, ut qui ad munus aliquod publicum deputatus est, in persona (juxta superius dicta) illud expleat, et in loco

Ex quo titulo proveniat.

Ex naturali aequitate.

---

[3]) Instit. XVII. p. 108. S. Alphons. Lig. Homo apost. tract. VII. c. 4. n. 15.

[4]) Bened. XIV. in Const. «Cum semper» (19. Aug. 1744) ubi dicit, a s. C. C. identidem opinionem illam reprobatam esse, qua aliqui putant, illi decreto Concilii Trid. (Sess. XXIV. c. 12. de ref.), quo statuit: «Omnes vero divina per se et non per subsitutos compellantur obire officia etc.,» per consuetudines derogari posse. Cfr. de Synod. dioec. l. 13. c. 9. Zallinger II. qu. 35. Intellige tamen: nisi ex speciali privilegio subrogatio aliorum permittatur.

[5]) Sess. XXIII. c. 1. de ref. «Cum *praecepto divino* mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione sacramentorum administratione . . . pascere . . . et in caetera munia pastoralia incumbere: *quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt*» etc. — En jam (ita inferunt ex his verbis) sicut finis ipse lege divina praescribitur, sic etiam adminiculum, quod ad hunc finem obtinendum requiritur (i. e. residentia), ex lege divina repeti debet. — Cfr. «de clericis non residentibus» X. (III. 4): in VI. (III. 3).

[6]) Bened. XIV. Instit. cit. p. 101. et de synod. dioec. l. 7. c. 1.

muneris sui talem praesentiam exhibeat, qualis pro illius imple-
Ex lege positiva. mento requiritur. *Canones* vero quod attinet, hac in re jam in ecclesia primaeva summus eorum erat rigor. Nam clerici ita suis titulis affixi concipiebantur, ut nemini eorum sine episcopi sui venia et literis commendatiis ab ecclesia sua abesse licuerit,[7]) episcopis vero sine metropolitae venia neque ad aulam regiam proficisci licuerit.[8]) Verum deinceps disciplina residentiae et servitii personalis haud parum laxata est, imo ex causis variis effrenata in hac re licentia invaluit, ita quidem, ut Patres Tridenti tum varia antiquorum conciliorum decreta innovare, tum
Disciplina vigens. poenas in reos decernere necessarium duxerint.[9]) Sed quia rationes, quibus nititur obligatio residendi, non aeque cadunt in omnia beneficia, et ipsum Concilium Trid. et subsequens Pontificum[10]) legislatio aliter statuit de episcopis ac de beneficiis curatis, aliter de canonicis et beneficiatis simplicibus. Inprimis 1. *epis-*
Quoad episcopos et canonicos. *copis* et *canonicis,* quin ullius licentia petatur, absentia ad breve tempus conceditur, videlicet ad duos vel tres menses quotannis, ex aequa tamen causa, quae ipsorum conscientiae relinquitur. Ratio a Tridentino allata est: quia hi, qui aliquantisper absunt, non abesse censentur, quia statim sunt reversuri. Ultra duos vel tres menses *episcopis* nonnisi cum venia Pontificis et ex causis in jure expressis abesse licet. Hae causae sunt: *christiana charitas* e. gr. praedicandi fidem vicinis populis, convertendi haereticos; *urgens necessitas* valetudinis, fugae ob imminentes persecutiones. Sed in periculo, quod gregi simul et pastori commune est, huic fugere non licet, quia bonis pastor animam suam ponit pro ovibus suis; *debita obedientia* comparendi ad synodos vel coram superiore; *evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas,* ob quam lis super juribus ecclesiae componenda vel ad aulam principis aut ad assembleas generales, ut sedeant in aula senatorum aut in camera deputatorum accedendum est. Ut *praeter* causam legitimam licite absint, necessaria est licentia summi Pontificis. Praeterea statuitur a Tridentino, ut episcopi per spatium dominici Adventus et Quadragesimae, necnon festis solemnioribus, penes ecclesiam suam cathedralem adsint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi
Quoad parochos. eos alio avocent. — Verum 2. *parochi* aliique, qui beneficium curam animarum habens obtinent, strictius ad residentiam obli-

---

[7]) Can. apost. 15. 16. 32; can. s. conc. Nicaen. I; can. 5. Antioch.; can. 13. 16. 18. 19. Sardic. Acta s. S. V. p. 474.

[8]) C. 27. C. XXIII. qu. 8. (Conc. Antioch. cit. c. 11). — Cfr. c. 2—4 c. 9. h. t.

[9]) Sess. VI. de ref. c. 1. 2; sess. XXIII. c. 1. de ref.

[10]) Bened. XIV. Constit.: «Ubi primum» (1740); «Grave» (1741); «Ad universae» (1746).

gantur. Siquidem his praeceptum est: *Primo* ut degant intra fines parochiae in domo parochiali, nullimode vero in alia domo. Ex pluribus enim decisionibus s. C. C. patet, parochum cogendum esse juris remediis, ut huic suae obligationi in parochiali domo (vel si illa desit in propinquiori domo) faciat satis; neque eum excusari facile posse ex aëris insalubritate, parvo parochianorum numero, multoque minus ex societate parentum, aliisque minoris momenti causis.[11]) *Secundo* ut ne ad *brevius* quidem tempus stationem suam deserant, nisi (ceu praecipit Concilium Tridentinum [Sess. XXIII. c. 1. de ref.]) causa prius per episcopum cognita et probata et discedendi licentia in scriptis obtenta, constitutoque interim vicario idoneo, per ipsum Ordinarium adprobando. Utrum *ad paucos dies* parochis abesse liceat, non petita episcopi licentia, ex particularibus dioecesis cujusvis institutis dimetiendum erit, qua tamen in re notandum est, juxta s. C. C. declarationes animarum curatoribus vix quidquam libertatis concedi.[12]) *Tertio* potest parochus abesse propter capitales inimicitias. Si ipse est *sine culpa,* a. s. C. per episcopum a lege residentiae dispensatur, ita, ut parochus, constituto vicario, resideat in alio loco tutiori ac viciniori, sed non ultra sex menses. Si intra hoc spatium non sedatae sint inimicitiae, s. C. iterum dispensat ad sex menses, quibus frustra elapsis, parochus inducendus est ad resignandum vel permutandum suum beneficium. Si vero ipse *inimicitiis dederit causam,* ut consulatur curae animarum, remotionis oeconomicae (§ 220. 2. b.) remedio utendum est, assignando eidem alterum beneficium, etiam tenuius priore.[13]) — Denique 3. etiam *beneficia non parochialia,* imo etiam *simplicia,* spectato jure can. communi, sunt residentiaria, idque rigorose sumendum est, ubi iisdem adnexum est vel servitium chori vel onus adjuvandi parochum (et haec proprie loquendo non sunt simplicia),[14]) vel quibus

Quoad reliqua beneficia.

---

[11]) Cfr. Acta II. 294. 285.

[12]) Concilium provinc. Vienn. (1858. p. 75.) parochis injungit: «Ultra biduum sine decani praescitu et permissu ex parochia non discedant. Ut ultra sex dies abesse liceat, ab episcopo facultatem scriptis expressam obtineant.» Synodus Brixin. (tit. 11. n. 12) statuit: «Si necessitas abesse ad 14 dies cogat, licentiam in scriptis dabit decanus; si ad longius tempus, vicarius generalis (Ordinariatus). Absentia vero nulli permittatur diebus solemnioribus anni, nec sine cognitione causae, nec sine vicarii idonei a nobis adprobandi deputatione.» Plura de parochorum residentia v. apud *de Angelis* h. t, n. 10. Acta s. Sedis II. 293. Animarum curatores ad nutum amovibiles eadem lege residentiae tenentur ac perpetui s. C. C. 26. Maj. 1612, l. c.

[13]) Cavalchini, Thesaur. resol. de a. 1842. p. 127; ad a. 1852. p. 166. 180. — *Reiffenstuel* lib. 3. tit. 4. n. 92; Acta s. S. I. 519. II. 283; *Richter* et *Schulte* in ed. Conc. Trid. ad Sess. 23. c. 1. de ref.

[14]) S. C. C. in *Nepesina* 16. Nov. 1708, et 5. Sept. 1710, et in *Sublacen.* 13. Jul. 1743. V. Conc. Trid. edit. cit. p. 37. 5—7.

ex sola fundationis lege onus residendi impositum est. Sed 4. obtinentes beneficium simplex, quod nulla ex causa residentiam personalem requirit, non tenentur in eo residere, sed potest ei satisfieri per alium, qui probatus sit ab Ordinario.

Poenae contra absentes statutae:

Contra illegitime absentes statuuntur a Concilio Trid. etiam sanctiones poenales, quibus principium illud generale subest, quod beneficiatus pro rata temporis fructus non faciat suos. Scilicet *episcopi* praeter gravis peccati reatum, quem incurrunt, fructus, quamdiu illegitime absunt, nullos acquirunt, iique fabricae ecclesiarum aut pauperibus loci erogandi sunt. Episcopus absentiam ultra annum protrahens a metropolita infra tres menses Pontifici denuntiandus est. Eadem omnino quoad culpam et amissionem fructuum de inferioribus *beneficium curatum* habentibus obtinent. Quodsi per edictum, etiam non personaliter citati, contumaces fuerint, liberum est Ordinariis, per censuras eccles. et sequestrationem et subtractionem fructuum aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, eos compellere.[15]) — *Abbates* juxta religionis suae statuta, nequaquam vero privatione fructuum, puniendi sunt.[16]) — Poenae nonnihil mitiores contra *canonicos* decernuntur. Iidem, si ultra tempus sibi concessum absint, primo anno dimidiam partem fructuum amittunt, quos grossos vocant (i. e. quos ratione praebendae percipiunt); secundo anno *omnibus* fructibus privantur. Crescente contumacia contra eos secundum canonum constitutiones[17]) procedendum est, ita, ut privari possint et debeant ipso beneficio. Eadem prorsus applicanda sunt illis, qui quidem non absunt ab ecclesia vel civitate, sed tamen ab ecclesiae servitio tot vicibus, ut trium mensium spatium excedant. Hi enim vel non censentur residere, vel materialiter tantum, non autem formaliter.

1. Privatio fructuum beneficialium.

2. Privatio distributionum choralium.

A fructibus beneficialibus, qui residentibus obveniunt, differunt *distributiones quotidianae,* seu *praesentiae, victualia*, quarum jam in libris Decretalium[18]) mentio fit, quaeque a Conc. Trid.[19]) non modo adprobatae, sed ad acuendam canonicorum et beneficiatorum diligentiam potius augeri sunt praeceptae. Vult enim concilium, ut tertia pars fructuum et obventionum tam dignitatum et canonicatuum, quam officiorum, separetur et in distributiones quotidianas convertatur. Et hae nemini dantur, nisi praesenti in

---

[15]) De iis, quos mala plebs odit, quique ideo non resident *Fagnani* h. t. c. 17. n. 25 seq.; Acta s. S. XVII. p. 152.

[16]) Reg. jur. 76. in VI: «Delictum personae non debet in detrimentum ecclesiae redundare.»

[17]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. Cfr. tot. tit. de cleric. non resid. X. (III. 4). Acta I. p. 139. 143. *De Angelis* l. c. n. 19. seq.

[18]) c. 7. X. l. c. et c. un. in VI. (III. 3).

[19]) Sess. XXI. et XXII. utrinque c. 3. de ref.

choro et servitium personaliter implenti, unde etiam *legitime* absens iis non gaudet. Exceptiones tamen sunt: 1. si quem interesse prohibet «infirmitas (sc. per medicos probata [Acta XVIII. 82]), seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas;»[20]) 2. canonicus theologus suo vacans muneri, nec non canonicus poenitentarius, dum audit confessiones in eccles. cathedr.;[21]) 3. qui in parochia suo canonicatui incorporata animarum curae affixus est, nisi alia sit consuetudo vel statutum ecclesiae.[22])

§ 88. De prohibita beneficiorum comulatione.

Evolutio historica.

Officium residentiae plerisque beneficiis adnexum per se excludit pluralitatem beneficiorum, quae tam a conferente quam ab acquirente beneficium prae oculis habenda est. Antiquissimis jam ecclesiae legibus quempiam in duarum ecclesiarum catalogum referri vetitum erat; at etiam deinceps, postquam ordinatio a beneficiorum collatione sejuncta est, beneficiorum comulationem in una persona semper abhorruit et prohibuit ecclesia.[1]) Verum post creata beneficia neglectus residentiae, insufficientia dotationum, ambitio et avaritia plurimorum, aliaeque rationes, plura beneficia occupandi ansam praebuerunt. Restitere quidem huic canonum

[20]) c. un. in VI. (III. 3). Ad corporalem necessitatem etiam deportatio, seditio, demagogorum coactio pertinent. S. C. C. 8. Jul. 1865. Acta s. S. II. 410. Nomine ecclesiae intelligitur ecclesia choralis; quando agitur de utilitate ecclesiae universalis aut dioecesis, ad percipiendas distributiones tempore absentiae requiritur indultum Apostolicum. Acta s. S. V. 139. Unde non lucrantur distributiones: Rector Seminarii, professores, qui juvenes examinant (nisi indultum habeant Apost.), audientes confessiones tempore divini officii (excepto Poenitentiario), canonici episcopum in tractandis negotiis adjuvantes etc. Lucrantur vero canonici, qui inserviunt episcopo celebranti et pontificalia exercenti, tum in cathedrali, tum in aliis civitatis locis atque ejus suburbiis. Acta s. S. I. p. 68. Cfr. Acta s. S. II. 576. 705. III. 467. IV. 263. — De indultis abessendi a choro cfr. Acta s. S. I. 200. V. 139.

[21]) Poenitentiario par habetur tum ille canonicus, qui ab episcopo ex necessitate et ex legitima causa loco poenitentiarii ad confessiones deputatus est, actuque eas audit (s. C. C. 10. Mart. 1653. Acta s. S. XVI. 494; XVII. 551), tum etiam ille canonicus, qui ex officio vel de expresso mandato episcopi *in casu necessitatis* confessiones audit (s. *Alph. Liguori* Theol. Mor. l. V. n. 131), imo probabilius etiam alii clerici poenitentiarium ob multitudinem poenitentium adjuvantes. *Schmalzgrueber* h. t. n. 98. — Quatenus officium chori compatibile sit cum alio officio (sc. quoad lucrandas distributiones) cfr. Acta s. S. XVI. 494. 500. 501. XVII. 551.

[22]) Cfr. Acta s. Sedis de distributionibus ordinariis et extraord. tom. 8. p. 138. 140; p. 94. Ibid p. 139: de indulto jubilationis; p. 140: fallentiae quibus accrescant; p. 106. de Missa conventuali.

[1]) c. 1. et 2. C. 21. qu. 1. (conc. Chalcedon. et Nicaen. II.); c. 3. § 1. C. 10. qu. 3. (conc. Toletan. XVI. a. 693); cfr. c. 2. § 1. D. 70. (Urban. II.). *Philipps* K.-R. tom. 7. p. 402.

contemtui et Pontifices et concilia tam generalia quam particularia. Sed neque conciliorum Lateran. III. (1179) et IV. (1215) decreta, neque Pontificum constitutiones malis inveteratis ea, qua par erat, efficacia mederi potuerunt.[2]) Unde Patres Tridentini collapsam in multis regionibus disciplinam in hac quoque re instaurare adlaborarunt.[3]) Harum legum tenor est, ut beneficiorum pluralitas generatim quidem prohibeatur, in quibusdam tamen casibus sive de jure sive ex dispensatione permittatur. Hinc distinctio antiquis saeculis incognita invaluit inter beneficia compatibilia et incompatibilia, prout de jure in una persona conjungi possunt aut non possunt. Incompatibilitas oritur ex duplici capite: 1. ex residentia continua, dum utrumque beneficium aut natura sua aut de jure speciali e. gr. vi suae fundationis, continuam clerici residentiam requirit; 2. ex honesta, seu congrua sustentatione unius, licet alioquin clericus utrique satisfacere posset; nam si unum beneficium sufficit ad honestam sustentationem, alterum indebite tenetur. Unde

Beneficia compatibilia.

1. *Compatibilia* secundum canonum dispositionem sunt: a) Si reditus unius beneficii ita tenues fuerint, ut ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam, non sufficiant. Tunc (ait Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 17. de ref.) «liceat nihilominus aliud *simplex* beneficium, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.» Sed *duo* tantum beneficia sunt compatibilia. *Tertium* absque indulto Apostolicae Sedis obtineri non potest, etiamsi duo priora sint insufficientia.[4]) — b) Si quis plures habet ecclesias, quarum una ab altera pendet ita, ut una dicatur matrix, alia filialis. — c) Duo beneficia *difformia* i. e. dispar sed compatibile officium habentia, sive sub eodem, sive sub diverso tecto (sc. in eadem ecclesia vel in diversis.[5]) — d) Praeterea Sedes apostol., cujus solius est, ea in re dispensationem concedere, justis de causis plura ab uno clerico etiam incompatibilia beneficia retineri interdum permittit.[6])

---

[2]) c. 3. X. de cl. non res. (III. 4); — c. 28. X. de praebend. (III. 5): ib. c. 5; — c. 4. X. (1. 14). (Alex. III.); — cfr. c. 54. X. de elect. (I. 6). (Greg. IX.); — c. 4. execrabilis in X. vag. comm. (III. 2).

[3]) Sess. VII. c. 2. de ref. et XXIV. c. 17. de ref. cfr. etiam declarationes s. C. C. apud *Richter* et *Schulte*, quibus praxis hodie vigens egregie illustratur.

[4]) *De Angelis* lib. 3. tit. 5. n. 23. — Acta s. S. tom. 13. p. 464. 467. *Garcias* de benef. p. 11. c. 4. n. 310. — S. C. C. 6. Dec, 1721.

[5]) Hinc compatibilis est dignitas (e. gr. archidiaconi) vel cura animarum cum canonicatu, vel una capellania cum alia, si officia utriusque in eosdem dies non incidant.

[6]) Ejus rei exempla erant praesertim in Germania, ubi ortis in religione dissidiis uni plures episcopatus concedebantur. Quod tamen reprobavit Clemens XII. Cfr. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 8. n. 6.

2. *Incompatibilia* et quidem *in primo genere* seu ita, ut assumto altero beneficio prius possessum ipso jure vacuum evadat, sunt: duo episcopatus,[7]) duae abbatiae, duo beneficia curata,[8]) duae dignitates seu personatus, duo beneficia etiam simplicia *uniformia sub eodem tecto* i. e. talia, quae in eadem ecclesia eadem onera et officia habent adnexa, veluti in eadem ecclesia duo canonicatus vel alia beneficia cum servitio in choro. Nam horum cumulatio in diminutionem cultus divini vergit. — Beneficia incompatibilia *secundi generis* sive *ex accidenti* (i. e. talia, quae quidem simul retineri prohibentur, non sic tamen, ut obtento secundo confestim primum ipso jure vacet, sed ut is, qui utrique tentat insistere, *per sententiam judicis* cogendus sit alterutrum dimittere) sunt: duo beneficia simplicia quorum singula praebent congruam sustentationem, *aut* in eodem casu unum simplex cum curato vel dignitate vel personatu, *aut* duo canonicatus in diversis ecclesiis, *aut* quae ratione residentiae conjungi non possunt, etsi singula sustentationem non praebeant.[9])

Beneficia incompatibilia

primi generis,

secundi generis.

§ 89. De jure patronatus. Generalia.

Quia jus patronatus (j. p.) in provisionem beneficiorum haud parum influit, eoque, cum ex provisione plena faciat minus plenam, jus collatoris restringitur, hoc loco commode de illo sermo instituitur.

1. *Notio.* J. p. ob indolem suam vagam stricte definiri vix potest. Consistit nimirum in complexu quorundam jurium, quorum praestantissimum est facultas praesentandi clericum ad beneficium vacans, piis fundatoribus aut aliis *ex favore ecclesiae* intuitu cujusdam beneficii competentium, cum certis simul officiis adnexis. Qui his juribus fruitur, *patronus* dicitur, ejusdem nexus ad respectivum beneficium patronatus, complexio vero illorum jurium et obligationum jus patronatus nuncupatur. — Est vero j. p. *a)* non

Notio jurisp.

---

[7]) Assumto episcopatu beneficia antehac possessa vacant. c. 7. § 1. X. (I. 6).

[8]) Conc. Trid. Sess. VII. c. 2. de ref. «Cum valde felix sit ille censendus, cui unam ecclesiam bene ac fructuose et cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit.»

[9]) *Zallinger* II. p. 67. seq., qui dicit, distinctionem illam primi et secundi generis a multis auctoribus improbari, eosque sentire, semper beneficium primum obtento secundo *ipso jure* vacare. Vide etiam *Maschat* tom. 3. l. 3. tit. 5. § 3. qu. 7. 8. *De Angelis* l. c. n. 23, qui sine distinctione docet, eum qui duo incompatibilia beneficia habet, ipso jure primum amittere et in casu interdictae retentionis etiam alio spoliari. — Benignius judicat *Devoti* Instit. tom. 2. p. 388. ed. Rom. — Prout per se intelligitur, potest parochus vel beneficiatus ex vacante alio beneficio remunerationem percipere, cujus officia interim adimplet, quin duo beneficia habere dici possit.

jus temporale, aut aequivalens pretio temporali, sed *jus spirituali adnexum* et *ecclesiasticum; b) jus individuum,* quod inter plures dividi nequit, sed nonnisi in solidum ab iis retineri potest; c) jus, quod tantum *ex ecclesiae favore speciali* personis non hierarchicis, ergo *quasi per modum privilegii,* impertitur, ex quocumque demum titulo originem traxerit.[1]) Nam cum collatio beneficiorum ex jure intrinseco ad personas hierarchicas competentes unice spectet, quaevis liberae collationis limitatio, quae fit per alios non competentes, nonnisi per modum exceptionis et indulti ab ecclesia concessi introduci potuit.

Origo et progressus.

2. *J. p. origo et historia.* Elementa primitiva j. p. jam prioribus ecclesiae saeculis occurrunt. Ecclesia quippe jam pridem templorum et beneficiorum fundatores eorumque haeredes, ut gratum erga eos animum contestaretur, praecipius quibusdam praerogativis donavit. Hinc nomina eorum in ecclesiis recitata, templis imposita, sacrisque dyptichis inscripta fuisse constat; hinc reliqua concessa jura et ipsum jus, offerendi clericum ad beneficium vacans, impertitum. Et hoc quidem jus, sc. praesentandi clericum ab episcopo necessario instituendum, in *Oriente* jam saeculo 6. in duabus Justiniani novellis iis conceditur, qui vel ecclesiam aedificaverint, vel dotationem pro clericis suppeditaverint.[2]) *In Occidente* concilium Arausican. I. (a. 441) episcopo in aliena dioecesi templum aedificanti concessit, ut clericos praeficiendos posset designare seu Ordinario praesentare,[3]) quod praesentandi jus deinceps (saec. 6. et 7.) ad laicos quoque per canones[4]) extensum est, cum jure seu potius officio, ut iidem pro peculio eccles. in sua integritate servando solliciti essent, excluso tamen omni jure proprietatis.[5])

Oriente.

In Occidente.

Inter populos Germanos.

Attamen ea, quae nunc reperitur, j. p. forma in jure et institutionibus populorum Germanicorum suum fundamentum habet. Nam apud eos receptum erat, ut ille ingenuus, cui dominum (seu dominatio, potestas) alicujus fundi competebat, earum rerum et

---

[1]) *Schulte:* System. p. 668, ubi auctor distinguit inter *causam formalem* seu *fundamentum juris,* cui j. p. innititur, quod unice est ecclesiae concessio, et inter *rationes historicas,* quae variae esse possunt, e. gr. dominium fundi, dotatio, fundatio etc. — Quoad j. p. vide: X. (III. 38); in VI. (III. 19); Clement. (III. 12); Conc. Trid. Sess. XIV. c. 12. 13. de ref.; Sess. XXV. c. 9. de ref.

[2]) Novella 57. c. 2. (c. 537) et nov. 123. c. 18. (a. 546). — Cfr. c. 15. c. de ss. Eccl. I. 2. (Zeno) et c. 45. (al. 46.) C. de episc. et cler. I. 3. (Justinian.), ubi talibus benefactoribus certa jura quoad administrationem peculii eccles. tribuuntur.

[3]) Vid. c. 1. C. 16. qu. 5.

[4]) c. 31. 32. C. 16. qu. 1. (Pelag. I. c. a. 557; Greg. I. a. 591); c. 32. C. 16. qu. 7. (Conc. Tolet. IX. a. 655).

[5]) c. 26. C. 16. qu. 7; cfr. c. 36. ib.

personarum, quas tale territorium continebat, dominus simul esset et protector nativus.[6]) Unde etiam ecclesiae in hoc territorio exstructae ceu pars dominii considerabantur, ita quidem, ut tum oratoria, tum clerici eisdem inservientes, dominio et patrocinio heri subessent. Ac propterea idem herus ecclesiae illius bona administrare, et clericos sine ullo episcopi interventi instituere et investire, imo etiam ad officia profana adstringere solebat. Consequens erat, ut tales ecclesias tamquam res ad dominium pertinentes simul cum fundo vendi, oppignorari, feudorum instar aliis tradi, quin et inter plures haeredes dividi haud raro contigerit. Et quamquam ejusmodi oratoria postmodum in ecclesias parochiales saepius sunt conversa, et proin jus dominii quantum ad ipsas ex rei natura cessavit; nihilominus tamen j. p. ab heris prioribus retineri solitum est, eoquod tale jus dominio praedii nexu indivulso cohaerere existimabatur. Hisce abusibus, ex jure Germanico quasi sponte manatibus, injuria temporum alii praeterea accreverunt. Nam tum reges tum proceres haud raro ecclesias saeva violentia invaserunt earumque proventus retinuerunt, laicis donarunt, imo et parochum suo arbitratu et modo plerumque precario constituerunt. Factum est ergo, ut iidem abusus, quos principes in episcoporum investitura committebant, in minorum etiam beneficiorum provisione invalescerent. Ipsi denique advocati ecclesiastici, pro defensione beneficiorum constituti, postliminio beneficia occupabant eademque jura usurpabant, quae patroni sibi vindicare solebant.[7]) Hujusmodi malis eodem tempore ecclesia justis remediis occurrere studuit, quo reges ab investitura episcoporum illegitima prohibiti sunt. Et quidem hoc praesertim intendebat, ut abusus in hoc disciplinae capite oborti ad rectum usum revocarentur. Igitur in III. et IV. concilio Lateran. et decretis deinceps sancitis quodcumque jus proprietatis intuitu eccle-

---

[6]) *Vox patronus* utrumque indicat: dominium et patrocinium. — Caeterum ea vox in sensu strictiori (sc. quatenus jus praesentandi aliaque ei annexa per ipsam denotantur) saeculo 9. primum usurpari coepit. Ante hoc tempus patronus vocabatur *senior* vel *senior saecularis*. *Richter,* Lehrbuch. § 151. n. 51.

[7]) Nomina *patroni* et *advocati,* in fontibus nonnunquam promiscue usurpantur, quia saepius is, qui patronus, simul et advocatus erat. Sed re ipsa patronatus ab advocatia differt. Quemadmodum videlicet rex erat advocatus ecclesiae latius sumtae, ita plane pro ecclesiis liberis (i. e. nulli hero subjectis), et collegiis eccles., assignata quandoque parte fructuum ex ecclesiae reditibus, proprii advocati constituebantur, qui ecclesiarum causas in judiciis tuerentur, bona et praedia administrarent, juraque a violentiis et oppressionibus defenderent. Quia in ecclesiis patronatis ejusmodi defensio patrono incumbebat, quivis patronus simul advocatus erat, minime vero quilibet advocatus insimul etiam patronus. — In Austria ejusmodi advocatia ad nostra usque tempora perduravit.

siarum laicis abjudicatum, investitura beneficiatorum laicalis in jus praesentandi commutata, quaevis j. p. venditio et alienatio (utpote juris rei spirituali annexi) severe prohibita et decisio causarum j. p. concernentium foro judicis eccles. addicta est. Ex his quidem s. canonum dispositionibus jam omnibus palam fiebat, j. p. non ortum ducere ex dominio, sed ex concessione ecclesiae, et ad patronum non spectare collationem beneficii, sed nonnisi clerici praesentationem.

Divisio.

3. *Dividitur* j. p.

J. p. ecclesiasticum.

a) in *ecclesiasticum, laicale* et *mixtum.* Haec distinctio non pendet a vitae statu clericorum, cum fieri possit, ut etiam persona ecclesiastica habeat jus patronatus laicale. Sed interest 1. quae sit bonorum natura, ex quibus beneficium aliquod fundatum est, et 2. quo titulo j. p. possideatur. Igitur ecclesiasticum est, si vel beneficium aliquod ex bonis eccles. erectum est, vel si j. p. cuidam personae, sive physicae sive morali, praecise ideo competit, quia *ecclesiastica* est, e. gr. praeposito capituli, vel ipsi capitulo qua collegio, ordini militari (e. gr. ordini Teutonico), monasterio (etiam monialium), confraternitati in certa ecclesia erectae, hospitali, quod est sub ecclesiae directione. Similiter j. p. eccles. est, quando laicis jus est, patrono eccles. *plures* nominandi, ex quibus ab ipso eligi debet offerendus; sed desinit esse j. p. eccles. quoties patronus ad laicorum consensum adstringitur. Etiam illi patronatus, quos olim in S. R. I. tum episcopi tum abbates ceu domini territoriales habuere, sine dubio *ecclesiastici* erant, etiamsi iidem ab initio patronatus laicales essent. Nam per translationem in episcopos tum ipsi patronatus tum etiam bona laicalia naturam rerum ecclesiasticarum acceperunt. Cessante dein post saecularisationem dominio episcoporum territoriali, et bonis, in quibus quandoque j. p. haerebat, in manus saeculares deportatis, illud j. p. in favorem provisionis plenae episcoporum exstinctum est. (Cfr. 94. 1. d.)

Laicum.

J. p. *laicale* dicitur, non tantum, quod laico competit, sed etiam quod a clerico ex patrimonio et successione paterna vel alio titulo saeculari obtinetur. Per fundationem factam ex patrimonio clerici, non ecclesiasticus sed laicalis patronatus acquiritur.[8]) Caeterum notabiliter differunt patronus eccles. et laicus.[9])

---

[8]) Si clericus de bonis suis beneficialibus ecclesiam exstruxerit, vel dotationem assignaverit, j. p., quod exin acquiritur, nonnisi tunc laicum erit, quando is vigore indulti Apostolici de talibus bonis libere testandi veniam obtinuit. Fagnan. in c. 24. X. de elect. (l. 6.) n. 17. — Ceterum nota discrimen, quod intercedit inter capellanias laicales et beneficia j. p. laicalis. Haec enim vere sunt beneficia ecclesiastica, illae autem piae dumtaxat fundationes seu pia legata censentur. Acta II. 327. III. 233.

[9]) Differentiae insigniores his versiculis continentur:

J. p. est *mixtum* sive ex titulo, eoquod a patrono eccles., v. gr. collegio, *et* laicum in solidum possideatur, sive ex bonis, eoquod ista ex patrimonio tum laicali tum eccles. ad fundationem concessa sint. Hoc aut alternatim exerceri potest, quo casu una vice laico, altera vice eccles. habetur; aut ab utraque parte simul in qualibet provisione in exitum deducitur, et tunc regulariter tanquam j. p. laicum consideratur.[10]) Mixtum.

b) In *personale,* quod personae competit citra ullum ad rem quampiam respectum, et *reale,* quod praeter dotes quoad personam patroni requisitas possessionem rei (v. gr. castri [feudi], praedii, villae), cui insitum est, requirit. J. p. reale non ita tamen rei insitum est (prout complures falso asserunt), ut in *quemcumque* rei possessorem transeat. Nam j. p. reale non transit in novum possessorem, 1. quando non bonorum universitas (in sensu juridico) in aliquem transfunditur, sed universitas resolvitur in partialitates; 2. quando ejusmodi universitas seu complexus bonorum, in quo haeret j. p. eccles., in manus laicorum deportatur; nam ex patronatu eccles. non potest fieri laicus; 3. quoties persona j. p. incapax, e. gr. quidam acatholicus, hujuscemodi praedium seu castrum, quocum patronatus etiam laicus conjungitur, sibi acquirat.[11]) In primo et altero casu j. p. extinguitur; quoad tertium. vid. § seq. not. 3. Personale et reale.

c) J. p. laicum est vel *haereditarium,* quod haeredes quoscumque sequitur (sive ii per legem sive per testamentum ad haereditatem vocentur), dummodo isti alias sint j. p. acquirendi capaces, vel *familiare* aut *gentilium,* quod ex dispositione fundatoris Haereditarium et gentilitium.

Clericus et laicus distant per plura patroni:
Poenitet, et tempus, subjectio, poenaque forsan,
Et ratio, titulus, donum conjungitur istis.

Poenitet, quia laicus potest variare et alium praesentare, ecclesiasticus non item. *Tempus,* quia laicus habet quatuor menses ad praesentandum, eccles. sex. *Subjectio,* quia magis adstrictus et potestati ecclesiae patronus eccles., quam laicus. *Poena,* quia patronus eccles. praesentando scienter indignum ea vice jure praesentandi privatur; hoc non ita constat de laico. *Ratio,* quia nonnisi patrono eccles. redditur ratio de temporalibus. *Titulus,* quia (juxta c. «Postulasti» 30 h. t. vid. *Fagnani* ad hoc, c. n. 1.) rector ecclesiae etiam invito patrono *laico* potest praesentare clericum ordinandum ad titulum beneficii. Quod tamen hodie in usum deduci nequit. *Donum,* quia j. p. laicum potest donari ecclesiae sine consensu episcopi. *Fagnani* ad c. 27. h. t. n. 13. seq. Aliae differentiae versantur 1. circa concursum parochialem (§ 86); 2. circa reservationes papales, quibus beneficia j. p. laicalis non sunt obnoxia.

[10]) *Philipps* Lehrb. p. 326. — *Schmalzgrueber* h. t. n. 10. 11. 28.

[11]) Vid. tractatum lectu dignissimum: Ueber das Patronatsrecht, mit besonderer Rücksicht auf das fälschlich sogenannte dingliche Patronatsrecht von Rosshirt in *Moy,* Archiv IV. p. 1—38. — Hist.-pol. Blätter 32. fasc. 11. Ueber die badische Kirchenfrage. — *Fagnan.* ad c. 7. ex *literis* h. t.

ad solos a familia quadam descendentes restringitur. Et quidem deficiente linea agnatitia succedit linea cognatitia (i. e. descendentia per foeminam), quae exclusa a testatore non fuerit. (Acta II. 458.)[12]) Generatim patronatus laicus semper praesumitur esse haereditarius, ideoque exstincta familia et gente transit etiam ad haeredes extraneos, nisi fundator expresse constituerit, cessante familia etiam j. p. cessare oportere.

Passivum et activum.

d) In *passivum* et *activum*. *Passivum* est, per quod certi de aliqua familia vel de aliquo loco (si idonei sint) exclusis extraneis ad beneficium sunt praesentandi; *activum* illud ipsum est, quod exercent patroni. Sed minus adaequata est haec partitio.

Privatum et regium.

e) In *privatum,* quod hominibus privatis, et *regium,* quod regnantibus competit. Imperantes ex variis titulis ac praesertim ex concessione R. Pontificis j. p. acquirere possunt, et hoc quidem etiam ecclesiarium cathedralium intuitu. Iidem ad terminum praesentationis aliis patronis praefixum non sunt adstricti.[13]) Illa vero sentenia, ex qua patronatus regius ipsi juri territoriali principisque majestati adjunctus consideratur, prorsus rejicienda, imo hodie ab omnibus rejecta est.

4. Quaeritur, quinam sit judex competens in causis j. p.? Distinguendum est, an sit quaestio *meri facti,* an quaestio *juris.* Si primum, olim haec causa erat *mixti fori,* quae scil. pertractari potuit a judice ecclesiastico *vel* laico, ita ut locus fuerit praeventioni. Si vero quaeritur *de jure,* unice competens est judex ecclesiasticus, quia agitur de *causa quasi-spirituali.* Sed tempore recentiori sive per indulta principibus concessa sive etiam ex usu minime legitimo haec res ubique eo devenit, ut «vix casus occurrat, in quo tales quaestiones videantur a judicibus ecclesiasticis.»[14])

---

[12]) Nonnulli j. p. *familiare* et *gentilium* haud promiscue sumunt, sed ad *familiam* computant tantum descendentes per personas sexus masculini, *gentis* vere nomine omnes fundatoris agnatos etiam collaterales comprehendunt. *Berardi,* Tract. de benef. eccles. Dissert. 4. c. 2. *De Angelis* h. t. p. 216. Subdistinguitur patronatus *primogenialis, linealis, descendentalis* etc.

[13]) *Riganti* Comment. ad Regul. Cancell. Reg. 42. n. 42. tom. 3. p. 235. Decl. 18. ad Conc. Trid. sess. 25. c. 9. de ref. edit. *Richter* et *Schulte.*

[14]) *De Angelis* l. c. p. 253. — In Concordato Austr. art. XII. jurisdictio quoad causas j. p. generatim ecclesiae addicitur; sed quoties agitur de successione in j. p. *laicum* (§ 92), judex civilis competens declaratur. Lex de 7. Maj. 1874. § 33. sic distinguit: Quoties litigatur, utrum ecclesia vel praebenda sit patronata, an vero liberae collationis, tunc res deciditur a tribunali politico (in ultima instantia a ministerio pro cultu), collatis consiliis cum superioribus ecclesiasticis. Quoties autem quaestio agitatur, *cuinam* ex litigantibus j. p. competat, *judex* civilis eam dirimere debet. Cfr. *Wolski,* Judicatenbuch. n. 299—203. — De cetero quantum ad j. p. leges hactenus vigentes servandae sunt, usquedum novae fuerint editae § 32. Quae haec lege de oneribus j. p. statuuntur § 32 et 34, suo loco exponetur, ubi sermo erit de aedificiis eccles. reparandis.

§ 90. Requisita generalia ad acquirendum jus p.

Quaeritur: 1. quaenam personae juris p. sunt capaces? 2. Super quae objecta jus p. potest extendi? 3. Quibus actionibus ecclesia ad acquirendum j. p. concurrere debet?

1. Personae capaces.

Ad 1. In quaestione de capacitate juris p. distinguendum est, quis capax sit *acquirendi* jus p., et quis illud *exercendi*. Acquirere jus p. omnibus catholicis licet, clericis et laicis, viris et feminis, personis singularibus et moralibus, verbo: omnibus quibus non est prohibitum.[1]) Non omnes tamen, qui capaces sunt *acquirendi* juris p., sunt ejusdem *exercendi* capaces. Nam infantes i. e. septennium nondum egressi, non per se ipsos, sed per tutores actualiter praesentare valent. Impuberes septennium praetergressi, etsi juxta antiquiores valide praesentent, tamen juxta alios doctores pariter per tutores hoc jus exercere debent usque ad pubertatem. Hanc tamen adepti, licet minorennes sint, ad hoc habiles censentur.[2]) Porro foeminae j. p. tantummodo personale vel quod haeret in bonis parapharnalibus per se exercent, illud tamen quod in bonis dotalibus inhaeret, per maritum.[3]) Denique in multis aliis casibus, de quibus mox erit sermo, *exercitium* i. p. vel hac vice tantum, vel diutius suspenditur, quin jus ipsum intereat. *Non* vero j. p. acquirendi capaces sunt a) *infideles, pagani* et *judaei,*[4]) quia hoc est privilegium ab ecclesia concessum non extraneis, sed tantummodo suis. Ex eadem ratione b) istius juris incapaces sunt *haere-*

---

[1]) *Schmalzgrueber,* h. t. n. 65; *De Angelis,* h. t. n. 6. p. 225; *Schulte,* System p. 672.

[2]) *Schmalzgrueber,* l. c. n. 74; *Friedle,* in Verings Archiv über die Ausübung des Präsentationsrechtes t. 23. p. 5.

[3]) In Austria omnia negotia, quae ad praesentationem pertinent, ubi agitur de patronatu reali, a marito peragi possunt. Decis. supremi tribun. pro admin. 19. Jan. 1878 (*Wolski* Judicatenbuch n. 297).

[4]) Judaei legibus civilibus communiter prohibentur exercere j. p. — In *Austria* ordin. caesarea d. 18. Febr. 1860 statutum est, ut si judaeus habeat jus p. *reale,* omnia *jura* e. gr. jus praesentandi interim debeant quiescere, seu suspendi, dum vicissim ab *oneribus* patronatui adnexis judaeus patronus haud liberatur. Hanc legem hodiedum vigere summum pro causis administrationis tribunal d. 18. Nov. 1876 N. 320 (*Wolski* Judicatenbuch n. 296) in processu judaei cujusdam confirmavit, decernens, jus praesentandi esse jus ecclesiasticum, non vero civile aut politicum, quale judaeus in casu sibi injuste ereptum esse conquerebatur, provocans ad artic. 14 legis imperii fundamentalis de 24. Dec. 1867. Archiv t. 36. p. 423. — In *Hungaria* tamen Episcopo Nitriensi per rescriptum s. C. Inq. d. 21. Dec. 1873 concessum fuit, ut loco judaei, habentis j. p. reale, mandatarius catholicus, etiam episcopo gratus, ex concurrentibus nominare possit ad patronalia beneficia, quos episcopus ante probaverit. — Sed haec concessio in exemplum vocari nequit, eoquod ob singularia rerum adjuncta data fuerit, «tolerantiae apicem» attingens. Archiv t. 37. p. 363.

tici, tum quia tanquam contumaces indigni sunt, tum quia absonum est, ut homines ab ecclesia alienati, et generatim pravo animo contra eam affecti partes suas et quidem *praecipuas* habeant in constituendis ecclesiae ministris. In Germania tamen ex inducta tolerantia per pacem Westphalicam (1648) inolevit,[5]) ut protestantes praesentent ad beneficia catholica, et vice versa catholici praesentent ministros acatholicos. Complures canonistae hunc usum legitimum esse contendunt. Alii saltem admittendam esse dicunt praesentationem, quam faciunt protestantes ex titulo juris p. *realis* quod, uti dicunt, in quemcunque possessorem fundi respectivi transit. Sed rectius dicendum, protestantes et schismaticos non esse capaces juris p. sive *personalis,* sive *realis,* et etiam j. p. reale exstingui, quoties praedium aliquod cum jure p. connexum ad acatholicos transit. Et haec consuetudo in Germania et (ubi agitur de jure p. *reali)* etiam in Austria vigens, licet sit longaeva tamen non dici potest legitima, quia non est rationabilis juxta antea dicta, sed tolerata tantum et dissimulata ad evitanda mala majora. «quae graviora videntur episcopis, quam malum, quod ex hujusmodi praesentationibus oboriri posset.»[6]) c) Incapacibus adnumerandi sunt *simoniaci* et *infames.* Tales siquidem, sicut ipsis non patent portae dignitatum, ita aliis quoque easdem, exercendo j. p.. non possunt aperire. d) *Excommunicati* possunt *acquirere* jus p. sed *habitu* tantum, non etiam *actu,* ita, ut ante absolutionem illud nequeant exercere.[7]) Porro excommunicati possunt *retinere* j. p. quaesitum ante excommunicationem titulo fundationis,

[5]) Scil. *tolerantia* per hanc pacem inducta usum supradictum invexit. Nam ex ipsis pacis Westphal. stipulationibus minime potest probari, protestantibus attributum esse j. p. in beneficia catholica, et vice versa, licet in I. P. O. § 31 patronatus recenseatur inter annexa religionis. *Schulte,* System p. 673 not. 6.

[6]) *De Angelis,* l. c. p. 227. Cfr. *Pichler,* h. t. n. 21. *Schenkl,* p. 468 not. 1. *Permaneder,* § 256. *Rosshirt,* l. c. p. 23. — Potest tamen esse j. p. *regium* eccles. penes principem protestanticum, si vi constitutionis in illo territorio religio catholica recepta et agnita sit. In *Austria* hactenus nulla lege protestantes j. p. capaces declarati sunt, imo non solum articuli 34. et 35. Concord. tali favori sunt contrarii, sed plura alia, ut probat *Schulte* (l. c.), obsistunt. At juxta eundem auctorem tum per *Hungariam* in quibusdam parochiis protestantes et graeci non uniti tanquam patroni admittuntur, tum vero (Lehrb. § 74. n. 8) *in Bohemia* ultra 50 patronatus *reales* dantur, qui, nulla difficultate opposita, ab acatholicis cum effectu exercentur. — Si vero praedium a gubernio Austr. venditur, cui inhaeret j. p. catholicum, tunc haud raro in venditionis documento stipulari solet, jus p. non transire in emtorem acatholicum, quoad praesentationem, sed hanc relinqui imperatori, onera vero juris p. suscipienda esse ab emtore.

[7]) E. g. exstruendo ecclesiam de consensu episcopi, etiamsi hoc admitti non debeat. *Fagnani,* h. t. ad c. *nobis* n. 12. p. 526. *Garcias,* de benef. p. 5. c. 4. p. 317.

constructionis et dotationis (§ seq.) quia privatio nullo jure statuta est.[8]) At certum pariter est, episcopum *non teneri* praesentationem ab eo factam admittere, ut moderatiores canonistae sentiunt contra quosdam rigidiores, qui dicunt praesentationem esse invalidam.[9])

Objecta j. p.

2. Juri p. subesse possunt omnis generis ecclesiae et beneficia tam majora quam minora. Jus praesentandi ad vacantes episcopatus quandoque imperantibus (non aliis) a Sede Apostolica concessum fuit, et in pluribus Concordatis[10]) hujus juris fit mentio. In ecclesiis collegiatis sive conventualibus pariter quidem fundatione, constructione, dotatione j. p. (etiam a laicis) acquiritur, sed tantummodoqu oad honores et alios effectus, non vero quoad jus praesentandi vel nominandi praelatum ad vacantem ecclesiam (quae regulariter electione providetur) nisi illud obtentum sit indulto Pontificis, et patronus ad summum potest sibi reservare jus electioni jam factae suum assensum praebendi.[11]) — Denique notandum est non solum omnis generis beneficia, e. gr. canonicatus, parochias, beneficia simplicia, sed etiam oratoria, altaria, hospitalia, aliaque loca pia et religiosa juri p. subjici posse.[12])

Actus ecclesiae.

3. J. p., cum natura sua ex concessione ecclesiae proveniat, nemo potest acquirere sine Ordinarii inquisitione et consensu.

---

[8]) *Schmalzgrueber* h. t. § 3 n. 69. *De Angelis* l. c. p. 229.

[9]) Iidem auctores l. c. In sensu moderatiori hanc quaestionem Leo XIII. d. 27. Aug. 1878 solvit. Cum enim summus Pontifex libere providisset aliquas sedes, praesertim Teatinam et Neapolitanam de respectivis archiepiscopis, gubernium italicum conquestum est, regium patronatum per liberam collationem fuisse laesum. Respondit Leo XIII: j. p. illis solummodo principibus concedi, qui ecclesiae faverent, minime vero iis, qui eam impugnant ejusque bona diripiunt ac propterea tales ex hac sola ratione fieri incapaces j. p. exercendi. Moderate locutus est Pontifex; nam in tali casu ipsum j. p. fuit depertitum vi Concil. Trident. Sess. XXII. c. 11. de ref.

[10]) In Concord. Hispanico 1753; Concord. Austr. art. 19; in Brevi Pii VII ad regem utr. Siciliae 1818; Conc. Trid. Sess. XXV. c. 9. de ref.

[11]) c. 25. *Nobis* h. t.; *Fagnani* ad hoc cap n. 14; *Schmalzgrueber* h. t. § 2. n. 44. *Schulte* System p. 675.

[12]) Quaeritur, an j. p. etiam ad officia *laicalia* e. g. aeditui, organoedi etc. extendatur, seu an sit in potestate patroni, ad haec quoque officia personas idoneas praesentare? — Neque ex jure canonico, neque ex jure Austriaco regula generalis circa hanc rem desumi potest. Ideirco patronus ejusmodi jus ex speciali titulo evincere debet, scil. probando, sibi j. p. taliter ampliatum competere, vel saltem *consuetudinem legitimam* (§ 12. n. 3.) sibi suffragari. — In hoc sensu etiam supremum tribunal pro administr. 21. Nov. 1884 Nr. 2323 casum occurrentem decidit, sententiam ferens, munus regentiae chori a patrono sine interventu superiorum ecclesiasticorum personae habili demandari posse, coquod talis praxis jam ultra centum annos in isto loco vigerit, Sed addidit, personam designatam iis qualitatibus debere esse instructam, quae ad munus *ecclesiasticum* bene gerendum requiruntur. Cfr. Wien. Dioec.-Bl. 1885 p. 178.

Ordinarius debet inquirere, utrum persona quaedam capax sit juris p. sive acquirendi, sive exercendi, item utrum reliqua ad acquirendum necessaria adsint e. gr. an leges a fundatore stipulatae ecclesiae sint conformes? an dotatio suppeditata sufficiat? etc. Ordinarius autem non solum intervenire debet, ubi de nova origine jur. p. agitur, sed praeterea in multis casibus cum jus. p. acquisitum in alios transfunditur (§ 92), ejusdem consensus requiritur.

§ 91. Modi, quibus j. p. originaliter acquiritur.

De acquisitione j. p. generatim.

Modi acquirendi j. p. sunt vel *primitivi,* vel *derivati.* Nam aliis modis acquiritur initio et originaliter, aliis autem jam prius ab aliquo habitum transfertur in alios.

Modi originarii 1. Dos, aedificatio, fundus.

1. Ex fundatione, *vel* constructione, *vel* dotatione ecclesiae, in qua erigitur beneficium, juxta versiculum: Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus. *Fundare* autem ecclesiam dicitur, qui gratuito dat fundum seu solum sufficiens, in quo aedificetur ecclesia, modo postea sequatur aedificatio, alias enim non fieret patronata. *Construere* dicitur, qui suis sumtibus cum consensu Ordinarii eam aedificat. Si unus incipiat aedificare, alter perficiat, hic posterior fit patronus. *Dotare* demum dicitur, qui ecclesiae constructae assignat sufficientes reditus annuos ad celebranda divina et ad congruam ministrorum ei deservientium sustentationem. Igitur si *unus* haec tria praestiterit, ille unus efficitur patronus; si vero varii et *plures* haec praestiterint ita, ut quilibet specialem titulum habeat, sc. fundationis unus, alter aedificationis, tertius dotationis, tunc tres etiam hujus ecclesiae patroni erunt, vel plures etiam, qui ad eundem titulum concurrerunt. Semper tamen supponitur intentio fundandi, construendi et dotandi; nam animus dumtaxat *benefaciendi* ad acquirendum j. p. haud sufficit. Pariter supponitur, ecclesiam construi, vel beneficium fundari annuente Ordinario. Sed non requiritur, ut fundans, construens, dotans expresse sibi reservet j. p., modo non expresse illud remittat, quia ejusmodi opus bonum per se consideratur *privilegiatum,* ideoque patronatus acquisitio *ex juris dispositione* proficiscitur. Verum praedicti tres actus non copulative, sed disjunctive tantum requiruntur, ut vel sola fundatio, vel sola constructio, vel sola dotatio sufficiat.[1]) Scilicet si quis unum tantum horum actuum cum debita intentione posuerit, e. gr. constructionem, sic ut sumptus pro duobus aliis ponendis aliunde sup-

[1]) Ita communiter fere hodie docent, et confirmatur ex c. 25. X. de jure patronatus (III. 38) et ex Conc. Trid. Sess. XXV. de ref. c. 9. («ex fundatione *vel* dotatione») et Sess. XIV. de ref. c. 12. («in casu fundationis *aut* dotationis»). — Caeterum vox *fundare* quandoque etiam constructionem in se comprehendit, et vicissim vox *construere* simul fundationem includit.

petant e. gr. ex eleemosynis benefactorum, ille solus j. p. sibi acquirit. Reliqui enim, qui quomodocumque ad erectionem ecclesiae vel beneficii opem suam praestant, si saltem uni ex tribus his actibus, non ex integro satisfaciant, aut animus dotandi, fundandi etc. desit, alio nomine non veniunt, nisi *benefactorum,* quibus j. p. non competit.[2])

2. Praescriptio immemorialis adversus ecclesiam.

2. Concil. Trident.[3]) alterum praeterea titulum originarium admittit: *praescriptionem immemorialem,* cum multiplicatis sociatam praesentationibus[4]) per antiquissimum temporis cursum. Imo in iis personis seu communitatibus et universitatibus, in quibus j. p. plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet,[5]) plenior adhuc et exactior probatio requiritur, ut nempe praeter tempus immemorabile praesentationes etiam continuae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Hoc decreto jus antiquius[6]) abrogatum est, vi cujus quasi-possessio j. p. spatio 40 annorum continuata cum titulo justo *(usucapio definita)* sufficiebat

---

[2]) En aliquos casus! 1. Parochus major intuitu ecclesiae filialis patronus efficitur, quando ex bonis ecclesiae matricis quaedam pars pro alendo novo pastore penes filialem assignatur; si vero nihil ex iis contribuitur, aliud non exigitur, nisi ut *competens honor* ecclesiae matrici servetur. c. 3. X. (III. 48). Si parocho ex rationibus mere pastoralibus competit jus praesentandi vicarium apud ecclesiam filialem, hoc jus non esse j. p. in sensu canonico, decisum est etiam a supr. trib. pro admin. 27. Jan. 1882 *(Wolski,* Judicatenb. n. 298). 2. Quando aliquis in ecclesia capellam vel altare exstruit ut beneficium ibi erigatur, illius ecclesiae rector cum ipso compatronus efficitur. 3. Si quis in alieno fundo, inscio et invito domino, exstruat ecclesiam et hic posterior deinceps aedificationem sic factam ratam habeat, tam ipse quam constructor erunt patroni. 4. Si unus ecclesiam simul fundat et construit, alter solummodo dotat, prior duas habet voces in praesentatione, alter dumtaxat unam. 5. Qui ecclesiam omnino dirutam de licentia Ordinarii, et eo consentiente, qui hactenus patronus fuerat, ex nova materia restaurat, per hoc (excluso patrono priore) j. p. consequitur. Idem de eo dicendum, qui servatis iisdem conditionibus ecclesiam, amissa omnino priori dote, denuo et ex integro dotat, vel qui dotem insufficientem ita auget, ut augmentum dimidiam saltem dotationis partem efficiat. Qui ecclesiae non satis dotatae incrementum dotis infra dimidium attribuit, bene quidem is ecclesiae benefactor habetur, sed patronus non efficitur. Caeterum haec omnia videantur explicatius apud *Schmalzgrueber* h. t. § 2. et *Schulte:* System p. 675. seq.

[3]) Sess. XXV. de ref. c. 9.

[4]) i. e. *saltem* duabus. *Philipps* Lehrb. § 145. *Nicollis:* praxis. can. 580. — Loquitur concil. de praescriptione *constitutiva,* seu quae fit adversus ecclesiam liberam.

[5]) S. C. C. (ap. *Gallemart* h. decr. n. 3.) censuit, barones et alios dominos jurisdictionem perpetuam habentes comprehendi hoc decreto. Non tamen (uti ex contextu concilii elucet) comprehenduntur principes regnantes et academiae.

[6]) c. 8. X. (II. 26); c. 2. in VI. (II. 13).

ad idem j. p. acquirendum adversus jus Ordinarii liberum.[7]) Igitur qui asserit, a se originaliter j. p. acquisitum esse, *vel* fundationem, constructionem, dotationem *ex authentico documento* et aliis de jure requisitis, *vel* praescriptionem ex tempore immemoriali (ut modo dictum), et quidem *authenticis scripturis* (si sit de illis «in quibus juris p. usurpatio praesumitur) probare debet. Itaque praescriptio proprie non est atmittenda ut titulus primarius diversus, sed potius ut modus probandi existentiam praesumtam alterius legitimi tituli.

3. Privilegium Apostolicum.

3. Tertius fons j. p. est *privilegium Apostolicum*. Equidem Concil. Trident. (l. c.) privilegia si antiquiore abolevit («exceptis patronatibus super cathedralibus ecclesiis competentibus, et exceptis aliis, quae ad imperatores et reges . . . ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinent, et quae in favorem studiorum generalium concessa sunt»); at per hoc summo Pontifici, qui est supra canones, jus adimi non potuit, deinceps quoque ejusmodi indulta concedendi.

§ 92. De modis j. p. in alios transfundendi.

Modi derivativi.

Modi *derivativi*, quibus j. p. jam exstans in alias personas capaces transfertur, sunt in duplici classe: aliis modis ipso jure fit translatio, atque tunc consensus Ordinarii haud requiritur, aliis vero voluntate partium, et tunc talis consensus necessarius est. Sunt autem hi transfundendi modi.[1])

1. Successio haereditaria.

1. *Successio haereditaria*. Successione transfertur j. p. ad haeredes sive legitimos (a lege vocatos) sive testamentorios, si est *familiare* aut *gentilitium;* atvero transfertur in solidum, quanquam haereditas fors inaequaliter dividatur, quia j. p. dividi nequit. Si unus ex patronis decedens plures relinquat haeredes, hi in praesentatione vocem unius duntaxat habent. Si nullum habet hae-

---

[7]) Id ad liquidum evicit *Ginzel (Moy* Archiv. III. p. 295), ubi plures in hanc rem allegat s. C. C. declarationes l. c. praesertim: *duodecima* p. 203. — Praescriptio ergo j. p. distinguitur duplex: 1. Quae fit modo *originario*, prout supra in textu explicatur; 2. Quae fit modo *derivativo*. Et haec denuo duplici modo contingere potest, scil. vel praescribendo j. p. adversus alium patronum (§ seq. 3.), vel usucapione libertatis ex parte episcopi (§ 94. 1. 6). — Juxta jus Austr. *usucapione* j. p. acquiritur, quando, si competit Imperatori, ecclesiae vel communitati tribus vicibus infra 40 annos sit effectuatum, seu in usum deductum. Si vero j. p. privato laico competat, in eodem casu 30 anni sufficiunt ad usucapionem. Quodsi j. p. est intabulatum nomine quasi possessoris, tunc 6 resp. 3 anni sufficiunt. (§§ 1471, 1472. Cod. c. A.) *Praescriptione* exstinguitur j. p., quando patronus tribus occasionibus occurrentibus illud non exercuit, et insuper spatium 40, resp. 30 annorum elapsum est. (§§ 1479. 1484. 1485. C. C. A.) *Helfert* K.-R. p. 136. 140.

[1]) Glossa ad c. 13. X. h. t. his vericulis eos comprehendit:

Jura patronatus transire facit novus haeres,
Et res permutata, donatio venditioque.

redem, ipsius jus exspirat in favorem reliquorum. Si nullus e sanguine et familia fundatoris supersit, (tunc solum) ecclesia liberae collationis efficitur, si fundator expresse ad familiam vel gentem suam j. p. adstrinxit. Casu, quo certae haereditati plures patronatus adnexi sunt, isti pariter nequeunt inter diversos haeredes dividi, sed comulative in eos transeunt et singuli in solidum ab iis possidentur.

2. *Contractus* est potissimum donatio, emtio et permutatio; in quibus tamen duplex cautio necessaria est: a) ut in plerisque casibus consensus Ordinarii obtineatur; b) ne j. p. (utpote res spirituali adnexa) pretio temporali aestimetur. 2. Contractus.

Inprimis *donatio* patronatus *eccles.* nonnisi annuente episcopo fieri potest, eo quia ista donatio subjecta est legibus alienationem rerum eccles. restringentibus.[2]) J. p. laicum et *reale* cum praedio per se transit ad donatarium, etiam non interveniente episcopi consensu. Sed requiritur episcopi consensus, ubi agitur de patronatu laicali simul et *personali,* nisi donetur vel in commodum compatroni, vel monasterio aut alii loco religioso vel dignitati eccles. ita, ut j. p. laicale mutetur in eccles. Si j. p. donetur ipsi ecclesiae patronatae, haec liberae collationis efficitur, nisi donans habeat compatronum, quo casu is cum episcopo in solidum habet patronatum.[3]) — *Vendi* aut *emi* j. p. sub poenis excommunicationis et interdicti necnon amissionis j. p.[4]) vetatur, et hoc absolute locum habet respectu patronatus personalis. Si vero vendatur castrum aut fundus, cui j. p. ceu *jus reale* inhaeret, ex titulo j. p. nulla pretii accessio licite fieri potest. Id si caveatur, cum quavis jurium universitate (e. gr. feudi, praedii), quae venditur, in emtorem, *si capax sit,* j. p. connexum accessorie transfertur, etsi nulla ejusdem expresse mentio sit facta.[5]) *Permutatio* respectu patronatus realis iisdem regulis determinatur; si vero agatur de personali, ad evitandam simoniam alia res spiritualis v. c. alius patronatus detur oportet,[6]) et quidem pariter de Ordinarii licentia. Donatio. Emtio venditio. Permutatio.

3. *Praescriptio* eatenus ad modos derivativos spectat, quatenus agitur de ecclesia, quae jam antea patronata fuit. Hoc respectu videndum, an j. p. praescribatur adversus patronum lai- 3. Praescriptio adversus alium patronum.

---

[2]) c. un. de rebus eccles. non alien. in X. vag. com. (III. 4).

[3]) *Schmalzgrueber* h. t. n. 151. Si plura beneficia sint in ecclesia, in qua donator j. p. habet, ea ecclesia fit *patrona sui ipsius* (ib. n. 152), scil. intuitu rectoris fit libera, intuitu vero reliquorum beneficiorum, quae in ea dantur, ipse rector patronus efficitur. Sed hoc posterius non est extra controversiam.

[4]) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 9. de ref; c. 16. X. (III. 38).

[5]) Cf. s. C. C. in Maceraten 13. Jul. 1789 ap. *Ginzel* K.-R. II. p. 148. n. 7.

[6]) Vel e. gr. jus decimas percipiendi (quod pariter est quasi spirituale), ut indultum est a s. C. in Pampilonen. 1723. edit. cit. Conc. Trid. n. 10.

cum, an vero contra ecclesiasticum. Si prius, quasi possessio j. p. per 10 annos inter praesentes, per 20 annos inter absentes[7]) continuata ad praescribendum requiritur.[8]) In utroque casu praeterea bona fides perpetua adsit oportet. Si posterius, annis 40 praescribitur. Si vero j. p. laicum sit reale, ejusdem praescriptio cum villae seu castri praescriptione coincidit.

4. Modi rariores.

4. Modi rariores sunt *confiscatio* bonorum, cum quibus etiam j. p. *laicum* accessorie ad principem transfertur; *infeudatio* aut *emphyteuticatio* castri, villae etc., vi cujus j. p. adnexum item accessorie in feudatarium et emphyteutam (Erbpächter) transit. Secus autem, si bonorum universitas, et inter haec etiam j. p., in pignus detur vel hypothecae subjiciatur, cum in tali casu creditor nec directum nec utile consequatur dominium. Transit vero j. p. reale in fideicommissarium.[9])

Quomodo solum exercitium i. p. transferatur.

5. Interdum solum j. p. *exercitium* in quendam transit, ita, ut ipsum j. p. penes dominum remaneat. Sic j. p. reale ab *usufructuario* tenetur, finito tamen fructu ad haeredem proprietatis redit, et propterea jus praesentandi pertinebit ad uxorem, cui usus-fructus omnium bonorum cum j. p. connexorum a viro suo relictus est. Maritum loco uxoris j. p. exercere, quod haeret in bonis dotalibus uxoris suae, tutorem vero j. p. quod competit infantibus, vel etiam impuberibus suae curae commissis jam (§ 90. 1) dictum est. Pariter in sequestratione bonorum jus et obligatio praesentandi transit in sequestrum, sicut etiam locatione talis praedii, quod adnexum habet j. p., ejusdem exercitium in conductorem transfundi potest.[10])

---

[7]) Absentia commorationem in alia provincia denotat. Vox *quasi possessio* usurpatur de juribus et rebus incorporalibus, *possessio* de corporalibus.

[8]) Alii hanc senientiam nonnisi tunc admittunt, cum quasi-possessio conjuncta est cum *titulo* (i. e. causa ex se habili ad transferendum dominium), ajentes, quando ea sit sine titulo, 30 annos pro usucapione requiri. *Reiffenstuel* in lib. II. tit. 26 n. 155 et h. t. n. 15. — *Schmalzgrueber* h. t. n. 166. — *Ginzel* K.-R. II. p. 149. — *De Angelis* l. c. p. 255. Sed tempus extraordinarium praescriptionis vix occurrerre in nostro casu videtur, quia justus titulus in c. 1. in VI. (II. 13) non exigitur, *nisi cuipiam sit contrarium jus commune vel habeatur praesumtio contra ipsum*, quod in usucapione juris p. laicalis non accidit. Ita *Schulte* l. c. p. 691 1. Cfr. *Schilling:* Der kirchl. Patronat (Leidzig 1854), qui (n. 78 et 81) vera falsis commiscet. Alii *(Philipps* K.-R. p. 399 et *Richter* p. 267) indiscriminattm ad praescribendum j. p. laicale et personale spatium 30 annorum necessarium esse existimant. — Caeterum ex c. 19. X. (III. 38) et c. 20. X. (II. 26) de praescript. et c. 24. X. (I. 6) de elect. patescit, quod, si possessor bonae fidei in ultima vacatura aliquem cum effectu praesentaverit, institutio ab episcopo ad talem praesentationem facta, sustineri debeat, licet alius j. p. pro se deinceps probaverit. *Schilling* § 22.

[9]) *Schmalzgr.* h. t. n. 136 et *Pirhing,* Synopsis h. t. § V.

[10]) *Schmalzgr.* l. c n. 123—166. Archiv t. 10. p. 370. — In Austria decreto aul. d. 13. Sept. 1786 et 6. Sept. 1799 in sequestratione vel subhastatione constitutum est, beneficium libere ab episcopo conferendum esse.

§ 93. De patroni juribus et obligationibus.

Jura et officia patroni his versibus per glossam exprimuntur:

Patrono debetur honos, onus utilitasque;
Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus;

suntque proinde honorifica, onerosa et utilia.

1. Nobilissimum inter honorifica est jus praesentandi[1]) seu offerendi clericum ab episcopo in beneficio vacante necessario instituendum. Regulariter jus praesentandi cum j. p. conjungitur; at nonnunquam unum ab altero etiam separari potest; e. gr. in ecclesiis collegiatis sive conventualibus, in quibus electio praelati spectat ad capitulum.[2]) 1. Jus praesentandi.

Praesentatio juxta has regulas facienda est:

a. Persona praesentanda eo tempore, quo praesentatur, juxta superius dicta, institutionis *capax* sit oportet, et persona *digna,* seu iis dotibus exornata, quae tum per canones generatim, tum ex lege fundationis in specie requiruntur. Patrono laico, si inhabilem praesentaverit, infra tempus legitimum nova praesentatio conceditur, non vero ecclesiastico, nisi ignoranter id fecerit. Patronus laicus saltem pro foro externo officio suo satisfacit praesentando dignum aliquem inter plures, eumque episcopus instituere tenetur.[3]) Atvero patronus eccles. digniorem inter probatos ab examinatoribus si beneficium sit curatum) designare tenetur[4]) ita, ut dignior praetermissus actionem movere possit contra judicium a patrono latum. — Seipsum quidem patronus non valet praesentare, neque per seipsum, neque per alium ex illius commissione tunc agentem, quia inter dantem et recipientem distinctio personarum habeatur oportet; potest tamen beneficium isthoc, si ab episcopo illi vel sponte vel interpositis precibus conferatur, recipere vel praesentationi sui a compratono factae consentire. Filium tamen suum, si idoneus sit, praesentare potest patronus. — Etiam plures simul offerri possunt, ex quibus episcopus unum eligere et a. Quis praesentandus.

---

[1]) *Gerlach:* Das Präsentationsrecht auf Pfarreien. München 1854. *Friedle:* Ueber d. Ausüb. d. Präs.-R. *Vering,* Archiv t 23. p. 1—50.

[2]) Supra § 90. n. 2. — c. 25. X. de jure p. (III. 38); c. 8. X. (I. 4); c. 51. X. de elect. (I. 6). — In Imperio austr. et in specie in provincia Tirolensi haud raro fundus religionis jus praesentationis tantum habet, et praeterea alius ejusdem ecclesiae patronus existit.

[3]) Quodsi id facere sine rationabili causa episcopus recusaverit atque alterum a patrono de novo praesentatum in hoc beneficio instituerit, prius praesentato aliud competens beneficium conferre jubetur. c. 29. *Pastoralis* X. (III. 38). *Friedle* l. c. p. 28 seq.

[4]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. — Litterae Bened. XIV. «Redditae nobis.» Et quidem episcopus sequi debet judicium patroni eccles. de magis idoneo magisque digno, quin inquirat, rectumne sit patroni judicium, nisi de eo alius ab examinatoribus adprobatus conqueratur.

admittere valeat. — Quodsi lege fundationis voluntas patroni vel generatim ad certas conditiones licitas, vel ad certam familiam adstringatur (patronatus passivus), ea lex servanda est.[5])

b. Quo tempore.

b. Praesentatio a patrono eccles. infra sex, a laico infra quatuor menses a die scientiae vacationis facienda est. In patronatu mixto pariter sex mensibus frustra elapsis jus devolutionis exoritur.[6]) Sed iste terminus legibus particularibus nonnunquam coarctatur. Lege austr. quisbusvis patronis privatis nonnisi sex hebdomades, in terris vero exteris commorantibus tres menses ad praesentandum conceduntur, in utroque casu tempus computando a die, quo iis competitores ab episcopo nominati fuerint. Negligentes praesentationem infra hoc spatium ea vice jure suo excidunt.[7])

c. Num plures possint praesentari.

c. Patronus *laicus* jus habet *variandi* i. e. praesentandi duos successive, imo plures, ut credendum est, antequam unius facta sit institutio. Sed haec variatio patrono jus non tribuit excludendi eum, qui prior oblatus est (variatio *privativa),* sed solummodo, ut prius praesentato clerico alius etiam idoneus superaddatur, ex quibus episcopus eligere possit, quem instituendum censuerit (variatio *cumulativa).*

d. Quid, si plures sint patroni.

d. Si praesentatio pertinet ad plures ut universos et per modum unius corporis, seu jure collegii aut capituli, ad valorem praesentationis requiritur, ut omnes vocentur, necnon ut collegialiter congregatis praesentatio fiat. Tuncque ea non est valida, nisi absolute major pars talis corporis conspiret in unum.[8]) Si vero praesentatio spectat ad plures ut singulos, singuli, etiam non vocatis reliquis, valide praesentant. Possunt nempe successive et seorsim praesentare, sufficiuntque suffragia respective majora. Suffragiis aequaliter divisis, penes episcopum stat electio. Idem procedit, si introductum sit, ut singuli, non collatis ad invicem consiliis, unus independenter ab alio, praesentationem faciant. Possunt vero patroni etiam inter se constituere, ut praesentatio alternis vicibus seu per turnum fiat. Quoties communitas parochialis habet jus praesentandi, hoc jus parochiani tanquam *singuli* exercere debent, non per modum collegii aut corporationis in sensu

---

[5]) Vid. Acta II. 231. Non tamen necessario, qui propinquior est fundatori, praesentandus est, nisi in instrumento fundationis id expressum sit. Cf. *Schmalzgr.* h. t. n. 178 seq.

[6]) Acta l. c. Utrum vero in hoc casu patronus laicus ad spatium 4 mensium adstringantur *(Schulte* p. 697 n. 6), an vero 6 menses ei concedantur *(Schmalzgr.* h. t. n. 222), non prorsus liquet, sed probabilius privilegiatus ad se trahit non privilegiatum, ut ait *Wiestner* ad h. t. n. 85. *Friedle* p. 35.

[7]) Decr. aul. 18. Jun. 1805. Haec lex contraria est Concordato (art. 34 et 35); sed quia etiam post Concordatum servari consuevit, exinde jus consuetudinis successu temporis potest exoriri. *Friedle* l. c. p. 41.

[8]) *Pichler:* Candit. jurispr. s. h. t. n. 7.

juridico (§ 126. 2. e.), ideoque sufficiunt suffragia *respective* majora. Et quidem praesentatio a parochianis fieri debet *collegialiter,*[9]) eique interesse debent *patres familias*[10]) h. e. iidem ipsi, qui etiam onera patronatus ferre debent.[11])

e. Forma. e. Formam seu modum quod attinet, praesentatio facienda est Ordinario beneficium conferenti, aut ejus loco Vicario generali, sede vero episcopali vacante Vicario capitulari: et quidem vel oretenus, vel ut communiter solet, exhibito instrumento praesentationis, in quo tamen solerter abstinendum est ab usurpatione phrasis: «Confero beneficium» et similibus,[12]) secus enim invalida esset praesentatio. — Praesentatio perfecta et a praesentato acceptata pro eodem statim efficit *jus ad rem,* si patronatus sit ecclesiasticus, quia neque patronus eccles. propositum mutare, neque Ordinarius eum, si habilis et idoneus sit, rejicere potest.[13]) Si vero

Effectus.

---

[9]) S. C. d. 21. Aug. 1790.

[10]) S. C. d. 19. Jun. 1790. Edicto Ministeriali (17. Apr. 1850) praescribitur, ut jus praesentandi competens communitati parochiali exerceatur per deputatos, qui ad repraesentandam communitatem constituti sunt, postquam eisdem a praefecto communitatis tres competitores propositi fuerint, quin tamen ad hosce tres adstringantur. *Ginzel* II. p. 159. — Hoc edictum minist. *per se* non potest adprobari. Nam 1. Est contrarium Concordato (art. 34. 35). 2. Praesentatio non spectat ad communitatem *politicam,* sed ad ecclesiasticam. Ideo res decidi non debet per deputatos, qui repraesentant communitatem politicam. 3. Ex lege canonica omnes et singuli suffragium ferre debent, non ii, qui eos in *ceteris* repraesentant. Sed *in praxi* hic usus a gubernio decretus toleratur, et proin ex praesumto quodam tacito compromisso erit dissimulandus. Et certe in hac re etiam consuetudini legitimae locus relinquitur c. 6. X. (III. 10). Cfr. *Friedle* l. c. p. 11. In urbibus, quibus collegium, quod dicitur *magistratus* praecst, praesentationes vix alio modo, quam per suffragia singulorum collegii membrorum fieri possunt, prout omnes reliquae hujus collegii decisiones; imo communiter ipsae leges fundationis jus praesentandi *magistratui* addicunt, qui illud juxta normas sibi domesticas et simul non contra leges eccles. exercere debet.

[11]) Si inter patronos controversia sit de jure praesentandi, distinguendum est. Si unus eorum est bonae fidei possessor j. p., is praesentare potest eo cum effectu, ut ad ejus praesentationem institutus beneficium retinere debeat, etiamsi ejusmodi bonae fidei possessor in judicio expost succumbat. Si vero lis versatur circa j. p. possessionem, seu si controversum est, quis ex patronis litigantibus sit bonae fidei possessor, tunc Ordinarius, si tempus praesentationi praefixum exspiraverit prius, quam lis finita sit, libere potest conferre talem ecclesiam, ita tamen, ut institutus ab episcopo postea a patrono, qui jus suum in judicio evicit, praesentari possit episcopo et patronus tali modo in patronatus sui quasi possessione constituatur. c. 3. 12. 22. 27. X. (III. 38). Si lis est inter episcopum et qui contendit se esse patronum, tunc, tempore praesentationis elapso, episcopo non licet beneficium libere conferre, sed usque dum lis fuerit finita, oeconomus constitui debet. c. 4. X. (I. 31). *Friedle* l. c. p. 15.

[12]) Vocabula, quae recta adhibentur, sunt: *nomino, praesento, offero.*

[13]) Excipe tamen, si quis ab examinatoribus adprobatus reclamet, contendens, se digniorem esse. Nam tunc episcopus in judicium patroni eccles inquirere debet.

patronatus sit laicalis, termino demum, qui praesentantibus praestitutus est, elapso, praesentatus jus ad rem accipit, quia scil. infra eundem terminum patroni variatio subsequi potest.

f. Restrictio juris praesentandi.

f. Quandoque contingit, ut unus habeat jus praesentandi, alter jus nominandi, ita, ut nominans unam pluresve personas habiles patrono offerat, quas hic Ordinario praesentet. Prout nimirum jus liberae collationis restringitur per jus praesentationis, ita hoc posterius denuo per jus nominandi coarctatur, imo ad jus mere honorificum reducitur, casu, quo nominanti jus competit etiam unam duntaxat personam offerendi ei, qui praesentat.[14]) Quando vero jus praesentandi ita inter duos divisum est, etiam onera dividuntur, prout usu in quibusdam regionibus, ac etiam in nostris, inductum est.

Particularia.

In Imperio austr. quantum ad praesentationem observanda sunt quaedam peculiaria. Quotiescumque beneficium sive parochiale sive aliud vacare contingit, publico edicto evocantur qui beneficium obtinere cupiunt. Petitores ex more litteras supplices in quolibet casu ad Ordinarium dirigunt. Si beneficium sit patronatus *privati,* patrono *laico* ab Ordinariatu tabella omnium competitorum, rejectis nonnisi minus dignis, exhibenda est, ex quibus ille unum designare possit. Patrono *ecclesiastico* pariter quidem omnes competitores nominantur, sed ex iis tres dignissimi eidem proponuntur, ex quibus hic unum eligere et episcopo praesentare debet. Ita conventum est Articulo XXIV. Concord. Si vero beneficium sit patronatus *caesarei,* eadem servantur, quae intuitu patronatrus eccles. praescribuntur, ideoque tres dignissimi et maxime idonei ex competitoribus proponuntur, adjecta tamen tabella, in qua singuli concurrentes consignantur, additaque Ordinariatus sententia, cuinam ex competentibus beneficium conferendum judicet. Requiritur autem pro obtinendo beneficio caesarei j. p., ut a competitoribus addatur tum testimonium, quod dicitur maturitatis, tum absolutorium theologicum. Atque id valet non solum de canonicatibus et parochiis, «quae j. p. ex fundo religionis seu studiorum derivanti subsunt», at quos et quas ex indulto Apostolico Imperator jus nominandi obtinuit (Artic. XXV.), sed de aliis etiam patronatibus caesareis, qui e. gr. praediis cameralibus vel ex alio titulo coronae inhaerent. Nam quoad horum quoque exercitium Imperator benevole appromisit, fore, ut omnia in eo, quo nunc

[14]) *Gerlach:* Das Präs.-R. p. 60. — Juxta superius dicta (§ 86 n. 1.) episcopus ejusmodi jus nominandi habet, quando in patronatibus eccles. institutio ab alio, quam ab episcopo facienda est. Tunc enim digniorem ex dignis eligere seu nominare debet, a patrono illi praesentandum, ad quem institutio spectat.

sunt, statu relinquantur.[15]) Quin etiam ii, in quos j. p. reale cum bonis cameralibus pertransiit, ad numerum ternarium ab Ordinariatu determinatum adstringuntur.[16])

2. Jura patronorum *honorifica proprie talia* sunt: *Jus processionis* seu praecedentia prae laicis in publicis processionibus;[17]) *dignior sedes in ecclesia,* sed extra chorum,[18]) et sine baldachino; *jus publicarum precum* pro iis nominatim persolvendarum,[19]) et *luctus ecclesiasticus*, seu funeralia, quae in nonnullis locis post obitum patroni celebrari consueverunt; *honor aquae benedictae* prae reliquis laicis, sed non cum aspersorio, et in quibusdam regionibus *honor thuris suffitus* in Missa solemni exhibendus.[20]) Praeterea patrono competit *jus listrae,* vi cujus in ecclesia patronata insignia suae familiae ponere potest. *Jus sepulturae* in ipsa ecclesia fere ubique locorum in desuetudinem abiit. Generatim in ejusmodi honoribus patrono deferendis usus regionum attendendus est. 2. Jura patroni honorifica.

3. Ad jura *utilia* (praeter illa, quae in limine fundationis forsan stipulata sunt) potissimum spectat jus petendi ab ecclesia, cujus patronus est, alimenta, si vergat ad inopiam et se suosque non amplius juxta suum statum valeat sustentare, modo probet tum j. p. a se vel a majoribus suis fundando, construendo, dotando acquisitum, tum simul egestatem suam talem, cui alias succurri nequeat, et semper supposito, quod deductis necessariis 3. Jura utilia.

---

[15]) Litterae «Ecclesia» Cardin. Rauscher n. XVI. et XVII. Cfr. etiam litteras Ministri pro cultu ad provinciarum locumtenentes 25. Jan. 1856. § 10. (*Moy* Archiv I. XL.) Sed tamen *de jure* non tenentur dicasteria illum semper praesentare, qui ab Ordinariatu *primo loco* commendatur. Vid. not. seq.

[16]) Multa bona et praedia tum fundi religionis tum aliorum publicorum fundorum ab hominibus privatis coëmti sunt (Cfr. § 90 not. 6), in quibus j. p. non est reservatum a gubernio, sed pertransiit ad emtores. Hi ex resol. caes. d. 24. Oct. 1818 et ex decreto minist. pro cultu d. 12. Febr. 1874 ad numerum ternarium adstringuntur. (Archiv t. 36 n. 286.) Praesentatio caesarea nunc regulariter exercetur a Gubernio provinciae imo vi resol. caesar. d. 19. Dec. 1879 *omnes* omnino patronatus caesarei, etiam illi, quorum exercitium olim erat penes directionem demanii, aut directionem collegii cameralis in provincia (Finanz-Landes-Direction), ab officialibus, qui pro administrando cultu deputantur, exerceri et proinde in prima linea ad gubernium provinciae dirigi debent (Archiv t. 45 n. 237); sed quoties gubernium provinciae non vult praesentare eum, qui ab ordinariatu *primo loco* positus est, decisio pendet a caes. ministerio, cui casus proponi debet.

[17]) c. 25. X. h. t. et Pontificale rom.: Allocutio episcop. ad fundatores.

[18]) Congr. Conc. Trid. 21. Aug. 1587 ap. *Pignatelli* tom. IV. consult. 16.

[19]) Pontific. rom. ibid.

[20]) *Schmalzgr.* h. t. n. 95. Alii tamen dicunt, jus thurificationis nulli laicorum, nisi regnantibus, competere, citantes decretum S. R. C. in Neopol. 2. Jun. 1685 ap. *Gardellini* tom. III. p. 110.

impensis proventus ecclesiae supersint.[21]) Verum apud nos isthoc jus neque tunc viget, quum recensitas conditiones suppetere constat.

4. Onera patroni.

4. Ad *onera* seu officia patroni pertinent:

a. *Advocatia* seu *defensio* ecclesiae patronatae, quae medio aevo ob temporum violentiam et ordinem judiciorum saecularium minus cordatum latissime patuit (§ 89. n. 7), hodie vero non est nisi *cura providentialis* relate ad beneficium, ne videlicet ejus bona male dissipentur. Nulla enim jurisdictio nullaque prorsus potestas, bona eccles. administrandi vel de iis disponendi, patrono competit, neque huic conceditur, iis, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, esse ingerere, aut visitationi paramentorum ecclesiae aut bonorum stabilium seu fabricarum proventibus se immiscere.[22]) Sed tamen jus habet comparandi sibi notitiam, qua ratione res eccles. administrentur, ut detrimenta ab ecclesia patronata avertantur. Hunc in finem rationes de administratione bonorum temporalium invisere eaque, quae circa hanc administrationem minus probanda videntur, ad episcopum deferre, vel etiam rectorem ecclesiae monere, ei licitum est.[23]) Si tamen in limine fundationis patronis ampliora jura attributa fuerint, illa omnino servari oportet. b. *Obligatio* patroni, *conferendi ad sumtus aedificiorum* tum ecclesiae tum parochiae, de qua tamen in fine hujus operis sermo redibit.

§ 94. De amissione juris patronatus.

J. p. aliquando omnino exstinguitur, aliquando vero nonnisi ejusdem exercitium amittitur. Si prius, ecclesia liberae collationis efficitur; si posterius, vel jus praesentandi in casu particulari cessat, vel patronatus per aliquod tempus suspenditur, vel in locum prioris possessoris alius succedit. — Duplex est caput, ex quo j. p. *quoad substantiam* amitti potest: ex delicto, et sine delicto.

1. Sine delicto. a) Cessione.

1. *Sine delicto.* a) Voluntaria ejus *cessione,* episcopo vel ecclesiae a patrono facta, ita, ut haec libera evadat. Ratio est, quia favori principaliter pro se constituto quivis renuntiare potest; item cum licita sit donatio j. p. facta personae eccles., non expetito episcopi consensu, certe omnimoda renuntiatio, quae ecclesiae libertati longe favorabilior est, tanto magis erit adprobanda.[1]) Quodsi tamen patrono certa officia intuitu ecclesiae incumbunt, e. gr. obligatio directa (ob incorporationem temporalium illius ecclesiae) concurrendi ad aedificia eccles. reparanda; tunc non suo

[21]) c. 30. C. 16. qu. 7; c. 25. X. (III. 38) et Glossa. Pontificale rom. l. c.

[22]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 3. de ref. Cfr. Sess. XXV. c. 9. de ref. Acta II. 352.

[23]) c. 3. X. § 2. (V. 33); c. 31. C. 19. qu. 7; Conc. provinc. Viennense tit. VII. c. 6. § 4. Cfr. infra de administratione bonorum eccles.

[1]) C. un. in VI. (III. 19).

arbitratu quis j. p. (saltem non cum effectu etiam onera excutiendi) renuntiare potest, eoquod talis cessio alienationem prohibitam rerum eccles. involvat. Hinc episcopi consensus requiritur, qui tamen non poterit consentire in praejudicium ecclesiae.[2]) — Sed praeter cessionem expressam datur etiam tacita quae tunc occurrit, quando patronus consentit ad talem beneficii unionem, per quam j. p. per se exspirat, prout procedit in unione quae dicitur per suppressionem, et in ea, quae fit per subjectionem. Similiter si ecclesia patronata convertatur in collegiatam, jus saltem praesentandi cessat.[3]) — b) Ex solo *non usu* haud amittitur j. p., prout antiquiores communiter asseruerunt, eoquod jura generatim exin non cessant, quod in usum non deducnntur, neque canon aliquis de j. p. id statuit. Amittitur vero j. p. vel per *praescriptionem acquisitivam* ex parte tertii (§ 91. 3), vel *usucapione libertatis* ex parte Ordinarii. Et haec posterior tunc adesse censenda est, quando episcopus praesentationem reapse factam non admittit, et beneficium, patrono infra tempus sibi concessum non reclamante, libere confert. Tunc episcopus infra tempus legitimum, annorum scil. 40 vel 10 (respective 20 juxta cit. § 91. 3), prout patronatus est eccles. vel laicus, liberam collationem adversus patronum praescribit, quin tamen etiam caetera jura illius patronatus intereant.[4]) — c) *Destructione ecclesiae* totali aut *interitu dotis;* nam his j. p. ita amittitur, ut non recuperetur, nisi a patrono ecclesia reaedificetur aut denuo dotetur, sicut dictum est supra. (§ 91. not. 2. sub 5.) — d) *Interitu subjecti legitimi,* scil. exstinctione familiae, ad quam adstringitur, vel suppressione collegii eccles. v. gr. capituli, monasterii, cui j. p. competebat. Id de patronatibus personalibus per se intelligitur, eoquod isti non in quemcumque, sed in *singularem* duntaxat *successorem* (servatis servandis) transfundi possunt. Ex quo liquet, patronatus personales exstinctorum capitulorum, monasteriorum etc. interiisse illasque ecclesias liberae collationis episcopalis evasisse. Verumtamen dicimus, *reales* quoque patronatus simul cum corporibus eccles. suppressis exstinctos esse, et nequaquam ad principes ea bona obtinentes pertransire potuisse, nisi ob expressum summi Pon-

b) Usucapione tertii.

c) Interitu ecclesiae vel dotis.

d) Interitu subjecti.

---

[2]) Lege aust. ddo. 3. Sept. 1784 non permittitur renuntiatio patroni eum in finem facta, ut a faciendis sumtibus aedificiorum liberetur.

[3]) *Schmalzgr.* h. t. n. 260 et 261.

[4]) Vid. *Schulte* Syst. p. 703; *Ginzel* K.-R. II. p. 151. et Pyrrh. Corrad. Praxis benefic. I. IV. c. 4. n. 21—23, qui in hanc rem citat decisiones s. C. C. et Rotae rom. — Imo Rota decidit, Ordinarium, si (ut in textu ponitur) ejusmodi beneficium contulerit ut liberum, per talem collationem, licet unicam, videri acquisivisse quasipossessionem, illud libere conferendi tanquam liberum.

tificis indultum.[5]) Hujusmodi indulto ex antea dictis Augustissimus noster fruitur (Artic. XXV. Concord.,[6]) vi cujus jam illos patronatus ex titulo fundi religionis et studiorum legitime obtinet, quos secluso tali indulto *de jure* nunquam obtinere potuisset.[7]) Sed in posterum cautum est, ne ejusmodi patronatus de novo a civitate acquirantur.[8])

2. Ex delicto.

2. *Ex delicto.* Crimina, quibus privatio j. p. adnexa est, sunt: Caedes vel mutilatio rectoris vel alterius clerici ecclesiae patronatae a patrono physice vel mediante alio commissa; simoniaca j. p. venditio vel in alios translatio; illicita fructuum beneficii perceptio aut bonorum istius usurpatio;[9]) haeresis, schisma, crimen laesae Majestatis, et reliqua crimina, quae inducunt bonorum confiscationem, quibus j. p. accessorie adnexum est.[10])

Non ipse quidem patronatus, at illius *exercitium,* scil. jus praesentandi pro casu singulari, cessat, si vel terminus praesentationi praefixus frustra elapsus sit, vel si patronus eccles. scienter indignum praesentaverit. Patronus laicus, etiamsi scienter indignum praesentavit, nihilominus infra tempus ipsi concessum, potest praesentare idoneum. Porro j. p. *suspenditur,* quamdiu patronus excommunicatione majore irretitur, et quamdiu quoddam feudum seu dominium utile penes alium remanet. Amissio j. p. ob crimen a patrono eccles. patratum hunc solum concernit, minime vero

---

[5]) Etenim 1. j. p. reale non ita cum rebus materialibus connectitur, ut in *quemcumque* possessorem transeat, sed, ut personale, requirit subjectum, quod *capax* sit. Atqui capax non est invasor aut detentor bonorum ecclesiae (not. 9). 2. Patronatus monasteriorum etc. etiam reales, sunt ecclesiastici: cum jam j. p. eccles. in laicum mutari nequeat, illud neque in principem, utpote laicum transfundi potest. 3. Pius VII. *generaliter* declaravit, successionem principum acatholicorum in jura p. antiquorum episcoporum et corporum eccles. suppressorum *concedi* haud posse. *Münch:* Concordate. tom. 2. p. 403. Ex quo sequitur, pro ipsis etiam regnantibus catholicis ejusmodi concessione opus esse. Cfr. *Vering* Archiv tom. 7. p. 227. seq. contra *Schulte,* qui ibid. p. 207—226 probare nititur, j. p. saltem *reale* ad principes per saecularisationem translatum esse.

[6]) Item Rex Bavariae. Artic. XI. Concord. Bavar.

[7]) Ratio est, quia eorum bonorum possessio semper penes ecclesiam permansit. Actenstücke der bischöfl. Versammlung in Wien 1849. p. 57

[8]) Literae: «Ecclesia» artic. 18: «Si forsan eveniat, ut corporatio quaedam eccles. *legitime* supprimatur, beneficia, ad quae praesentaverat, liberae collationi episcopali reddentur, in quantum id canonum sanctiones praescribunt.»

[9]) Conc. Trid. Sess. XXII. de ref. c. 11. ubi usurpatores bonorum eccles. anathemati subjiciuntur et, si iidem patroni fuerint, j. p. privati declarantur. Hinc absurdum esset, credere, in detentores bonorum eccles. j. p. ullum transferri, prout nostro tempore e. gr. affectavit gubernium italicum post bonarum eccles. direptionem. *De Angelis* h. t. p. 257.

[10]) De his vid. *Schmalzgr.* h. t. n. 261. et 262.

etiam ipsius in munere successores. Probabilius idem procedit, si j. p. est gentilitium, quia descendentes illud non habent directe ab antecessore, sed a fundatore, a quo censentur omnes singillatim vocati.[11]) Denique solus delinquens, non vero innocentes compatroni eadem privatione plectuntur.

CAPUT III.

De modis vacandi et amittendi beneficia.

§ 95. 1. Ipso jure. 2. Resignatione.

Praelaturae eccles. necnon inferiora beneficia variis modis amittuntur: tum ipso jure etiam citra beneficiatorum voluntatem, tum ex eorundem voluntate. Et quidem praeter mortem naturalem,[1])

1. *ex juris dispositione* beneficia amittuntur *a ipso facto* a) si clericus contrahat matrimonium (§ 75. 2.) validum aut invalidum, dummodo non sit invalidum ex defectu consensus;[2]) b) si solemniter religionem profiteatur; c) si beneficiatus in episcopum sit consecratus; d) si absque dispensatione aliud beneficium incompatibile primi generis (§ 88) cum pacifica et frugifera possessione obtineat; e) si promotus ad beneficium ordinem pro illo necessarium infra terminum praefixum non suscipiat (§ 81); f) si crimen commisit, ob quod privatio beneficii ipso facto incurritur, v. gr. crimen haeresis, schismatis, sodomiae etc. *β) Per sententiam judicis* beneficium amittitur ob crimen, cui talis poena vel immediate *inferenda* decreta est, vel quod depositione aut degradatione plectitur, utpote quae amissionem beneficii per se comprehendunt.[3])

---

[11]) *De Angelis* l. c. p. 257.

[1]) Mors beneficiati legitime praesumitur, si post ejus discessum a beneficio decennium absque ulla notitia ipsius vitae sit elapsum et trina citatio frustra adhibita. S. C. C. in *Placentina* (apud *Ginzel* II. p. 212).

[2]) S. C. C. in *Brixin.* 18. Sept. 1790 (Thes. Resol. tom. 59. p. 184).

[3]) Quoad discrimen inter privationem beneficii ipso jure inductam et inferendam per sententiam judicis, vid. infra § 220. n. 2. — Lex Austr. d. 7. Maj. 1874 statuit seq.: Quodsi is, qui eccles. officium aut beneficium habet, aut jus civitatis Austr. deperdit, aut de actibus criminosis, vel aliis certis actibus poena dignis convictus est; tunc civilis administratio cultus postulare *debet,* ut ab officio vel beneficio amoveatur. — Quodsi ejusmodi sacerdos talem se exhibet, ut ipsius conversatio ordini publico periculosa sit, tunc eadem administratio cultus illius amotionem petere potest. Hae legis determinationes etiam provisores et sacerdotes auxiliares concernunt. Si gubernii petitioni non fiat satis ex parte Ordinarii, tunc illa praebenda *pro foro civili* tanquam *vacans* considerari debet, et gubernium providebit, ut illa negotia, quae animarum curatori a statu committi solent, ab alia persona conficiantur, usquedum ad idem hoc officium alius sacerdos in forma a legibus status requisita deputatus fuerit (§ 8). — Hac via *indirecte* deponuntur ministri ecclesiae. — In Italia gubernium jus sibi asserit *directe* deponendi vel ipsos

2. Ad actus voluntatis, quibus beneficium vacuum fieri potest, praeprimis pertinet *resignatio* seu renuntiatio quae nihil aliud est, quam ultronea abdicatio beneficii omnisque juris ad illud, ex causa legitima coram superiore illam acceptante legitime facta. Renuntiato alia est *tacita,* quae ex actu directe contrario retentioni beneficii (num. 1.) per consequentiam colligitur; alia *expressa,* quae verbis aut scriptura juxta formam a jure praescriptam perficitur. — Ut valida sit renuntiatio, sequentia attendenda sunt:

Quis.

a) Quinam resignare possunt? Resignare possunt omnes, qui facultate resignandi non sunt specialiter destituti, veluti *furiosi* et generatim deliberationis incapaces;[4]) *novitii,* nisi duobus mensibus ante professionem;[5]) porro resignationes ecclesiarum parochialium aliorumque beneficiorum residentialium, praesertim cum reservatione pensionis aut favore tertii non recipiuntur, nisi resignans per tres saltem annos beneficium possederit. Quod tamen solum procedit in resignationibus factis in Curia Romana (in manibus Papae) non vero apud Ordinarios locorum.[6])

Quae beneficia.

b) Quaenam beneficia? Quaecumque beneficia (imo etiam dignitas Papalis) resignari possunt, nisi specialiter sint excepta, veluti beneficia *litigiosa,* quibus nonnisi in gratiam collitigantis renuntiari potest; beneficia, ad quorum *titulum* quis ordinatus est, nisi alio honestae sustentationis medio substituto;[7]) beneficia, quibus aliquis *ipso jure* privatus existit, vel ad quae nullum titulum canonicum habet; cum enim tali nullum jus in beneficio, sed sola forsan possessio competat; consequenter etiam ulli juri renuntiare non potest.

Quibus ex causis.

c) Cum beneficiis annexa sint munera *publica,* non pro lubitu aut ex causis frivolis aliquis susceptum ab ecclesia beneficium dimittere potest, secus enim bono publico praejudicaret;[8]) sed resignatio debet fieri ex causa justa et nobilitati beneficii proportionata. Causae ad episcopatuum resignationem ab Innocentio III. requisitae sunt: «Conscientia criminis, debilitas corporis, defectus

---

episcopos. Damnata est propositio: «Laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos» Syllab. n. 51. — Quid dicendum, si sacerdos amotus ob delictum civile seu mere politicum totius vitae cursu semper in inferioribus seu in infimis persistere cogitur?

[4]) Cfr. c. 5. de renuntiat. X. (I. 9).

[5]) Conc. Trid. Sess. XXV. de regular. c. 16.

[6]) *Pyrrhus Corrad.* Praxis benef. lib. 5. c. 1. n. 20. *De Angelis* tom. 1. pag. 181.

[7]) Vid. supra § 68. not. 13.

[8]) Etiam regulae Juris rom. perspicue docent, munus publicum abdicare nemini fas esse. L. I. de excusat. et vacat. mun. — In primaeva ecclesia vix occurrunt exempla clericorum a suis beneficiis recedentium. Cfr. c. 19. 21. 24. etc. C. 7. qu. 1.

scientiae, malitia plebis, grave scandalum irregularitasque personae,» et vulgato versiculo exprimuntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.[9])

Ad cedendum inferioribus beneficiis eaedem fere causae quamvis non eodem gradu exiguntur, prout a s. Pio V.[10]) definitum est.

Quomodo.

d) Resignatio debet fieri 1. *spontanee,* sic, ut tum error tum metus cadens in constantem virum excludatur. 2. *Pure et absolute* seu procul ab omni specie simoniae et a prohibitis in jure conditionibus. Cessio conditionata alia absolute vetatur, alia nonnisi cum consensu superioris fieri potest. Omnino vetatur reservatio accessus, ingressus aut regressus, h. e. si quis beneficium vel solummodo oblatum (e. gr. puero illius incapaci), vel jam collatum per concessionem episcopi literis expressam, vel jam possessum ea conditione resignet, ut suo tempore ad illud accedere, ad istud ingredi, ad hoc regredi possit.[11]) Ad resignationem in favorem tertii *ipsius Papae* consensus requiritur,[12]) resignatio vero cum reservatione pensionis *temporalis* (§ 79. 4. a.) nonnisi annuente *episcopo* licita est, ita tamen, ut anticipatae solutiones simul et semel faciendae haudquaquam in locum annuae pensionis substitui possint.[13])

Qua forma.

e) Quaevis resignatio fiere debet in *legitima forma,* nempe in manibus legitimi superioris, atque ut ab eodem post praeviam causae cognitionem infra tempus legitimum (sc. unum mensem) acceptetur. Legitimus superior is est, qui dat missionem; hic

---

[9]) c. 10. X. (I. 9.), cujus summarium istos duos versiculos continet, quorum argumentum ab Innoc. III. accurate explicatur.

[10]) Constit. «Quanta ecclesiae» 1. Apr. 1568 § 3. «Episcopi . . . eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii, censurisque eccles. irretiti, aut nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire: seu qui unum aliud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri: religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsa exequantur; denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui in c. 10. de renunt. continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi.» Bullar. Luxemb. II. p. 270. Cfr. Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13 c. 16. n. 3.

[11]) Conc. Trid. Sess. XXV. de ref. c. 7. cum declarat. s. C. C. ed. cit.

[12]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. c. c. 10. n. 14. — Haec resignatio in Germania antehac licita habebatur, sed juri contraria est. c. 5, C. 8. qu. 1.

[13]) Accurate loquendo non tam cedens pensionem sibi reservare, quam episcopus eam constituere valet. (De quo cfr. superius dicta § 79. not. 23.) Pacta circa solutiones anticipatas inita, tanquam labem simoniacam redolentia, a Bened. XIV. («In sublimi» 1741. § 3.) pro nullis et irritis declarantur. Cfr. Acta s. S. V. 178.

enim solus est, qui de loco discedere recte permittit. Ergo resignatio facienda est in manibus Papae pro beneficiis ipsi reservatis, in manibus vero Ordinarii pro omnibus beneficiis non reservatis, etiam pro iis, in quibus collatio aut institutio spectat ad inferiorem.[14]) Ante acceptationem res integra manet, et resignatio quolibet momento revocari potest.[15]) In beneficiis j. p. aut electioni subjectis consensus eorum accedere debet, ad quos spectat electio vel praesentatio, si resignatio fiat *in favorem tertii,* quia secus praejudicaretur juri eligentium vel patroni.[16]) Caeterum hodie ex stylo communi resignatio in scriptis fieri solet, oblata supplicatione, ut eandem superior admittat ob causas in illa expressas. Attamen fieri potest per procuratorem quoque (etiam laicum) speciali mandato ad renuntiandum beneficio instructum, in quo exprimitur nomen beneficii, locus, ubi situm est, et reliqua specialia de jure exprimenda.[17]) Ad praecavendas multas fraudes a Greg. XIII. constitutum est, ut omnes beneficiorum resignationes (et permutationes) publicentur, et quidem in ecclesia cathedrali et parochiali, intra cujus limites beneficium resignatum existit.[18]) In nostris tamen partibus Bulla Gregoriana usu non est recepta.

Effectus resignationis.

f) Effectus resignationis legitimae, a superiore acceptatae et publicatae (si publicatio sit usu recepta) est: 1. quod beneficium renunciatum fiat vacuum et resignans omne jus, quod in eo habuit tam in spiritualibus quam in temporalibus, amittat, nec locus sit poenitentiae. Quod tamen solum tenet in resignatione absoluta; conditionata enim ante eventum conditionis non convalidatur. 2. Quod resignanti ad idem beneficium non detur regressus, nisi ex novo titulo et nova collatione, quam renuntians acceptare regulariter non prohibetur.[19]) 3. Ad evitandam omnem speciem haereditariae successionis in beneficiis in jure cautum est, ne beneficia resignata consanguineis, affinibus aut familiaribus sive resignantis sive Ordinarii conferantur, etiamsi illi digniores esse

---

[14]) *Reiffenstuel* ad tit. 9. lib. 1. n. 4; *Schmalzgrueber* eod. tit. n. 22; *De Luca* benef. disc. 80. n. 21.

[15]) Resignatio in manibus laici adeo non valet, ut resignans tali beneficio spoliandus sit c. 8. X. (I. 9).

[16]) Miror, quod plures recentiores Auctores *indiscriminatim* consensum patroni etc. exigant, cum manifestum sit, juri patroni etc. nonnisi tunc praejudicari, ubi resignatio fit in favorem tertii. *Schmalzgrueber* lib. 1. tit. 9. n. 7. Caeterum per se intelligitur, casu, quo j. p. dividitur inter nominantem et praesentantem, utriusque consensum expetendum esse.

[17]) *Schmalzgv.* l. c. 41—46. *Pirhing* Synops. h. t. § 4.

[18]) Constit. «Humano vix judicio.» Bullar. Luxemb. II. p. 502.

[19]) Puta, nisi beneficium cedere auctoritate judicis coactus esset, vel sponte ob crimen commissum ante sententiam resignaverit c. 11. X. (I. 9).

videantur.[20]) Sed hoc non praescribitur, 1. si beneficium *per obitum* beneficiati vacare contigerit; 2. in permutationibus, dummodo recte et legitime fiant; 3. in resignationibus beneficiorum juris patronatus.[21]) Per obitum vero vacare etiam tunc censetur beneficium, si beneficiatus, qui constitutus in infirmitate renuntiavit, viginti dies completos (a die praestiti per ipsum resignantem consensus computandos) haud supervixit.[22])

§ 96. 3. Permutatione beneficiorum. 4. Translatione.

1. Permutatio ejusque conditiones.

1. Permutatio beneficiorum aliud non est, quam reciproca duorum beneficiorum resignatio ex causa permutationis, eum in finem facta, ut quilibet resignans alterius resignantis beneficium obtineat. Licita et valida est, a) si resignantium uterque suum beneficium resignat in manus superioris ordinarii, cui beneficium est subjectum; — b) si deinde Ordinarius beneficia sic resignata permutando confert ipsis permutantibus. Permutantes equidem possunt inter se tractare et convenire de permutatione facienda; absolute tamen concludere hoc negotium privata auctoritate non possunt, sed conditionate tantum, scil. *si placuerit superiori.* Nam si privata tantum auctoritate permutationem faciant inter se, non solum irrita est talis permutatio, sed et per sententiam judicis beneficiis suis privari possunt. — c) Si permutatio fit ex justa causa et cognita ab Ordinario, scil. in ecclesiae commodum, vel saltem in permutantium utilitatem talem, quae quodammodo vergat in ipsius ecclesiae utilitatem; et si fit requisito consensu eorum, qui jus eligendi vel praesentandi ad beneficium permutatum habent.[1])

An in permutationibus ecclesiarum parochialium requiratur examen pro concursu, expositum jam fuit § 86 num 1. in fin. — Vix dubium erit, quin in nostro imperio permutantes beneficia curata examini (sine tamen concursu) subjiciantur.[2])

2. *Translatio* definitur, quod sit alicujus clerici ab una ecclesia ad aliam superioris auctoritate ex causa utilitatis vel necessitatis facta mutatio. Igitur translatio a) nonnisi ex causa gravi fieri potest, et auctoritate illius superioris eccles., cui beneficium sub-

---

[20]) Constit. s. Pii V. «Quanta» supra cit. et Constit. Bened. XIV. «Ecclesiastica» (tom. 2. Bullar. ejusd. n. 10).

[21]) *Giraldi*, Expos. jur. can. I. Sect. 72 in fine; *De Angelis* I. 176. *Reiffenstuel* l. c. n. 117.

[22]) Vid. reg. Cancell. 19. «de viginti,» seu «de infirmis resignantibus.»

[1]) Vid. lib. 3. decretal. tit. 19. de rerum permutatione.

[2]) Expediret tamen (ut advertit *Garcias* de beneficiis p. 9. c. 2. n. 166) quod examen istud fieret *ante* renuntiationem, ne forte quis postea inveniatur *non* idoneus.

jicitur. Hinc episcopi et praelati, qui sunt nullius dioecesis, a solo Papa solvi possunt vinculo suae ecclesiae, beneficiatos vero minores transferendi potestas penes Ordinarium est. Episcoporum tamen translatio longe majorem habet difficultatem. Nam quia vinculum, quod intercedit inter episcopum et ecclesiam, cui desponsatus fuit, matrimonio spirituali aequiparatur, tale conjugium nonnisi a summo Pontifice ex plenitudine potestatis potest dissolvi.[3]) Transeuntes propria auctoritate ad aliam ecclesiam, utraque in poenam talis transitus carere debent.[4]) — b) Translatio nonnisi cum consensu eorum, quibus jus nominandi, eligendi vel praesentandi ratione talis beneficii competit, sed regulariter etiam illius, qui transferendus est, fieri potest. Quantum ad *episcopos* Papa quidem vinculum cum priori ecclesia ex causa gravi, etiam invito episcopo dissolvere potest: ut vero alteri ecclesiae alligetur, translati consensu opus esse videtur; si vero bonum publicum ecclesiae ejusmodi translationem exigit, translatus consentire tenetur, imo ut ex nolente fiat volens, a Pontifice poenis compelli potest.[5]) Verumtamen «juxta vigentem disciplinam translationes nunc minime fiunt, nisi praevia scientia et consensu episcopi, qui ab una ad aliam ecclesiam est transferendus.»[6]) Intuitu *minorum* beneficiorum translatio duplicis generis distinguenda est: *altera,* quae irrogatur per modum poenae et in forma judicii, et *altera,* quae consistit in simplici oeconomica remotione, quae, etiam non subsistente culpa beneficiati, aliquando propter bonum publicum per modum provisionis administrativae decernitur. (Vid. infra § 220. 2. b.) — c) Per translationem prior ecclesia *ipso jure* vacat et quodcumque jus in ejusdem temporalibus aeque ac spiritualibus amittitur, translatus vero alteri ecclesiae jungitur perinde, ac si per alium legitimae provisionis modum illam obtinuisset.[7])

[3]) c. 1. et 2. de translat. episc. X. (I. 7). Inferiores beneficiati nonnisi in sensu quodam latiori sponsi suarum ecclesiarum dicuntur, ideoque eorum translatio minus ardua est.

[4]) c. 31. C. 7. qu. 1: c. 3. X. (I. 7). Ad translationem episcopi electi tantum et nondum consecrati haud necessaria existimatur auctoritas Papae. *Schmalzgr.* h. t. n. 3. — *Philipps* Lehrbuch p. 185.

[5]) *Schmalzgr.* h. t. n. 6.

[6]) Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. c. 16. n. 13.

[7]) Die 14. Dec. 1624. s. C. pro negot. episc., S. D. N. approbante, censuit, ecclesiam, a qua volens transfertur seu quam dimittit episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem episcopus ab illius vinculo solvitur in Consistorio Sanctitatis Suae, etiam ante expeditionem literarum Apostol. vel adeptam possessionem secundae ecclesiae. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam habuerit episcopus, etiam ex testimonio seu documento Secretarii s. Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariae jurisdictionis. eamque transire in capitulum tanquam sede vacante. et ita posse et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium juxta Trident. concilii praescriptum eligere sedemque vacantem publicare. *Reiffenstuel* lib. 1. tom. 7. § 2. n. 36.

Caeterum tum translatio ad minus beneficium, tum permutatio pinguioris cum tenuiore ab episcopo etiam tamquam poena decerni potest. Sed in hoc casu utraque privationi beneficii propius accedit, de qua cit. § 220. 2. b. erit sermo.[8])

§ 97. Observanda vacante beneficio.

1. Beneficiis vacantibus jam pridem duplex sollicitudo impendi solita est, videlicet: ut munera spiritualia, ubi opus esset, interim a vicario peragerentur, porro ut ab oeconomo ad hoc constituto temporalium administratio gereretur. Ad utrumque munus utplurimum unus idemque deputatus est. In specie ad *vacuos episcopatus* finitimi episcopi vel alii ceu *visitatores* vel *commendatores* ablegari consueverunt, qui una cum presbyterio ecclesiae viduatae curam gererent et bonorum dilapidationi caverent.[1]) Successu temporis sede vacante administratio dioecesium ad capitula cathedralia devenit, ut suo loco dicetur. *Praelaturae regularium* vacantes juxta leges, quae specialiter pro regularibus sunt constitutae, administrantur, et quidem regulariter ad Priorem et Conventum administratio spectat.[2]) — Quoad *parochias* Synodus Trid. statuit, ut, quum parochialis ecclesiae vacatio per obitum vel resignationem vel quomodocumque contigerit, debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus (episcopi) arbitrio fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.[3]) Pro vacante *beneficio simplici* proprium vicarium constituere regulariter haud opus est, sed sufficit, ut clericorum aliquis interim ad functiones annexas persolvendas deputetur, eidemque etiam temporalium administratio injungi poterit. — Si vacante beneficio ejusdem jura fiant controversa aut lis aliqua moveatur, pro iisdem tuendis defensor constitui debet.[4]) — Ratione fructuum tempore vacationis obvenientium in jure decretalium statuitur, ut ii ab oeconomis percipiantur atque aut in ecclesiae beneficialis utilitatem expendantur, aut futuris successoribus reserventur.[5]) Ex jure recentiori hi fructus pertinent ad cameram apostolicam *de spoliis*, quod tamen in

1. Jus commune.

---

[8]) Vid. *Moy* Archiv. tom. 3. p. 408, ubi casus recentissimus a. s. C. C. decisus refertur.

[1]) S. Ambr. epist. 34; s. Gregor. M. lib. 2. epist. 16. (c. 16. 19. D. 61). Talis usus in parochialibus quoque beneficiis obtinuit c. 45. C. 12. qu. 2. § 1.

[2]) Vid. *Schöpf*, K.-R. tom. 3. p. 400.

[3]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 18.

[4]) Acta I. 522.

[5]) c. 4. X. (I. 31); c. 40. de elect. in VI. (I. 6); c. 7. de elect. Clem. (I. 3); c. 9. in VI. (I. 16).

nostris regionibus non deductum est in usum; hinc pro ratione locorum et legum particularium applicantur *vel* in subsidium ecclesiae cathedralis aut beneficialis, *vel* fundis intercalaribus aut emeritorum sacerdotum, *vel* denique ipsi beneficio.[6])

2. Jus particulare. Provisoris a. Deputatio.

2. In terris Austriacis[7]) *a)* vacante parochia vel alio beneficio saeculari, episcopus vicarium vel administratorem *(provisorem)* in spiritualibus constituit, qui in regula simul tanquam oeconomus ad administranda temporalia deputatur, etiam a Gubernio nomine fundi religionis adprobandus. Decanus, administratore, ecclesiae vitricis necnon patrono adscitis, perquirere debet, an res in beneficii et ecclesiae inventarium relatae rite conservatae exstent, ejusdemque est, quoad defectus fortasse deprehensos necessaria disponere. Fructus intercalares durante vacatura percipiendi, prout hucusque consuetum fuit, etiam in posterum fundo religionis inferendi sunt, exceptis duntaxat 1. beneficiis, quae cuidam corporationi, e. gr. capitulo vel monasterio, pleno jure sunt incorporata, quia haec (cum a vicario tantummodo temporalia administrentur, cura habituali penes rectorem collegii relicta) proprie nunquam vacua evadunt; quod expresse etiam cautum est de parochiis ordini Teutonico et Melitensium *pleno jure* unitis, minime vero de unitis non pleno jure et de iis, quae nonnisi patronatui horum ordinum militarium subsunt;[8]) et exceptis 2. illis beneficiis, quorum proventus ita tenues sunt, ut expensis pro provisione erogandis deductis, nil remaneat, quod fundo religionis inferatur. Quando fructus intercalares spectant ad fundum religionis, provisor certum salarium ab hoc fundo percipit; quodsi autem fundus religionis jus non habet eos percipiendi, ex integro spectant ad provisorem.

b. Salarium.

b) Provisoribus *salarium menstruum* 30 flor. M. A. pro praebenda, cujus reditus summam annuam 500 fl. non superant, constitutum est; si beneficium importat reditus ascendendo a 500 usque ad 600 flor.; provisor singulis mensibus percipit 40 flor.; si 700—900 fl., 50 fl.; si reditus assurgant usque ad 1000 fl. vel supra, tunc 60 fl. provisori quolibet mense sunt dandi.[9]) Si quis

[6]) Vi Constit. Pii IV., Sixti V., Gregorii XIII. etc. fructus omnium beneficiorum vacantium ad s. Sedem seu ad Rom. cameram spoliorum pertinent, quae per constitutos collectores colligit eosdem fructus, ut erogentur in necessitates missionum pro fidei propagatione. Acta s. S. III. 146. Sed hae leges extra Italiam haud receptae esse videntur. Unde omnia fere pendent a consuetudine et a jure particulari.

[7]) Vid. decreta episcoporum Austr. Viennae a. 1856 congressorum; concil. pravinc. Viennense p. 187; Vorschriften über die Verwaltung des Kirchen- und Pfründenvermögens der Dioecese Brixen § 26. seq. (Dioec.-Bl. 1860. p. 68).

[8]) Ordinatio aul. 15. Sept. 1785.

[9]) Lex prov. de augmento dotationis cleri cath. d. 19. April 1885 R.-G.-Bl. Nr. 47. § 5. et ordinatio minist. pro hac lege exequenda d. 2. Jul.

vero aliunde beneficium tenet, pro alterius beneficii provisione salarium non percipit, sed remunerationem duntaxat laboribus suis respondentem petere potest; insuper pro implemento fundationum tantum ei rependi debet, quantum ex usu illius dioecesis dari solet. Hoc salario menstruo provisor sibi ipsemet victum comparare tenetur, aliae vero expensae tempore provisionis necessariae, quae provisoris personam non attingunt, v. gr. pro sartis tectis, pro agrorum cultura, a fundo religionis sunt ferendae, eique in rationibus adscribi possunt. Praeter supradictum salarium lucratur Missarum stipendia *manualia* et alia mere accidentia; sed proventus stolae durante vacatura percepti e. gr. ob copulationes, sepulturas, testimonia exhibita etc. ad fructus intercalares pertinent. Pro Missis fundatis is, qui tantum 30 fl. singulis mensibus habet, accipit stipendium *dioecesanum*; ille autem, cujus salarium menstruum summam 30 fl. exuperat, Missas fundatas (et quidem *omnes* ex tenore legis) *gratis* persolvere tenetur.[10]) Provisores, qui dicuntur *excurrendo*, remunerationem singulis casibus specialiter determinandam percipiunt, ita tamen, ut eadem nunquam duas tertias partes salarii provisori competentis transcendat. Temporalium provisores salarium sibi competens ex proventibus beneficii desumere ac rationibus inferre possunt.

c. Officium.

c) Provisor, tanquam *vicarius in spiritualibus*, omnibus obligationibus fundatione impositis gratuito, quin regulariter ob labores ad explendum munus suum exantlatos quidquam accipiat, satisfacere tenetur. Porro omnia explere debet, quae parocho definitive constituto incumbunt; nec minus instar ipsius certis diebus applicare pro populo, quin emolumentum ex intercalari percipiat. Tanquam *temporalium administratori* ipsi incumbit, res et pecunias illo tempore exigendas accipere, necessarios sumtus impendere, et tam data quam accepta in libro diurno diligenter adnotare. Agrorum parochialium culturam vel ipse procurare vel illos in unum dumtaxat annum locare poterit.

d. Officii terminatio.

d) Qui desiit esse vacantis beneficii provisor, anno canonico elapso, et quidem infra primas quatuor hebdomades, rationes conficere, easque ad gubernium provinciae, ut a summa rationum praefectura examinentur, mittere debet. Annus canonicus a certo festo usque ad reditum ejusdem festi, et quidem in nostra provincia a festo s. Georgii usque ad idem festum sequentis anni

---

1885. R.-G.-Bl. Nr. 99. § 16. — Antequam haec lex constituta fuit, provisores beneficiorum, quorum reditus summam 315 fl. non attingunt, *omnes* quidem proventus, sed nihil ultra perceperunt; sed vi novae legis congrua eorum *minima* est summa 360 fl., quae supplenda est ex fundo religionis, si reditus beneficii hanc summam non exequent.

[10]) Vide legem sub nota 9) allegatam et ordin. ministri.

computatur.[11]) In rationario a) omnes anni canonici tum proventus tum expensae ad amussim consignari debent; reditus autem, deductis expensis remanentes, in tres partes dividuntur, ac pro rata temporis antecessori, successori in beneficio et fundo religionis distribuuntur.[12]) b) Tabellis rationes continentibus documenta necessaria v. gr. apochae, quibus expensae comprobantur, itemque tum summa proventuum ex fundationibus localibus percipienda, tum numerus Missarum fundatarum, adjici oportet. Requiritur etiam testimonium decani, confirmatum ab officio districtus (Circul. Gubernii Tirol. 2. Febr. 1820) quo temporis spatium vacationis distincte exprimitur. Nimirum indicari debet tum dies mortis seu resignationis prioris beneficiati, tum dies, qua successor canonice institutus est. c) Cum rationibus ipsis etiam summa intercalaris fundo relig. obveniens transmitti debet. Quodsi praefectura pro rationibus examinandis destinata defectum aliquem quoad rationes confectas indicaverit, infra 45 dies, aut quod deest, supplendum, aut gratiosa condonatio petenda, aut demum res in judicium adducenda est. Quoad beneficia, quorum reditus omnes in pecunia enumerata consistunt, rationes intercalares conficere supervacaneum est, quia pars fundo relig. obveniens aliunde facile eruitur.

SECTIO IV.

De magistratuum ecclesiasticorum gradatione hierarchica.

§ 98. Materiae conspectus.

Hactenus de statu ecclesiastico, prorsus abstrahendo ab omni discrimine hierarchico, disseruimus. Jam vero ad diversos gradus

---

[11]) Terminum anni canon. ad evitandam confusionem diligenter observari oportet. Quia tamen haud raro contingit, ut antecessor ultimus a normam alterius termini cum suo praedecessore rationes confecerit; idcirco, ne ille ultimus possessor vel ejus haeredes detrimentum capiant, re ad Ordinariatum delata, *ipsi et successori* in dioecesi Brixin. permittitur, ut amica et aequa compositione inter se conveniant, scil. ut terminus a quo et ad quem servetur, prout usu locali inductum fuit. In Dioecesi Brixin. praescribitur (Dioec.-Bl. 1878 p. 69) ut duo paria rationum conficiantur, quorum unum reponi debet in archivio parochiali, alterum mitti ad Ordinariatum. Cfr. Vorschriften für die Kirch. Verm. Verwalt. der Dioecese Brixen. § 30.

[12]) In provincia Tirolensi inter expensas a participantibus pro rata ferendas provisor has collocare potest: 1. pro alimentatione cujuslibet sacerdotis subsidiarii annuatim 210 fl. M. A. 2. Pro famulis singulis, quotquot bonis parochialibus administrandis necessarii sunt, hucusque nonnisi summa 75 fl. 60 cr. ex lege ratiociniis inferri potuit. Famulitium personae provisoris necessarium ipse sustentare debet. Item 1 fl pro singulis personis, ubi moris est, in festis patroni vel aliis solemnioribus hospites ad mensam invitare. — Vide Brixner Dioecesanblatt 1857. p. 44. seq., ubi specimen rationarii intercalaris exhibetur.

devolvimur, in quibus magistratus ecclesiastici sunt distributi, nec non ad diversa jura et praerogativas, quae sunt in singulis gradibus. In hoc igitur tractatu exponetur, per *quas personas hierarchicas* ecclesia regatur et administretur, quaeque jura et officia iis inhaereant. Scilicet universa ecclesia regitur per summum Pontificem, unaquaeque dioecesis per episcopum, provincia per Metropolitam etc. Omnes isti praesunt tum tanquam singuli, tum collecti in conciliis. Item omnes pro exercenda sua potestate, nec non pro expediendis negotiis ecclesiasticis suos habent adjutores et vicarios, qui pariter vel tanquam *singuli,* vel *collegialiter* servitia sua praestant. Tanquam *singuli* iidem aut in loco residentiae aut in partibus remotis inserviunt. Nimirum Papa Romae varios adjutores habet, in locis autem remotis utitur legatis et nuntiis, episcopus vero tum penes sedem suam, tum etiam foris per tractum suae dioecesis vicarios in subsidium curae sibi adsciscit. Dixi: *collegialiter* inserviunt; praesulibus enim praesto sunt *collegia stabilia* et *ordinaria,* quorum opera et consilia in administranda ecclesia juvantur. Et haec collegia in ipsa sede rectoris perpetuo adsunt pro expediendis negotiis ecclesiasticis. Etenim summo Pontifici collegium Cardinalium et congregationes Romanae subsidio sunt; Metropolis et episcopis inserviunt capitula sive metropolitana, sive cathedralia. — Igitur in hac sectione satis late diffusa tractabimus de singulis hierarchis, de ipsorum adjutoribus, de collegiis in eorum juvamen adjunctis, denique de extraordinariis praesulum consessibus, qui sub nomine conciliorum pro locorum et temporum exigentia haberi solent.

Ex dictis clarescit, quod in ecclesiae constitutione duplex unitas manifestatur: una *monarchica* seu *centralis,* quae ex centro ad peripheriam tendit, altera *collegialis,* quae ex peripheria ad centrum redit, quaeque ex conspiratione et ex cooperatione singulorum resultat.

CAPUT I.

De Romano Pontifice ejusque adjutoribus.

§ 99. De juribus summi Pontificis in genere.

1. Par est, ut a supremo ecclesiae pastore, nempe a Papa, ordiamur, qui pater patrum, episcopus episcoporum, ordinarius ordinariorum recte dicitur.[1]) Imprimis quaestio se objicit: juxta quaenam principia mensura jurium papalium determinari debeat? Responsio erit: ut amplitudo jurium papalium definiatur, haec tria respici oportet: a) naturam, b) finem primatus, c) jus quod

[1]) *Schrader,* de unitata Romana. Friburgi Brisg. 1862. Vindob. 1866.

dicitur historicum. Itaque *a) Naturam* et *indolem* primatus quod attinet, alibi jam dictum est,[2]) potestatem supremam, universalem et immediatam in b. Petro institutam esse, et ad ejus successores transiisse. Idcirco sedi Apostolicae tales ac tantae praerogativae adjudicari debent, quae huic *supremae* et *plenae* potestati respondent, et proin quaevis limitatio, quae ideae sic propositae adversatur, excludenda est. — *b) Finis* primatus est conservatio unitatis internae et externae, ideoque ipsius ecclesiae,[3]) videlicet: ut fides pure et integre servetur, cultus Deo dignus praestetur, et fideles ad sanctitatem et ad perennem beatitatem perducantur. Consequenter ea omnia jura, quae ad hunc finem assequendum proficua aut omnino necessaria videntur, Pontifici Rom. adjudicari convenit. *c) Jus historicum* est complexus omnium jurium, quae *cursu temporis* ad Sedem apostolicam sunt devoluta, per eamque in exitum perducta. Siquidem primatus, quemadmodum ipsa ecclesia, grano sinapis comparari potest, *quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus et fit arbor.*[4]) Quapropter, licet modus exercendi potestatem pontificiam pro temporum diversitate variabat, jus tamen primatui intrinsecum idem semper fuit, utpote ipsi congenitum a primordio suae institutionis. Sub hoc respectu non est admittenda distinctio inter jura Pontificis *essentialia seu certa* et jura *accidentalia* seu *adventitia,* quae distinctio a Febronianis subdola mente eoque consilio excogitata est, ut stimularentur episcopi ad regrediendum in illa jura accidentalia, quae ipsis a Curia Romana contra jus erepta essent. Hallucinantur, qui quaedam jura Pontificis vocant *accidentalia,* quia omnia jura, labentibus saeculis Pontifici non ab extrinseco accreverunt, sed potius a nativa Primatus indole processerunt, ac proinde essentialia sunt. Nullum quippe jus *novum* et adventitium accedere ad eos potuit, qui ratione Primatus plenitudinem potestatis habebant, ac propterea jure merito confixa est sententia: «posse episcopum et debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque exigit majus bonum suae ecclesiae» — tanquam inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis.[5])

---

[2]) Vid. supra § 22. 3. et § 25. c.

[3]) Vid. Breve dogmaticum Pii VI. «Super soliditate:» «In hoc apostolicae cathedrae principatu firmum voluit Christus constrictumque teneri unitatis vinculum, quo ecclesia, per universum mundum propaganda, ex membris quantumvis dissitis mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime et corporis totius integritatem incolumitatemque valeret.» Cfr. Card. *Soglia,* Instit. juris publ. II. pag. 56.

[4]) Math. 13, 32.

[5]) «Auctorem fidei,» propos. 8. ap. *Denzinger* p. 388. ed. I.

2. At vero, utut illimitatum est *jus* summi Pontificis et nulli in terris judici obnoxium, non tamen ejus potestas nullis terminis constringitur. Sunt vero sequentes limites potestati Pontificiae positi: Limites usui potestatis papalis positi:

a) Eadem ex *fine,* cui famulari debet, mensuram modumque capit. Nimirum salus ecclesiae est supremus canon, cui usus cujusvis potestatis eccles., ac etiam pontificiae, adstrictus sit oportet. Eodem pertinet, quod Paulus potestatem sibi affirmat datam *in aedificationem* et *non in destructionem.*[6]) Finis Primatus.

b) Modus positus est illo spiritu mansuetudinis et moderationis, qui ex aperta voluntate Christi cum regimine eccles. et in specie cum primatu conjungi debet, prout illa tria verba: «Pasce oves meas» luculenter declarant. Spiritus mansuetudinis.

c) Modum ponunt *canones* ecclesiae rite conditi, et consuetudines legitime inductae. In legibus etiam disciplinae nonnulla sunt, quae sine ingenti offensione bonorum omnium, sine gravi diminutione cultus divini ac perturbatione ordinis immutari et dissolvi non possunt. Idcirco Pontifex non tam vi canonum, quam naturali jure prohibetur suam adhibere potestatem ad ea mutanda vel solvenda. Leges ecclesiae.

d) Limes usui potestatis pontificiae positus est juribus ex divina insitutione in episcopos collatis. Etenim episcoporum potestas, ne evadat otiosa aut inefficax, a Papa non potest ultra coërceri, quam bonum ecclesiae poscit, nec immodicis exhauriri reservationibus. Jura episcopalia.

e) Denique Pontifex in executione supremae suae jurisdictionis indigentiis temporum, indole nationum necnon concordatis inter ipsum et summos principes initis constringitur.[7]) Quaedam alia.

3. Cum Papa supremo in ecclesia magisterio, ministerio et imperio potiatur, jura ipsi competentia necessario ad unam vel alteram ex hisce tribus potestatibus referuntur. Loquemur ergo successive de juribus Pontificis respectu magisterii, ministerii et imperii. Jura tamen ultimae classis majoris amplitudinis sunt. Partitio jurium papalium.

§ 100. I. Jura summi Pontificis respectu magisterii.

Quia Romanus Pontifex juxta concilium Florentinum est totius ecclesiae caput, Christianorum pater et *doctor,* ideo doctrinam Christi auctoritate infallibili definire, ejusdem propagationi providere, denique falsas doctrinas propulsare, ad sacratissima Sedis apostolicae jura nunquam non pertinebat.

---

[6]) II. Cor. 10, 8. et 13, 10.
[7]) Cfr. c. 6—9. C. 25. qu. 1.

Fidem definit.

1. Inprimis summus Pontifex in fidei morumque doctrinis definiendis *ex cathedra* loquens infallibiles est. Ita declaravit et definit, concilium Vaticanum in Sess. IV. cap. IV. dicens: «Docemus et revelatum dogma esse definimus, Rom. Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus redemtor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque ejusdem Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae irreformabiles esse.»

«Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anath. sit.»

Et haec quidem de infallibilitate Pontificis doctrina, non est *nova,* quippe cum Patres Vaticani eam, «traditioni a fidei christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo,» omnibus credendam proponant. «Neque enim», ajunt, «Petri successoribus Spiritus sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent.»[1]) Neque verum est hanc definitionem ipsi reipublicae et societati civili grave *periculum* creare; nam sicut per eam nihil immutatur in relationibus capitis ecclesiae cum ejusdem membris, sic nihil prorsus immutatur in relationibus ecclesiae cum politica potestate.[2]) Quantopere denique isthaec definitio *tempori* conveniens evaserit,

---

[1]) Conc. Vatic. l. c. sub voce «Huic pastorali.» Infallibilitas Papae probatur ex s. Scriptura, ex conciliis, ex Patribus, ex theologorum consensu, ex ipsorum Pontificum actis et factis. Praeter antiquiores: Mamachium, Ballerinium, Antifebronium etc., qui testimonia pro Pontificis inerrantia congesserunt, vid. *Hergenröther:* Kathol. Kirche und christl. Staat p. 927—984; *Hettinger:* Die kirchl. Vollgewalt des apost. Stuhles. Freiburg 1873. p. 104. seq. — Neo-protestantes profitentur quidem (quod ab initio saltem asseverabant), scripturam et traditionem fontes esse divinae revelationis. Jam vero vivens ecclesiae magisterium declaravit, inerrantiam R. Pontificis contineri in scriptura et traditione; annon igitur haec ipsa declaratio et dogmatis definitio haberi debet per se sufficiens, imo certissima demonstratio, doctrinam definitam centineri in fontibus revelationis? Et si magisterium ecclesiae non audiunt, annon fallibilem suam scientiam attollunt supra auctoritatem magisterii divinitus ordinati? Literae Pii IX. ad episcopos German. 28. Oct. 1870. — Pars theologorum longe major jam ante concilii Vaticani celebrationem Papae infallibilitatem propugnavit. Quod etiam obtinet de theologis Germaniae. Cfr. *Rump:* Die Unfehlbarkeit des Papstes und die Stellung der in Deutschland verbreiteten theol. Lehrbücher zu dieser Lehre. 1870.

[2]) Cfr. cit. lit. Pii IX., nec non ejusdem literas breves ad episcopos Helvetiae d. 27. Nov. 1871.

ex aevi nostri circumstantiis facile eruitur. Etenim cum hodie fides multorum languescat, sensusque catholicus in plurimorum animis sit attenuatus, plane necessarium erat, ut ecclesiae fides quoad primatum solemniter definiretur, ac praeterea principium catholicismi, quod est «arx auctoritatis»[3]) de novo firmaretur.[4])

Censura librorum.

Cum jure definiendi, quid credendum damnandumque sit, etiam jus cohaeret pravorum librorum lectionis interdicendae. Et sane ex universo orbe catholico ad Romanos Pontifices jam antiquitus mittebantur libri, de quibus aliqua suspicio suberat, ut qui ipsorum judicio probati essent, reciperentur, qui vero improbati, ab omnium manibus eriperentur.[5])

Fidem propagat.

2. *Propagationem fidei* quod attinet, Pontifici incumbit, praeesse missionibus earumque summam directionem gerere. Ejus rei est: a. quia Pontifex, qui in summa specula constitutus est, optime nosse debet, quaenam nationes laetissimam spem praebeant recipiendi Evangelium. b. Quia ecclesia Romana totius fere Occidentis est matrix et fidei propagatrix. Siquidem omnes pene Italiae Galliae. Hispaniae ecclesiae a Sede apostol. fundatae sunt, ipsique Pontifices praecones Evangelii ad gentes infideles destinarunt,[6]) qui vel fidem ab initio propagabant, aut collapsam restaurabant. Similiter medio aevo a Sede rom. missionarii in Asiam et Africam sunt ablegati, et pacta ea de re cum principibus ethnicis inita.[7]) Cum deinde America detecta immensae messis spem praeberet, Romae congregatio de propaganda fide instituta eique collegium peculiare adjunctum est, in quo novi semper verae religionis propagatores excoluntur. (§ 110. 2. g.)

3. De summi Pontificis interventu in fundandis et dirigendis studiis generalibus alibi dicetur.[8])

---

[3]) Augustin. Ep. 118. cap. 9.

[4]) *Hettinger* l. c. p. 185. seq.

[5]) E. gr. Dionys. Alexandr. ad Dionys. Papam 4 libros misit, ut nosceret, an recte de Trinitate scripsisset. S. Augustinus libros 4 contra duas Pelagianorum literas ad Bonifacium Pontificem misit, significans, sese ea scripta mittere «non tam discenda quam examinanda, et ubi forsitan aliquid displicuerit emendanda.» Libri Origenis ad Pontianum Pontif., libri Pelagii ad Innocentium I., libri Priscillianistrarum ad Leonem M. missi fuerunt, eorumque judicio condemnati. *Soglia* l. c. p. 74.

[6]) Sic s. Patritius in Hiberniam a. s. Coelestino (432), s. Augustinus a Gregorio M. in Angliam, s. Bonifacius a Gregorio II. in Germaniam missi sunt.

[7]) Histor. polit. Blätter. Jahrg. 1855, 56 et deinceps.

[8]) In Sectione VI. hujus tibri. — Quodsi per decursum nonnulla Papaq jura solummodo indicantur, non exponuntur, ex hoc explicandum est, uiae eadem accurratius pertractandi alibi opportunior occasio praebebitur.

§ 101. II. Jura Pontificis respectu s. ministerii.

Summus Pontifex pro ampliore non quidem ordine sed *jurisdictione,* qua episcopis antecellit, quantum ad s. ministerium diversa habet jura, quae eo tendunt, ut ubique cultus tum Deo *dignus,* tum *uniformis* omni modo servetur, si quae vero exceptiones utiles esse videantur, diversitas non officiat unitati eaque nonnisi s. Sedis auctoritate inducatur. Ideo inviolabiliter principium tenendum est: Ea omnia, quae cultum Dei publicum et ritus respiciunt, a solo summo Pontifice constitui oportere; ad episcopos vero pertinere, ut in sua quisque dioecesi decreta a s. Rit. Congregatione emanata executioni demandet dubiaque desuper exorta ad eandem s. Congregationem deferat,[1]) nisi ex manifestis et specialibus rationibus Pontificis consensus pro aliquo actu transeunte praesumi possit.[2]) In specie ad rom. Pontificem spectat:

Quoad liturgiam. 1. *Jus ordinandi liturgiam ss. Missae et divinum officium.* Solius Papae est, praescribere Missale et breviarium, novas Missas, nova item Sanctorum officia adprobare, aut alias liturgias praeter Romanam permittere. Sic Graecis cum ecclesia Rom. unitis propria uti liturgia concesum est, ea tamen lege, ne presbyteri graeci latino more, et latini graeco ritu Missas et alia divina officia celebrent.[3]) Reliquis item Orientalibus catholicis ritus suos deserere nequaquam fas esse, edixerunt summi Pontifices.[4]) In Occidente liturgia Ambrosiana[5]) et Mozarabica[6]) (in quibusdam Hispaniae ecclesiis usitata) a liturgia Romana divergunt et auctoritate Pontificis communitae sunt, quibus liturgia slavo-latina accenseri debet,

---

[1]) «An praelati, archiepiscopi et episcopi possunt esse judices ad declaranda dubia super s. ritibus et ceremoniis?» S. R. C. respondit *negative* in Visen. die 11. Junii 1605. «Ordinarius loci stricte tenetur opportunis remediis providere, ut rubricae et s. R. Congregationis decreta rite serventur; si quid dubii occurrat, recurrendum ad eandem s. Congreg. pro declaratione.» In una dubiorum 17. Sept. 1822. *Bangen:* Die röm. Curie p. 206.

[2]) Rationes, ex quibus episcopus tanquam Sedis apostol. delegatus suo arbitratu quidpiam circa hanc rem statuere potest, sunt: urgens necessitas, difficultas adeundi s. Sedem, frequentia ejusmodi casuum. *Bangen* l. c.

[3]) Pii V. Const. «Providentia» 20. Aug. 1560. Bull. edit. Luxemb. t. II. p. 205.

[4]) Bened. XIV. «Etsi pastoralis et «Demandatum coelitus.» Bullar. rom. e. c. tom. XVI. p. 94 et 166. — Pii IX. Allocutio 19. Dec. 1853. — Tolerat vero ecclesia diversitatem rituum, a) quia *in una fide nihil officit s. ecclesiae consuetudo diversa,* ait Gregor. M. I. 1. ep. 43. ad Leandr. b) quia haec discors concordia in liturgiis manifestum facit, ordinem s. sacrificii ab Apostolis traditum esse et in omnem terram diffusum. Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 8; Ang. Mai, Script. vett. nova coll. praef. tom. X. p. VI.; *Schrader* l. c. II. p. 114.

[5]) *Andreucci:* Hierarchia eccles. tom. II. dissert. III. de ritu Ambrosiano.

[6]) *Devoti* instit. tom. II. p. 106.

cujus usus ecclesiis nationis Illyricae permittitur.[7]) Quoad reliquas quoque precandi formulas in cultu publico adhibendas, ut unitati consulatur, certas sanctiones statuere potest rom. Pontifex.[8])

Quoad Sacramenta.

2. *Jus administrationem Sacramentorum propius definiendi.* Licet forma et materia *substantialis,* quae a Christo ipso constituta est, ab ecclesia nequeat immutari, imo et ritus, qui ab Apostolis profecti dignoscuntur,[9]) diligenter custodiri debeant; tamen aliae praeterea ceremoniae Sacramentis adjungi possunt, ut eorum sanctitas altius hominum animis imprimatur. Et hujusmodi ritus constituendi et immutandi potestas nonnisi penes summ. Pontificem est,[10]) qui solus libros de ritibus tractantes, inprimis Pontificale, Rituale et Ceremoniale, praescribere et, prout opus fuerit, emendare et reformare valet.[11]) Si quae provinciae vel dioeceses proprio utantur Rituali, illud summae Sedis auctoritate adprobatum sit, necesse est. Eadem potestas, qua Pontifex Sacramentorum administrationem moderatur, citra omnem controversiam etiam quoad *Sacramentalia* ipsi competit.

Quoad dies festos.

3. *Jus instituendi et abolendi dies festos.* Inter dies festos aliqui sunt, qui ab ipsa apostolica aetate originem repetunt, nonnulli vero subsequentibus temporibus Pontificum potissimum auctoritate sunt inducti, qui consequenter eosdem abrogandi potestate pollent. Recenti hac aetate, prout omnibus cognitum est, Sedes apostol. principum precibus pro reductione festorum in ipsorum territoriis supplicantium haud semel obsecundavit. Sic (ut alia taceam) plures dies festi per tractum nostri Imperii regnante Maria Theresia per Benedict. XIV. et deinceps per Clement. XIV. sunt sublati. Ille aliud non concesserat, quam ut hisce diebus opera servilia licite fierent; at hic praeterea fideles ab auditione Missse absolvit simulque jejunia vigiliarum ad quartas et sextas ferias Adventus transtulit. In Galliis item (1802) nec non in regno Sardiniae (1853) dies festi ad minorem numerum reducebantur. Suppressio isthaec nonnisi favore plebis christianae concessa est, quatenus nempe hisce diebus ablata est obligatio vacandi ab operibus servilibus et audiendi Sacrum, minime vero ullam innova-

---

[7]) Bened. XIV. Const. «Ex pastorali.» 17. Aug. 1754.

[8]) Sic s. R. C. repetitis vicibus immoderatae licentiae in novis litaniis introducendis occurrendum esse censuit. In Acheruntina 8. Febr. 1631 desuper decisum est: «Non posse in ecclesiis recitari alias litanias, quam impressas in Breviario rom.» *Bangen* l. c. p. 206.

[9]) Inter hosce ritus e. gr. recensetur, quod signum Crucis in omnium administratione Sacramentorum adhibetur. *Devoti* tom. II. p. 24. S. August. tract. 118. in Joann.

[10]) Conc. Trid. Sess. VII. can. 13. de Sacramentis.

[11]) Sixtus V. in bulla «Immensa» e. c. tom. II. q. 669 et Bened. XIV. (qui dictos libros nova recensione edidit) in litteris «Quam ardenti» 25. Mart. 1752.

tionem inducit circa functiones divinorum officiorum. Quare in ecclesiastica ratione loquendi dies festi appellantur et sunt.[12])

Quoad beatificationem et canonisat.

4. *Jus beatificandi et canonizandi.* Sanctis ecclesiae matryribus primum in locis suae passionis consentiente episcopo et communibus fidelium suffragiis cultum religiosum exhibitum esse, qui successive ad universalem ecclesiam ampliatus fuit, ex eorum actis omnibus constat. Eadem veneratio postmodum non solis martyribus sed aliis quoque impertita est, qui heroicis virtutibus conspicui ex hac vita migraverant. Verum ad praecavendos abusus jam pridem s. Sedes suas partes contulit; quin et ultro ejusdem auctoritas hunc in finem requisita est.[13]) Nimirum, ait Gonzalez, *canonisatio nunquam licuit episcopis, beatificatio vero primis ecclesiae saeculis ab illis fiebat. Cum* enim (prout idem doctor argumentatur) *Sanctus canonizatus proponatur ab omnibus fidelibus colendus, et nemo nisi Pontifex praesit cunctis fidelibus, tantum Pontifex potest Sanctos canonizare.* Prima vero canonizatio, cujus acta adhucdum exstant, erat s. Udalrici, episcopi Augustani, a Joanne XV. (993) celebrata; praefatum vero jus Sedi apostolicae reservatum esse, Alexander III. diserte enuntiavit.[14]) — Juxta vigentem ecclesiae disciplinam quatuor eorum numerantur gradus, qui excellentioris sanctitatis splendore fulgentes ad alteram vitam sunt translati: Servi Dei, Venerabiles, Beati et Sancti. *Servi Dei* dicuntur, qui cum publica sanctitatis fama obierunt. Illi autem, quorum sanctitatis existimatio judiciali ratione comprobata est, vocantur *Venerabiles. Beati,* quorum cultus in certa provincia, dioecesi, vel familia religiosa permittitur. *Sancti* denique dicuntur, quorum veneratio supremo Sedis apostol. judicio pro universali ecclesia, non solummodo conceditur, sed decernitur et definitur.[15])

Ut quis Beatorum vel Sanctorum catalogo adscribatur, processum solemnem et prolixum confici oportet, ex quo plenissime

[12]) S. R. C. 23. Maj. 1798; Encycl. Pii IX. 3. Maj. 1858; C. C. 21. Mart. 1863. Acta I. 600.

[13]) Sic acta S. Vigilii episcopi Tridentini, a. 399 martyrio coronati, adprobationis causa Romam transmissa fuisse, refert Bened. XIV. in opere classico: «De servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione libri IV.»

[14]) C. 1. de reliquiis et venerat. Sanctorum X. (III. 45): «Etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis illum pro sancto absque auctoritate Romanae ecclesiae publice venerari» (1170). Cfr. Urban. VIII. «Coelestis Hierusalem» 1634. Bullar. tom. V. p. 261. et Const. «Sanctissimus» ann. 1625. — Pariter circa venerationem Reliquiarum ab Innocentio III. decretum est: «Reliquias de novo inventas *publice* venerari nemo praesumat, nisi prius auctoritate Rom. Pontificis fuerint adprobatae.» Tit. cit. c. 2. — De reliquis s. Cfr. Acta II. 715.

[15]) Tam per beatificationem, quam per canonisationem fidelis defunctus in gloria esse cognoscitur. Sed effectus prioris est cultus localis in forma *indultiva,* posterioris vero: cultus universalis in forma *declarativa.* Cfr. Acta s. S. V. 64. 436.

constet: a) Fidelem, de quo agitur, in communi sanctitatis fama obiisse, ita tamen, ut eidem cultus *publicus* ecclesiasticus (nisi iste sit immemorialis, sc. jam tempore Urbani VIII. [1625] vigens, vel per indultum Apostolicum) non sit exhibitus;[16]) secus introductioni causae non foret locus. Indicia vero cultus *privati* minime officiunt. b) Eundem actus virtutum theologicarum et moralium heroico seu in gradu excellentissimo exhibuisse. c) Ad illius invocationem saltem duo miracula omni exceptione majora a Deo esse patrata.[17]) Ad probationem miraculorum etiam medici et rerum physicarum periti in consilium adhibentur. Post beatificationem decretam ad canonisationem procedi non potest, nisi percrebescente et continuante fama sanctitatis, devotione, cultu populorum, et superventu novorum miraculorum, saltem duorum.[18])

Quoad oratoria privata.

5. Jus concedendi erectionem *oratorii privati* eum in finem, ut inibi Missa celebretur. Hanc potestatem episcopis a Tridentino ablatam fuisse,[19]) plures s. C. C. decisiones declararunt, eamque solis Rom. Pontificibus reservatam esse, ex pluribus eorum constitutionibus[20]) manifeste apparet. Neque ulla ratione prodesse potest contraria quaecumque observantia vel consuetudo; id quod hodie a s. C. C. constanter tenetur[21]) et a totius Orbis episcopis

[16]) Urbanus VIII. in cit. Constit. prohibuit, ne cui, licet in fama sanctitatis defuncto, antequam fuerit beatificatus, signa cultus *publici* exhibeantur, sc. ne imagines talium cum radiis et diademate in signum gloriae pingantur, neve hujusmodi imagines in ecclesiis et oratoriis sive publicis sive privatis ponantur; item ne ad eorum sepulchrum imagines, luminaria aut alia venerationis signa oculis exhibeantur. Licet autem hujusmodi signa in grati animi contestationem in sacrista aut alio loco privato asservari. *Bangen* l. c. p. 229. Acta s. S. II. p. 266.

[17]) Gregor. IX. in canonis. S. Antonii Patavini (Constit. «Cum dicat Dominus» Bullar. tom. I. § 3): «Ut aliquis», inquit, «sanctus habeatur apud homines in ecclesia militante, duo sunt necessaria: *virtus morum* et *veritas signorum* . . . cum merita sancta praecedunt miracula, certum praebent judicium sanctitatis, ut nos ad illius venerationem inducant, quem Deus ex meritis praecedentibus et signis subsequentibus exhibet venerandum.

[18]) Vid. (praeter laud. opus Benedicti XIV.) *Schmalzgr.* lib. III. tit. 45; *Matthaeucci:* Officialis curiae eccles. Venet. 1744 cap. 47, p. 359; *Bangen* l. c. p. 208. Acta II. 477. III. 264. 269.

[19]) Sess. XXII. de observ. et evit. in celebr. Missae.

[20]) Paul V. (1615); Clemens XI. (1703); Bened. XIV. (1751 «Magno animi nostri»).

[21]) S. C. C. in Monasterien. 23. Jan. 1847. ap. *Bangen* l. c. p. 519. Sed in alia Monasterien. (5. Apr. 1851) ita habetur: «Quoad loca pia et religiosas domos vel pro spiritualibus exercitiis erectas cum approbatione Ordinarii, vel publica sine ea approbatione, episcopum non indigere facultatibus pro concedenda licentia Sacrum in iis peragendi.» Ibid. Cfr. *Moy* Archiv tom. III. p. 501 seq. Linzer Quart.-Schrift 1881 p. 684; S. C. C. 7. Jul. 1855 decrevit episcopum quidem posse concedere facultatem celebrandi, si magnae et urgentes adsint causae et per modum actus tantum, sed ex aliis ejusdem S. C. C. decisionibus patet, ejusmodi causas rarissime admitti tanquam urgentes. Acta s. S. VII. p. 648 et 656. Caetera de oratoriis vide infra § 204.

observatur, qui ejusmodi licentias vix unquam concedere se posse existimant.

§ 102. III. Jura Pontificis respectu s. imperii. 1. Jus supremae inspectionis.

Inter jura, quae s. imperium respiciunt, primum omnium est jus *inspectionis*. — Cum nimirum summus Pontifex suae sollicitudinis et vigilantiae curam haud valeat personaliter in qualibet mundi parte exercere, certa media eidem suppetant necesse est, ut de omnibus illis rebus certior reddatur, quas ad animarum salutem procurandam necessario eundem rescire oportet. Quod duplici ratione fieri potest: vel destinando legatos ad diversas provincias et regna, qui eum de rebus gravioribus certiorem faciant, vel relationes capiendo ab episcopis in diversis regionibus constitutis. Heic de posteriore duntaxat medio, scil. de *jure relationum*, dicendum est.

Duplex ratio inspiciendi.

Jus relationes recipiendi.

Jus relationum Sedi apostol. competere, omnis retro agnovit antiquitas. Siquidem res gravioris momenti nunquam non deferri consueverant ad summ. Pontificem, sic, ut s. Cyrillus causam Nestorii deferens ad P. Coelestinum scribere merito potuerit: «Longa ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res cum Sanctitate tua communicentur.»[1]) Consequente aetate cunctis Ordinariis certa et definita obligatio imposita est, ejusmodi relationes de statu suae cujusque dioecesis faciendi. Nimirum Sixtus V.[2]) et postmodum Bened. XIV.[3]) episcopis praeceperunt, ut statis temporibus limina (basilicas) Apostolorum visitarent ipsumque Pontificem adirent, et hac occasione de statu ecclesiarum suarum scripto referrent. Igitur omnes Ordinarii, quacumque dignitate fulgentes, ac etiam praelati jurisdictionem quasiepiscopalem habentes, pro majori aut minori ab Urbe distantia quovis *tertio, quarto, quinto decimo*[4]) anno ad hoc debitum visitationis et relationis adstrin-

---

[1]) Apud *Coustant* col. 1806. — *Devoti* Instit. I. p. 118 et tom. IV. p. 59. *Soglia* l. c. p. 147.

[2]) Constit. «Rom. Pontifex» 20. Dec. 1585. Bullar. tom. II. p. 551.

[3]) Constit. «Quod sancta.» 23. Nov. 1740.

[4]) *Triennium* constitutum est pro episcopis Italiae et insularum adjacentium, Dalmatiae et Graeciae; *quadriennium* pro episcopis Galliae, Germaniae, Hispaniae, Portugalliae, Belgii, Bohemiae, Hungariae, Angliae, ed Scotiae; *quinquennium* pro ceteris episcopis Europae, Africae septentrionalis, et insularum citra Americam sitarum; *decennium* pro omnibus reliquis totius Orbis episcopis. Cfr. *opus: Lucidi* de visit. liminum. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 6. — Ib. n. 4. refertur, episcopis Hiberniae ob paupertatem decem annos esse constitutos: n. 5 ad hoc etiam episcopi coadjutores et titulares adstringi dicuntur (his ultimis id praecipitur in Bulla praeconisationis). Juxta cit. Constit. «Quod sancta» praelali *nullius* (cum separato territorio) quovis tertio anno, si sint in Italia, singulis autem quinquennis extra Italiam ss. limina visitare tenentur.

guntur.[5]) Id se facturos, juramento illo pollicentur, quo in sui muneris ingressu sese erga Pontificem obstringunt (§ 77. 2). Quodsi ipsimet Ordinarii legitimo impedimento detenti personaliter comparere non possunt, dictum officium per certum nuntium in dignitate eccles. constitutum, ad id speciale mandatum habentem, adimplere tenentur. Caeterum relatio ad certa quaedam et definita capita excurrere et statum dioecesis tum materialem tum formalem accurate exhibere debet.

§ 103. 2. Jura cum potestate Pontificis legislativa cohaerentia.

Jus 1. Leges ferendi.

1. Jus *ferendi leges* universam ecclesiam obligantes sequitur a. ex natura regiminis monarchici et ex indole primatus jurisdictionis; b. ex praxi ecclesiae, quae docet, Pontifices jam ab antiquissimis ecclesiae saeculis potestatem legislativam exercuisse suisque decretis parendi obligationem asseruisse.[1]) Porro cum jure legis condendi cohaeret

2. Canones urgendi.

2. jus legum conditarum vigorem tuendi seu, uti dicitur, jus *canones urgendi.* Videlicet spectat ad Rom. Pontifices, cum canonum custodes,[2]) vindices et executores supremi existant, ut legum eccles. observantiam procurent, refractarios quoscumque poenis afficiant et in pervicaces ecclesiae hostes gladio excommunicationis animadvertant. Ejus rei argumentum antiquissimum praebuit

---

[5]) Viget tamen praxis tacito Sedis apost. consensu adprobata, ut episcopi ab Urbe procul remoti occasione supplicationis, qua facultates quinquennales expleto quinquennio sibi denuo prolongari expetunt, hujuscemodi relationem scripto faciant, ita tamen, ut semel saltem, dum munere episcopali funguntur, limina Apostolorum visitent.

[6]) Instructio Benedicti XIV. pro s. C. C. *(Richter* Conc. Trid. p. 614) et ejusd. Constit. «Decet» 23. Nov. 1740. — *Bangen* l. c. p. 177 et 522. — Bened. XIV. l. c. c. 7. seq.

[1]) Victor I. (196) super Asiae ecclesias potestatem legislativam sibi attribuit. *Euseb.* hist. eccl. lib. 5. c. 23 seq.; *Siricius* P. (392) vetat, ne haeretici ad veram fidem conversi rebaptizentur, eoquod praedecessoris (Liberii) *generalia decreta* id *prohibeant. Coustant* epist. Rom. Pont. col. 624; *S. Leo* in epistola (Ep. 4. edit. *Ballerini* col. 616) ad episcopos Campaniae, Etruriae, Piceni et omnium provinciarum missa eidem depositionem et excommunicationem comminatur, si ea quae in dicta epistola sunt constituta, neglexerint, addens tandem generaliter: «Omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum sunt promulgata disciplinis, ita a vestra dilectione, custodiri mandamus, ut, siquis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari.» Cfr. c. 6. C. 25. qu. 1. et «Auctorem fidei» Prop. IV.

[2]) «Defensores et custodes canonum sumus», inquit jam Martin. I. (Cfr. cit. Caus. 25.)

Victor I., qui, cum saeculo 2. ecclesias Asiae excommunicare vellet, nonnisi s. Irenaei precibus, quominus id faceret, retrahi potuit.[3])

3. Leges abrogandi.

3. Jus *leges universales abrogandi* vel eis *derogandi.* Extra dubium est, leges *pontificias* a quocumque legitimo in Primatu successore *de jure* immutari posse. Hoc tum ex eo consequitur, quod quivis Pontifex parem cum praedecessore potestatem habet ideoque ejusdem legibus ligari nequit,[4]) tum etiam innumeris exemplis, quae in C. J. C. et in Bullario deprehunduntur, comprobatur.[5]) At pariter indubium est, decreta quoque *conciliorum generalium* a Papa immutari et abrogari posse. Nam 1. quia horum conciliorum decreta a Pontificum confirmatione robur et firmitatem, obtinent, procul dubio ab eisdem rescindi aut immutari possunt, propterea quod eorundem valor tacitae conditioni adstringitur: *Nisi auctoritas Romanae ecclesiae aliter imperaverit.* Imo 2. concilia, ac praesertim Tridentinum, etiam expresse suas leges hac restrictione limitarunt: *Salva tamen auctoritate Sedis apostolicae.*[6]) Idem 3. continua Rom. Pontificum praxis et assertio, cui nemo catholicus hodie repugnat, clare evincit. Nam conciliorum tum antiquiorum tum Tridentini decretis per Pontifices haud semel derogatum fuisse, omnes norunt; et Pontifices constanter edixerunt, se omnia jura *in scrinio sui pectoris habere,* seque *supra canones* seu *supra jus canonicum* esse.[7])

4. Privilegia et dispensationes concedendi.

4. Eodem fundamento innititur jus Pontificis, *privilegia et dispensationes concedendi.* Nam qui legem universalem abrogare valet, is certo tanto magis eandem legem in casu particulari re-

[3]) S. Irenaeus jus excommunicandi Papae haud abjudicavit, sed tantum usum dissuasit ex regulis prudentiae.

[4]) C. 20. X. de elect. (I. 6), ubi Innoc. III. super canone in Conc. Later. ab Alex. III. edito, in quo electio illegitime genitorum pro nulla declaratur, in casu singulari dispensat, subjungens: «Cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte praejudicium generari, pari post eum, imo eadem potestate functuris, quum non habeat imperium par in parem.

[5]) Vid. *Schulte:* Die Lehre v. d. Quellen d. kath. K.-R. Giessen 1860. p. 86. not. 4, ubi exempla congeruntur, Constitutiones priorum Pontificum ab eorum successoribus esse mutatas. Cfr. etiam *Bouix:* de jure Regularium. t. I. p. 326.

[6]) Conc. Trid. Sess. XXV. de ref. c. 21. Idem prorsus elucet ex ejusd. Sess. decretis de indulgentiis (continuatio decr.), de indice librorum prohib., de recipiendis et observandis decretis concilii, ita, ut jus in ecclesia desuper vigens his solis sit evictum. *Schulte* l. c. p. 53. — Eadem principia continet *dictum Gratiani* ad c. 16. C. 25. qu. 1.

[7]) C. 1. in VI. (I. 2). «Licet Rom. Pontifex, qui *jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere* . . . (Bonif. VIII.); c. 4. X. (III. 8) . . . «qui *secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.*» (Innoc. III., Bened. XIV.) «Magnae nobis.» 29. Jun. 1748. «Rom. autem Pontifex est *supra jus canonicum.*» Bullar. Bened. XIV. tom. II. p. 416.

laxare vel etiam certis personis aut dignitatibus specialem favorem praeter aut contra legem permanenter concedere potest. Jam vero relaxatio legis in causa particulari dispensatio dicitur, constitutio vero principis supremi, gratiam specialem contra vel praeter jus alicui concedens, privilegium nuncupatur.[8]) Idcirco Pontifex Rom. merito summus in ecclesia privilegiator et dispensator dici potest.[9]) In specie jus dispensandi in legibus ecclesiae universalibus et etiam in capitibus disciplinae a conciliis constitutae, Rom. Pontifici competere, ex usu vetustissimo,[10]) ex ipsius Concilii Basileensis decretis et ex omnium Catholicorum consensu luculenter evincitur. Quin et ipse Febronius hanc potestatem Rom. Pontificibus non negat, quamvis in eo fallatur, ut eam ex mera ecclesiae indulgentia et concessione deducat.[11]) Etenim qui vi sui primatus conciliis ipsis generalibus superior est, non aliena et quasi precaria, sed sua auctoritate in eorum canonibus dispensat.[12]) — Quoad modum impertiendi dispensationes, a Tridentino[13]) sapientissime sancitum est, ut in earum executione etiam episcoporum auctoritas interveniat. Et per hanc praxim illa commoda obtinentur, quae redundarent, si dispensandi potestas penes episcopos esset.

§ 104. 3. Potestas Rom. Pontificis judiciaria.

1. *Jus componendi et decidendi causas majores.* Nimirum illae causae dicuntur majores, quae vel per se gravioris momenti sunt, eoquod fidem aut disciplinam universalis ecclesiae respiciant, vel quae valde dubiae aut arduae quod executionem existunt, vel denique quae pertinent ad personas in sublimitate constitutas. Ejusmodi *majores causas ad Sedem apostol. referri, solemnis ecclesiae mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.*[1]) Innumera sunt testimonia et antiquitatis

Causae majores in prima instantia.

[8]) De dispensatione et privilegio vide infra §§ 210, 211.

[9]) c. 8. C. 9. qu. 3; — c. 3. X. (V. 33); c. 10. in VI. (V. 7).

[10]) Ejus rei in Leonis M. epistolis multa prostant exempla, v. gr. epist. 12. ed. *Baller.* col. 664; ep. 135. Cfr. Antifebronius vindicatus tom. III. c. 2. § V.

[11]) tom. I. c. 2. § 4. n. 7.

[12]) Episcopi, utpote inferiores, in legibus superiorum dispensare nequeunt. Vid. cit. Breve «Magnae nobis», ubi Pontifex ita prosequitur: «At quilibet episcopus eo jure (canonico) inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit.» — Pius VI. in Brevi ad archiep. Colon.: «Si jus esset episcopis, relaxare legem ab ecclesia potestate constitutam et ubique in catholicis ditionibus receptam, tota everteretur ecclesiae disciplina, caput subjiceretur membris, ac proinde actum esset de eccles. hierarchia divinitus instituta.»

[13]) Sess. XXII. de ref. c. 5. «Dispensationes quacumque auctoritate concedendae, si extra Rom. curiam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint.»

[1]) Epistola episcoporum Galliae ad Innoc. X. (a. 1653) ap. Antifebron. l. c. p. 292. Glossator decretal. 18 causas majores enumerat.

monumenta[2]) et ex historia eccles. certissima exempla,[3]) graviora negotia et *omnia, quae possunt aliquam recipere dubitationem,* ad summam Sedem *in prima* jam instantia delata ejusque judicio semper causas majores reservatas esse. Ad causas majores (praeter negotia graviora quomodocumque emergentia) pertinent confirmationes, translationes, depositiones et resignationes episcoporum, majorum beneficiorum erectiones, coactio synodorum generalium, ordinum religiosorum adprobatio ac suppressio et alia, de quibus vel statim vel alio in loco dicetur.

Appellationes.

2. *Jus recipiendi appellationes de universa ecclesia.* Quemadmodum princeps in civili republica omnium, quos subjectos sibi habet, recipit appellationes jure potestatis et imperii sui; pari jure summus Pontifex omnes recipit appellationes, quae propter res vel personas ex Orbe christiano ad ipsum deferuntur. Itaque jus appellationum, ait cl. Devoti, non extrinsecus accessit summo Pontifici, sed affixum et insitum est in ipso primatu atque in jurisdictione, quae hujus primatus divina institutione propria est. Plane se deridendos praebent, qui jus appellationum a falsis Isidori decretalibus ducendum esse arbitrantur. Etenim isthoc jus tribus Concilii Sardicensis canonibus et plurimis antiquissimae aetatis exemplis,[4]) quae totidem pro existentia primatus sunt argumenta, comprobatur. Inepte obmovent, olim metropolitis et patriarchis jus appellationum concessum fuisse. Sit ita sane; sed numquid potestas conciliis et patriarchis tacito et praesumto summi Pontificis consensu collata eidem eripere potuit jus, quod a Christo habet? Quin potius dicendum, cum etiam jus appellationum metropolitis et patriarchis datum est, Sedem apostol. semper, quam habuit ab initio, potestatem retinuisse, eamque citra ullius injuriam jus primitivum denuo sibi assumere potuisse. — Caeterum Papa causas appellationum vel ipse cognoscere vel appellantibus judices in partibus dare potest, qui nomine ipsius in loco, unde appellatur, rem cognoscant et sententiam ferant. Ex decreto Concilii Trident.[5]) in

---

[2]) Innoc. I. epist. 2. ad Vitric. «Si majores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem apostol., sicut *synodus* (sc. Sardicensis) statuit ac beata *consuetudo* exigit, post episcopale judicium referantur.» Alia testimonia vide apud *Devoti:* Inst. tom. 4. p. 58 in Antifebronio.

[3]) Huc spectant, quae de Irenaeo, de Dionisio Alex., de patribus Concilii Antiocheni, qui propter errores Montani et Sabellianorum Sedis apost. judicium postularunt, refert Eusebius hist. eccles. l. V. c. 3. 4. et l. VII. c. 5. 26.

[4]) Ita s. Athanasius ad P. Julium, s. Chrysostomus ad Innoc. I., Flavianus Cstptanus et Theodoretus Cyranus ad Leonem M. appellarunt. Vid. *Devoti* tom. III. tit. de appellat, p. 222 seq. — S. Bernardus l. 30. c. 2. de consid. ad Eugenium: «Appellatur, inquit, de toto mundo ad te. Id quidem in testimonium singularis Primatus tui.»

[5]) Sess. XXV. de ref. c. 10. — c. 11. de rescr. in VI. (I. 3).

singulis conciliis provincialibus seu dioecesanis aliquot personae idoneae (qui dicuntur *judices in partibus,* seu *judices synodales)* designari debent, quibus hujusmodi appellationes in partibus delegandae committantur.

§ 105. 4. Alia jura cum summa ligandi et solvendi potestate connexa.

Ex potestate clavium divinitus sibi commissa non tantum leges dare aut solvere valet Pontifex, sed alia quoque onera relaxare et ex adverso inferiorum praesulum jurisdictionem ad arctiores limites restringere potest. — Huc spectat

Jus relaxandi vota.

1. *jus omnia vota solemnia et quaedam simplicia relaxandi.* Haec relaxatio seu dispensatio nil aliud est, nisi obligationis per votum inductae Dei nomine facta remissio. Potest Pontifex dispensare omnes fideles et in omnibus votis ex generalissima potestate ligandi et solvendi sibi tradita. Sed quaedam vota ipsi soli reservata sunt, et haec sunt: vota solemnia in religione adprobata emissa, at quinque vota simplicia, nempe plenae et perfectae castitatis, ingrediendi religionem, et peregrinandi in terram sanctam, Romam ad limina Apostolorum et Compostellam ad s. Jacobum. Ut autem reservata sint, debent in suo genere esse perfecta. Imperfecta, ideoque non reservata sunt, quando a) pars tantum voto promittitur, prout est votum non nubendi vel servandi castitatem ad tempus; b) quando disjunctive *vel* castitas, *vel* ingressus religionis, *vel* susceptio Ordinis etc. promittitur. c) Vota conditionata, saltem conditione adhuc pendente, pariter sunt imperfecta proindeque haud reservata. Imo probabilius dicendum, hujusmodi vota, si emissa sint sub conditione in futurum pendente et contingente, licet illa eveniat, reservata non esse. d) Quando dubium est, an votum sit reservatum. e) Vota impuberum pariter sunt imperfecta. — Plura vide apud theologos morales.

Jus elargiend indulgentias

2. *Jus elargiendi indulgentias plenarias* in solo Pontifice Rom. residet, quia est inexhausti thesauri ecclesiae dispensator, ut ait Bened. XIV.[1]) Jure suo Pontifices, pro suprema potestate in universa ecclesia sibi tradita, plenarias indulgentias sibi reservarunt, ac tantum partiales episcopis permiserunt; et vero ab episcopis in ecclesiae dedicatione unius anni, in anniversario dedicationis 40 dierum indulgentia tribuitur. Jure extraordinario et delegato etiam presbyteri indulgentias elargiuntur; quin etiam interdum vicariis apostolicis vel episcopis indulgentias plenarias summus Pontifex elargiri permittit.

---

[1]) Constit. «Ad Romanum.» 15. Mart. 1751. Bullar. ed. cit t. XVIII. p. 192.

Jus mutandi pias voluntates.

3. *Jus pias voluntates mutandi* et in specie *Missarum onera reducendi.* Si proventus a piis fundatoribus ecclesiae relicti insufficientes sint facti, etiam onera diminui aequitas postulat. Verumtamen hoc non sine eccles. potestatis interventu fieri potest, propterea quod ex piorum legatorum receptione exoritur quasi contractus inter ecclesiam et benefactorem, quo ecclesia obligationem perpetuam assumit administrandi bona relicta, et satisfaciendi piae voluntati. Quare obligatio celebrandi Missas ex eo non statim cessat, quod proventus ex fundatione sunt attenuati. Sed tamen reditus imminuti possunt exhibere causam reductionis obtinendae ab Apostolica Sede, ad quam ista potestas ex eo potissimum deducta est, quia de jure tertii atque de operibus piis agitur.[2]) Equidem Concil. Trident.[3]) episcopis in synodo dioecesana, necnon abbatibus et generalibus ordinum in capitulis generalibus Missarum onera ad minorem numerum reducendi potestatem impertivit. Sed istam facultatem, qua plerique episcopi usi sunt, revocavit et ad Sedem apostol. avocavit Urbanus VIII.[4]) Nihilominus tamen subsecuti Pontifices fere omnibus regularibus privilegium concesserunt, ut eorum Generales, nonnullis servatis regulis, possent in sua quisque religione onera Missarum antea a fundatoribus relicta. et acceptata moderari. Eadem facultas facta fuit a Bened. XIII. omnibus episcopis, qui interfuerant Concilio Romano anno 1725, et deinceps aliis quoque communicata est. Est vero hujus facultatis tenor, a) ut reductio fiat ad stipendium manuale, b) ut vere pauperes a praeteritis omissionibus absolvantur. Pro obtinendis aliis facultatibus, quae non continentur in Bened. XIII. indulto, e. gr. pro facultate imminuendi Missas jam semel reductas, ad s. C. C. recurrendum est, cui hujusmodi facultates concedendi a summo Pontifice facta est potestas.[5]) Notandum tamen (prout

[2]) C. 2. Clem. (III. 11). Ad hujus decretalis verba: «Sedis apostolicae» glossa observat: Nota, per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum, quae per fideles donata sunt vel relicta. Acta III. 420. IV. 212.

[3]) Sess. XXV. c. 4. de ref., cfr. XXII. c. 6. de ref.

[4]) S. C. C. 21. Jun. 1625. § 3. Bullar. cit. tom. V. p. 89. Hoc decretum refertur etiam in Conc. Trid. a *Richter* et *Schulte* edito p. 141 sub titulo lectu dignissimo: De Missarum reductione, translatione et absolutione. Bened. XIV. de Syn. dioec. L. 13. c. ult. n. 17. — Si tamen in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo injunctum onus reducere et moderari, legem hanc fundationis validam esse censuit s. C. C. in eodem decreto in resolut. ad dubium I. Idem dicendum, si onera Missarum non sint perpetua.

[5]) Vide has facultates apud *Bangen* l. c. p. 494. n. 6—10, et 19—22. En exemplar ejusmodi facultatis ad quinquennium concessae. Beatissime Pater! . . . Eppus Orator Tuam Sanctitatem positus rogat, ut, quam facultatem suo Praedecessori b. m. S. Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Congregationis Rescripto d. 20. Apl. ann. 1880 clementer tribuisti, eandem ipsi quoque impertiri digneris, scilicet: missas fundatas usque ad tertiam partem

observat Bened. XIV.), memoratam facultatem circumscriptam esse ad Missas tantum, neque protendi ad reliqua pia legata piasque dispositiones inter vivos, quibus e. gr. eleemosynas pauperibus distribui aut inopes virgines dotari praecipitur.[6]) Neque potest episcopus ex jure proprio commutare ultimas voluntates aut usum eorum alterare, quae per fideles donata sunt vel relicta, aut bona unius ecclesiae in alteram, etiam inopem, transferre absque beneplacito Apostolico.[7])

Jus casuum reservandorum.

4. *Jus absolutionum a certis peccatis et censuris sibi reservandi.* Salubriter institutum est in ecclesia, ut graviora quaedam crimina non a quibusvis sacerdotibus, neque ab ipsis episcopis, sed a summo Pontifice tantum dimitti queant.[8]) Quia tamen numerus casuum Pontifici reservatorum temporis tractu haud parum increvit, episcopis in hac re quasdam facultates concedi opportunum videbatur,[9]) alias perpetuas, alias ad tempus in vim specialis indulti.[10])

Jus adprobandi ordines religiosas.

5. *Jus approbandi ordines regulares* non ex jure tantum positivo (vide infra de statu religioso § 134 seq.), verum etiam jure proprio et nativo ad Summum Pontificem pertinere videtur. Etenim approbatio religionum, utpote quae salutem animae tangit, manifeste ad causas majores spectat, eaque deficiente religiones neque

exclusive ad Quinquennium reducendi, ita quidem, ut tertia missarum pars persolutioni obnoxia relinqueretur. Et Deus ctr.

S. Cong. 27. Jann. 1885 respondit: Santissimus Dominus Noster Leo *divina providentia* Papa XIII., referente me infrascripto Secretario S. Congregationis Negotiis Eccles. extraord. praepositae, attentis expositis et peculiaribus circumstantiis animum suum moventibus, R. P. D. Simoni Eppo Brixin. oratori facultatem benigne concessit reducendi ad tertiam partem, et ad Quinquennium, onera missarum illis beneficiis suae dioeceseos inhaerentia, quibus animarum cura incumbit, et quorum reditus judicio ipsius congruam sustentationem rectoribus non suppeditant, exceptis tamen ab hac reductione missis pro populo; super quibus Sanctitas sua oneratam voluit praefati Eppi oratoris conscientiam . . . — (Datum Romae a Secretaria ejusdem d. Cong. . . .)

[6]) Cfr. De syn. dioec. l. XIII. c. ult. et l. V. c. 10. n. 1. seq.

[7]) S. C. C. declaratio in *Arianen.* 7. Febr. 1733 et resp. 11. Jul. 1712 ap. *Richter,* Conc. Trid. p. 161 et 162.

[8]) Conc. Trid. Sess. XIV. de poenit c. 7: «Merito Pontifices maximi pro summa potestate sibi in ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare . . . Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.» — Bened. XIV. de syn. dioec. l. V. c. 4. n. 1: «Posse summos ecclesiarum antistites multoque magis omnium supremum, Romanum Pontificem, inferiorum sacerdotum jurisdictionem ita coarctare, ut a quibusvis gravioribus culpis, quas sibi suoque judicio relaxandas reservant, ne in foro conscientiae quidem et coram Deo illi absolvere valeant, *catholicum dogma est.*»

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 6.

[10]) Vide facultates triennales pro foro interno I—VII.

securitatem haberent, neque immobilitatem; possint enim errores, vel saltem regulae ad perfectionem minus aptae, in statutis contineri, et facile possent ob mobilitatem et varietatem regularum monasteria dissolvi.

Jus exemtionum.

6. *Jus religiosos ordines,* corpora et instituta eccles. a jurisdictione episcoporum *eximendi.* Nimirum sicut episcoporum jurisdictioni quaedam materiae seu casus conscientiae a Papa subtrahi possunt, haud minus eidem licet certa territoria vel personas ab episcoporum potestate liberare suaeque subdere jurisdictioni.[11]) Licet enim in ecclesia *regulariter* servetur, ut subditi suo proximo superiori quoad omnia subjiciantur, tamen nihil obstat, quominus iidem ex causis rationabilibus a subjectione sub suo proximo superiore eximantur et altioris antistitis potestati immediate subjiciantur. Variis autem motivis Pontifices impulsi sunt, ut exemtiones frequenter concederent. Voluerunt hoc privilegio monasteria aliaque instituta ab injustis episcoporum vexationibus et exactionibus tueri: voluerunt regulares aliosque ad centrum ecclesiae fortius alligare, et hac ratione primatus auctoritatem firmare eodem plane modo, quo Imperatores civitates et nobiles a potestate dominorum territorialium eximere et immediate suo imperio subjicere consueverant. Voluerunt denique corporibus exemtis quemdam splendorem conferre et disciplinae regulari et unitati religiosae per hoc consulere, ut exemti religiosi, omni episcoporum influxu remoto, immediate summi Pontificis inspectioni ac potestati subessent.[12])

§ 106. Jura Pontificis relate ad beneficia et bona ecclesiastica.

Pontifex Rom., qui est vicarius Christi totamque in sua persona quodammodo repraesentat ecclesiam, intuitu beneficiorum et bonorum Dei servitio addictorum singularia habet jura. Etsi quidem is ipse eorundem bonorum et beneficiorum dominus ac possessor haud recte a nonnullis dicatur,[1]) tamen jus ei competit, tam beneficia conferendi, quam de bonis eccles. disponendi, prout salus publica id postulat. Et hoc utrumque jus longo usu et totius ecclesiae adprobatione firmatum est et consecratum. Igitur

Jus beneficia conferendi,

1. ad beneficia quod attinet, in Jure exprimitur, summum Pontificem potestatem habere, omnia totius ecclesiae beneficia con-

[11]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. V. c. 7. n. 6: «Rom. Pontifex potest quamlibet ecclesiam et beneficium ab episcopi jurisdictione totaliter subtrahere.»

[12]) Vide de exemtionibus infra § 119.

[1]) Vide tractatum de bonis ecclesiae § 222.

ferendi,[2]) quia ipse est Ordinarius omnium Ordinariorum, habens concurrentem jurisdictionem cum omnibus ecclesiae praelatis.[3]) Hujus quidem juris usus frequentissimus medio aevo, praesertim posteriore, invaluit ita, ut episcoporum potestas circa hanc rem haud parum restricta fuerit. Quatuor modis jus isthoc a Pontifice in exitum dari solitum est: a) per *cumulativam collationem* cum episcopis, seu per modum *praeventionis*, sic nempe, ut vel Papa vel episcopus beneficium conferret, prout hic vel ille prior vacaturam cognoverat. Cum tamen ex hac comulativa collatione haud raro confusiones et lites inter eos exorirentur, qui collationem unus a Papa et alter ab episcopo sibi factam ostendebant; b) id- circo a summo Pontifice, ne episcoporum praeventione collationes praecipitarentur, *exspectativae* sunt inductae, quae tamen a Conc. Trident. fere ex integro sublatae sunt (§ 81. 1). Neque etiam opus fuit, ut Pontifex per exspestativas praeventioni collationis suae consuleret; nam c) factum est, ut plurima beneficia tum per canones in C. J. existentes, tum etiam per Bullas extraordinarias, regulas cancellariae et concordata Germaniae, suae collationi *specialiter* summus Pontifex *reservaverit*,[4]) ita ut ea nullus inferior praelatus eccles. sine speciali privilegio vel commissione papali conferre valuerit, adeo quidem, ut tametsi ex ignorantia juris aut facti alius inferior collator beneficium reservatum contulisset, talis collatio irrita prorsus fuerit et nulla. Scilicet in *Corpore J.* continetur reservatio, quam Clemens IV. et Bonifacius VIII.[5]) sanxerunt, beneficiorum, quae per obitum in curia vacua fiunt, i. e. eorum, quae obtinent omnes ad rom. curiam venientes vel ab ea recedentes, si in locis curiae finitimis h. e. duorum dierum itinere

cumulative cum episcopis,

per exspectativas,

per reservationes,

[2]) C. 2. de praeb. in VI. (III. 4): Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum eccles. *plenaria dispositio* ad Rom. noscatur Pontificem pertinere, ita, quod non solum ipsa, quum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis; etc. Idem exprimitur in c. 1. Clem. (II. 5).

[3]) Secerni debet quaestio *juris* a quaestione *utilitatis*. Reservationes parum favorabiles esse, haud diffitendum est, quia, qualis sit idoneitas in persona impetrantis beneficium, Romae multoties sciri non potuit, unde ex aliorum relationibus interdum indignus commendabatur et digniori praeferebatur. Sed exinde ne a longe quidem sequitur, provisiones beneficiorum a Sede apostol. factas contra *jus fasque* accidisse.

[4]) Quemadmodum Imperatores aliique regnantes per jus *primarum precum*, uti dicebatur, durante regimine suo semel personam idoneam ad unum beneficium, in quibusdam Germanii ecclesiis vacans, nominandi facultatem habuerunt *(Schenkl* tom. II. § 440 seq.), ita etiam Pontifices inde a saec. 11. primum per *preces* clericos pro obtinendis beneficiis commendare, deinde vero per *mandata de providendo* ad Ordinarios directa praecipere solebant, ut alicui clerico de beneficio, plerumque determinato, provideretur. Praeterea Pontifices actuali provisione beneficia sibi reservata conferebant.

[5]) c. 2. *Licet* de praeb. in VI. (III. 4); eod. c. 35. *Si apostolica.* (Bonif. VIII.)

distantibus ex hac vita migraverint. Per *Extravagantes* Joann. XXII. et Benedict. XII.[6]) aliae quam plurimae, imo omnium fere beneficiorum reservationes sancitae et ob temporum illorum difficultates etiam deinceps retentae sunt. Cum tot reservationes episcopi et nationes aegre ferrent, Martinus V. in Concil. Constantiensi eas ad spatium octo mensium restrinxit,[7]) Concilium vero Basileense nonnisi supra dictam generalem beneficiorum in curia Romana vacantium reservationem integram et salvam esse voluit. At pro Germaniae territoriis concordata Viennensia plures reservationes restituerunt; item per eadem alternativa mensium inducta est, ut nempe Pontifex et ordinarius collator singulis mensibus alternando beneficiis providerent.[8]) Sed hodie materiae hujus, multum olim decantatae, de reservationibus papalibus, vix ullus est usus. Etenim post interitum S. R. Imperii et abolitos antiquos episcopatus non leges, sive universales[9]) sive particulares, antea existentes, sed potius conventiones recentiores, quas gubernia cum Sede apostolica inierunt, in hac re sunt attendendae. In Austr. Imperii concordato unica reservatio expresse statuitur.[10]) In aliis regnis pariter paucissimae nonnisi reservationes supersunt, aut omnino exole-

jure devolutionis.

verunt.[11]) — d) Ex jure *devolutionis* provisionem quandoque ad Papam pertinere, alibi jam dictum est (§ 81. 3).

Jus circa bona eccles. disponendi.

2. Tanquam supremus bonorum eccles. dispositor Rom. Pontifex privative jus habet, eadem bona in notabili quantitate alienandi, ab ecclesiis et institutis in alias ecclesias et instituta transferendi, voluntatem piorum fundatorum commutandi bonaque ab iisdem relicta in alios usus convertendi.[12]) Is porro, quia summa auctoritate ecclesiae praeest ejusdemque personam gerit, prout

---

[6]) c. 4. 13. X. vag. comm. (III. 2).

[7]) Sc. ita, ut Papa beneficia duobus prioribus cujuslibet trimestris mensibus vacantia conferret, reliqua autem Ordinarius.

[8]) Menses Pontifici specialiter reservati erant: Januarius, Martius, Majus, Julius, September et November.

[9]) Reservationes per Bullas Pontificum e. gr. Pii V. (qui 4 Bullas desuper edidit), Alexandri VI., Pauli IV. et Gregorii XIII. constitutae in Germania exitum non sunt sortitae. *Devoti* inst. tom. I. tit. V. Sect. I. § XXXI.

[10]) Artic. XXII. Cfr. § 19. not. 9. (Si tamen capitulum sit j. p. *laicis*, tunc non prima dignitas, sed secunda a Papa confertur). Et quia hujus reservationis unice fit mentio, merito supponi potest, non obstante artic. XXXIV. Concordati reliquas olim vigentes nullatenus esse resuscitatas: id quod ex praxi et ex eo elucet, quod nostro Concordato regula subest, usum et statum vigentem omni meliori modo servari oportere.

[11]) De provisione papali vide antiquiores canonistas: qui passim fuse hanc materiam pertractant, e. gr. *Engel:* Colleg. jur. can. lib. 3. tit. 5. Item *Schulte:* System § 62.

[12]) Vide declarationes et resolutiones s. C. C. apud *Richter* et *Schulte* p. 161. seq.

utile visum fuerit, detentores bonorum eccles. vel ad restitutionem cogere vel restitutionem iis condonare dominiumque concedere valet. Id quod pluries hac nostra aetate practicatum esse conspicimus.[13])

§ 107. Jura Pontificis relate ad dioeceses et episcopos.

Ex eo, quod omnium ecclesiarum sollicitudo ad summum pastorem jure nativo et intrinseco pertinet, cum Primatu certa jura quoad episcopos et Orbis christiani dioeceses connexa sunt.

1. Quoad *dioeceses* fas est Pontifici

Jus episcopatus erigendi,

a) novos *episcopatus erigere,* et suppressos *restaurare.* Equidem in *Oriente* primis ecclesiae saeculis mos fuit, ut novae sedes episcopales a patriarchis et metropolis erigerentur. In *Occidente* tamen jam pridem episcopatus et metropoles ut plurimum a summis Pontificibus (et quidem a s. Gregorii VII. aevo ad nostra usque tempora a solis Pontificibus) constituebantur, quippe qui episcopos a se ordinatos ad barbaras gentes destinarunt et sedes episcopales ab iis erectas adprobarunt.[1]) Haud negandum quidem est, lapsu temporis etiam a synodis metropolitanis aut provinciarum aliquoties episcopatus esse erectos; at haec praxis vigere non potuit, nisi accedente Romanorum praesulum adsensione. Unde tanto magis ex causis gravibus totum hoc constituendorum episcopatuum negotium ex nova disciplina illuc reverti potuit, unde discesserat, hodieque unice residet penes sedem Apostolicam. — Novae erectioni suppar est restitutio sedium episcopalium quomodocumque suppressarum seu extinctarum, vel hierarchiae ordinariorum episcoporum resuscitatio.[2])

---

[13]) Concord. Galliae 1801. art. XII.: Sanctitas Sua pro pacis bono felicique religionis restitutione declarat, eos, qui bona ecclesiae alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque a se neque a Rom. Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorundem bonorum, reditus et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes. — XXXIII. Concord. Austr. Pontifex permittit, ut sublatarum decimarum loco aliae dotes viris ecclesiasticis assignentur.

[1]) c. 11. D. 11. (Innoc. I. epist. 25): «Praesertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam insulasque interjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacerdotes.» *Philipps* K.-R. tom. 5. § 219. — Antifebron. vindicatus tom. 3. dissert. 7. c. 3.

[2]) Pii IX. Constit. «Universalis» 20. Sept. 1850: «De plenitudine Apostolicae nostrae potestatis constituimus, atque decernimus, ut in regno *Angliae* refloreat juxta communes ecclesiae regulas hierarchia ordinariorum episcoporum.» Idem in regno Bataviae a. 1853, a. 1858 in Scotia (p. 144) et a. 1881 in Bosna et Herzegovina Lit. apost. d. 5. Jul. perfectum est. Cfr. *Soglia* l. c. p. 84—98.

Jus statum dioecesium immutandi.

b) Cum jure praedicto connexa est facultas, varias mutationes circa statum dioecesium inducendi. Siquidem fas est Pontifici aut unum episcopatum distrahere in plures, aut ex pluribus conficere unum.[3]) Eodem jure potest dioeceses novis limitibus circumscribere, quin et omnes regni alicujus episcopatus cum suis privilegiis, legibus et finibus omnino supprimere aliosque cum nova circumscriptione erigere.[4]) Denique Pontifex potest jus metropoliticum uni sedi auferri, alteri tribuere.[5]) Et hos quidem actus etiam sine consensu episcoporum, quorum interest, perficere valet, etsi eosdem vocare et sententiam eorum exquirere soleat. — In nostro Concordato jus novas dioeceses erigendi novasque earum circumscriptiones peragendi Sedi apostol. articulo XVIII. diserte asseritur, sed non sine civilis gubernii interventu. Etsi nimirum ex jure intrinseco solius ecclesiae est, hujusmodi mutationes perficere, ea tamen nunquam non attendere assolet, quid salus reipublicae civilis postulet.

2. Summo Pontifici jus competit *episcopos*

Jus episcopos constituendi.

a) instituendi, confirmandi et *consecrandi.* Probatur 1. ex Concilio Trid. (Sess. XXIII. can. 8): «Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Rom. Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, an. sit.» Igitur ex hoc canone, qui est dogmaticus et generalis quoad loca et tempora, intelligimus, Rom. Pontificis propriam esse summam potestatem constituendi ubique episcopos, qui legitimi et veri pastores sint, et habere omnino debeant. Confirmatur 2. ex praxi ecclesiae. Siquidem provisio ecclesiarium cathedralium jam pridem vel immediate a Sede apost. fieri solebat, vel ea connivente etiam ad patriarchas, metropolitas et concilia provinc. pertinebat. Sed per hoc, quod lege eccles. et cum Pontificis consensu quaedam jura ad sedes inferiores detracta sunt, jus Sedis apost. nullatenus imminutum est. Unde haud mirum est, quod Pontifices vel in Orientis episcopis creandis saepius intervenisse leguntur. Id tanto magis in Occidente locum habuit, ubi cum jure episcopatus erigendi etiam jus eisdem pastores praeficiendi indivulso nexu conjunctum erat. Verum quum etiam in regionibus Occidentis jus creandi episcopos ad concilia provincialia devenisset, indignorum

---

[3]) Vide superius dicta de beneficiorum innovatione (§ 80).

[4]) Id e. gr. in Gallia per Concord. 15. Jul. 1801 (artic. II.) perfectum est.

[5]) «Plenitudo siquidem potestatis super universas Orbis ecclesias singulari praerogativa Apostolicae sedi donata est ... Potest, si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt; potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de episcopis creare archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit.» S. Bernard. epist. 131. (ad Mediolanenses).

pastorum electionibus Sedes Rom, eo remedio occurrendum esse censuit, ut cathedralium ecclesiarum provisionem specialiter sibi reservaret.[6]) Et quum, hoc non obstante, cursu temporis designatio episcoporum vel ad capitula vel ad principes regnantes transiisset, Pontifices suo juri in eo consulere studuerunt, ut confirmationem totius Orbis episcoporum sibi reservarent, qua pastores electos vel nominatos canonice instituunt, et quidem plenarie tum in spiritualibus tum in temporalibus.

Jus episcopos transferendi et destituendi,

b) Jus *episcopos transferendi,* propter crimina *deponendi,* eorumque *resignationes permittendi.* «Tria haec, ait Innoc. III.,[7]) (scil. translatio, depositio, cessio) non tam constitutione canonica, quam institutione divina, soli sunt Romano Pontifici reservata.» In Syllabo (n. 51) haec sententia reprobatur: «Laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Rom. Pontifici in iis, quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.» Haud inficiandum, translationes, depositiones et resignationes episcoporum olim ad patriarchas, metropolitas et concilia provinc. pertinuisse. Verum propterea juri divino Pontificis nihil detractum est, praefataque jura tanto magis exolescentibus conciliis provinc. ad Sedem apostol. reverti debuerunt. Ex superius dictis (§§ 95 et 96) nemo beneficium obtinens, nedum episcopus, proprio motu sede sua cedere vel ad aliam ecclesiam transire potest, excepto Rom. Pontifice, qui propria auctoritate munere suo se abdicare valet. Et certe fortissimum est vinculum, quo episcopi ad ecclesias suas adstringuntur, ideoque ab eo solo dissolvi potest, qui illud connexit.[8]) Similiter si quis forsitan episcopus crimen gravius admiserit, ex nova disciplina solus Pontifex de ipso judicare reumque episcopatu dejiciendum pronunciare potest. Haec judiciaria et coërcitiva potestas, quam habet Pontifex in episcopos, cum jus antiquitus exercita fuisset,[9]) expresse Sedi apostol. reservata reperitur in Concilio Trident., ubi cautum est: «Causae criminales graviores contra episcopos, etiam haeresis, quod absit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur et terminentur . . . Minores vero criminales causae epis-

sive criminosos,

[6]) X. vag. comm. c. 3. (III. 2.) (Clem. V.); c. 4. (I. 3.) (Joann. XXII.); c. 13. (III. 2.) (Bened. XII).

[7]) c. 2. Inter X. (I. 7.)

[8]) Hinc falsa est Febronianorum assertio, Pontifices nonnisi per falsas decretales jus transferendi episcopus obtinuisse. Nam multo ante, quam Isidori collectio prodiret, Bonifacius I. rogatus a Corinthiis Perigenis translationem permisit. Proclus Cizici episcopus ad sedem Cstptanam auctoritate Coelestini I. transletus est. etc. *Devoti* tom. 1. p. 160.

[9]) Vide exempla Victoris I., Stephani, Cornelii, Julii I. aliorumque apud *Devoti* ibid. p. 164. edit. Rom.

coporum in concilio tantum provinc. cognoscantur et terminentur, vel a deputandis per concilium provinciale.»[10]) In nostro Concordato (artic. XIV. vers. fin.) relate ad hasce causas statuitur: «Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Caesarea, si opus fuerit, providebunt.» — At Pontifex Maximus non solum episcopos criminis reos episcopatu dejicere valet, sed etiam fas est ipsi, culpa vacuos, ut suis sedibus episcopalibus renuntient, compellere, si salus publica id exposcere videatur.[11]) In ejusmodi casu non deponit delinquentem, sed potius renuntiationem supplet.

sive insontes, etiam invitos.

Jus constituendi coadjutores etc.

c) Dandi episcopis coadjutores et suffraganeos necnon *vicarios apostol. constituendi* iis in locis, ubi ordinarii episcopi vel non sunt, vel munere suo fungi nequeunt. De his tamen personis suo loco fusius dicetur.

Jura quantum ad concilia generalia.

d) Convocandi episcopos ad concilium generale eique *praesidendi* sive in persona sive per legatos, jus *concilium prorogandi,* aut in alium locum *transferendi,* aut *dissolvendi* necnon illius *decreta confirmandi.* Jus indicendi concilia haeret in ipsa natura Primatus. «Quis enim omnes vocabit episcopos, nisi qui omnium est caput, qui omnes in unum centrum unitatis conjungit, et sine quo neque episcopi universam ecclesiam repraesentare, neque eorum decreta universae ecclesiae decreta esse possunt?»[12])

§ 108. IV. Pontificis jura honorifica et reliquae praerogativae.

1. Jura honorifica.

1. Cum tanta sit et tam praeclara summi Pontificis dignitas, ut ea nihil excellentius nihilque dignius sit in terris, eadem etiam singularibus praerogativis honorificis resplendeat oportet. Fulget autem auctoritas Sedis apost. singularibus quibusdam insignibus, titulis et reverentiae indiciis, quae Pontificibus exhiberi solent. —

a. Insignia.

a) Insignia quibus hodie Pontificis dignitas illustratur, sunt: *pedum pastorale rectum,* in summitate crucem habens, quod est symbolum muneris pastorales nomine Christi crucifixi exercendi; *tiara* seu

---

[10]) Sess. XXIV. c. 5. de ref. cfr. XIII. de ref. c. 8. et VI. de ref. c. 1. in fin.

[11]) In Concordato Galliae (n. 3.) 1801 Pius VII. episcopis, qui patria emigraverant, significavit, se omnia sacrificia ab iis exspectare, eo non excepto, ut ipsas suas sedes episcopales resignent, subjungens, si praeter exspectationem hoc sacrificium detrectaverint, fore, ut nihilominus post novam dioecesium gallicarum circumscriptionem alii pro iis pastores instituantur. Cfr. Lit. Apost. «Tam multa» d. 15. Aug. apud *Corten* «Tu es Petrus» p. 18.

[12]) *Devoti* l. c. p. 157. ed. cit. — Cum jus Pontificis convocandi concilia generalia, eisdem praesidendi etc., a theologis dogmaticis passim copiose et diligenter discutiatur, lectores ad eos remitto.

triregnum h. e. corona triplex tanquam praecipuum summi regalis sacerdotii ornamentum, qua porro mystice indicatur, in triplex Dei regnum Papae potestatem pertingere; usus *pallii*, quod solus Pontifex semper et ubique gestat, et «quod est plenitudinis officii pontificalis insigne.»[1]) — *b) Tituli et praedicata,* quibus insignitur, diversi generis sunt. Pontifex ipse se scribit *servum servorum* Dei, queni titulum humilitatis primus Gregorius M. sibi sumsit, quo tempore patriarcha Cstpanus nomen patriarchae universalis audacter sibi vindicavit. Titulus *Pontificis Maximi* a sacerdote antiquo vel a Caesaribus ethnicis, titulus *Papae* ab episcopis ad s. Sedem pertransiit. Similiter tituli: *Apostolici, domni Apostolici, Sedis apostolicae* privative Sedis Romanae proprii esse coeperunt. Demum notandus est titulus *Vicarii Christi* aut *Vicarii Petri.* — *c)* Inter reliqua indicia venerationis, Pontifici exhiberi solita, est pedum seu potius ss. reliquiarum in sandalis reconditarum osculatio. Olim reges et Caesares Papae equum ascendenti officium strepae exhibere consueverant.

b. Tituli.

c. Venerationis indicia.

2. Sed praeter Primatum aliae quoque dignitates et munera haerent in summo Pontifice. Est enim etiam *a) patriarcha Occidentis;* nam cum tantummodo in Oriente plures patriarchatus erecti essent, in Occidente jura patriarchalia Papa sibi sumsit exercenda; *b) primas Italiae,* prout et reliquae nationes suum primatem adeptae sunt; *c) metropolita provinciae Romanae.* Spectant ad provinciam Romanam omnes illi episcopatus, qui inter Capuanam et Pisanam siti nec cuidam ex aliis provinciis adscripti sunt, inter quos suburbicari eminent, verum etiam omnes archiepiscopi, qui suffraganeos non habent, necnon omnes episcopi exemti et abbates nullius dioeceseos, jurisdictionem quasi episcopalem habentes. *d) Episcopus urbis Romae* et territorii proxime eam circumjacentis. Ad suam dioecesim administrandam Papa ex collegio Cardinalium proprium vicarium generalem assumit, sat ampla potestate instructum.[2])

2. Aliae dignitates.

Patriarcha Occidentis.

Primas Italiae.

Metropolita prov. Romanae.

Episcopus Urbis.

3. Nec praetereunda est potestas temporalis seu politica, quam per tot saecula habuit in tota ditione ecclesiastica more Principium caeterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas haec est prorsus honesta, omnino legitima et inviolata, et convenientissima. Dixi: *a) Prorsus honesta.* Quamvis enim illicitum sit imperio civili adjungere sacerdotium tanquam aliquid accessorium, nulli tamen principio juris naturalis vel positivi repugnat, Romanum Pontificem simul esse regem temporalem in suis terris,

3. Dominium temporale.

---

[1]) c. 23. X. (V. 33).

[2]) *Bangen* p. 287.

sicque habere potestatem civilem, spirituali quasi adnexam.[3]) Et hoc quidem extra omnem controversiam est, ex quo Pius IX. hanc sententiam damnavit (Syll. n. 75. coll. cum n. 27.): «De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae ecclesiae filii.» — *b) Est omnino legitima ideoque inviolata.* Enimvero haec potestas ex illis jam temporibus turbulentis et calamitosis originem duxit, in quibus tum Roma tum Italia, barbarorum incursionibus afflictata omnique alio praesidio destituta, Romanum Pontificem optimum protectorem adepta est; eadem potestas vero deinceps donationibus principum roborata, per contractus onerosos ampliata, consensu populorum et praescriptione saeculorum confirmata et novissime (1815) congressus Viennensis sanctione solemniter communita est. Tam justum porro est tamque legitimum pontificium imperium, ut nemini potiora jura esse possint. Unde cum jurati religionis et ecclesiae osores nequissimis et sacrilegis ausibus Pontificis principatum usurpare et diruere hisce diebus adnisi sint (certe non alio consilio, nisi ut civili s. Sedis majestate depressa et eversa, catholicam ecclesiam facilius oppugnare queant); jam nullum jus quaesitum tutum firmumque erit inter Europae nationes, jam nulla praescriptio pro jurium securitate invocari poterit, cum jura Sedis apostolicae tot titulis firmata et millenaria praescriptione stabilita a nefariis usurpatoribus impune proculcata sint. Unde civilis Apostolicae Sedis principatus sine summa tum juris tam religionis *violatione* eripi aut imminui non potest; hinc Pius IX. laudabili consilio iterum atque iterum declaravit,[4]) «se jura possessionesque Romanae ecclesiae et s. Sedis libertatem totis viribus esse defensurum,» quemadmodum etiam dominii pontificii direptores poenis et censuris ecclesiasticis obnoxios esse pronuntiavit, actusque omnes ab iis attentatos, «illegitimos omnino et sacrilegos» esse decrevit. Quibus manifestationibus applaudentes, episcopi quoque totius Orbis enixe Pontificem rogaverunt, ut in hac constantia et firmissimo proposito maneat immobilis.[5]) — *c)* Denique haec Pon-

[3]) *Suares.* de leg. lib. 4. c. 10. n. 5: «Princeps autem eccles. non ob hunc finem (ob lucra temporalia) accipit temporalem principiutum, sed ut ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat; et ideo illud temporale ita conjunctum spirituali non est saeculare omnino, sed aliquo modo sacrum: habere igitur talem potestatem civilem simul cum spirituali contra nullam legem divinam est, vel positivam vel naturalem. Quod vero contra humanam non sit, per se notum est, nec indiget probatione.»

[4]) Alloc. «Quibus quantisque» 20. April. 1849; Epist. Encycl. 18. Jan. 1860; Alloc. 9. Jun. 1862 Praesertim huc faciunt: Literae Apost., quibus majoris Excommun. poena infligitur invasoribus et usurpatoribus aliquot provinciarium pontificiae ditionis» d. d. 26. Mart. 1860.

[5]) Cfr. praeprimis protestationem episcoporum Romae in Consistorio praesertium d. d. 2. Juni 1862.

tificis dominatio *convenientissima* est, totiusque ecclesiae commodis utilitatique egregie inservit. Ipsa siquidem Pontificibus Rom. illam libertatem et independentiam conciliat, qua in sanciendis legibus et in regenda ecclesia omnino opus habent, cuique locus vix esse potest, ubi caput et centrum ecclesiae imperio alicujus principis saecularius subjicitur.[6]) Et sane nisi Pontifices liberi et independentes, impiorum molitionibus toties impavide se opposuissent, ubique gentium jam dudum ecclesia curvata esset sub imperio saecularium potestatum, et apud omnes gentes illum profanum Caesaropapismum (prout dicitur) conspiceremus, qui rerum eccles. gubernationem sibi arrogat, sacra profanis impie commiscens. Unde si duas potestates, saecularem videlicet et sacram, in terris separatas esse velimus, in Romano Pontifice eas conjunctas exoptemus, necesse est.[7]) Praeterea possessio patrimonii s. Petri ex parte saltem subsidia illa temporalia subministrat, quibus Papa indiget ad juvandas missiones, ad sublevanda instituta toti ecclesiae inserventia et ad sustentandos magistratus, qui in regimine ecclesiae ei adsunt. Denique, ut hoc unum superaddam, cum principia religionis hodie ab omnibus fere regnantibus eorumque in gubernanda republica adjutoribus despectui habeantur et a re politica relegentur: christianae societati nihil potius, nihil antiquius esse debet, quam ut unica saltem superstes sit respublica in Orbe catholico, in qua ad normam christianae legis subditi reguntur omnesque res gubernantur.[8]) Absurda ergo meritoque proscripta est haec propositio: «Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica sedes potitur, ad ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.» Syll. n. 76.[8])

---

[6]) Const. Leonis XIII. «Immortale Dei»: «Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa *(Pontificis spiritualis)* potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.»

[7]) Hinc quamvis *regulariter* utrumque principatum, spiritualem et saecularem, in una persona conjungi haud convenit (§ 30), tamen intuitu Pontificis Rom. expediens, quinimo (nisi alia ratione ejus independentiae consulatur) necessarium est, ut duplex eidem imperium competat. «Ideo (ut quidam auctor ingeniose inquit) Romae binas potestates connexas esse oportet, ut alibi ab invicem sejunctae existere queant.»

[8]) *Orsi:* Della origine del dominio temporale e della sovranità de' Romani Pontefici. Rom. 1774. — *Philipps* K.-R. tom. 3. § 119. et tom. 5. § 244. — *Schrader,* de Unitate Romana II. p. 459—492; Stimmen aus Maria Laach fasc. IV.; *Moy,* Archiv tom. 5. p. 114.

[8]) Bellum triste, quod inter Austriacos et Gallos a. 1859 ortum est, fuit initium earum spoliationum, quae a. 1870 in occupanda Urbe consummabantur. Eodem jam anno (1859) a gubernio subalpino Ancona ad deditionem coacta et a ditione pontificia avulsa est. Bello ab Austriacis a. 1866 infeliciter gesto, et exercitu Gallico d. 11. Dec. ejusdem anni Roma profecto, no-

§ 109. De Cardinalibus.

Origo Cardinalium.

1. *Origo et numerus* Cardinalium. Principales summi Pontificis *coadjutores* et *collaterales,* necnon *corporis* ecclesiae *membra praecipua* sunt Cardinales. Hi proprie ejusdem senatum et presbyterium efficiunt, eique in universae ecclesiae regimine consilio et adjutorio sunt, eodem plane modo, quo omnes episcopi semper suum presbyterium habuere, conflatum ex presbyteris et diaconis, quorum consilio in regenda dioecesi utebantur. Ad hunc senatum Romae pertinebant illi *presbyteri,* qui insignioribus Urbis titulis seu ecclesiis praeerant; porro *7 diaconi,* qui a P. Fabio (a. 240) in variis Urbis regionibus ad pauperum et infirmorum inopiam sublevandam apud *diaconias* seu domus hospitales constituti erant. Initio non alii praeter hos presbyteros et diaconos Romae erant Cardinales, nimirum ideo hoc nomine nuncupati, quia adinstar cardinum, qui fixi sunt et immobiles, certae ecclesiae addicti seu *incardinati*[1]) erant, ad distinctionem eorum clericorum, qui nullius ecclesiae servitio stabili ratione erant adscripti. Haud negari quidem potest, nomen Cardinalium omnibus episcopis, presbyteris et diaconis certae ecclesiae adscriptis diu commune fuisse; sed Cardinales Romanae ecclesiae semper praestabant senatibus caeterarum ecclesiarum, quia illi Pontifici opem ferebant in regimine ecclesiae universae, hi vero curam gerebant peculiaris tantum ecclesiae. Supra dictis presbyteris et diaconis saeculo 9. adjuncti sunt *septem viciniores episcopi,* qui Romam adsciti sunt, ut summo Pontifici in regimini ecclesiae universae opem praeberent sc. episcopatus Ostiensis (cum Veliterno conjunctus), Portuensis (cum episcopatu s. Rufinae conjunctus), Albanus, Praenestinus, Tusculanus (Frascati) et Sabinus. Denique huic collegio *sex diaconi palatini* superadditi sunt, quibus in ecclesia Lateranensi sua munera erant obeunda. Unde saeculo 12. et 13. collegium Cardi-

---

vae seditiones, perturbationes et pugnae cum rebellibus et gubernio italico, sunt exortae, donec tandem rex subalpinus exercitum 6000 armatorum, duce Cadorna, Urbem obsessum misit, eamque die 20. Sept. 1870 vi et armis cepit. «Secute deinde ad sacrilegam spolationem honestandam apparatu illo ac ludicra plebisciti specie, rex in aedibus Quirinalibus sedem ac domicilium constituit, dum summus Pontifex regno atque libertate spoliatus, Vaticanam domum, captivi instar, incolere cogitur.» (Corten l. c. p. XVIII.) Cfr. Encycl. Leonis XIII. d. 29. Jun. 1881 de natura et indole civilis potestatis (*Vering* Archiv tom. 46. p. 238; Encycl. ad episc. Italiae d. 15. Febr. 1882 (l. c. tom. 48. p. 67).

[1]) c. 3. D. 24. pontifex (i. e. episcopus) *Cardinalis* opponitur pontifici *visitatori,* qui scil. tanquam visitator ecclesiam curat. — Gregor M. lib. 6. epist. 11. diaconum Venafranum Neapolitano episcopo *cardinandum* concedit, eumque illius ecclesiae *Cardinalem* constituit.

nalium constabat 7 episcopis, 28 presbyteris et 18 diaconis.[2]) Temporibus subsecutis Cardinalium numerus incertus et varius erat.[3]) Ne plures quam 24 in posterum forent, statuerunt Constantiensis concilii Patres. Sed Sixtus V. definivit, 70 esse oportere, exemplo 70 seniorum, quos Moyses pro regimini populi Dei sibi assumpsit. Atque ex eis presbyteros esse oportet 50, diaconos 14, episcopos 6,[4]) quia duo ex dictis 7 episcopatibus conjuncti sunt. Ex quo tempore s. Pius V. (1567) quibusvis aliis ecclesiasticis quacumque dignitate fulgentibus honorifica Cardinalium compellatione interdixit, hocce nomen illis solis remansit, qui Romanae ecclesiae, quae est *cardo* et centrum reliquarum ecclesiarum senatum constituunt. Tres ordines.

2. *Creatio* Cardinalium pertinet ad summum Pontificem, qui pro suo lubito, quos vult et quando vult, ad Cardinalatus fastigium promovet. Statuit tamen Concilium Trident., ut Papa dectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, eosdemque ex omnibus christianitatis nationibus, quoad fieri potest, assumat.[5]) In Cardinalium creatione certae solemnitates, usu antiquo stabilitae, servari solent, inter quas traditio birreti et galeri rubri, clausula et aperitio oris, traditio annulli atque designatio tituli principaliter notari debent. Qui a curia absentes ad Cardinalatum promoti sunt, jurare debent in receptione birreti rubri, se intra annum accessuros ad limina Apostolorum sub poena inhabilitatis et privationis Cardinalatus. Illi, quibus ad commendationem principis alicujus saecularis dignitas cardinalitia confertur, Cardinales *coronae* nuncupantur. Creatio.

3. *Officium* Cardinalium, quatenus senatum Romanae ecclesiae constituunt, est, summum Pontificem in gubernanda ecclesia consilio et industria sua adjuvare. Et ut huic muneri satisfaciant, omnes, nisi exteris episcopatibus praesint, in Urbe residere tenentur, ita quidem, ut, si canonice moniti non redeant et residеant, privandi sint. Explent vero sua officia *a) vivo Pontifice* aut universim in Consistoriis, aut distributi per diversas Congregationes Romanas, aut denique sustinentes officia, quae ipsis tan- Officium. I. Sede plena:

---

[2]) Cfr. *Walter* K.-R. § 132. a.

[3]) Sub Bonifacio VIII. fuerunt solummodo 20 Cardinales. Eo tempore, quo Avenione sedebant summi Pontifices, fuere 30. Sub Pio V. erant 76. Hodie (La Gerarchia catholica 1886) sunt 6 Card. episcopi sc. suburbicarii, 41 Card. presbyteri, 13 Card. Diaconi. *Andreucci:* Hierarchia eccles. lib. 2. dissert. II. p. 23. edit. Rom.

[4]) At Cardinales episcopi, presbyteri et diaconi non dicuntur a gradu Ordinis, quo initiati sunt, sed ab ecclesiarum, quas tenent, titulis. Singuli tituli Cardinalibus assignati referuntur ap. *Bangen:* Die röm. Curie p. 36.

[5]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 1. — Sixtus V. Const. «Postquam» 1586. De eorum dotibus cfr. Conc. Trid. XXV. c. 1. de ref.

1. In Consistorio, quam singulis a summo Pontifice injungi contingit. Est vero *Consistorium* congregatio, quam celebrat. Rom. Pontifex in collegio Cardinalium per modum senatus majoris. Duplex haberi solet Consistorium, nunc *publicum* et *extraordinarium*, nunc *secretum*

publico, et *ordinarium*. *Publicum* miro ceremoniarum apparatu peragi solet, et praeter Cardinales alios quoque praelatos, principum oratores et magistratus Romanos admittit. Habetur vero, cum Papa galerum cardinalitium novo Cardinali imponit; cum pro canonisatione alicujus servi Dei sententia definitiva publice ferenda est; cum princeps aliquis vel ejusdem legatus solemniter accipitur.

et secreto. Consistorium *secretum et ordinarium*, ad quod soli Cardinales admittuntur, olim statis temporibus congregari consueverat; sed modo pro certis tantum actibus transeuntibus formatur, quoties nimirum Pontifex novos creat Cardinales, aut episcopos vel praelatos regulares eligit seu instituit, quoties legatos de latere nominat, aut coadjutorem perpetuum episcopis adjungit; quoties denique graviora negotia, nexum utrinsque potestatis concernentia, aut componi aut communicari opus est. Et haec communicatio in forma solemnis *allocutionis* ad Cardinales habitae fieri solet. Verumtamen in Consistoriis Cardinales consultativa tantum dant suffragia; eorum opera longe major efficaciorque in eo est, quod Romanas

2. In Congregationibus. Congregationes, uti mox videbimus, constituunt et pontificiis tri-

II. Sede vacante. bunalibus praesunt. — *b) Sede Romana vacua* politicam quidem in ditione ecclesiastica, non tamen sacram Primatus potestatem, quae personalissima est, nisi in negotiis morae impatientibus exercent. Verum jus eorum longe maximum est electio summi Pontificis, et hoc quidem jure jam inde a medio fere saeculo 12. privative et quiete fruuntur.[6])

Jura: 1. Collegialia. 4. *Jura* Cardinalium dupliciter spectari possunt. a) Jura *collegialia* eisdem competunt, quatenus collegium peculiare et distinctum efficiunt, adinstar fere capitulorum cathedralium, cum certis juribus et officiis *ad intra*, seu corpus suum tantummodo respicientibus. Unde coetus hic purpuratorum suum caput seu praepositum habet, nimirum Decanum s. Collegii, qui simul est ejusdem *camerarius*[7]) et qua talis habet bonorum ad s. Collegium pertinentium administrationem, necnon secretarium et alios officiales pro gerendis et expediendis s. Collegii negotiis. Caeterum

[6]) Cfr. effatum Gratiani (ad c. 34. D. 63), qui dicit, in electione Papae alios etiam clericos praeter Cardinales intervenire oportere. Sed in Concilio Lateran. III. (c. 6. X. [I. 6.]) isthoc jus solis Cardinalibus addicitur. Vid. supra § 84.

[7]) Differt Cardinalis camerarius s. Collegii a Card. camerario s. Rom. ecclesiae (Camerlengo) qui camerae Apostolicae praeest (§ 111. 1. 6). *Bangen* l. c. p. 43 et 347.

Cardinales *jus optandi* habent, quo (juxta certas regulas) in proximo Consisiorio post vacationem alicujus tituli melioris eundem suo arbitrio optare possunt.[8]) b) Jura *personalia* sunt: 1. Olim Cardinales *omnes*, etiamsi non fuerint episcopi, in propriis ecclesiis jure quasi-episcopali in clerum et populum sibi subjectum potiebantur, vi cujus in suis titulis poterant visitare, corrigere, censuras ferre aliaque peragere, quae ad jurisdictionem pertinent. Sed per Constit. Innocentii XII. d. 17. Sept. 1692 haec jurisdictio quasi-episcopalis Cardinalibus presbyteris et diaconis in ecclesiis titularibus ademta et in Cardinalem Urbis Vicarium coaluisse censenda est. — 2. Habent vero hodiedum Cardinales presbyteri, licet charactere episcopali careant, jus in ecclesia titulari Pontificalia peragendi, quod per nuperrimum decretum Leonis XIII. d. 30. Jan. 1879 confirmatum est.[9]) — 3. Etiam ii, qui non sunt episcopi jus habent praesentiae et suffragii decisivi in conciliis generalibus. — 4. Possunt legati a latere destinari (§ 112. 1). 2. Personalia.

5. *Decoramina* Cardinalium consistunt a) in *vestitu distincto*, a Pontificibus ipsis concesso. Scilicet donati sunt veste et galero purpureis (scil. galerum purpureum probabiliter concessit Innocentius IV. (1245), quibus Paulus II. (1464) addidit birretum rubrum, quo etiam Cardinales *religiosi* utuntur, sic tamen, ut hi ordinis sui colorem in habitu retineant. — b) In *honorum titulis*, quibus insigniuntur. Praeterquam enim quod cuivis eorum dignitas et titulus *Principis* competit, Urbanus VIII. iis titulum *Eminentissimi* indulsit; vetans insuper, ne Cardinales alio modo se a quoquam, nisi a regibus compellari sinerent. E converso et ipsi prohibentur titulum quemcumque saecularem gerere. — c) In plurimis et amplissimis *privilegiis*,[10]) quorum praecipua sunt: *praecedentia*, qua episcopos et ipsos patriarchas excellunt, principibus vero non regnantibus saltem aequiparantur;[11]) *exemtio a poenis* impositis omnibus universaliter, nisi iidem exprimantur, et a regulis odiosis cancellariae; *cautio juris*, qua offendentes S. R. E. Cardinales sunt rei laesae majestatis poenisque gravissimis subjacent.[12]) Decoramina.

[8]) Et haec est ratio, cur Decanus s. Collegii is ipse sit, qui est episcopus Ostiensis, quia nempe decanatus S. R. E. Cardinalium collegii ex jure ad antiquiorem inter Cardinales episcopos deferendus est, antiquior vero episcopus via optionis sedem Ostiensem acquirit.

[9]) Scil. hoc decreto decisum est, jus consecrandi altare in basilica in titulo cardinalitio competere Cardinali titulari, minime vero Cardinali Urbi Vicario. *Santis*, Praelectiones juris can. L. I. tit. 31. n. 31—38.

[10]) Vid. *Andreucci* l. c. p. 33, qui 20 privilegia Cardinalium explicat, observans: «Quidam ad ducenta percensent, alii pauciora.»

[11]) Vid. Eminentissimorum Dominorum Cardinalium caeremoniale apud *Bangen*: Die röm. Curie p. 461.

[12]) c. 5. in VI. (V. 9). Cfr. Bened. XIV. Const. «Pastoralis» 1741.

§ 110. De curia Romana. 1. De S. R. E. Cardinalium Congregationibus.

Curia.

1. Nomine Curiae Romanae in sensu latiori venit complexus tribunalium, congregationum et officiorum, quibus summus Pontifex in regimine sive totius ecclesiae sive ditionis ecclesiasticae utitur. In sensu tamen strictiori Curia Romana ab aula Romana sic discernitur, ut *curia* Rom. complectatur dicasteria, collegia et officia, quae pro regenda universa ecclesia sunt constituta, *aula* autem. Rom. illa tribunalia comprehendat, quae ad regendum dominium Papae temporale ordinantur. Est vero Curia in hoc sensu accepta organum Pontificem inter et ecclesiam intermedium, per quod Papa partim informationes necessarias capit, partim jura munusque sibi incumbens exequitur.[1]) Eadem variis quasi minoribus curiis constituitur, quae ut membra illius senatus spectari debent, quibusque certa causarum genera stabiliter committuntur, ita, ut ipsa jurisdictione ordinaria pollere a canonistis jure merito dicantur. — Personae, quibus Curia Rom. constituitur, sunt:

Personae ad Curiam pertinentes.

1. Cardinales.

a) Cardinales, qui privative Consistorium, congregationes vero ex parte tantum efficiunt in iisque praesidium habent. —

2. Praelati.

b) Praelati Curiae Rom., qui proximum post Cardinales in Curia locum tenent et reliquo clero in urbe existenti supereminent. Iidem vel in congregationibus Romanis operam suam et industriam impendunt, vel tanquam singuli certa munia obeunt, quae a summo Pontifice ipsis committi contingit; siquidem ad praelaturae praerogativas illud imprimis pertinet, ut jurisdictionem ipsius summi Pontificis, sive ordinariam sive delegatam, exequi valeant.[2]) Distinguitur vero duplex praelatura: una, quae dicitur praelatura

Pralatura justitiae.

justitiae: altera, quae dicitur praelatura *gratiae.* Illa cum actuali officio servitioque conjuncta est, ad eamque non pervenitur, nisi servatis quibusdam conditionibus, e. gr. ut quis curriculum studiorum quinquennale hunc in finem expleverit, certam annuorum redituum summam (scil. saltem 1500 scutatorum [1 scut. = 1 fl. 18 cruc. M. Austr.]) percipiat etc. Participant vero hujus generis praelaturam non solum *singuli* quamplures, e. gr. omnes patriarchae, archiepiscopi et episcopi Romae residentes, praelati cum lemniscis (Pflocken), almae Urbis gubernator etc., sed *integra* etiam *collegia,* inter quae potissimum *Rotae auditorium* et *protonotariorum Apost.* collegia eminent. Praelatura vero *gratiae* a summo

Praelatura gratiae.

[1]) *Bangen:* «Die röm. Curie.» Münster 1854.

[2]) Delegatus Papae nemo esse potest, nisi sit constitutus in aliqua dignitate eccles., vel peronatum obtineat, vel alicujus ecclesiae cathedr. canonicus sit, ut statuitur c. 11. in VI. (I. 3).

Pontifice tum iis conceditur, qui se Curiae Rom. applicare in animum inducunt, tum etiam exteris bene meritis episcopis aliisque ecclesiasticis, quod haud raro titulis vel *episcopi solio pontificio assistentis* vel *praelati domestici, protonotarii*[3]) vel *capellani Suae Sanctitatis* insignitos conspicimus. — *c) Curiales,* qui in Curia vel stabiliter vel ad partium instantiam operam suam praestant, ad quos pertinent: *advocati* (inter quos eminet collegium advocatorum consistorialium participantium), *procuratores,* qui causas litigantium agunt, *notarii,* qui documenta de jure valida conficiunt, *expeditores* et *sollicitatores*, qui vel tribunalibus, vel advocatis procuratoribus inserviunt, denique *agentes,* qui ad procuranda negotia curialia a partibus et maxime ab episcopis remotis deputantur. 3. Curiales.

2. Inter collegia, in quae Curia distributa est (praeter Consistorium § praeced. commemoratum) locum principalem occupant *Congregationes Romanae,* seu collegia certis negotiis dirigendis, discutiendis vel etiam in forma judicii decidendis destinata et ex Cardinalibus potissimum constituta. Sufficiat, Congregationes insigniores duntaxat, et quae relationem habent ad universam ecclesiam, hic recensere: *a) Congregatio s. officii* seu *inquisitionis,* in ea forma, qua nunc extat, a Sixto V. (1587) ceu summum orthodoxae fidei tribunal erecta, de haeresibus necnon de iis reatibus cognoscit, qui vel ex natura sua cum haeresi connexi sunt, vel ex haeretica pravitate provenire praesumuntur. Constituitur ex Cardinalibus, quos Pontifex nominat modo majori, modo minori numero, ex pluribus officialibus, consultoribus (sc. juris peritis ad latus uniuscujusque Cardinalis) et qualificatoribus, praesidemque habet ipsum Pontificem. Magna est auctoritas hujus Congr., dum vel decidit quaestiones doctrinales in rebus fidei et morum vel cum qualificat propositiones generales suo examini subjectas e. gr. tanquam erroneas, vel de haeresi suspectas etc., sed tamen ejusdem responsa non sunt infallibilia, licet Pontifex ea probet, nisi idem decisionem faceret suam eamque per Constitutionem solemniter publicaret. — *b)* Vicaria huic a Pio V. constituta, et a Bened. XIV. accuratius regulata[4]) est *Congregatio Indicis,* cui cura revisionis et prohibitionis librorum est demandata. Constat Congregationes Romanae: s. Officii. Indicis.

---

[3]) Primitus *notarii* ad acta Martyrum conscribenda numero septem constituti erant; sed reddita etiam ecclesiae pace ad conscribenda acta et gesta Papae retenti et pluribus privilegiis ornati sunt. Nobilissimum est collegium eorum, qui dicuntur *protonotarii Apostolici de numero participantium.* Alii dicuntur protonotarii *adinstar participantium,* alii denique *titulares* sive *ad honores.* Vid. dissertationem de his in *Andreucci Hierarchia eccles.* tom. 1. p. 97. *Micke:* Die apost. Protonotare in Vering Archiv tom. 20. p. 177—250; et *Ginzel* K.-R. I. p. 378.

[4]) Const. «Sollicita ac provida.» a. 1753.

numero Cardinalium pro Papae beneplacito, cum Cardinale praefecto, qui Magistrum s. palatii (qui sc. praeest omnibus Papae familiaribus et ministris) perpetuo et fixe sibi assistentem habet, secretario (semper ex ordine Praedicatorum) et compluribus theologis consultoribus. Decreta Indicis, ut vim habeant, a summo Pontifice confirmari oportet. — *c) Congregatio Concilii Tridentini interpres* (seu interpretum) a Pio IV. a. 1564 erecta, de cujus munere et praerogativis jam alibi (§ 18) mentio facta est. Eam efficiunt plures Cardinales cum praefecto ex eorum numero, et secretario, qui plerumque est archiepiscopus in partibus, quibus magnus numerus theologorum et canonistarum accedit, qui consultorum nomine veniunt. Huic congregationi nonnullae aliae minores pro certis negotiis terminandis adjunctae sunt.[5]) — *d)* Binae Congregationes a Sixto V. erectae, videlicet Congreg. *super negotiis episcoporum* et Congreg. *super negotiis regularium* (1587), brevi tempore in unam coaluerunt, ad eamque deferuntur omnes causae et dubitationes tum inter episcopos et ordines religiosos exortae, tum inter superiores regulares et subditos, necnon inter diversos ordines ipsos pendentes. «Omnia peragit (ait Card. *De Luca* [de relat. ad curiam P. 2. Disc. 16. n. 23]) quae religionum et regularium bonum regimen et directionem concernunt.» — *e) Congregatio ss. rituum* a Sixto V. instituta est, ejusque partes sunt, cultum Dei externum ordinare, determinare ritus et ceremonias, tollereque inde abusus. Atque haec ordinarie ipsi incumbunt; extraordinarie in beatificationis et canonisationis processu definitivam Papae sententiam praeparat. — *f) Congregatio indulgentiarum et ss. Reliquiarum,* a Clemente IX. a. 1669 erecta, Reliquias et indulgentias pervestigat, necnon indulgentias concedit et Reliquias authenticat.[6]) — *g) Congregatio de propaganda fide,* cujus prima fundamenta jacta sunt a Gregorio XIII., auctor tamen verus fuit Gregor XV. (1622), operi fastigium impositum est ab Urbano VIII. (1627), qui Seminarium excitavit suo nomine nuncupatum (collegium Urbanum) illudque praefatae Congregationi adjunxit.[7]) Propagandae excellentia ex eo elucet, quod omnes regiones missionum, qua late patent per Orbem terrarum, eidem subjectae sunt, ab eaque omnis jurisdictio in illas terras dimanat.

Concilii Trid. interpr.

Super negotiis episc. et regul.

ss. Rituum.

Indulg. et Reliqu.

De propag. fide.

[5]) E. gr. Congregatio particularis super statu ecclesiarum; Congreg. visitationis liminum; Congreg. super revisione synodorum provinc.; Congreg. super residentia episcoporum. — De competentia s. C. C. agit *Santis* l. c. n. 91.

[6]) Vid. *Andreucci* dissert. de *authendicandis ss. Reliquiis* in opere saepius laudato.

[7]) Institutum etiam typographicum annexum est, in quo libri omnium fere Orbis linguarum imprimuntur.

in quibus ordinaria episcoporum hierarchia non est instituta.[8]) Ipsius est, omnia negotia, quae ad fidem propagandam pertinent, cognoscere, vicarios et missionarios apostolicos mittere, ortasque difficultates solvere. Pius IX. editis literis Apost. (6. Jan. 1862) instituit s. Congr. de Propag. fide pro negotiis ritus orientalis. — *h) Congregatio super negotiis ecclesiae extraordinariis* a Pio VII. post suum reditum in ditionem eccles., ad componendas res eccles. temporum illorum injuria perturbatas, instituta et postea sic ad latiores limites producta est, ut jam omnia illa negotia, quae, ordine rerum eccles. in quacumque regione interrupto, emerserint, ab ea discuti et summi Pontificis resolutioni praeparari oporteat, uti e. gr. concordata cum guberniis civilibus ineunda. — *i)* Demum non praetereundae sunt illae Congregationes, quae cum *Consistorio pontificio* sunt conjunctae et quarum munus est, negotia, quae ad Consistorium pertinent, praevie ad liquidum explorare, ita ut disceptationi jam non amplius sunt obnoxia. Et haec sunt: *Congregatio consistorialis* a Sixto V. erecta; *Congregatio examinis episcoporum* (sc. electorum vel nominatorum), cujus tamen provincia nunc Italiam et insulas adjacentes non excedit: *Congregatio super statu,* quae, cum eventus politici in ecclesiam graviter influentes accidunt, extra ordinem constitui solet.[9])

Super negotiis eccl. extraord.

Congregationes cum Consistorio conjunctae.

§ 111. 2. De diversis Romanis tribunalibus.

1. *Tribunalia justitiae.* Haec tribunalia in eo differunt a Congregationibus, quod nonnisi ad jus dicendum sunt constituta, Congregationes vero potestatem tum judiciariam tum administratoriam exercent. Cum permultae causae quae ad haec dicasteria ex natura sua spectarent, etiam a Congregationibus terminari queant, eadem hodie non tam universa ecclesiae, quam potius status pontificii rationem habent. Primum locum inter ipsa, imo inter omnia summa Pontificis collegia ratione tum excellentiae tum antiquitatis occupat *a) Rota Romana,* quae summum est in ecclesia tribunal, ad cognoscendas et decidendas in forma judiciali causas contentiosas constitutum. Rota[1]) est tribunal omnium antiquissimum, imo Pontificibus coaevum, quippe qui semper suos

1. Tribunalia justitiae.

Rota Romana.

---

[8]) *O. Mejer:* «Die Propaganda, ihre Provinzen und ihr Recht.» Göttingen 1852. Liber ubertate materiae commendabilis, sed animum ecclesiae catholicae infensum manifestans.

[9]) Cfr. *Simor* (Prim. Huungariae) in Moy-Vering Archiv tom. 11. p. 410: «De s. Rom. Congreg. et illarum auctoritate;» tom. 15. p. 133: «De s. Congreg. s. Officii et Concilii;» tom. 21. p. 46: «De s. Congreg. Indicis.»

[1]) Compellatio *Rotae* anceps et obscura est. Hujus nominis rationem optime explicare mihi videtur *Emerix* (ap. *Bangen* p. 297) ex eo, quod auditores Rotae in *orbe* sedentes controversias *rotant* et examinant.

consiliarios et referendarios habuerunt, quibus causas forenses decidendas delegabant. Hi deinceps *auditores* vocari consueverunt, quorum numerum ad duodecim reduxit Sixtus IV. (1472), qui etiam constituit, ut auditores ex nationibus primariis assumerentur. Ratio erat, quia ex primigenia institutione omnes causae eccles. ex universo Orbe ad hoc tribunal deferri oportebat, quae in suis locis decidi non poterant; ast modo eaedem, ac praesertim lites beneficiales, utplurimum Congregationibus competentibus addictae sunt, et hinc Rotae nonnisi causae civiles territorii pontificii decidendae remanent, res vero universae ecclesiae in vim specialis commissionis tantum ab ipsa terminantur.[2]) *b) Reverenda camera Apostolica*, quae aerario utriusque principatus, ecclesiastici et temporalis, praeest, et insuper quarundam causarum, ac praesertim fiscalium jurisdictionem habet. Ex universa ecclesia lites, quae, inter fiscum ecclesiasticum et homines privatos pendent, in vim appellationis pro diversitate causae vel ad cameram Apostol., vel ad ejusdem auditorem etiamnum deferri possunt. Cardinali camerario subsunt judices, quorum unus est auditor, reliqui judices dicuntur clerici ejusdem camerae. *c) Signatura justitiae* inde orta est, quod referendarii supplicationes sibi porrectas Pontifici signandas tradebant casu, quo iisdem annuendum esse censebant. Ex hisce referendariis progressu temporis proprium collegium efformatum est, separatis (ab Innocentio VIII. creat. 1484) ab invicem causis, sic, ut causae justitiae ad signaturam hujus nominis, causae vero gratiae ad signaturam gratiae revocarentur. Ducentis ferme abhinc annis amplissima fuit istius tribunalis potestas, sed juxta praxim hodiernam in nonnullis duntaxat causis, si ex Orbe catholico illuc deferantur, judicandi facultatem habet.[3])

Camera Apostolica.

Signatura justitiae.

2. Tribunalia gratiae.

2. Tribunalia *gratiae,* per quae Pontifex gratias concedit. Quia vero gratiosum esse ab affectione supremi principis quam maxime pendet, tribunalia pro dispensandis gratiis erecta non tam sua auctoritate res decidunt, quam consilium suum Pontifici aperiunt. Et ad haec tribunalia pertinent:

Signatura gratiae.

a) Signatura gratiae, per quam gratiae *extraordinariae* conceduntur, sive pure tales sive in rebus contentiosis, quae per judices ordinarios finiri nequeunt egentque suprema et extraordinaria Pontificis potestate, qui decreta propria manu signat (unde

---

[2]) Bullas Rotam. rom. concernentes indicat *Philipps* K.-R. p. 256. — *Bangen* op. cit. p. 292. seq. — De auctoritate decisionum rotalium vide supra § 13. not. 5.

[3]) Causae ex universa ecclesia, quae hodiedum ad Signaturam justitiae pertinent, enumerantur apud *Bangen* p. 377.

nomen signaturae).[4]) Pro dispensandis vero gratiis *ordinariis* haec duo tribunalia inserviunt; *b) Dataria Apostolica,* quae est illud summi Pontificis tribunal, in quo gratiae *pro foro externo* valiturae conceduntur et expediuntur. Ad hoc collegium pertinent omnes dispensationes pro foro externo super matrimonii impedimentis, irregularitatibus, votis et juramentis, collatio beneficiorum reservatorum, confirmationes indultorum et privilegiorum jam antea concessorum. Constituitur ex Cardinali prodatario, ex datario, qui tempus *datae* gratiae adnotat, et pluribus aliis officialibus. *c) Sacra Poenitentiaria Apostolica,* quae absolutiones, dispensationes, commutationes et revalidationes *pro foro interno* petitas, et exceptionis causa etiam pro foro externo valituras, vel ipsamet concedit, vel summi Pontificis aut Poenitentarii majoris resolutioni parat. Et quidem *absolutiones* concedit Poenitentiaria in casibus publicis et occultis pro foro tantum interno, *dispensationes* nonnisi in casibus occultis, exceptis tamen *Regularibus,* quibus in publicis quoque casibus pro utroque foro dispensationes elargiri valet.[5])

Dataria Apostolica.

S. Poenitentiaria.

3. Officia, quibus demandata est expeditio litterarum Apostolicarum, in quantum eadem a praedictis tribunalibus non solet procurari, sunt: a) Pro expediendis Bullis *cancellaria Apostolica,* quae reliquis dicasteriis antiquitate praecellit cuique Cardinalis (Vicecancellarius) praesidet, huicque magnus officialium numerus subest. b) Pro expediendis Brevibus erecta est *secretaria Brevium,* cui pariter Cardinalis (qui dicitur Cardinalis nepos) praeficitur. c) *Secretaria Status,* quae est Ministerium Status pontificii pro rebus extraneis et organum, quo mediante Papa cum principibus saecularibus communicat.

3. Officia pro expeditione litterarum Apostol.

Cancellar Apost.

Secretaria Brev.

Secretaria Status.

§ 112. De legatis et vicariis Rom. Pontificis.

Quemadmodum Romae per Curiam summus Pontifex negotia a se pertinentia curat, ita ad supremae inspectionis et sollicitudinis munus exercendum in provinciis legatis et vicariis a se constitutis utitur, per quos necessarias informationes percipit juraque sua exequitur. — Inprimis claritatis causa expendi debet

Legatorum et vicariorum.

1. legatorum et vicariorum Papae *origo et historia.* Prioribus jam ecclesiae saeculis tria occurrunt legatorum pontificiorum genera. Primo illorum mentio facienda est, qui ad concilia gene-

1. Ortus et progressus.

a. Legati apud concilia.

---

[4]) E. gr. si quis petat, ut a causa non appellabili appellare concedatur, vel e converso: ut liceat aliquam causam appellabilem in judicium adducere cum clausula: Appellatione remota.

[5]) *Bangen* l. c. p. 421 et 557, ubi in Const. Bened. XIV. «Pastor bonus» facultates majoris Poenitentiarii et officii Poenitentiariae referuntur.

ralia missi sunt, ut in iis Sedis apostolicae auctoritatem in proë-
b. Pro peculiaribus negotiis. dria praesidii et praerogativa suffragii explicarent. Genus alterum erat eorum, quos Romani Pontifices mittebant pro singularibus negotiis intra fines mandati, quo instruebantur, expediendis.[1]) Tertium genus constituebant illi, qui a Pontificibus velut speculatores et inspectores ablegati sunt ad aulas principum, ut ibi causas ecclesiae Rom. perpetim prosequerentur et pro negotiis
c. Apocrisarii. fidei ac disciplinae excubarent. Et hi quidem *responsales* seu *apo-*
d. Vicarii apost., *crisarii* ecclesiae Rom. dici consueverant.[2]) — Verum monumenta saeculi 4. aliud praeterea legatorum genus ostendunt, nimirum eorum episcoporum, qui habebant Rom. Pontificis vices sibi commissas super certis quibusdam provinciis earumque metropolitis, quique *vicarii Apostolici* vocati sunt. Horum vicariorum munus erat, tum canonum observantiae invigilare, tum provinciis illis et episcopis jus dicere, ac de omnibus fere causis (exceptis iis, quae Papa sibi reservasset) ibidem supremam ferre sententiam. Atque haec vicaria potestas, quae primum ad personam duntaxat concedebatur, paullatim certis ecclesiis perpetuo alligari coepit, unde
seu legati nati, earum episcopi *Sedis apostol. legati nati* compellabantur. Tales vicarii erant episcopus Thessalonicensis per Illiricum, episcopus Arelatensis pro causis Galliarum, Hispalensis per Hispaniam,[3]) aliique episcopi et archiepiscopi, in quos hujuscemodi vicaria potestas a Rom. Pontificibus collata fuit. Et Pontifices quidem ad vigorem disciplinae eccles. tuendam etiam medio aevo iteratis vicibus tales vicarios constituere perrexerunt; at maxime post
seu Primates. medium saec. 11. id munus majoribus quibusdam metropolitis, qui deinceps *primatum* nomine veniebant, committere solebant, ea mente, ut ecclesia Romana cum reliquis Occidentis ecclesiis arctius connecteretur, et commercium inter episcopos et Pontificem evaderet facilius. Ast cum hi vicarii cum reliquis metropolitis frequenter colliderentur, eoquod ipsorum juribus praejudicium inferre viderentur, praedicti vicariatus aut omnino interierunt, aut in merum titulum abierunt. Quod ex eo potissimum tempore accidit, quo (praesertim saec. 13.) alii legati, amplissimis facultatibus instructi, Roma in provincias submittebantur. Hi dicti sunt
e. Legati missi et a latere. legati *missi,* et si erant e coetu Cardinalium, legati *a latere.* Posteriorum praesertim jurisdictio tam praeclara fuit, ut omnia fere jura Pontificia exercere, e. gr. electos episcopos confirmare, bene-

[1]) Quo pertinent v. c. legationes *Julii* ad Orientales in causa s. Athanasii, *Liberii* ad Constantinum Imper. pro convocatione novi concilii, *Zosimi* in Africam ob appellationes transmarinas.

[2]) Hoc legatorum genus invaluit post Concil. Chalcedon. et viguit etiam in aula Francorum. *Devoti* Instit. I. p. 178 et *Thomassin.* P. I. 1. 2. c. 117.

[3]) *Devoti* I. c. p. 177. — *Walter* K.-R. § 135.

ficiis vacantibus providere et similia potuerint,[4]) paucis duntaxat, quae Papa sibi soli reservaverat, exceptis. Tanta vero ac tam eximia potestas,[5]) cum episcoporum aeque ac principum quaerelas excitasset, non solum per pacta specialia cum diversis nationibus inita, sed etiam per Concil. Trident. coarctata et accisa est. Idem etiam concilium quibuscumque legatis, etiamsi essent a latere, jus *primae instantiae,* quod concurrenter cum episcopis exercere consueverant, auferendum censuit.[6])

2. Si *morem ecclesiae hodiernum* respicimus, *a.* duo occurrunt legatorum genera. Distinguuntur enim legati *nati* et legati *dati* sive *missi.* Illi, utqote subrogati in locum *vicariorum Sedis apost.,* seu primatum, plerumque nonnisi titulum legati Apostolici ecclesiae suae annexum sine ulla potestate habent.[7]) Pauci tantum praeter titulum etiam officium legationis gerunt, veluti archiepiscopus Strigoniensis, cui v. c. omnes exemti Benedictini, Praemonstratenses et Cistercienses per totam, qua late patet, Hungariam subjiciuntur. (Legatio Apostolica in Sicilia, quae appellabatur *regia monarchia,* quaeque habebat suum judicem, ministros et officiales, abolita est a Pio IX. in Const. «Suprema» 25. Jan. 1864.) Legati *dati* vel *missi* aut pro actu transeunte, scil. ad certa quaedam graviora negotia expedienda, deputantur, aut legatione stabili et perpetua funguntur. Pro singulis actibus fere semper legati a latere seu Cardinales eliguntur. Eorum potestatem describunt litterae Apostolicae, quas accipiunt.[8]) Reliqui legati missi, quorum legatio ordinaria est et perpetua, non ex Cardinalibus sed ex praelatis assumuntur, iidemque ad supremos principes mittuntur, ut ibidem more antiquorum responsalium legationis munere fungantur necnon negotia civilia perinde ac caeterorum principum oratores pertractent. Hi dicuntur *nuntii,* si resideant apud aulas *majores* (sc. Hispaniae, Galliae, Austriae, Lusitaniae) et si sint episcopi vel archiepiscopi in partibus infidelium; commorantes vero apud aulas *minores internuntii* aut etiam *delegati Apostolici.* Internuntii hodie etiam charactere episcopali decorantur, non sic vero semper delegati apostolici. Eorum potestas noscitur ex litteris Pontificis, quas vocant credentiales, quasque, ut ipsis fides

2. Disciplina vigens.

a. Quoad legatos.

Legati nati.

Legati missi seu dati,

pro actu transeunte

vel ratione stabili

i. e. nuntii et internuntii.

[4]) De *officio legati* X. (I. 30); eod. in VI. (I. 15); eod. Clem. (I. 8).

[5]) «Hi super caeteros legatos eminent, et eorum in provinciam adventu silet aliorum legatorum potestas. Utuntur apostolicis insignibus, absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum, et amplissima fruuntur potestate.» *Devoti* I. c. p. 176. Cfr. *Santi* h. t. n. 8.

[6]) Sess. XXIV. de ref. c. 20.

[7]) E. gr. archiepiscopi Salisburg., Colon., Prag. (Rhemen., Lugdunen., Cantuar., Tolet.); et alii.

[8]) Ipsorum etiam legatorum a latere potestas nunc omnino pendet a tenore facultatum.

habeatur, ostendere debent. Generatim nuntiaturae, quae nunc sunt, veri nominis tribunalia non constituunt, quia jurium Pontifici reservatorum exercitium iis haud committi solet, exceptis quibusdam dispensationibus, quibus ex facultate Papae per assignatas provincias uti possunt. Pariter ea jura, quae episcoporum sunt propria, nequeunt et ipsi exercere.[9]) Nihil tamen obstat, quominus in posterum pluribus in rebus vices Apostolicas commissas obtineant pro iis locis, quibus libera communicatio cum Sede apostol. permissa est. Itaque hodie nuntii et internuntii, tanquam organa intermedia, pacem et concordiam inter s. Sedem et rempublicam civilem conservare student, generalia negotia utrique communia pertractant, et in quibusdam etiam commercium, populi et cleri cum Sede Apostolica sustinent. — Ejusmodi nuntiaturae erectae sunt Viennae (1581), Lucernae (1586), Bruxellis (1597), Monachii (1785), Parisiis, Ulyssipione etc. Ad aulas principales nuntii *cum potestate legati a latere* ablegari solent, licet eorum potestas non omnino eadem sit, qua instructi sunt legati a latere e coetu Cardinalium.[10])

b. Quoad vicarios Apostolicos.

b. Pontificis vices gerunt etiam *vicarii apostolici,* quos in aliquibus regionibus conspicimus, a supra dictis antiquis Sedis apostol. vicariis longe diversi. Constituuntur 1. in locis Missionum, in quibus episcopatus nondum subsistunt, eoquod quaedam requisita ab eorundem erectionem non suppetant; 2. in regionibus ob haeresim ab ecclesia separatis, in quibus pariter sedium episcopalium erectio fieri nequit; 3. quando regio quidem habet episcopum, sed impeditum, ut gregem per semetipsum pascat, e. gr. ob senium, ob incursam suspensionis poenam, ob dioecesis amplitudinem; 4. quando sede vacante praevidentur turbae excitandae in vicarii capitularis electione.[11]) — Jus Papae illos constituendi ex suprema, quae ipsi incumbit, sollicitudine et ex jure devolutionis scaturit. Etenim illae regiones, in quibus res eccles. ad normam rectae et ordinatae administrationis componi nequeunt,

Causa eos constituendi quadruplex.

---

[9]) Vid. decisiones s. C. C. ad quaedam dubia, quae circa facultates Nuntio Apost. apud Helvetios competentes proposita fuerant, in cit. edit. Concilii Trident. p. 390.

[10]) Sunt et *pronuntii,* scil. illi, qui Cardinales effecti, manent nuntii. — De universo legatorum Apostol. jure summa eruditione, pari gravitate et aequitate agit: Ss^mi D. N. Pii VI. Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super nuntiaturis apostolicis. Romae 1789. Introductio nuntiaturae Monacensis quot litium, gravaminum et scriptorum occasio fuerit, nemo est, qui ignoret. — Cfr. etiam *Zallinger* tit. 30. lib. I. Instit. jur. eccles. *Soglia* l. c. p. 242.

[11]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. II. c. 10. Item *Andreucci:* De Vicario Apostol. (op. cit. p. 235 seq.), ubi auctor de iis maxime vicariis accurate disserit, qui episcopis fere penitus inhabilibus adjunguntur.

summi Pontificis paternam sollicitudinem singulariter exposcunt, ideoque ipse *extraordinariam* eorum curam gerere tenetur. Et hoc quidem officium, hocque jus Papa mediante Propaganda exequitur, cui omnes vicarii Apostolici eorumque districtus sunt subjecti. Sunt vero hi vicarii alii ex numero sacerdotum, alii ex episcoporum ordine. Singulis videlicet Missionum stationibus praesunt *praefecti apostolici,* qui tamen, etiamsi sacerdotes tantum sint, eximiis facultatibus instructi esse solent. Pluribus porro stationibus in unum conjunctis *vicarius Apostolicus,* qui est episcopus in part., praeficitur. Denique super plures districtus seu vicariatus episcopi constituuntur, qui *delegati Apostolici* dicuntur.[12]) Omnium vero vicariorum potestas ex mandato s. Congregationis de propaganda fide eruitur, quae minorem aut ampliorem jurisdictionem concedere solet.[13]) Quia episcopatus in America septentrionali et in Hibernia debitis requisitis non ita instructi sunt, ut hierarchiae ordinariae innecti queant, eorum praelati non in Consistorio praeconisantur, sed, perinde ac vicarii Apostolici, a Propaganda Pontifici designantur.[14])

Eorum gradus.

In Imperio austr. *vicarius Apostolicus castrensis* copiis militaribus, ad vagas belli operationes destinatis, a Clem. X. (1720) praeficiebatur (Cfr. etiam Const. Pii VI. «Inter cetera» d. 18. Oct. 1778), qui ab a. 1826 tanquam episcopus cum titulo alicujus ecclesiae in partibus infidelium ad Caesaris nominationem a Papa constituitur et ad munus suum rite gerendum varias a Sede apost. facultates tum ordinarias tum extraordinarias accipit.[15]) Vicario castrensi subsunt (praeter directorem consistorialem campestrem, binosque secretarios consistoriales campestres, qui vicario apost. consilium et operam praestant): *15 parochi militares,* qui totidem districtibus, in quos universus exercitus dispescitur, praesunt in iis locis, in quibus exstat praefectura generalis sive militaris, General- oder Militär-Commando); *31 curati militares,* ad exercendam curam animarum in stativis, in stativorum hospitalibus, denique in institutis militaribus; *60 capellani militares* (inter quos 12 sunt pro ritu graeco-catholico, 9 pro cultu graeco-orientali), quibus sub directione parochorum militarium cura animarum et exercitium

Vicarius Apostolicus castrensis in Austria.

---

[12]) Hoc titulo et quibusdam insuper facultatibus insigniuntur nonnulli episcopi ritus latini in Oriente, quo facilius eorum opera Catholici orientales diversi ritus ad centrum unitatis attrahantur.

[13]) Decem diversa extant formularia, ad quorum normam vicariis Apost. jurisdictio a propaganda impertiri consuevit. Illi tamen vicarii, qui perturbato ordinario regimine dioecesano in Italia constitui solent, (*Andreucci* l. c. et *Devoti* Instit. tom. I. p. 237) a Congregatione super negot. episcop. et regular. deputantur.

[14]) *Bangen* l. c. p. 262.

[15]) Haec referuntur in appendice apud *Ginzel* K.-R. p. 62 et 67.

jurisdictionis spiritualis incumbit apud copias in uniuscujusque districtu collocatas. His accensendi praeterea sunt 7 professores ex statu clericali, nec non 8 praedicatores militares confessionis evangelicae, ita ut pro cura spirituali eorum, qui *actu* apud militiam deserviunt, universim 125 personae sint constitutae. Copiis pro casu belli instructis modo extraordinario praeficiendus est *superior campestris,* qui, quamdiu durat ista necessitas, jurisdictionem spiritualem in milites catholicos exerceat.[16])

CAPUT II.

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis.

§ 113. Generalia. 1. De Patriarchis et Primatibus.

Gradus hierarchici inserti inter Pontificem et episcopos

1. Christus pro regenda ecclesia non alios constituit magistratus, quam episcopos et unum omnium caput, summum Pontificem, qui omnibus dignitate et jurisdictione praeesset. Sed lege ecclesiastica inter hos duos gradus divinitus constitutos inserti sunt Patriarchae, Primates et Metropolitae, episcopis ordine pares, sed jurisdictione et imperio iisdem superiores. Finis primarius hujus institutionis erat, ut per ejusmodi praesules eminentiore potestate fulgentes totius corporis ecclesiae connexio arctior evaderet, totiusque Orbis episcopi tam ad invicem quam ad Sedem

ad firmandam unitatem

apostol. fortius adstringerentur. Quemadmodum enim dioecesani in episcopo, episcopi in Metropolita, Metropolitae in Patriarcha unum sunt, ita Patriarchae in Rom. Pontifice, unitatis centro,

cum consensu Pontificis

coalescunt. Quidquid vero auctoritatis supra episcopos eminentioris Patriarchis, Primatibus et Metropolitis ecclesiastica lege concessum est, tantummodo cum consensu saltem tacito et praesumto summi

et absque praejudicio illius.

Pontificis concedi potuit. Cum enim ex *instituto divino* omnes episcopi *pares* sint et Pontifici subjecti, alii aliis superiores fieri non potuerunt, nisi cum consensu illius qui ex *lege divina* plenitudinem potestatis et jurisdictionis a Christo acceperat. Ex quo

Duo consectaria.

porro gemina corollaria fluunt. *Unum* est, quod Pontifices, cum sinerent ampliorem auctoritatem in quosdam episcopos per canones transferri, sua se potestate non abdicaverint, sed semper divino jure ea retinuerint, quorum supradicti gradus humana institutione participes facti sunt. *Alterum* est, quod praelatura, quae hisce gradibus intermediis insita est, non ejusdem semper amplitudinis esse debeat, sed pro temporis diversitate arctioribus vel latioribus

[16]) Haec statuta sunt in noviss. resolutione Suae C. R. Majestatis dd. 10. Aug. 1883. Vide hanc legem in *Vering* Archiv tom. 51. p. 163. Cfr. Wiener Dioeces.-Bl. 1883 p. 233, 244 et 251. — Insuper pro territorio occupationis (Bosnia et Hercegowina) constituti sunt: 1 parochus militaris, 2 curati milit. et 6 capellani militares, qui etiam Vicario castrensi Austr. subsunt.

finibus a summo Pontifici circumscribi possit. Igitur antefatorum graduum praelati, quatenus habent partem jurisdictionis et potestatis, quae summi Pontificis est propria, tanquam ejusdem quasi vicarii seu vices gerentes considerandi sunt. Et quidem insigne jurisdictionis a Papa ipsis communicatae est pallium, quod a s. Sede transmissum accipiunt.

Origo horum graduum.

Caeterum naturali rerum cursu contingere debuit, ut certis sedibus episcopalibus amplior pro caeteris dignitas conciliaretur et auctoritas. Ex eo enim, quod jam Apostoli in principalibus Romani imperii civitatibus et provinciarum metropolibus Evangelium disseminarunt in iisque sedes episcopales collocarunt, harum civitatum episcopi tanquam *Metropolitae* prae caeteris eminebant et singulari dignitate conspicui erant, quae deinceps etiam a conciliis et a Pontificibus agnita et eminentioris jurisdictionis concessione adprobata fuit. Unde jam 4. ecclesiae saeculo haec magistratuum et districtuum divisio reperitur: Plures episcopi uni Metropolitae suberant, cum eoque provinciam eccles. constituebant; singulis porro provinciis eorumque Metropolitis *Exarchi* praepositi erant, eminentiori potestate praediti, eorumque tractus *dioecesis* (dioecesis major) appellari solitus est.[1]) Inter Exarchos nonnulli praecipuo honore fulgebant, quibus *Patriarchae* nomen postremo solis remausit.[2]) Haec sane dioecesium origo, item Patriarcharum ac Metropolitarum origo repetenda est ab Apostolis, a quibus cuncta haec adumbrata, postea ab ecclesia absoluta ac definite constituta sunt.

Patriarchae majores.

2. Patriarcharum[3]) triplex genus distinguere debemus. a. Antiquissimi et nobilissimi erant illi, quorum jam in Conc. Nicaeno I. mentio occurrit, cujus verba[4]) satis clare ostendunt, jus patriar-

[1]) Ejusmodi Exarchi jam saeculo 4. occurrunt, videlicet Ephesinus, Caesareensis et Heracleensis, qui primum post tres Patriarchas locum obtinebant et *autocephali* dicebantur, eoquod ante patriarchatus Ctptani erectionem nulli Patriarchae subjiciebantur. Paullatim aliis quoque Orientis episcopis titulus dignitasque Exarchonm attributus est. *Philipps* K.-R. tom. II. § 72.

[2]) Nomina isthaec primitus varie usurpabantur. Nam Exarchi nomen etiam metropolitis interdum tribuebatur, titulo vero *Patriarchae* quandoque etiam episcopi compellabantur. Tandem loquendi usus firmus certisque rebus affixus evasit.

[3]) *Andreucci* (op. cit. tom. I. dissert. I.): De Patriarchis in genere, et in specie de Patriarchatu Antiocheno. — *Maassen:* Der Primat des Bischofs von Rom und die alten Patriarchal-Kirchen. Bonn 1853.

[4]) Can. 6. „*Antiqui mores* serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia et Pentapoli, ut *Alexandrinus* episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et episcopo *Romano* hoc est consuetum. Similiter et in *Antiochia* et aliis provinciis sua privilegia ac suae dignitates et auctoritates ecclesiis serventur.» Hoc canone non de jure metropolitico tantum, sed de jure patriarchico actum fuisse, probant inter alios: *Devoti* instit. tom. I. p. 180 ed. cit. et *Philipps* K.-R. II. § 69.

Origo.

chicum, quod habebant episcopi Romanus, Alexandrinus et Antiochenus, jam diu ante hoc concilium fuisse institutum. Videlicet hasce tres sedes, non tantum quod essent erectae in principibus Romani imperii civitatibus, sed etiam, idque potissimum, quod a s. Petro originem repeterent, ecclesiae Patres et prisci Christiani eximio quodam honore semper sunt prosecuti. Successu temporis his tribus patriarchatibus additi sunt alii duo, nempe Hierosolymitanus et Ctptanus, non statim quidem pacifice ac legitime: sed pedetentim utraque haec ecclesia tum Imperatorum opera tum Pontificum Rom. permissione, jus patriarchatus nemine amplius reclamante, impetravit, imo Ctptana secundum inter patriarchales locum obtinuit.[5]) Nam primus inter Patriarchas semper habebatur episcopus Romanus, cui regiones Occidentis (cum Illyrico

Jura pristina.

orientali et Africa) tanquam Patriarchae subjiciebantur.[6]) Jura horum Patriarcharum in Metropolitas eadem ferme erant, quae Metropolitis in episcopos competunt, seu potius olim competebant, illique sat amplam partem jurisdictionis Pontificiae participabant, qua poterant confirmare et consecrare episcopos et archiepiscopos, eosque olim etiam deponere, ordinare subditos totius patriarchatus absque Ordinariorum licentia, appellationes ex toto districtu, etiam omissis mediis instantiis, recipere, monastica instituta adprobare eorumque observantiae invigilare, et alia ejusmodi peragere, quae Pontifex sibi non reservavit, prout postmodum revera translatio episcoporum, Sanctorum canonisatio et alia jura ad s. Sedem privative detracta sunt.[7]) Praeterea ordine dignitatis proximum post Cardinales locum obtinebant, Metropolitis pallium concedebant, posteaquam ipsi a Pontifice acceperant, necnon crucem prae se ferebant per universum tractum sui patriarchatus. — Orientalium Patriarcharum sedes, barbarorum tyrannide suppressas,

Hodie titulares sunt.

Innocentius III. restituit.[8]) Sed non diu ea res perseveravit: accidit enim, ut istae regiones omnes denuo a christiani nominis hostibus occuparentur. Sed hoc non obstante, ut insignium earum sedium memoria servetur, Pontifex Rom. earundem Patriarchas creare pergit, qui tamen actualem curam et jurisdictionem in patriarchatu, durante infelici terrarum illarum statu, non exercent, sed

---

[5]) Episcopum Ctptanum Patres Chalcedon. dignitate patriarchali ornarunt, quod deinceps etiam Pontifices e. gr. Gregor. M. (licet non expresse) ratum habuerunt. Idem honor a Theodosio jun. datus est episcopo Hierosolymitano, probante Sede apostolica. In Conc. Later. IV. (1215) series patriarchatum ita statuitur: Romanus, Constant., Alexandrinus, Antioch. et Hierosolymitanus c. 23. X. (V. 33).

[6]) Episcopum Rom. Occidentis Patriarcham a ss. Patribus semper habitum et appellatum fuisse, probat *Devoti* Instit. tom. I. p. 185.

[7]) *Andreucci* l. c. p. 4. — *Hallier* de s. Hierarchia l. 4.

[8]) In Conc. Later. IV. a. 1215 c. 23. X. (V. 33).

Romae commorantur, solo titulo insigniti ac propterea etiam pallium non accipientes. Excipitur solus Patriarcha Hierosolymitanus, quem Pius IX. (1847)[9]) cum pleno jurisdictionis exercitio impositaque residentiae lege restituit. — b. Aliud genus Patriarcharum in Occidente originem sumpsit, nempe eorum, qui *minores* dicuntur, quique titulum potius quam potestatem patriarchicam obtinent. Tales olim fuerunt Patriarcha Aquilejensis (§ 79, not. 34), Gradensis, Lugdunensis, Bituricensis (Bourges), Cantuariensis, Pisanus, Toletanus; hodie vero sunt: Venetus, Ulyssibonensis et indiarum occidentalium, quo titulo capellanus major regis Hispaniarum decoratur. Hi Patriarchae pallium obtinent a Papa, jus habent praeferendi sibi crucem, et ratione dignitatis medium tenent locum inter Patriarchas majores ac Metropolitas.[10]) — c. Denique non praetereundi sunt Patriarchae Orientalium cum ecclesia Rom. communionem habentium, veluti Maronitarum, Melchitarum, Syrorum, Armenorum in Cilicia et Chaldeorum in Babilonia. Hi ab episcopis et archiepiscopis ritus respectivi summo Pontifici praesentantur, ab eoque ad dignitatem patriarchicam elevantur, Palliumque cum actuali jurisdictione in Metropolitas et episcopos suae nationis accipiunt.[11])

Patriarchae minores.

Patriarchae orientales.

3. *Primates* in Occidente iidem fere erant, qui in Oriente Exarchi dicebantur. Etenim illi episcopi, quos summi Pontifices ad sollicitudinis suae curam relevandam variis in regionibus cum titulo *vicariorum Apostolicorum* constituebant, Primates dicebantur et potestatem jurisdictioni Exarchorum haud absimilem in suo tractu exercebant. Illa tamen differentia notanda est, Exarchos usque ad saeculum 5. a Patriarchis independentes exstitisse eisdemque fere pares fuisse, quod secus erat in Primatibus, qui summo Pontifici etiam tanquam Patriarchae erant subjecti. — Ejusmodi Primates in omnibus regnis seu nationibus christianis constituti erant; unde hodie Primates ii dicuntur, qui inter omnes Metropolitas regni aut nationis locum principalem tenent, ita tamen, ut plerique eorum solam honoris praerogativam, nullam vero jurisdictionem habeant. Ejus generis sunt: Patriarcha Venetus, archiepiscopi Salisburgensis, Pragensis, Leopolitanus, quorum primus Dalmatiae, secundus Germaniae, tertius Bohemiae, quartus Polo-

Primates.

---

[9]) Litterae Apost. de Patriarchatu Hierosol. 23. Juli 1847 et Allocut. 4. Oct. 1847.

[10]) *Philipps* K.-R. tom. II. § 71.

[11]) *Philipps* l. c. — Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 5. n. 18. — Acta consistorialia pro concessione pallii Patriarchae Antiocheno Syro Maronit. in Consist. secreto habito 28. Mart. 1757. (Bullar. Bened. XIV. append. XLIX.) Gerarchia cattol. 1886 p. 101. 102. — Loco cit. exhibentur quatuor Patriarchae Antiochen. sc. Maronitarum, Melchitarum, Syrorum et Latinorum.

niae Primas vocatur. Soli Hiberniae et Hungariae Primates potestatem primatialem hodie exercent. Et quidem Hungariae Primas, qui est archiepiscopus Strigoniensis (ex a. 1279) concilium nationale convocare eidemque praesidere, appellationes, quae fiunt ab episcopalibus regni judiciis, recipere et per totum primatus sui tractum crucem sibi praeferre potest.[12])

§ 114. De Metropolitis.

Origo.

Metropolitarum dignitatem ante concilium Nicaen. viguisse, exploratum est, quinimo ejusdem specimen satis clarum et expressum jam Apostoli dederunt in Timotheo et Tito, quorum alteri omnes in Creta insula ecclesias, alteri totam Asiae provinciam commissas fuisse constat. Quod vero ab Apostolis erat adumbratum, id subsequentibus temporibus ab ecclesia absolutum et perfectum est. Itaque et nomen et jus *Metropolitae* progressu

Nomen.

temporis certum fixumque redditum est, sic ut ille solus Metropolitae nomine diceretur,[1]) qui uni provinciae ejusque episcopis praeesset. Caeterum nomina Metropolitae et Archiepiscopi non idem prorsus denotant. Quilibet enim Metropolita recte quidem nuncupatur Archiepiscopus, non vero id etiam e converso dicendum. Nam Metropolitae semper sub se habent episcopos suffraganeos; dantur vero etiam Archiepiscopi, qui nulli provinciae sed solummodo suae dioecesi praesunt et proin non tam veri Archiepiscopi quam honorarii et exemti habendi sunt.[2])

1. Jura antiquitus addicta.

Potestas metropolitana olim sat ampla fuit et jura longe maxima continebat, e. gr. confirmandi, consecrandi et transferendi episcopos, recipiendi appellationes ex provincia, visitandi dioeceses comprovincialium, de horum criminibus judicandi etc. At ex variis rationibus, quae neutiquam in Rom. Pontificum dominandi libidine, ut quidam eorundem osores asserunt, sed potius in Metropolitarum violentia et negligentia suum fundamentum habent,[3]) complura Metropolitarum jura ad Sedem apostol., unde decesserant, revertebantur,[4]) et ab ipso Conc. Trid. ad eandem reducebantur.[5]) Nimirum jus metropolitanum, quum non sit *divinae institutionis,*

---

[12]) *Cherrier* I. p. 199; *Ginzel* I. p. 218. *Philipps* K.-R. II. § 72.

[1]) Metropolitae vocabulum dignitate recentius est; nam qui deinceps eo nomine compellati sunt, ab initio *primi, principes, primae sedis episcopi,* (in Africa) *seniores* dicebantur. *Devoti* tom. 1. p. 191.

[2]) Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 2. c. 4. n. 5.

[3]) Thomassin. vet. et nov. discipl. P. I. lib. 1. c. 48.

[4]) c. 16. de elect. in VI. (I. 6). Conc. Trid. Sess. XXII. c. 7. et XXIV. c. 1. de ref.; c. unic. in VI. (III. 5); Sess. XXV. c. 7. de ref.

[5]) In l. c. et Sess VI. c. 1.; XXIII. c. 1. 8. 18; XXIV. c. 3. 5. 16. 20. de ref.

sed *humanae constitutionis,* pro temporum indigentiis vel ampliari vel restringi potest, quinimo nil obstat, quominus Pontifices ipsi quandoque ea jura exequantur, quae jure nonnisi humano ab ipsis ad Archiepiscopos derivata sunt.

II. Jura ex vigenti disciplina. 23

Juxta vigentem et a s. Sede adprobatam disciplinam et praesertim juxta Concilii Trident. sanctiones haec potissimum jura potestate metropolitica continentur:

1. Possunt singulis trienniis concilium provinciale convocare eique praesidere;[6])

2. suffraganeorum dioeceses visitare, sed nonnisi post plenam visitatam propriam dioecesim, necnon causa cognita et adprobata in concilio provinciali;[7])

3. suffraganeos, si desint officio suo, ut muneris sui partes impleant, compellere, ac praesertim *a)* ut synodos dioecesanas legitime habeant,[8]) *b)* ut Seminaria dioecesana erigant,[9]) *c)* ut residentiae leges observent.[10])

4. Jus devolutionis in quibusdam casibus ad ipsos pertinet, seu jus, suffraganeorum vel defectum vel negligentiam supplendi, idque potissimum procedit *a)* in beneficiorum collatione (§ 81. 3); *b)* si capitulum cathedrale infra 8 dies post vacaturam sedis episcopalis praetermittat constituere vicarium et oeconomum; nam tunc id facere, ad archiepiscopum spectat.[11])

5. Potestatem judicialem in suffraganeos non habent, neque quoad res criminales, ex ratione alibi (§ 107. 2. b.) commemorata, neque quoad causas civiles jam ex eo, quia ipsae hodie judicibus saecularibus fere ubique addicuntur.[12]) Jus tamen appellationum ex sua provincia salvum integrumque ipsis permansit quoad causas, in quibus ad altiorem judicem appellari potest; in multis enim causis quaevis appellatio lege ecclesiastica[13]) omnino excluditur.

6. Spectat etiam illud ad Metropolitas, ut regulares exemptos compellant ad praedicandum verbum Dei, quum id negligunt;[14]) item procurare debent, ut iidem, si capitulis generalibus non sub-

---

[6]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 2. In conc. Lateran. IV. a. 1215 (c. 25. X. [V. I.]) quovis anno concilium provinc. celebrari praecipitur.

[7]) c. 1. in VI. (III. 20); Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 3.

[8]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 2.

[9]) Ibid. Sess. XXIII. de ref. c. 18.

[10]) Ibid. Sess. VI. de ref. c. 1. — Cfr. § 87. 4.

[11]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 16.

[12]) *Philipps* Lehrbuch d. K.-R. p. 281. not. 28. — Concord. austr. artic. XIII.

[13]) Bened. XIV. Constit. «Ad militiantis» a. 1742. Conc. Trident. edit. cit. p. 521.

[14]) Conc. Trid. Sess. V. de ref. c. 16.

sint, in congregationes redigantur, seu potius, ut de his erigendis deliberent.[15])

7. Si dubia et difficiliores abusus circa Sanctorum, Reliquiarum et sacrarum imaginum venerationem irrepserint, aut de iis rebus gravior quaestio inciderit, casus Metropolitae et concilii provinc. definitioni proponi jubetur.[16])

Ex his facile intelligi poterit, Metropolitis proprie nullam in suffraganeos competere jurisdictionem, sed nonnisi circa quaedam disciplinae capita quoddam inspectionis genus et jus devolutionis, vi cujus Metropolita suffraganeorum vel negligentiam supplere vel non recte ab iis acta corrigere valet. Verum vel ipsa modo recensita jura ob infrequentiam synodorum provinc., ob reverentiam pontificalis officii,[17]) ob episcoporum sedulitatem in suo munere obeundo aliasque rationes, ex parte in desuetudinem abierunt,[18]) ita ut hodie Metropolitarum dignitas non tam in eminentiori potestate, quam in quadam honoris praeeminentia posita esse videatur.

III. Insignia: Et haec Metropolitarum *majoritas* elucet a specialibus insignibus, quibus eos antiquitas decoravit. Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum insignia (praeter ornamenta ipsis et episcopis communia) sunt: crux et pallium.

Crux. *Crux* Metropolitarum unico, Patriarcharum vero duplici transverso ligno constat. Illis ubique praefertur in provincia,[19]) his vero ubique etiam extra patriarchatus sui ditiones, praeterquam Romae.

Pallium. *Pallium* est fascia lanea candida cum quatuor sericis nigrisque crucibus intextis, adinstar stolae per humeros propendens. Nempe festo s. Agnetis in ejusdem templo duo agni candidi benedicuntur, ex quorum lana, permixta reliquae lanae, pallia conficiuntur et super altari, ubi conditum est b. Petri corpus, reponuntur. Idcirco pallium ex b. Petri corpore sumtum esse dicitur, atque per ipsum plenitudo potestatis supra-episcopalis, qua metropolitae aliique superiores praelati[20]) instructi sunt, designatur, eamque a summo Pontifice proficisci innuitur. Siquidem pallium crucibus distinctum et munus boni pastoris laboriosum, et communionem cum summo pastore denotat. Ejus usum antiquissimum esse, monumenta saeculi 5. testatum faciunt. A saeculo 6. pallium a s. Sede vicariis apostol. passim

[15]) Ibid. Sess. XXV. de regul. c. 8.

[16]) Conc. Trid. Sess. XXV. de invoc. vener. et reliquiis SS.

[17]) Cfr. c. 1. § 1. de offic. ord. in VI. (I, 16).

[18]) Hinc inepte quidam postulant, ut antiquorum Metropalitarum jura restituantur. Id aetati nostrae non convenire, historia temporis recentioris abunde testatur. *Walter* K.-R. § 154. n. 7.

[19]) Modo praesens non sit legatus Papae insignibus utens apostolicae dignitatis. c. 23. X. de priv. (V. 33).

[20]) In c. 23. X. (V. 33) pallium dicitur «plenitudinis officii pontificalis insigne.»

tributum esse legimus,[21]) saeculo 8. etiam Metropolitis dari coepit, ex eoque tempore indiscriminatim omnibus Archiepiscopis conceditur, quinimo illud ex privilegio apostol. nonnullis etiam episcopis indultum novimus e. gr. Papiensi, Herbipolitano, Passaviensi, Quinqueecclesiensi et Tridentino. Illi, quorum ecclesiae usus pallii adhaeret, istud intra 3 menses, a suae consecrationis die, vel si jam sint consecrati, a die confirmationis numerandos, a Rom. Pontifice petere debent, et quidem *enixis precibus,* ut moris est, seu *instanter, instantius, instantissime.*[22]) Eo nondum accepto, nemo Patriarcham vel Archiepiscopum se potest appellare,[23]) neque facere potest, quod facit ut Patriarcha vel ut Archiepiscopus sive *quoad actus jurisdictionis,* ut convocare concilium, visitare provinciam, sive *quoad actus Ordinis,* qui inter Missarum solemnia aut cum episcopalibus ornamentis peraguntur, v. c. conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, consecrare episcopos, *quum id non tanquam simplex episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur.*[24]) Actus vero jurisdictionis, qui Archiepiscopo non sunt proprii, post obtentam confirmationem facere non prohibetur. Actus Ordinis, quos ante acceptum pallium ipse facere nequit, alteri episcopo delegare et committere valet.[25]) Ea tamen, quae extra Missarum solemnia et in stola tantum ab episcopis fieri solent, ut vasa s. aut paramenta vel coemeteria benedicere, baptizatos confirmare, ante acceptum pallium exerceri posse, nonnulli sentiunt.[26]) — Antequam imponitur pallium, Sedi apostol. juramentum praestari debet; quod primigeniae naturae ac fini pallii perquam consentaneum est. — *Usus pallii* adstringitur 1. *ad certos dies* festos, qui enumerantur in Pontificali Romano (de Pallio), scil. quando Missarum solemnia et alia pontificalia peraguntur, 2. *Ad provinciam,* inter cujus episcopus metropolita velut princeps et dux censetur; intra provinciam vero in omnibus ecclesiis pallio uti potest, quando posset in sua. 3. *Ad ecclesiam* in iis, quae cum episcopalibus ornamentis peraguntur, non vero in processionibus extra ecclesiam. 4. *Ad personam;* nam sic adhaeret personae Archiepiscopi, ut nemini commodari possit, et ubi Archiepiscopus sepelitur, simul cum eo humari debeat. Ei, qui transfertur ad aliam sedem metropolitanam, novum pallium conceditur.

[21]) *Devoti* tom. 1. p. 197, ubi plura hujus rei exempla referuntur.

[22]) c. 1. D. 100; c. 2. ib. S. Gregorius advertit, pallium nonnisi *fortiter postulanti* concedi. Bened. XIV. Constit. «Rerum eccles.» a. 1748.

[23]) c. 3. de usu pallii X. (I. 8).

[24]) c. 28. § 1. X. (I. 6).

[25]) Extra provinciam quoque suam ab alieno episcopo invitatus ibidem actus Ordinis exercere potest, quia ibi pallio uti nequit et propterea ut quivis alius episcopus agere censetur.

[26]) *Zallinger* h. t.; *Engel,* Colleg. c. j. h. t.; Caeterum in hac re nonnulla sunt controversa. Vid. *Philipps* K.-R. § 130. *Schulte,* System § 28.

CAPUT III.

De episcopis eorumque adjutoribus.

§ 115. De munere episcoporum generatim.

Episcopi (pontifices, summi sacerdotes, sacrorum antistites, pastores, ecclesiae patres et doctores etc.)[1] i. e. ii, qui in Apostolorum locum successerunt,[2] ab ipso Christo instituti et a Spiritu s., sicut Apostolus ait, «positi sunt, regere ecclesiam Dei,» Act. 20, 28) nempe unacum summo Pontifice eique quoad usum suae potestatis subjecti.

Ordine Pontifici pares.

1. Episcopalis dignitas ratione Ordinis maxima dicitur in ecclesia, imo *culmen dignitatum.*[3] Siquidem episcopi plena et perfecta Ordinis potestate pollent et tanta quidem, quanta summus Pontifex: unde Pontifex veteri more eos Venerabiles fratres appellat. Et haec quidem Ordinis potestas cum charactere episcopali sic est connexa, ut *valide* semper, quamvis forsan non semper licite, exerceatur (§ 24).

Jurisdictio conjunctim cum Pontifice exercenda.

2. Sed etiam ratione *jurisdictionis* episcopi insignem in ecclesia locum occupant. Ipsi nimirum unacum summo Pontifice regentem et docentem ecclesiam efficiunt et, ut canones constanter enuntiant, sicut *Pontifex ad plenitudinem potestatis assumptus* est, ita *episcopi vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*[4] A nonnullis duplex episcoporum jurisdictio distinguitur:[5] alia *universalis,* quae ad universalem ecclesiam refertur, alia *particularis,* quae ad uniuscujusque dioecesim pertinet. Sed *universalis* proprie non est nisi *synodica,* qua nempe singuli episcopi habent et quidem *jure proprio* votum decisivum in conciliis generalibus tum in definiendis fidei quaestionibus tum in legibus condendis pro universa ecclesia valituris. Non vero in eo sensu datur jurisdictio episcoporum universalis, quasi Christus collegio episcoporum immediatam potestatem, ac etiam extra concilium generale exercendam, tradidisset, qua deinde vi ordinis episcopalis in episcopos redundet. Hoc tam ideae monarchiae (supra p. 72. 73) quam rectae rationi adversatur. Nam *primo* Christus Dominus non collegio episcoporum, sed soli Petro *immediate* et *directe* juris-

---

[1]) *Bouix:* Tractatus de episcopo. vol. I. p. 4. ed. Paris.

[2]) An et quatenus episcopi sint successores Apostolorum, explicatur a cl. *Bouix* in op. cit. tom. 1. p. 41—53.

[3]) c. 37. X. (III. 5).

[4]) S. Leo M. ep. 14. c. 1. (Oper ed. *Ballerin.* tom. 1. col. 686): «Vices enim nostras ita tuae credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.» c. 11. C. 2. qu. 6; c. 4. X. (I. 8.)

[5]) Cfr. *Bolgeni:* L'episcopato. P. I. c. 7. n. 95.

dictionem et directionem totius gregis (in omnes et singulos *pastores* et fideles») (Conc. Vatic. Sess. IV. c. 3.) commisit. *Secundo* vi ordinis episcopalis solummodo *potentia* confertur duo nota Sacramenta conficiendi et *habilitas* ad gregem Christi regendum; ut vero ista et potentia et habilitas transeat in actum, ad consecrationem injunctio legitima, seu missio canonica accedere debet (supra § 24). Ergo jurisdictio episcoporum universalis praeterquam quae *synodica* dici potest, statui nequit.[6]) — Itaque regularis episcoporum potestas est *particularis* seu ad assignatam ipsis dioecesim adstricta. Siquidem non divino quidem, sed mere humano, at pervetusto, imo *apostolico*[7]) jure institutum est, ut singulis quibusque episcopis specialis quidam districtus (sc. dioecesis, olim parochia nuncupata) assignetur, cui partem illam sollicitudinis, in quam vocati sunt, impendant. Hanc jurisdictionem in dioecesim propriam episcopi auctoritate sive immediata sive mediata[8]) a Romano Pontifice accipiunt, assignato certo grege et districtu, super quam suam potestatem dependenter ab eodem R. Pontifice exerceant.

Latitudo jurisdictionis particularis.

3. Et haec jurisdictio episcopi in propria dioecesi hac formula convenienter exprimitur: *Episcopus dioecesim suam jure ordinario et proprio, sed non pleno, gubernat, scil. cum poteste a superioribus eccles. praesertim a Papa, dependente, ab inferioribus vero non limitanda.* Dictum est: a) *jure ordinario et proprio;* nam munera et jura episcoporum ratione stabili et perpetua cum praelatura et officio episcopali connexa sunt, non vero ex commissione

Est ordinaria et propria.

---

[6]) Cfr. *Nilles,* Innsbr. Zeitschrift für Theologie 1877. p. 287. seq. et auctores ibi citatos. *Tarquini* p. 83. seq. — Jus episcoporum participandi in conciliis generalibus cum suffragio decisivo tribuitur vi consecrationis; hinc *jure ordinis sui proprio* et tantummodo Bulla convocationis generaliter evocati in iisdem comparent (*Nilles* l. c. p. 289).

[7]) Nam apostoli, licet in universum orbem missi, tamen, aucto fidelium numero, divisionem illam instituerunt, quam pro recto ecclesiae regimine necessariam existimarunt, et a qua repetenda est prima origo divisionis dioecesanae. *Devoti* Instit. lib. 1. tit. 3. n. 3.

[8]) Abstinendum duco ab expendenda celebri controversia: utrum episcopi jurisdictionem suam immediate a Deo, an immediate a summo Pontifice habeant? Vide *Bouix de Episcopo* et *Zallinger* Instit. jur. natur. et eccles. p. 742. seq. — Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 1. c. 4. n. 2. desuper: «Quoad potestatem, ait, jurisdictionis ... quaestio est inter Tridentinos Patres summa contentione jamdiu exagitata, nec definita, de qua Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Trid. lib. 18. c. 14. et lib. 21. c. 11. 13. an episcopi illam accipiant immediate a Christo aut potius a summo Pontifice. Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis; nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita. Ratio siquidem monarchici regiminis, quod Christus in sua ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius ecclesiae jurisdictionis fons et origo resideat in ejusdem ecclesiae visibili capite, qui est Romanus Pontifex atque ab eo profluat in cetera membra.»

speciali injunguntur, prout in potestate delegata id locum habet. Ideo episcopo per eminentiam nomen *Ordinarii* (scil. judicis) vel etiam *Dioecesani* tribuitur. Atque haec, quae ad dioecesim refertur, episcopi potestas bifariam a doctoribus spectari solet, videlicet qua *lex jurisdictionis* et qua *lex dioecesana*. Nimirum ex usu loquendi serius recepto *haec* nil aliud, nisi jus episcopi, exigendi a subditis eccles. certi generis tributa, denotat; ad *illam* vero quaevis reliqua episcopoum jura revocantur. Sed si spectetur primigenia harum vocum significatio, longe aliud erat praedictae divisionis fundamentum. Etenim ab initio *lex dioecesana* stricte dioecesanos (seu qui erant *de* dioecesi) respiciebat, minime vero etiam regulares exemtos; *lex jurisdictionis* vero ad omnes omnino fideles in territorio dioecesis degentes, (seu qui erant *in* dioecesi) ideoque ad ipsos etiam exemtos pertinebat. Sed nullus fere est hujus partitionis practicus usus.[9]) — b) At haec episcopoum in commissam sibi dioecesim populumque auctoritas *non est plena*, sed superioribus eccles. (nempe Metropolitis aliisque de jure) et maxime summo Pontifici subjecta. Enimvero fidei dogma est, *episcopoum auctoritatem subjectam esse Rom. Pontificis auctoritati*, prout Pius VI. declaravit.[10]) Ex hac dependentia ultro fluit, summum Pontificem episcopoum jura suspendere, inhibere nec non prout expedire visum fuerit, coarctare posse, tum sibi reservando graviores causas necnon dispensationes et beneficiorum collationes, tum dioeceses dismembrando, tum personas et loca eximendo.[11]) Hinc minime admittenda est illa sententia, episcopum posse in sua dioecesi, quidquid Pontifex in universa ecclesia.[12]) Quousque Pontifici in hac episcopoum limitatione progredi liceat, praecise definiri haud potest, illudque solum inconcussum manet, quod Papa episcopis amotis nequeat regere totam ecclesiam per vicarios a se constitutos, propterea quod voluit Christus, ut ordinarie per episcopos, tanquam proprios et ordinarios pastores, dioeceses regantur. Et quia hoc pertinet ad constitutionem divinam ecclesiae, a qua de-

Non tamen plena.

---

[9]) c. 18. X. (I. 31); c. 4. X. (III. 37). Cfr. *Richter*, Lehrbuch § 119. not. 2. et *Schulte* System § 29.

[10]) In Brevi ad Principem Electorem Trevirens. ddto. 2. Febr. 1782. Idem Pontifex in Responsione ad 4 Metropolitanos: «Episcopi non solum, inquit, non sunt Pontifici pares, sed ita ejus auctoritati subduntur, ut, qui pastores appellantur et sunt, si populos respicias ii, si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur.» Florentiae 1790. p. 322.

[11]) *Bouix* op. cit. tom. 1. p. 103.

[12]) Cfr. Constit. «Auctorem fidei» Nro VI—VIII, ubi docetur, episcopos non posse statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa ecclesia sive etiam in unaquaque provincia locum habent; — juriumque episcopalium exercitium a superioribus praepediri posse.

flectere ipsa nunquam potest, ideo contingere nequit, ut summus Pontifex *vicariale* regimen ad universam ecclesiam extendat, quia sic destrueret constitutionem ecclesiae divinitus datam. — c) At haec eadem episcoporum potestas superioribus subjecta *relate ad inferiores et subditos prorsus libera est et independens.* Sicut Papa est Ordinarius Ordinariorum, ita episcopus est parochus primarius et originarius totius dioecesis, omnesque in ejus tractu degentes juxta modum superioritatis ipsi obedientiam praestare tenentur. Propterea nulli inferiores, sive singillatim sive collective considerati e. gr. synodus dioecesana, potestatem episcopi in regenda sua dioecesi constringere vel imminuere valent. Econtra presbyterorum et reliquorum potestas, qui ob ordinationem ab episcopo acceptam ejusdem filii appellantur, ab episcopali auctoritate derivatur eidemque quoad omnia subest, atque illud, quod s. Ignatius Mart. scribit: «Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare,»[13]) de quibusvis tum ordinis tum jurisdictionis actibus in ea dioecesi peragendis intelligi oportet. Neque obstat, quod episcopi in nonnullis regiminis sui actibus ex praecepto canonum ad capituli sui consensum aut consilium adstringuntur. Nam hujusmodi restrictio non per capitulum, sed per legem ecclesiae universalis, ergo per superiores ecclesiasticos stabilita est.

Sed ab inferioribus non limitanda.

4. Episcoporum potestas ad propriam dioecesim restringitur,[14]) extra quam sine consensu tacito vel expresso judicis ordinarii jurisdictionem contentiosam exercere nequeunt, voluntariam autem valide et plerumque etiam licite exercent, quamquam ad evitandum scandalum et confusionem actus voluntariae jurisdictionis non publice, sed plerumque privatim tantum exerceri debeant.[15]) E converso inductum est, ut regulariter unus duntaxat episcopus in quavis urbe resideat, nisi forsitan fideles diversi ritus in aliqua regione permixtim vivant, in quo casu duos episcopos in eadem civitate praeesse concessum est.[16])

Ad propriam dioecesim adstricta.

6. Munus episcopale et insignia jura et gravissimas obligationes involvit,[17]) ita ut cum dignitate maxime veneranda onus

Obligationes; dotes.

[13]) Epist. ad Smyrn. cap. 8.

[14]) c. 6. D. 65; c. Episcopi. 8. C. 9. qu. 2.

[15]) *Sanchez:* De Matrimonio lib. 3. disp. 19. Cfr. § 212. not. 6.

[16]) Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 2. c. 12. n. 5. seq. et ejusd. Constit. «Etsi pastoralis» a. 1742. § 9. Leopoli (Lemberg) etiam tres archiepiscopi catholici resident scilicet archiepp. Latinorum, archiepp. Ruthenorum (rit. graeco-cath.) et archiepp. Armenorum (rit. arm. cath.). Quodsi pars fidelium ritui graeco addicta sit, illi nihilominus, salvo suo ritu, episcopo catholico ritus latini subjici possunt, prout sancitum est a Pio IV. in Constit. «Rom. Pontificis» a. 1564.

[17]) *Jura* episcoporum summatim referuntur in c. 16. X. (I. 31), *obligationes* vero pertractantur in Constit. Clem. XIII. a. 1758 (Contin. Bullar. tom. 1. p. 27).

angelicis humeris formidandum[18]) in episcopis conjungatur. Unde praeclaris dotibus eos splendescere oportet, qui ad episcopatum assumendi sunt, inter quas *aetatis maturitas, gravitas morum et litterarum scientia* in j. c. prae ceteris nominantur.[19]) (Cfr. supra § 81.)

Tractaturi jam de singulis, quae ad munus episcopale pertinent, jura et officia episcoporum permixtin recensebimus, ita tamen, ut nonnulla ad alia loca accuratius expendenda remittamus.

§ 116. De juribus et officiis episcoporum 1. quoad doctrinam et institutionem.

Quoad fidem.

1. Nequit episcopus quaestiones definire ad fidei doctrinam pertinentes, ut unaminis est doctorum hac in re sententia; sed potest ac debet imperare, ut caveantur errores jam ab ecclesia proscripti,[1]) et consequenter ad eum spectat, tam libros de religione tractantes adprobare, antequam imprimantur, quam scripta perniciosa jam impressa censura perstringere, ab eorumque lectione fideles avertere. Porro, ait. Benedict. XIV., non debet sibi episcopus arrogare partes judicis inter gravissimos secum contendentes theologos, in rebus nempe, quae auctoritate ecclesiae non sunt decisae. Si velit episcopus de hisce controversiis, circa quas gravissimi doctores dissentiunt, disserere, id solummodo tanquam doctor privatus facere potest, et tunc tanti valebit ejus sententia, quanti valent rationes ab eo adductae.[2])

Quoad praedicationem.

2. *Praedicationi verbi* Dei episcopi jam antiquitus sedulo vacabant,[3]) eaque hodiedum juxta Concil. Trident. est praecipuum eorum munus. Unde statuit et decrevit s. Synodus, *omnes episcopos, archiepiscopos, primates et omnes alios ecclesiarum praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Jesu Christi Evangelium. Si vero contigerit episcopos et alios praedictos legitimo detineri impedimento, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.*[4]) Idcirco praeter parochos, quibus ad animarum curam semel probatis jus et officium est plebem sibi commissam erudire,

---

[18]) Conc. Trid. Sess. VI. c. 1. de ref.

[19]) c. 7. X. (I. 6) et c. 19. eod. — Conc. Trid. Sess. VII. de ref. c. 1; Sess. VI. de ref. c. 1.

[1]) Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 6. c. 3. n. 7. — Pius IX. in Brevi ad archiep. et ep. Austriacos Viennae congregatos dato gravissimis verbis praesulum vigilantiam et zelum excitare studet, ut duobus praesertim morbis hodie quam maxime grassantibus strenue sese opponant, scil. indifferentismo et rationalismo. Sub vocibus initialibus: *Jam vero,* et *Verum non.*

[2]) Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 7. c. 11. n. 2. *Bouix* l. c. t. 2. p. 82.

[3]) Act. 6, 2; c. 6. D. 88.

[4]) Sess. V. de ref. c. 2. cfr. c. 15. X. (I. 31).

nemini, sive saeculari sive regulari permissum est sine venia episcopi praedicare.[5])

3. Ad muneris episcopalis partes spectat etiam *cura institutionis religiosae.* Episcopi nimirum inprimis in rectam accuratamque Cleri institutionem omnes curas convertere debent. Eosdem porro sollicitos esse oportet, ut juventus cujuscumque conditionis et sexus nedum fidei elementis, sed pleniori sanctissimae religionis cognitione sedulo excolatur.[6]) Iis denique etiam incumbit, professoribus Theologiae et magistris religionem tradentibus missionem et auctoritatem pro obeundo munere suo conferre.[7]) Quoad institutionem religiosam.

§ 117. 2. Quoad cultum divinum.

Hoc respectu duplex jurium episcopalium genus distinguere debemus; 1. Functiones sacras, quas episcopus in sua persona peragere potest; 2. ejusdem potestatem, rem divinam in sua dioecesi moderandi. Itaque

1. actus ordinis, quos episcopus in persona perficit, in duplici sunt classe: alios cum presbyteris communes habet *(jura ordinis communia);* alii vero ordini episcopali ita sunt adjuncti, ut vel nunquam vel raro sacerdotibus injungi possint ac soleant *(jura ordinis propria* seu *pontificalia).* Quo spectat ex *jure divino* collatio sacramenti ordinis et confirmationis, quae ita episcopi est propria, ut ordines majores nunquam, confirmatio vero nonnisi cum licentia Pontificis,[1]) a presbyteris conferri possint. Ex *jure humano* episcopo reservata sunt: Unctio regum et imperatorum; ecclesiarum, altarium et calicum consecratio; benedictio abbatum et abbatissarum; confectio chrismatis et olei tum catechumenorum tum infirmorum feria V. in Coena Domini.[2]) Et quidem memorata chrismatis confectio adeo pertinet ad episcopos, ut plerique auctores hoc jus ab Apostolica origine derivent, atque sentiant, illud ne a Pontifice quidem simplici sacerdoti committi posse. Idcirco etiam confirmandi privilegium a Sede apostol. presbyteris concessum hanc legem adjunctam habere solet: Modo ipsi chrismate utantur

jura ordinis communia.

jura ordinis propria;

a. ex jure divino.

b. ex j. humano.

---

[5]) Sess. XXIV. de ref. c. 4. Vid. infra: § 140. 2. a.

[6]) Breve cit. sub vocibus *Quoniam* et *Nec minori* (ubi sub voce *Pari* etiam sacrae Missiones pro populo fideli commendantur).

[7]) Cfr. Concord. austr. Artic. VI. Cfr. infra § 146. 2. c.

[1]) Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 7. c. 7. ubi plura proferuntur exempla privilegiorum meris sacerdotibus concessorum, administrandi confirmationem, sicque concluditur: Quare non videtur hodie fas esse, potestatem hanc, de qua olim disceptabatur, summo Pontifici abjudicare.»

[2]) c. 1. § 9. D. 25. «Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris et confectio chrismatis. Ipse . . . sacras virgines benedicit.»

ab episcopo benedicto.[3]) — Episcopus, dum peragit functiones ordinis episcopalis proprias, pontificalibus utitur infra enumerandis.

Ordinare cultum divinum.

2. Episcopi potestas, cultum divinum in sua dioecesi regulandi, jus quidem, in rebus substantialibus leges ferendi, excludit, cum hoc unice ad summum Pontificem pertineat. Attamen quum per jus commune non omnia prorsus exacte definita sint, singuli Ordinarii accuratius ea statuere possunt, quae locorum ac temporum rationi consona esse videntur. Hinc ad episcopum spectat: a. Ordinem divini officii (calendarium seu directorium) tum pro ss. Missa celebranda tum pro penso canonico persolvendo singulis annis praescribere. Etiam regulares, proprium calendarium non habentes, calendario dioecesano uti debent.[4]) — b. Excubare, ut Sacramenta et Sacramentalia juxta ritum in Pontificali et Rituali Rom. (aut Rituali dioecesano a Sede apostol. adprobato) praescriptum administrentur. — c. Propius definire (in quantum lege universali id permittitur) locum, tempus et modum, quibus res divina peragenda sit, necnon abusus, qui fors in cultum divinum irrepserunt, non minori prudentia quam zelo removere. Hinc vigilare debent, ut ea, quae de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum, de asservatione ss. Sacramenti[5]) necnon de sacris imaginibus ab ecclesia decreta sunt,[6]) exacte serventur. Hinc certae sacrae functiones ab eorum licentia pendent, veluti e. gr. expositio Sanctissimi, quae etiam ab exemtis, non habentibus jurisdictionem in populum, sine venia episcopi fieri nequit.[7]) Hinc

---

[3]) Bened. XIV. l. c. c. 8; *Devoti* tom. 2. p. 73. ed. Rom.; *Schmalzgr.* tom. 1. p. 108.

[4]) «An religiosi utriusque sexus proprium calendarium non habentes uti debeant calendario dioecesano?» Resp. s. Rit. Congreg.: «Affirmative, additis officiis, peculiariter concessis Regularibus in illa dioecesi commorantibus.» Die 22. Julii 1848.

[5]) Juxta Const. Bened. XIV. «Quamvis justo» 30. Apr. 1749 ss. Eucharistia in ecclesiis filialibus retineri non potest sine praesidio Apost. indulti vel consuetudinis immemorabilis, quae hujusmodi indulti praesumtionem inducit. Insuper in tali ecclesia semel in hebdomada Missam celebrari praecipere solet s. C. C. (ita s. C. in Fuldensi d. 17. Febr. 1883. Acta XV. p. 531). Episcopus in hisce filialibus non potest concedere asservationem s. s. Sacramenti. Declaravit tamen s. C. 5. Apr. 1851. (*Moy* Archiv t. 3. p. 533): «Quoad loca pia et religiosas domus, vel pro spiritualibus exercitiis erecta cum ea adprobatione Ordinarii, vel publica sine ea adprobatione episcopus non indiget facultatibus pro concedenda licentia sacrum in iis peragendi.» Quoad asservationem s. s. Eucharistiae in collegiis, e. gr. Seminariis vide *Bouix* de Ep. II. 123. n. 4).

[6]) Conc. Trid. Sess. XXV. decr. de invoc., venerat etc., ubi inter alia statuitur, ne quis ullo in loco vel ecclesia *insolitam* ponat imaginem, nisi ab episcopo adprobata sit.

[7]) Prout declaravit Congreg. episcop. 18. Maj. 1695. ap. *Ferraris* sub voce *Eucharistia* art. I. n. 61. Vid. infra § 140. 2. b, 4to.

denique vi Constit. Bened. XIV. (2. Jun. 1751) episcopis fas est decernere, ne ullus sacerdos vel saecularis vel regularis exorcizare audeat, quin prius ab ipsis adprobatus sit, ejusque rei licentiam antea obtinuerit.[8])

§ 118. 3. De episcoporum juribus quoad regimen externum.

Jus inspectionis.

1. Episcopis, ut suam dioecesim rite gubernent, praeprimis officium *inspectionis et vigilantiae* incumbit,[1]) vi cujus tum cleri tum populi sibi subjecti mores et vitam continuo speculari et inspicere debent. Et hanc quidem obligationem vel ipsum nomen *episcopi*,[2]) nedum lex eccles., significantissime exprimit. — Praeter reliqua media, ad satisfaciendum huic obligationi adhibenda, jam canones antiquiores *visitationem dioecesis* quotannis faciendam episcopis injunxere,[3]) juxta Concil. vero Trident. haec visitatio saltem quovis biennio vel per ipsum episcopum vel, eo legitime impedito, per alium ad hoc delegatum institui debet. Quem in *finem* id fuerit mandatum, Concil. Trident. his verbis declaravit: *Visitationem autem omnium praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corri-*

Visitatio dioecesis.

Ejusdem finis.

---

[8]) Constit. «Magno cum» § 34. (Bullar. M. ed. Luxemb. tom. 18. p. 221). Synodus Brixin. tit. 2. n. 14: «Multo minus exorcismos adhibeant, nisi obtenta ad id a nobis facultate, hac etiam habita non aliis usuri, quam in Rituali Rom. aut Sacerdotali nostro praescriptis.»

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref. «Gregi suo invigilent et assistant.»

[2]) c. 1. D. 21. § 27. *(Isid.):* Episcopatus autem vocabulum inde ductum, quod ille, qui efficitur episcopus, *superintendat;* . . . episcopi enim graece, latini *speculatores* interpretantur; nam speculator est praepositus in ecclesia dictus, eoquod speculetur et perspiciat populorum infra se positorum mores et vitam. — S. Augustin. de civ. Dei lib. 19. c. 19: Episcopatus nomen est operis, non honoris, graecum est enim etc.

[3]) c. 10. 11. 12. C. 10. qu. 1. — In Oriente antiquissimis temporibus visitatio dioecesium quibusdam presbyteris committi consueverat, qui *visitatorum* nomine appellabantur (c. 5. D. 80. conc. Laodic.). At in Occidentis regionibus tum ex consuetudine antiqua tum ex decretis 6. jam saeculi conciliorum id negotii episcopis injunctum est. Modus tamen visitandi ea aetate peculiaris erat. Etenim episcopis visitantibus (quod etiam valet de archidiaconis, qui pariter suum districtum visitare debuerunt) solemne fuit per singulas parochias indicere clerici ac populi conventus, quos *synodos* aut *placita* (Sendgerichte) de more aetatis illius vocarunt. In his conventibus praesidens episcopus de vita tum laicorum tum clericorum testimonia exquirebat, et quo tutior esset ac sincerior pervestigatio, ex optimis quibusque septem deligebat viros, *testes synodales* dictos, quos jurejurando obstrictos examinabat de vitiis, quibus praecipue laboraret parochia, atque de vita et moribus tam cleri quam populi. Abierunt autem in desuetudinem hae synodi, nec testium synodalium deligendorum retenta est salubris consuetudo, in quorum tamen locum quodammodo suffecti sunt vicarii foranei seu decani.

gere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, caetera prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.[4])

Objectum generale

Visitationi episcoporum *generatim* subjacent quaevis tum ecclesiae in dioecesi sitae, tum instituta eccles., et quidem eatenus etiam ecclesiae exemtae, quatenus iisdem imminet cura animarum,[5]) necnon illa capitula exemta, quae non sunt *proprie* nullius dioecesis, et quidem illorum tam personae, quam ecclesiae.[6]) Ratione disciplinae regularis episcopus exemtos regulares visitare et corrigere non potest, nisi postquam eorum superiores frustra monuerit, ut debitam vivendi rationem observent et observari a subditis faciant.[7]) — *Speciale* objectum visitationis constituunt: a) *loca* seu ecclesiae, cappellae, instituta episcopi jurisdictioni subjecta; b) *res,* scil. supellectile ad ecclesiam pertinens, altaria, baptisterium, confessionalia; item indulgentiae, confraternitates etc.; c) *munera* et *functiones sacrae* e. gr. ratio praedicandi, Sacramenta conferendi, rem divinam peragendi, administrandi peculium eccles., et similia: d) *personae,* seu vita et mores tum cleri tum populi.

et particulare,

Modus.

Quoad *modum,* quo peragenda est visitatio, eadem fieri jubetur sine strepitu et figura judicii, sic nempe, ut poenae non imponantur delictorum ordinariae, sed nonnisi per modum correctionis. Et ab his, quae taliter decreta et mandata sunt, nulla regulariter datur appellatio cum effectu *suspensivo.*[8]) Quodsi tamen episcopus visitans contra delinquentem non velit procedere *per modum visitationis,* sed formaverit processum, vel imposuerit veri nominis poenam, tum appellatio conceditur cum effectu etiam suspensivo, et episcopus potest recusari ut suspectus. Episcopo visitanti debetur *procuratio seu portio canonica* (olim dicta mansionaticum seu comestio) i. e. contributio sumtuum seu expensarum necessariarum pro victu et honesta sustentatione tempore visitationis praestanda. Sed regula generalis est, praeter victualia pro se et suis, et quidem moderata et frugalia, nihil ultra posse visitatorem exigere aut recipere. Imo in aliquibus locis episcopus ipse sumtus

---

[4]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 3. Cfr. c. 12. C. qu. cit.

[5]) Conc. Trid. Sess. VII. c. 8. et Sess. XXI. c. 8. de ref.

[6]) Ibid. Sess. VI. de ref. c. 4.

[7]) Ibid. Sess. XXI. de ref. c. 8. sub fin. — Potest vero episc. *tanquam Sedes Apost. delegatus* visitare, punire et corrigere regulares extra monasterium degentes, *si deliquerint* (Conc. Trid. Sess. VI. c. 3. de ref.), item quasvis regularium ecclesias curatas. *Vering,* Archiv tom. 27. p. 185.

[8]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 10. — Datur tamen appellatio (ait *Devoti* tom. I. p. 118), uti dicitur, in *devolutivo* quae scil. episcopi decretum defert ad judicem superiorem, posteaquam exitum habuit.

visitationis ferre tenetur, quem morem, ubi viget (e. g. in nostris regionibus), Concil. Trident. observari jubet.[9])

Potestas legifera.

2. *Legislativa* episcoporum *potestas* in illo continentur s. imperio, quod Christus Apostolis eorumque successoribus contulisse noscitur. Itaque dubium non est, quin episcopi constitutiones seu leges quoad omnes suos subditos obligatorias concedere possint, tum in dioecesana synodo tum extra synodum, atque etiam sub poenis e. gr. sub excommunicatione ipso facto incurrenda. Disputatum fuit, an etiam leges ab episcopo extra synodum latae, et per simplex edictum promulgatae post mortem aut renuntiationem episcopi adhuc vigeant. Sed assentiendum est eis, qui perpetuas esse affirmant, tum quia lex natura et ratione sua est perpetua, tum quia etiam leges in synodo latae ab alio, quam ab episcopo vim non accipiunt. Verumtamen leges episcoporum debent conformari universalibus ecclesiae legibus. Scilicet possunt quidem esse sancitae *praeter jus*, non vero *contra jus* universalis ecclesiae. Unde episcopi non possunt prohibere, quod per jus universale *expresse* et *indubitanter* permissum est (nisi canones id eis diserte concedant), et e converso non possunt permittere, quod jure universali prohibitum est. Valent autem illud propius definire, quod lege canon. universali quoad modum, tempus et reliquas circumstantias non tam accurate definitum est,[10]) aut quod definiendum canones episcopis permittunt.[11]) Item juxta Bened. XIV. possunt episcopi res communi jure nonnisi *probabiliter* permissas per leges dioecesanas vetare necnon certae transgressioni novas poenas adnectere praeter illas, quae a lege universali statutae sunt.[12])

Potestas dispensandi.

3. Jus dispensandi in legibus dioecesanis episcopo competere, per se intelligitur. In legibus vero universalibus regulariter dispensare nequit, quia nullus inferior potest solvere, quod superiorum

---

[9]) Tit. de cens. exact. et procurat. c. 6. 23. X. (III. 39); in VI. (III. 20); Clem. (III. 13); X. vag. comm. (III. 10); Conc. Trid. XXIV., c. 3. de ref. *Ferraris* sub v. *Procuratio.*

[10]) Exempla afferuntur a Bened. XIV. de synod. dioec. l. 12. c. 6., inter quae etiam sequens exstat: Canones praecipiunt, recens natos infantes, quam primum commode fieri poterit, esse baptizandos, non tamen praescribunt certum tempus, intra quod debeant baptizari. Integrum ergo erit episcopis, illud determinare, ut a s. Carolo Borrom. et ab aliis factum legimus, qui plerumque concordant in termino octo dierum. Cfr. supra dicta de venatione § 73, de vestitu clericali § 74. 3.

[11]) E. g. quoad mulieres cum clericis cohabitantes (§ 69. 1.), quoad venationem (§ 70. 2.), quoad vestitum clericalem (§ 74. c.).

[12]) Prioris rei exemplum profert Bened. XIV. l. c. l. 7. c. 3 dicens, licere episcopo prohibere diebus festis publicas nundias, quamvis aliqui sustineant, negotiationem strepitosam ac publicas nundias diebus festis non prohiberi. Alterius rei exemplum refertur l. c. l. 12. c. 6.

auctoritate ligatum est. Potest tamen dispensare: a. *Ex jure id permittente.* Ex hoc titulo dispensat in irregularitate per bigamiam similitudinariam contracta, in irregularitate ex defectu natalium ad ordines minores recipiendos, in omnibus irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, et in omnibus *occultis* censuris, quae speciali modo in Constit. «Apostolicae Sedis» non sunt reservatae (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 6. de ref.); porro ab ordinum interstitiis, in votis (cum limitatione supra § 105 n. 1 indicata) et juramentis, denique in nonnullis impedimentis matrimonium prohibentibus. b. *Ex legitima consuetudine* relaxat praeceptum jejunii, aut legem opera servilia diebus sacris prohibentem, dispensatque cum iis, qui jus petendi debitum conjugale amiserunt. Generatim consuetudo legitime praescripta, quae sit immemorabilis, aut saltem centum annos sine intermissione perstiterit, jurisdictionem confert; atque adeo fieri potest, ut episcopi aliquarum dioecesium quasdam dispensationes super jure communi licite et valide largiantur, quas ipsorum decessores jam sunt largiti. Sed tamen requiritur, ut per talem consuetudinem *ecclesiasticae disciplinae nervus non dirumpatur.*[13]) c. Dispensat *ex speciali Pontificis delegatione,* nempe vi facultatem quinquennalium vel aliarum, quas a s. Sede accepit. d. Interdum dispensat ex *praesumta et interpretativa Pontificis delegatione.* Quando videlicet ob bella aliasque publicas calamitates vel ob periculum in mora dispensatio super impedimento matrimonii occulto vix, vel ne vix quidem expeti potest, tunc ecclesia episcopi jurisdictionem supplere censetur, et summi Pontificis venia jure merito praesumitur. (Cfr. infra in tractatu de matrimonio.) — Denique episcopus in sua quisque dioecesi dispensare potest etiam in legibus concilii provincialis, nisi dispensatio in antecessum reservata fuerit.[14])

Potestas judicandi.

4. Episcoporum potestas *judiciaria* ad omnes causas sese extendit, quae ad forum eccles. ex indole sua pertinent et non specialiter exceptae atque apud Sedem apost. tractandae sunt. Ut vero causae tum criminales tum aliae in figura judicii terminentur, quilibet episcopus judicium penes se habeat, necesse est. Ne vero lites nimium protelentur, cavit synodus Trident.,[15]) ut causae eccles. omnes ad minimum intra biennium a die motae litis, id est citationis, ab Ordinario finem accipiant, alioquin judex superior adiri possit. — Quoniam vero potestas legislatoria et judiciaria sine *coërcitiva* inane nomen est, ideo episcopis etiam jus competit,

---

[13]) Bened. XIV. de Synod. dioec. l. 9. c. 2. Card. *Soglia* l. c. p. 194.

[14]) *Barbosa* de offic. et potest. episcopi alleg. 34. n. 10; *Suares* de Leg. VI. c. 15. n. 7; *Leuren* For. eccl. l. I. tit. II. qu. 185 n. 3; *De Angelis* in append. de conciliis p. 286.

[15]) Sess. XXIV. de ref. c. 20.

refractarios sibi subditos, servato juris ordine et habita mitissimi ecclesiae spiritus ratione, censuris aut poenis eccles. afficiendi iisdemque vigorem disciplinae eccles. conservandi. Nominatim Conc. Trident.[16]) monet, ut episcopi ad corrigendos clericorum excessus omni cura intendant.

Jura administrandi.

5. Jura episcoporum *administrativa,* seu quae ad recte gubernandam dioecesim pertinent, multiplicia sunt et per totum fere jus canonicum dispersa. Itaque episcopus vocat ad synodum dioecesanam, beneficia confert, vel praesentatos in iisdem instituit, nova erigit et interdum antiqua in unum conjungit, regit Seminarium dioecesanum, administrationi peculii eccles. invigilat, piarum voluntatum executionem curat, et reliqua agit, quae vel legibus statuta sunt, vel alias ad muneris sui partes rite explendas necessaria esse videntur.[17]) Ad ipsum quoque spectat, quibuscumque sacerdotibus *saecularibus* pro confessionibus audiendis dare tum adprobationem tum jurisdictionem, *regularibus* vero, quando agitur de audiendis confessionibus poenitentium saecularium, saltem adprobationem,[18]) ita tamen, ut quosdam casus sibi soli reservet absolvendos.

Potestates extraordinariae.

6. Praeter jura ordinaria et propria episcopis insita, iidem, ac praesertim qui ab alma Urbe remotius distant, etiam juribus et facultatibus extraordinariis instructi esse solent, quas a s. Sede sibi delegatas acceperunt, ne justo frequentius ad ipsam recurri oporteat. Huc praesertim spectant facultates, quae episcopis Germaniae, Austriae et aliis remotioribus a Dataria Rom. seu, ut nunc fieri solet, a s. Congreg. de propaganda fide ad quinquennium pro foro externo, a s. vero Poenitentiaria ad triennium et pro foro interno concedi solent. Utraeque hae facultates potissimum dispensationes et absolutiones pro utroque foro continent, ac praeterea episcopis alia etiam jura tribuunt, quorum usus frequentissimus est et fere quotidianus.[19]) Sed praeter hasce facultates ad triennium vel quinquennium concedi solitas, alias insuper ex gratia speciali Sedis apost. pro bono suae dioecesis episcopi impetrare solent.[20])

---

[16]) Sess. XXV. de ref. c. 3; Sess. XIV. in proem. de ref.

[17]) Vid. Concord. austr. art. 4. 6. 22. 24. 25. 28. 30. 31.

[18]) Est quaestio controversa, utrum regulares *jurisdictionem* pro absolvendis saecularibus obtineant a Papa, an ab episcopo? Ex declarat. s. C. C. apud Fagn. in c. *Omnes utriusque sexus* adprobationem quidem ab episcopo, jurisdictionem vero a R. Pontifice accipiunt. — De confessariis monialium vide infra § 140. 2. b. Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 11. de regal.

[19]) Vide has facultates quinquennales et triennales in appendice, nam eas nosse haud parum interest viri ecclesiastici.

[20]) Juvat exempli gratia nonnullas facultates hic adjicere, quas episcopus ac princeps Brixinensis a summa Sede obtinuit: 1. Missas fundatas reducendi

§ 119. 4. De juribus episcoporum honorificis.

Cum episcopi sint principes ecclesiae, eorum excellentiae consonum est, ut singularibus reverentiae signis honorentur, peculiaribus decorentur dignitatis suae insignibus, certisque privilegiis fruantur.

Indicia honoris.

1. Indicia honoris episcopis exhibenda consistunt: a) *In proëdria,* qua tum quosvis alios clericos episcopali Ordine non insignitos generatim, tum quosvis archiepiscopos et episcopos in sua ecclesia et dioecesi in functionibus episcopalibus antecedunt, metropolitano tantum suo excepto. Sed ex urbanitate debent honorare in sua dioecesi alios episcopos advenas et extraneos. Praecedentia episcoporum tum in concilio provinciali tum alias statuenda est secundum tempus ordinationis, non secundum dignitatem ecclesiarum.[1]) b) *In ritu solemni,* quo episcopus visitans ecclesias juxta Pontificale Rom. *recipi* debet. c) *In prima sede,* quae eidem assignanda est in choro, capitulo et aliis locis. d) *In honorum titulis,*[2]) quibus compellari solent. Ipsimet episcopi a saec. 11. ad indicandam suam cum s. Sede communionem formula utuntur: «Ego Dei et apostolicae Sedis gratia (misericordia) episcopus.»

(§ 105 not. 5). 2. Concedendi, ut Missae alio tempore aut super alio altari, quam cui ex fundatione alligatae sunt, persolvantur, necnon ut Missae fundatae in alium locum dioecesis, manuales vero etiam extra dioecesim persolvendae transmittantur. 3. Ecclesiis collegiatis et parochialibus privilegium altaris concedendi ad septennium. 4. Missae celebrationem in oratorio privato vel in cubiculo sacerdotibus aegrotis permittendi (Dioecesan-Blatt 1858 p. 109); item concedendi, ut celebretur Missa de Beata ob oculorum infirmitatem. 5. Delegandi alterutrum ex quinque Abbatibus, qui in dioecesi commorantur, ad consecrationem calicum et patenarum, necnon nolarum recens fusarum ad usum ecclesiarum dioecesis. 6. Eligendi examinatores prosynodales. 7. Erigendi oratoria privata in locis piis. 8. Habendi concursum *generalem* pro conferendis parochiis. 9. Designandi altare pro privilegio. 10. Alienandi et onerandi bona eccles. saecularium et regularium. 11. Dispensandi in quibusdam casibus singalaribus a clausura moniales. 12. Dispensandi etiam in impedimentis matr. cumulatis etc. — Omitto alias facultates, quibus episcopi nonnunquam instrui solent, qualis e. gr. est facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis. Cfr. *Moy* Archiv tom. 11. p. 320, ubi referuntur facultates septennales, quas a s. C. C. accepit Eminent. Archiep. Pragensis, scil. commutandi Missas cum cantu in Missas sine cantu; Missas reducendi in perpetuum vel ad tempus; suspendendi seu dilatandi Missarum fundatarum persolutionem, donec compleatur eleemosyna etc.

[1]) *Ferraris* sub v. *Episcopus* art. IV.

[2]) Alloquendi sunt phrasi: Reverendissime et Illustrissime Domine. Curia Rom. utitur formula: Perillustris ac Reverendissime Domine, uti Frater. A Papa quivis episcopus, etiam schismaticus, appellatur Venerabilis Frater.

Insignia dignitatis.

2. Insignia dignitatis episcopalis sunt *ornamenta pontificalia,* quibus in solemnibus functionibus utuntur, sic, ut sacra peragere ritu pontificali *de jure* inhaereat episcopali dumtaxat dignitati.[3]) Sunt vero partes, quibus constituuntur pontificalia: caligae, sandalia, tunicella, dalmatica, chirothecae, annullus pontificalis, crux pectoralis, mitra seu infula, pedum pastorale, thronus episcopalis seu cathedra cum baldachino ad partem evangelii parata.[4]) Advertendum est, usum pontificalium ad ambitum propriae dioecesis restringi.

Privilegia.

3. Inter *privilegia,* quae dignitati episcopali a ss. canonibus concessa sunt, haec videntur esse praecipua: a) Possunt (et quidem etiam episcopi titulares) habere oratoria in privatis suis domibus atque in eis Missam celebrare, ita, ut eam audientes etiam satisfaciant praecepto. b) Habent privilegium altaris portatilis, et possunt celebrare Missam in domo habitationis sive intra sive extra propriam dioecesim, etiam sine licentia Ordinarii loci.[5]) c) Possunt celebrare divina etiam tempore interdicti, sed januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis et voce submissa.[6]) b) Suspensionem aut interdictum jure latum nunquam incurrunt, nisi episcopi expressa mentio fiat. e) Eorum nomen in Canone Missae recitatur, diesque tum electionis tum consecrationis quotannis solemni ritu recolitur. f) Iidem civilibus quoque honoris indiciis et praerogativis interdum fruuntur. *In nostro Imperio* liberantur ab onere militum domibus recipiendorum, a solutione honorarii, quod cursus publici nomine debetur quoad epistolas munus suum concernentes, a taxa stigmatis quoad ea documenta, in quibus res curam animarum, disciplinam eccles., aedificationem ecclesiarum etc. respicientes continentur.[7]) Novissime nonnulli episcopi jus obtinuerunt, ex officio episcopatui suo adjuncto interveniendi in comitiis generalibus suae provinciae. Porro metropolitani atque illi episcopi, quibus titulus principis publice conceditur,[8]) ad assambleas totius Imperii vocantur.

---

[3]) Ita declaravit s. Rit. C. (27. Aug. 1822) et confirmavit Pius VII. Constit. «Decet Romanos» (4. Jul. 1823).

[4]) Caeremoniale episcoporum lib. 2. c. 8. — Recensentur pontificalia in c. un. § 9. X. (I. 15. p. dec.) — In Ceremoniali Epp. etiam vestitus communis, quo episcopi uti debeant, describitur (lib. 1. c. 1. 2. 3).

[5]) Bened. XIV. Constit. «Magno.» 2. Jun. 1751; *Bouix* op. cit. tom. 2. pag. 124.

[6]) c. 11. de priv. in VI. (V. 7).

[7]) Kais. Patent 9. Febr. 1850. Tarif Postzahl. 75. Reichsgesetzbl. XXII.

[8]) Titulo principis (Celsissimi et Reverendissimi) in Austria insigniuntur archiepiscopi Viennensis, Pragensis, Salisburgensis, Strigoniensis, Ollomucensis, et Goritiensis; episcopi vero Wratislaviensis, Labacensis, Tridentinus, Brixinensis, Gurcensis et Lavantinus.

§ 120. De exemtionibus et de praelatis inferioribus.

Ortus et progressus exemtionum.

Ex rationabili causa et personas et loca ab ordinaria episcoporum jurisdictione eximi posse, alio loco jam innuimus (§ 105, 6). Antiquissimam exemtionum disciplinam, haudquaquam e falsis Isidori decretalibus enatam, prout eorum impugnatores declamant, ex indubitatis priorum saeculorum et quidem saeculi saltem 6., documentis plane et perpiscue convincitur.[1]) Et hoc privilegio non solum monasteria, sed et capitula cathedralia aliaque corpora eccles. fruebantur. Quum vero, non obstante exemtionum aequitate et utilitate, earum multiplicatio plurima incommoda attulisset, frequentesque exemtos inter et episcopos super exercitio jurisdictionis lites intercederent; Patribus Tridentinis visum est, disciplinam circa hanc rem novis regulis determinare, et collapsam episcoporum auctoritatem restaurare. Unde alia privilegia exemtis per Concilium Trident. ademta, alia vero eatenus imminuta sunt, quatenus iidem circa plura disciplinae capita episcopis tanquam Sedis apostol. delegatis subjicerentur.[2]) Et quia dispositiones Tridentinae impedire non poterant, quominus novae lites jurisdictionales ex occasione exemtionum excitarentur, subsecuti Pontifices novas declarationes novasque regulas prioribus adjicere non omiserunt.[3])

1. Ratione indolis seu naturae exemtionum, triplex earum genus distinguitur.

Exemtio passiva.

a) Infima species dicitur exemtio mere *passiva,* vi cujus praelati praesunt certo generi personarum intra ambitum alicujus ecclesiae vel monasterii degentium, et sunt exemti a jurisdictione episcopi, sed non habent (praeter dictas personas) ullum populum clerumve sibi subjectum. Hujusque infimae speciei praelati, licet quandoque usum pontificalium certaque alia privilegia habeant, revera existunt *in* dioecesi, ideoque remanent sub jurisdictione *universali ac dioecesana* episcopi, qui *jus territoriale et dioecesanum* servat, vi cujus multa exigere potest reverentiae obsequia et varios dignitatis actus exercere. Imo in tales ex sanctionibus praesertim Tridentinis episcopo tanquam apostol. Sedis delegato quoad nonnulla disciplinae capita etiam jurisdictio competit. Ad hanc classem pertinent superiores regulares et nonnulli praelati saeculares immediate summo Pontifici subjecti, unacum tali ecclesia ejusque clericis et administris.

---

[1]) *Bouix:* De jure Regular. tom. 2. 88—102 ubi plura diplomata in hanc rem congesta reperiuntur. Sed alii exemtiones ad saeculum 9. referunt.

[2]) Sess. V. c. 2; VI. c. 3. 4; VII. c. 14; XIV. c. 4; XXIV. c. 11. (de ref.).

[3]) Videantur praesertim Const. Bened. XIV. *Apostolicae* 14. Mart. 1743 et *Inter multa* 1747; Clem. XIII. *Inter multiplices* 1758.

b) Species media exemtionum est, cum praelati aliquam jurisdictionem *activam* (quae dicitur *semiplena*) in populum et clerum certi loci habent, qui tamen locus non est vere avulsus et separatus, sed remanet in dioecesi episcopi. Isti ergo, licet nuncupari soleant *nullius* (dioecesis), non tamen sunt proprie tales, quia non sunt extra dioecesim cujuscumque episcopi, sed in multis ab eo dependent.[4]) Exemtio activa partialis.

c) Suprema species est eorum, qui *plenariam* habent jurisdictionem *activam* non solum in ecclesias et loca, verum etiam in clerum et populum in territorio a dioecesi avulso et separato: propterea dicuntur constituere quandam quasi-dioecesim, ubi praelatus (qui dicitur etiam semi-episcopus) omnia episcopalia exercet, quae ordinis non sunt. Hujusmodi praelati proprie dici debent *nullius,* et veris annumerantur locorum Ordinariis.[5]) Sed tamen synodum dioecesanam celebrare non possunt, nisi probent, privilegium a Sede Apost. explicite sibi tum concessum, tum a suis antecessoribus reapse in usum deductum fuisse. Exemtio activa totalis.

2. Ratione *modi,* quo exemtio *acquiritur,* distinguitur exemtio *nativa, dativa* et *praescriptiva,* prout acquiritur vel origine, vel privilegio vel praescriptione. *Nativa* oriri debuisset in primitiva dioecesium divisione. Sed merito docent, non posse praelatos inferiores sibi vindicare nativam exemtionem, quia improbabile est, in originaria dioecesium divisione aliqua loca acephala esse relicta. *Dativa* acquiritur ex vi clari et manifesti privilegii Apostolici, adimentis episcopo tribuentisque praelato inferiori aliquam territorii partem a reliqua dioecesi prorsus separatam. *Praescriptiva* est, quae acquiritur ex vi consuetudinis immemorabilis stricte cum suis conditionibus comprobatae.[6]) Exemtio nativa, dativa. praescriptiva.

3. *Jura* praelatorum potissima sunt: *a)* Praelati *nullius* dioecesis ordinumque religiosorum generales vocantur ad concilia generalia, abbates vero benedicti cum praepositis, qui non sunt vere *nullius,* ad concilia provincialia.[7]) — *b)* Abbates benedicti sub- Jura exemtorum.

[4]) «Dioecesanus episcopus in eodem coenobio jurisdictionem suam *etsi non in omnibus, in quibusdam tamen* retinuisse videtur.» c. 17. X. de privil. et excessibus privilegiatorum (V. 33); cfr. c. 3. X. (I. 41), c. 15. X. (II. 26).

[5]) «La Gerarchia catholica» de a. 1886. p. 337. enumerat 18 abbatias et praelaturas *nullius dioeceseos,* quarum aliquae in perpetuam administrationem episcopis aut aliis praelatis dantur l. c. p. XII. Qua late patet Imperium Austriacum, unicus hujusmodi praelatus datur, nimirum Archiabbas S. Martini in S. Monte Pannoniae, cujus territorium separatum situm est in dioecesi Jaurinensi (Raab) complectens 20000 laicos, 200 regulares, 3 abbatias subjectas.

[6]) Bened. XIV. Constit. «Apostolicae» § 2. De syn. dioec. lib. 2. c. 11. Acta III. 65; ibid. 2. 344, ubi ostenditur varia privilegia a Concilio Trident. Sess. XXIII. c. 15, de ref. per clausulam fin. revocata esse.

[7]) Vide plura infra in tract. de conciliis. §§ 131. 132.

ditis suis primam tonsuram et quatuor minores de jure conferunt (§ 62. 2.) — *c)* Superiores religiosorum ordinum non tantum subditos suos aut per se ipsos aut per confessarios ad id constitutos absolvere, verum etiam respectu illorum quosdam casus et hoc quidem etiam sub censuris sibi reservare possunt, sed ex decreto Clem. VIII. non plures quam undecim, nisi generalis capituli aut provincialis natura discussione et consensu.[8]) Verumtamen peccatis aliis, in decreto Clementis VIII. non contentis, censuras adnectere non possunt, prout declaravit s. Congr. episc. et regularium. — *d)* Praelati, qui sunt vere et proprie *nullius,* possunt cognoscere causas matrimoniales jure proprio, saecularium audire confessiones et aliis dare facultatem eas audiendi, casus poenitentium etiam saecularium sibi reservare, ad ministrandam subditis suis Confirmationem, quem maluerint, episcopum vocare,[10]) necnon s. oleum, a quo maluerint, episcopo recipere. Verum praelatis infimae et mediae speciei haec jura haud competunt. — *e)* Praelati ex vi specialis privilegii Apostol. frequenter etiam usu pontificalium decorati reperiuntur, licet non quivis praelatus hisce decoris exornatus sit, et vice versa non quivis mitratus simul etiam jurisdictione polleat. Sed usus pontificalium in praelatis inferioribus ad certos limites restringitur, ut differentia inter ipsos et episcopos manifeste semper adpareat.[11]) Omnes praelati episcopo inferiores, dum pontificalia celebrant, ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in ecclesiis suis, et cum stricta rituum desuper constitutorum observatione sacra peragere jubentur. In specie praelati regulares ecclesiasticam supellectilem, item campanas, calices et similia, in quibus sacra unctio adhibetur, etiam de licentia Ordinarii benedicere prohibentur, nisi pro servitio suarum dumtaxat ecclesiarum (§ praec. not. 18. 5). Indultum vero, ecclesias recens exstructas consecrandi, non conceditur nisi praelatis, qui nullius sunt dioecesis.

§ 121. De episcoporum adjutoribus. 1. De capitulis cathedralibus. Eorundem historia.

Non tantum Pontifex Rom., sed etiam episcopus suos adjutores habet, quorum alii in civitate episcopali pro tota dioecesi,

---

[8]) Decretum Clem. VIII. 26. Maj. 1593, confirmatum ab Urbano VIII. 21. Sept. 1624. *Ginzel* K.-R. tom. 1. p. 365.

[9]) In decreto d. 7. Julii 1617. — Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 5, c. 5. n. 5.

[10]) Sed pro *ordinandis* saecularibus tenentur recurrere ad episcopum viciniorem.

[11]) Vide gemina decreta Alexandri VII. (1659), quorum alterum praelatos regulares, alterum saeculares respicit. Pius IX. in Brevi ad episcopos Austriacos dato (5. Nov. 1855) haec bina decreta ad amussim servari jussit. *Ginzel* K.-R. tom. 1. p. 366. seq.

alii vero in remotis constituuntur, ut in certo dioecesis tractu operam suam collocent. In ipsa sede episcopali praecipuum juvamen pro totius dioecesis regimine praestat capitulum cathedrale,[1]) cujus origo et progressus claritatis causa paucis adumbrari debet.

Presbyterium episcopale antiquum.

1. Constat, jam in primaeva ecclesia urbis episcopalis presbyteros et diaconos senatum quendam eccles. (presbyterium) constituisse, cujus consilio et opera episcopus in pascendo regendoque grege suo utebatur, ita, ut graviora negotia vix unquam peregerit, nisi presbyterii consilio prius exquisito.[2]) Infra hos clericos majores consistebant minores, qui officia eccles. in cathedrali obibant. Omnes hi clerici in *canonem* seu matriculam ecclesiae relati erant, et stabile ex ejusdem proventibus stipendium (quasi *canonem* annuum) percipiebant, et exinde nomen *canonicorum* omnibus factum est commune.

Nomen canonicorum ortum a canone i. e. a matricula vel a stipendio,

tempore s. Augustini et deinceps a vita canonica,

2. Sed huic nomini consequenti aetate significatio prorsus alia accessit. Nimirum s. Augustinus, aliorum praesulum secutus exemplum,[3]) ecclesiae suae clericos, ut mutuo charitatis vinculo et arctiori disciplina constringerentur, sub eodem tecto coadunavit communemque vitam juxta certam regulam illis praescripsit.[4]) Haec vivendi ratio, quae subinde *vitae canonicae* institutum appellari coepit (quia certis regulis et regulari quadam observantia dirigebatur) brevi amplissimos fecit progressus, et tempore proximo post Augustinum per Africam, Italiam, Hispaniam aliasque regiones latissime propagata est.[5]) Saeculo 8. s. Chrodegangus Metorum antistes († 765) huicce instituto peculiarem regulam dedit illudque ad vitae monasticae formam propius accomodavit;[6]) tunc-

quae saeculo 8. et 9. exculta,

---

[1]) Vid. *Barbosa:* De canonicis et dignitatibus aliisque beneficariis, eorumque officiis in choro et in capitulo. Lugd. 1700. — *Bouix:* De capitulis. Paris. 1852. — *Dr. Huller:* Die jurist. Persönlichkeit der kathol. Domkapitel in Deutschl. und ihre rechtl. Stellung. Bamberg 1860. — *Dr. Schneider:* Die bischöflichen Domkapitel. Mainz 1885.

[2]) c. 6. D. 24. «Episcopus sine concilio (al. consilio) clericorum suorum clericos non ordinet.» c. 6. C. 15. qu. 7: «Episcopus nullius causam audiat absque praesentia suorum clericorum.»

[3]) Velut s. s. Basilii, Eusebii Vercell. et Ambrosii. *Schöttl:* Der Antheil der Domkapitel an der Dioecesan-Regierung. Eichst. 1846. p. 2.

[4]) «Et ideo volui habere in ista domo mecum monasterium clericorum.» S. August. de divin. serm. 49.

[5]) *Huller* l. c. p. 15. *Schneider* n. 30. A s. Augustino istud vivendi genus vocatur *socialis vita, vel societas vitae communis.* De div. Sermon. serm. 49. 50.

[6]) Erat omnibus unum dormitorium et mensa communis. Victum et vestimenta ab episcopo accipiebant, qui quartam partem proventuum eccles. ipsis tribuebat, ita tamen, ut congregatio insuper stabilia bona ex variis titulis acquireret, quae tamen eo tempore sub administratione episcopi erant *Huller* l. c. p. 37. — Regula Chrodegangi apud *Walter* fontes jur. eccl. p. 20.

que auctoritate potissimum Concilii Aquisgran. (817), in quo alia ejusmodi regula concinnata est, ipsisque Pipino et Carolo M. adjutoribus, eadem haec vivendi ratio ubique fere locorum introducta fuit; imo clericis alia non erat relicta potestas, nisi vel vitae canonicae nomen dandi vel institutum regularium amplectendi. Et tales quidem clericorum congregationes vocabantur *capitula,* eoquod singulis fere diebus omnes in certo conclavi convenire consueverant ad audiendum unum alterumve suae regulae *capitulum,* quod publice legebatur. Et cum deinceps non tantum in civitatibus episcopalibus sed etiam ruri vitae communis institutum vigere coepisset, exinde distinctio inter *capitula cathedralia et collegiata* exorta est.

saeculo 10. nutare coepit,

3. Sed cum haec regula et haec vita communis jam saeculo 10. primum in Germania fluctuare coepisset, tam praesules ecclesiae, quam alii viri praeclari in ea instauranda omne studium auctoritatemque conferebant.[7]) Et quo facilius hoc propositum assequerentur, canonicos suos monasticis etiam votis obstringi voluerunt, sicque canonicis regularibus, uti nunc vocantur, originem dederunt.[8]) Verum tam pii conatus praeclarissimi hujus instituti interitum haud potuerunt impedire. Enimvero canonici, habitationis et bonorum communione rejecta et proventibus inter se divisis, praebendam unusquisque suam obtinere et in suis domibus seu curiis seorsim vivere coeperunt. Circa medium saeculi 13. vita canonica ubique penitus exoleverat, cum gravissimo disciplinae clericalis detrimento.[9])

saeculo 13. exolevit.

Nihilominus aucta est capitulorum dignitas

4. Atvero haec ipsa vitae communis relaxatio haud parum contulit, ut capitulis amplior auctoritas novusque splendor saecularis accresceret. Etenim separatis canonicorum bonis a bonis episcopi, capitula, quae hactenus unum corpus cum episcopo efficiebant, abhinc coetum ab eodem separatum et distinctum cum certis juribus sibi propriis constituere coeperunt, in quem deinceps nonnisi certus ac definitus canonicorum numerus recipiebatur (capitula clausa). Accedit, quod capitula cathedr. adinstar Cardi-

ob varias causas.

---

[7]) V. c. Nicolaus II. Alexander II., Petrus Damianus, Ivo Carnot. V. *Huller* p. 43.

[8]) Hinc orta est differentia inter canonicos *saeculares* et *regulares,* a quibus *monachi* proprie tales sunt distinguendi. Nam ex concilio Turonensi (a. 813. c. 23—25) edocemur, jam tunc temporis triplex hujusmodi piarum congregationum genus floruisse 1. Canonicorum, qui juxta regulam Chrodegangi vel concilii Aquisgran. vivebant; 2. eorum, qui in monasteriis sub directione abbatis degebant, quibusque tunc integrum erat, aut regulam suam antiquam, aut unam ex praedictis regulis observare; 3. monachorum proprie talium, qui regulam s. Benedicti servabant. *Huller* p. 30.

[9]) Scriptores eccles. illius aevi, quasi uno ore lamentantur vitae canonicae relaxationem. *Huller* p. 44.

nalium jus acquisierunt, seclusis omnibus aliis, episcopum eligendi et sede vacante dioecesim administrandi. Insuper in s. Rom. Imperio capitula perinde, ac ipsi episcopi, amplissima jura politica obtinuerunt. Denique capitula Germaniae huic splendori suo conservando per hoc consulere studuerunt, ut nullos nisi veteri prosapia illustres in suum gremium admitterent. Sicque factum est, ut capitula cathedr. veri nominis corpora, seu prout in Jure dici solet, *universitates* evaderent, singularibus juribus et praerogativis tum eccles. tum politicis ornata.[10])

Capitula in Germania noviter erecta.

Verum haec tam excellens capitulorum auctoritas haud levium abusuum fons existit, quibus vel ipsa reformatoria Tridentini decreta (saltem in Germania) haud efficaciter mederi valuerunt. Tunc demum, quum, antiquis capitulis turbine saecularisationis abolitis, nova ubique per Germaniam erigerentur, factum est, ut noviter erecta fini in primigenia institutione ipsis praefixo magis conformarentur, et majori deinceps ecclesiae utilitati inservirent.[11])

§ 122. Capitulorum constitutio et jura interna.

1. Dignitates in pristinis capitulis. Archipresbyteri et archidiaconi.

1. Jam pridem in capitulis quosdam dignitatis et honoris gradus fuisse distinctos, s. Hieronymus[1]) testatur, scribens, unamquamque ecclesiam suum habuisse *archipresbyterum* et *archidiaconum*. Nimirum ad archipresbyterum spectabat, tum vices gerere absentis vel impediti episcopi in iis, quae sacerdotalis sunt muneris, tum ordini in choro invigilare, ut recte omnia agerentur.[2]) Archidiaconus vero supremam super capitulum et super alia jurisdictionem atque temporalium administrationem obtinuit.

2. Durante vita canonica:

2. Et haec munia etiam vita canonica vigente perdurarunt, sed nova subinde nomina iisdem personis indita sunt, ab institutis monasticis desumta. Qui nempe antea archidiaconus dicebatur, is jam *praepositus* vocari coepit, qui vero prius archipresbyter vocabatur, posthac nomen *decani* sortitus est. Praeterea capitula more monachorum suos *scholasticos* habebant, qui minorum cleri-

Praepositus,

Decanus,

Scholasticus etc.

---

[10]) *Huller* p. 55, 56, ubi auctor probat, ex tempore relictae vitae communis capitula cathedr. Germanica vere et proprie universitates vocari posse. Et hoc nomen ipsis tribuitur c. 9. 14. X. (III. 4) in part. decis. — *Schneider* n. 122 seq.

[11]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 6. 12. 16. 17; Sess. VI. c. 4 de ref.

[1]) Lib. 2. epist. 14. ab Rusticum monach.: «Singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi.» Cfr. X. de Officio archidiaconi (I. 23) et de Officio archipresbyteri (I. 24).

[2]) S. Isidori Hispal. epist. 616: «Et quod specialiter ad ejus (archipresbyteri) ministerium spectat, super omnes presbyteros in ordine positos curam gerere, et assidue in ecclesia esse debet, et quando episcopi sui absentia contigerit, ipse Missarum ejus solemnia celebret.»

corum studiis peaeerant, item *oeconomos, cantores, custodes, portarios* etc.[3])

3. Sublata vita communi: dignitates,

3. Sublata vita communi, nonnulla officia per se cessarunt, quoad remanentia vero haec distinctio invaluit: *dignitatis,* quae est praeeminentia cum jurisdictione aut administratione conjuncta, cujus generis erat archidiaconatus vel etiam archipresbyteratus; officia, *officii,* quod est administratio, cui nulla tamen eminentia aut jurisdictio adhaeret; personatus. *personatus,* qui est eminentia sine administratione aut jurisdictione. Inter officia inde a saec. 12[4]) et canonici Theologi et Poenitentiarii officia potissimum eminent. Quantum ad canonicum Theologum Concil. Trid. statuit, ut in omnibus cathedralibus peculiaris praebenda constitueretur pro uno s. Theologiae lectore, cujus esset, exponere et interpretari s. Scripturam pro clero et populo.[5]) Eadem porro s. synodus voluit, ut in omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi commode id fieri posset, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vocaturae ab episcopo institueretur pro audiendis in ecclesia cathedr. confessionibus. Hic eo ipso absque alia ordinaria licentia intra dioecesim habet jurisdictionem ad absolvendum (non tamen per se etiam a casibus reservatis) et est veluti parochus totius dioecesis.[6]) Pro utroque munere peculiaris praebenda, cui officium respondens inseparabiliter manet adnexum, constitui debet, quaeque nonnisi personis idoneis potest conferri, facto scil. idoneitatis experimento, imo per

Canon. Theologus et Poenitentiar.

[3]) Cfr. titulos X. de officio primicerii (I. 25); de officio sacristae (I. 26); de officio custodis (I. 27). — *Schneider* n. 65 seq.

[4]) c. 4. v. sane X. de magistr. (V. 5). Innoc. III.; c. 5. eod. — Conc. Trid. Sess. V. c. 1; Sess. XXIV. c. 8. de ref.

[5]) Sess. V. de ref. c. 1. Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. c. 9. n. 17. docet, canonicum theologum aeque officio suo satisfacere sive biblicas conciones habeat, sive theologiam dogmaticam tradat. Imo nec improbat, si tradat theologiam moralem. Sed post editam a Gregor. XVI. (a. 1842) encyclicam, s. C. C. a prisca sententia a Bened. XIV. l. c. exposita recessit, et iterato mandavit, ut canonicus theologus solummodo s. scripturam explicet stricte ad tramites Conc. Trid. (Sess. V. c. 1. de ref.) et prout exponitur in concilio Rom. tit. 1. c. 8. (Cfr. Collectio Lacens. I. p. 350). Ita declaravit s. C. C. in Derthonen. 27. Julii 1844. In Casalen. 26. Jun. 1847. (Vide *Lingen* et *Reuss* «Causae selectae in s. C. C.» p. 721. 724. 733.) — Sed ex recentissimis s. C. decisionibus elucet, canonicum theologum suo muneri satisfacere, si ex mandato episcopi theologiam in Seminario tradat, omissa explanatione s. Scripturae in Cathedrali facienda. Verum tali modo non fruitur privilegiis, quae concessa sunt a Conc. Trid. theologis s. Scripturam explanantibus nisi ex parte tantum. Nam s. C. hoc tantum indulsit, ut theologus lucretur distributiones iis horis, quibus legit in Seminario. S. C. C. in Pampilonen. 16. Dec. 1882 (Nuntius Rom. 1883. p. 176). — In causa tamen Sebenicen. 29. Apr. 1854 attentis peculiaribus circumstantiis episcopo exceptio concessa est, ad quinquennium, ita tamen, ut lectiones biblicae non immutentur in sermones morales ad populum l. c. p. 722.

[6]) *De Angelis* ad. tit. 24. lib. 1. p. 22.

Italiam etiam indicto concursu. (§ 86 not. 6.) Uterque denique, dum munere suo fungitur, jus habet distributiones percipiendi perinde, ac si choro interesset.[7]) — In nostro etiam Concordato (art. XXIII.) praedicta bina officia, quae in omnibus fere tum Germaniae tum Austriae capitulis in desuetudinem abierunt, restitui jubentur.

Constitutio capitulorum varia.

4. *Constitutio* capitulorum hodie varia ubique reperitur. Generatim *dignitates, personatus,*[8]) *officia* et *simplices canonicatus* distinguuntur. Sed maxima discrepantia est in singulis capitulis, sive nomen dignitatum spectes, sive numerum tum earundem tum canonicatuum. Tota res pendet ex locorum consuetudine, quam maxime vero ex recentioribus principum conventionibus cum Sede apost. initis. Et talis varietas etiam in capitulis Austriacis invenitur. In capitulis metropolitanis quatuor vel quinque dignitates plerumque exstant sc. praepositi, decani, custodis, scholastici, archidiaconi vel aliorum nominum; capitula vero cathedralia ex 7 vel 8 canonicis constituuntur, inter quos tres plerumque dignitarii esse solent, nimirum praepositus, decanus et scholasticus.[9]) Ex eo, quod canonicorum numerus hodie ubique imminutus est, praeter *actuales* seu *numerarios* etiam *canonici honorarii* creari solent, qui praeter jus interveniendi choro ceterisque s. functionibus nonnisi titulum et insignia canonicorum, in regno Borussiae vero etiam actualia capitularium jura, ipsumque jus episcopum eligendi participant annuumque honorarium percipiunt.[10]) In nostro tamen Imperio

---

[7]) Sess. XXIV. de ref. c. 8. Vide declarationes s. C. C. quoad bina haec officia apud *Richter* et *Schulte* Conc. Trid. p. 17. et 344. Canonicus theologus non solum hora, qua docet, sed tota die, etiamsi choro non inserviat, non modo lucratur praebendae fructus, sed etiam distributiones quotidianas et extraordinarias, nisi hisce postremis resistat testatorum vel dantium voluntas. Cfr. de theol. et poenitent. Acta I. 488. 611., II. 81. 573. III. 237.

[8]) Vel ipsum dignitatum et personatuum discrimen hodie nullum aut exiguum est; nam quae hodie passim vocantur dignitates, personatus potius sunt quam dignitates in proprio sensu. Improprie vero, attenta scilicet sola *habilitate* ad actus jurisdictionis, omnes canonici cathedrales dignitate eccles. resplendent, cum delegati esse possint sedis Apostolicae. Cfr. supra § 110. not. 2. *Schmidt,* Instit. jur. eccles. tom. 1. p. 310. *Schenkl* § 297.

[9]) Cfr. *Schulte:* Status dioecesium cathol. Gissae 1866. In hodiernis Germaniae capitulis tum metropolitanis tum cathedr. nonnisi binae dignitates ubique fere extant: praepositura et decanatus. Imo in aliquibus una duntaxat. Numerus canonicatuum simplicium varius reperitur. In Bavaria in metropolibus 10 sunt canonici, in cathedralibus 8. Capitulum Fuldense solummodo ex decano et 4 canonicis constituitur. *Huller* § 79. De statu capitulorum hodierno in diversis territoriis vide *Schneider* n. 148. seq. Dioecesis Lausannen. in Helvetia, Dioeceses Americae septemtr., plures Galliae dioeceses neoerectae post Concordatum (a. 1801) carent capitulis. *Vering* K.-R. p. 573. *Schneider* l. c. n. 127 seq. 144 seq.

[10]) Cfr. *Schneider* n. 146. — Praesenti aetate propter paucitatem canonicatuum vel ob tenuitatem redituum in multis locis episcopi ad augendum

mere titulares sunt. In nonnullis capitulis, e. gr. Salisburgi, dantur etiam canonici *minores* seu *domicellares,* qui exspectativam obtinent praebendae vacaturae. Sunt haec indicia et reliquiae veteris disciplinae, vi cujus domicellares seu clerici minores, vigente adhuc vita canonica, sub directione scholastici studiis operam dabant, consequenti vero aetate nunc dimidiam nunc tertiam praebendae canonicalis partem, imo aliquando nil portionis accipiebant. Quapropter id genus canonici vel *semipraebendati,* vel *tertionarii,* vel *in herbis* dicebantur, ut distinguerentur ab iis, qui canonici *in floribus ac fructibus* appellabantur. — Denique notandum, in omnibus cathedralibus etiam chori vicarios esse, qui ab origine a canonicis, quorum vices sibi commissas habebant, stipendia servitii sui, deinceps vero stabiles praebendas obtinuere.

Dotes assumendorum.

5. Quibusnam dotibus eos instructos esse oporteat, qui in canonicos assumendi sunt, ex parte alibi (§ 81) jam dictum est, ex parte vero ex instrumentis fundationum clarescit. Jus particulare tum Germaniae tum Austriae in hac re plura postulat, quam jus commune. Quaenam vero in specie apud nos requirantur, artic. XXII. Concord. Austr. distincte enuntiatur. Inter alia hoc articulo *sublata est natalium nobilium sive nobilitatis titulorum necessitas, salvis tamen conditionibus, quas in fundatione adjectas esse constet.* Et hoc tum ss. canonibus tum spiritui ecclesiae omnino convenit.[11]) Caeterum domicellarium institutum abolendum esse,

---

suum senatum alios, sed sine praebenda, e. gr. professores Seminarii, parochos civitatis etc. canonicos honorarios creare solent. S. C. C. (6. Jul. 1867 et 12. Sept. 1868) decrevit: 1. eos creandos esse cum consensu capituli; 2. locum habere in choro post canonicos titulares; 3. alia canoniae jura non participare. — Scite l. c. animadvertit Avanzini, modernos canonicos honorarios multum differre a canonicis honorariis supranumerariis antiqui juris. Nam moderni solum fruuntur *jure honoris* sine veris obligationibus et sine spe alicujus praebendae canonicalis. — Insuper ad creandos canonicos honorarios apud nos de stricto jure haud requiritur consensus capituli, quia eorum nominatio spectat ad imperatorem. Acta III. 138. IV. 584.

[11]) c. 37. de praebendis X. (III. 5.) [Greg. IX.]. Cum canonici Argentini, consuetudinem allegantes antiquam, nullum alium canonicum in suum consortium admittere vellent, nisi nobilem et ab utroque parente illustrem, et propterea ad summ. Pontificem appellassent, repulsam ab eodem tulerunt, appositeque ad rem significabat Pontifex, quod non *generis sed virtutum nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciant et idoneum servitorem.* — Gubern. Austriacum a. 1875 declaravit, institutum domicellarium in capitulis Salisburg. et Olmucensi deinceps ex usu recedere oportere, eoquod nobilitas natalium haud requisita sit in statutis. Et revera cum a. 1880 concursus indictus esset pro 10 vacantibus Olmucii canonicatibus, ad illos, qui erant nominationis caesareae, Imperator viros eccles. 1881 nominavit etiam nobilitate carentes. Ceterum capitulum Olmuc. pro canonicis *electionis capitularis* diploma nobilitatis requirere perrexit, Archiv tom. 46. p. 157 seq.

episcopi Austriaci censuerunt, salvis tamen juribus legitime jam quaesitis.[12])

Capituli jura corporativa.

6. Canonici, universim considerati, corpus seu personam moralem et jurium capacem efficiunt. Jura corporationis collegialia conservare et defendere spectat ad decanum capituli vel eum, qui tanquam caput canonicis praeest. Hic conventus indicit, quos capitulares agere solent, ut de rebus ad capitulum pertinentibus decernant. Et haec quidem decreta valorem non obtinent, nisi omnes canonici praesentes, in nonnullis vero negotiis gravioribus etiam absentes legitime vocati fuerint et pars major in ipsa conspiraverit.[13]) Servatis his conditionibus capitula jura autonomiae gaudent, seu condendi statuta collegialia, licita tamen et honesta, et canonicis regulis minime adversantia. Eadem, ut robur accipiant, ad normam decreti synodi Romanae (1725), ad omnia totius catholici Orbis capitula (etiam collegialia) extensi, ab Ordinario confirmanda sunt.[14]) Praeterea capitulo facultas competit, sua bona administrandi proprioque sigillo et syndico utendi.[15]) Jure tamen *cooptandi* seu adsciscendi in collegia sua canonicos hodie in Germania raro, in Austria vero nullibi fruuntur capitula.

7. Jura singulis canonicis competentia, sunt: a. Locus et votum in capitulo. b. Stallum seu sedes in choro, et quidem etiam canonicis honorariis competens, quoties occasione solemni-

[12]) Aktenstücke der bischöfl. Versammlung zu Wien 1849 p. 54. In ditionibus Germaniae praeter ordinem presbyteratus plerumque requiritur excellentia meritorum, quae sive in tradenda doctrina, sive in cura animarum, sive in re eccles. administranda sit comparata. Cfr. *Schulte* Lehrbuch p. 228.

[13]) Ut duae tertiae vocatorum partes compareant, non est necesse. *Schulte* K.-R. p. 251. In regula vota relative majora sufficiunt. *Huller* l. c. p. 89, 90. Pro convocandis capituli sessionibus non requiri episcopi veniam, declaravit s. C. C. 20. Jan. 1858. Archiv tom. 4. p. 191.

[14]) Acta I. 156. 163. Unde etiam Constitutio Leonis XII. «Ubi primum» (7. Mart. 1825), qua recens ordinantur dioeceses Salisburg., Trident. et Brixin., statuta capitularia condendi facultatem non impertit, nisi sub inspectione, praesidentia, examine et adprobatione respectivi antistitis. Secundum hanc Bullam Salisburgi duodecim debent esse canonici numerarii, inter quos quatuor dignitarii, videlicet praepositus, decanus, scholasticus et custos, insuper duo domicellares cum voce activa et passiva in capitulo et cum jure optandi canonicatum. Tum Tridenti tum Brixinae septem canonicos esse oportet, inter quos tres sint dignitarii. Tridenti decanus, praepositus, archidiaconus; Brixinae praepositus, decanus, scholasticus. In congruam assignantur archiepiscopo 21,000 fl. M. A., singulis episcopis 15,750 fl., dignitario primo tum Tridentino tum Brixinensi 1890 fl., secundo 1680, tertio 1470, singulis vero canonicis 1050 fl. annuae dotationis loco tribuuntur. Dotatio capituli Salisburg. ab initio provisorie tantum determinata est. (Bullar. M. cont. tom. XVI. p. 304.)

[15]) Quoniam capitula habere solent mensam seu massam communem, ideo proventus canonicatuum *vacantium* dividuntur inter canonicos; sed vi legis d. 7. Maji 1874 «de relationibus exterioribus» etc., sicut vacante alio beneficio in fundum religionis deportari debent.

tatis sacris interesse volunt. c. Jus percipiendi fructus praebendae et distributiones. Fructus vacantis praebendae canonicalis nunc apud nos vi legis 7. Maj. 1874 ad fundum religionis pertinent. d. Praeeminentia seu praecedentia prae ceteris clericis dioecesanis.[16]) e. Usus specialium insignium et indumentorem, quem solus Romanus Pontifex concedere valet.[17]) f. Hincinde vi legis saecularis quaedam jura politica ipsis specialiter addicuntur.

Capitularium obligationes.

8. Ad *obligationes* canonicorum (praeter residentiam § 87. 4) haec pertinent: a. Ut singuli tum in cathedralibus tum in collegiatis integrum officium divinum in choro recitent.[18]) Proinde quamlibat limitationem, si quae obtineat, *legitime* contigisse ostendi oportet, nimirum titulo privilegii vel dispensationis Apostolicae. Non enim statutum vel consuetudo suffragatur praxi contrariae, qua se canonici ab aliquibus horis exemtos esse putant.[19]) b. Ut omnes tum canonici tum qui beneficium chorale possident, sua quisque vice juxta singularns consuetudines seu statuta, Missam conventualem celebrent et applicent pro benefactoribus in genere. Hujusmodi et celebratio et applicatio est onus reale choralibus beneficiis inhaerens, proindeque neque canonicus celebrans neque beneficiatus exigere absolute quidquam potest titulo eleemosynae pro ejusmodi celebrationibus.[20]) c. Ut episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistant et asserviant, et cetera omnia, quae debent, in cultu divino praestent.[21])

---

[16]) De praecedentia tum inter ipsos capitulares tum inter eos et alia dignitate conspicuos vide *Schneider* n. 199.

[17]) Acta s. Sedis t. XVI. p. 279. 282. *Schneider* n. 201.

[18]) c. 9. X. (III. 41); c. 1. Clem. (III. 14): «In cathedralibus regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur.»

[19]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12 de ref, ubi officia canonicorum explicantur. Bened. XIV. teste (de syn. dioec. l. 13. c. 9). Apost. Sedis judicia nunquam canonicorum intentioni suffragata sunt, qui ad has vel illas horas canonicas teneri se non putarent etiam ex tenuitate redituum. Inter causas legitimae absentiae (§ 84 in fin.) numerari etiam debent: injusta deportatio, seditio, absentia a demagogis coacta. Acta II. 217. 408. IV. 264. Cfr. I. 74. 289. 143. Distributiones, quae illegitime absentibus subtrahuntur (fallentiae), «quavis collusione aut remissione exclusa» (Conc. Trid. l. c.) inter praesentes dividi debent. Non ergo licet fallentias deponere, ut in fine anni fiat aequalis divisio inter canonicos, sed dividi debent «ad ratam servitii» C. C. 5. Jun. 1705. Si vero reditus dignitatum aliorumque sint separati e massa communi, fallentiae aut fabricae illius ecclesiae aut alteri pio loco sunt applicandae. Conc. Trid. Sess. XXII. c. 3. de ref. Acta II. 220.

[20]) Acta II. 4. 224. Ne vero his diebus beneficiati omni eleemosyna careant, aequitas suadet, ut ea desumatur vel ex communi massa distributionum, vel ut massa constituatur ex omnium praebendarum reditibus, ex qua elecmosyna pro Missa conventuali decerpi possit. Acta l. c. Hoc idem saepius (ac praesertim in recentibus capitulis) a s. C. C. injungi solet. Cfr. Decret s. C. C. 28. Jan. 1865. Archiv tom. 14. p. 450.

[21]) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 4. XVIV. c. 12 de ref. Cfr. Resol. s. C. C. ad hoc c. n. 32—37 in edit. saepe cit.

§ 123. De juribus capituli ad extra.

Jura capitulorum externa tarifariam distingui possunt.

1. *Sede plena* capitula cathedr. jurisdictione quidem carent, verumtamen senatum constituunt, cujus in rebus gravioribus jam *consilium* jam *consensum* episcopus exquirere tenetur, ita videlicet, ut quidem actus regiminis episcopalis valide perfici nequeant, nisi canonicorum nunc obtento *assensu*, nunc exquisito saltem *consilio*. Ex jure decretalium et ex decretis Conc. Trident. in sequentibus potissimum casibus capituli *consensus* necessarius esse videtur: si res ecclesiae immobilis, aut mobilis pretiosa, sit alienanda; in unione aut quavis alia innovatione beneficiorum; numero canonicorum augendo aut minuendo; novis dignitatibus inducendis; in assumendo coadjutore, ubi jus eligendi capitulo competit; in constituendis examinatoribus prosynodalibus; in reliquiis insignioribus de una ecclesia in aliam transferendis; in novis pensionibus aut tributis ecclesiis imponendis; si accipienda sit pecunia mutua pro aliqua ecclesia, vel eadem quocumque modo sit gravanda aut obliganda; et generatim, quoties de totius episcopatus vel capituli juribus, obligationibus et detrimentis agitur.[1]) *Consilium* capituli duntaxat episcopus debet exquirere: novas leges dioecesanas conditurus (nisi consuetudo aliter habeat), personas eccles. institurus vel destiturus, excessus clericorum correcturus, conventus religiosos erecturus, et quotiescumque de dispositionibus circa bona eccles. faciendis vel de quibusvis rebus arduis et gravioris momenti constituendis agitur.[2]) Insuper in Conc. Trid. statuitur, ut episcopus duorum capitularium *consensum* exquirat, ubi formalem processum contra delinquentem canonicum exemptum confici opus est,[3]) *consilium* vero in erigendo in regendo Seminario dioecesano (§ 145. 3), porro ut fructus hospitalium in alium pium usum, quam cui ex primigenia institutione destinantur, converti possint, denique in publicandis indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus, necnon in colligendis eleemosynis et oblatis sibi charitatis subsidiis.[4]) —

1. Sede plena est senatus episcopalis,

cujus nunc consensus,

nunc consilium debet exquiri.

---

[1]) Quoad haec omnia videatur tit. «De his quae fiunt a praelato sine consensu capituli» X. (III. 10) et c. 2. X. (III. 24): quoad beneficiorum uniones: Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 15. et eod. c. 18. Sess. V. c. 1. de ref. Idem Concilium (Sess. XXV. de ref. c. 6) in genere sic loquitur: Qui si aliquid canonicis ad deliberandam proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant et juxta ea concludant.

[2]) *Philipps* Lehrbuch p. 412, ubi loca in hanc rem facientia sollicite referuntur.

[3]) Sess. XXV. de ref. c. 6; VI, de ref. c. 4. Nam ut episcopus in *non exemptos* animadvertere possit, consensus capituli haud requiritur.

[4]) Sess. XXIII. c. 18; XXV. c. 8; XXI. c. 9. (de ref.) — Regimen et administratio ecclesiae cathedralis et bonorum ejusdem ecclesiae spectat simul

Usus praesens.

Verum in hac re consuetudinis, pactorum atque praescriptionis praecipua ratio habenda est, ipsique antiqui canones consuetudini in hac re haud parum deferunt.[5]) Et sane, ob vinculum episcopos inter et capitula laxatum aetate recentiore inductum est, ut episcopi rarius, quam aliquando usuvenerat, consensum vel consilium capituli sui requirere soleant. Ratio hujus praxis modo vigentis in eo etiam sita esse videtur, quod canonici sub alia consideratione, nempe tanquam consiliarii Ordinariatus seu consistorii episcopo consilium suum et juvamen praestant. Verum prorsus illegitima esset consuetudo, si totalis fere capituli participatio ex usu recederet. Hoc enim fini capitulis praefixo prorsus contrarium ac propterea irrationabile esset.

2. Sede vacante.

2. *Sede vacante,* nisi consuetudine aut pactis aliter statutum sit, canonicis fas est, successorem episcopi eligere. Interim vero jurisdictio ad capitulum devolvitur. Sed notandum, quod post Conc. Trid. viduatam dioecesim administrandi potestas non capitulariter sed per vicarium, infra octo dies post cognitam sedis vacantiam eligendum, exerceri potest.[6]) Octo diebus frustra elapsis jus nominandi vicarium devolvitur ad metropolitam, vel archiepiscopatu vacante, ad summum Pontificem. Si capitulum metropolitanum constituere vicarium neglexerit, tunc antiquior episcopus suffraganeus vicarium deputare debet. Pro episcopatu exemto hoc idem praestat propinquior episcopus. Si episcopatus vacans omnino non habeat capitulum, simulque vacat archiepiscopatus, tunc vicarium constituere spectat ad capitulum metropolitanum.[7]) Insuper unus vel plures oeconomi pro temporalium administratione deputari jubentur. Iste vicarius, qui (quando haberi potest) debet esse doctor

Vicarius capitularis constitui debet.

---

ad capitulum et episcopum. Hinc fundationes missarum et anniversariorum recipiendae vel repudiandae sunt cum simultaneo episcopi et capituli consensu. *De Herdt* Praxis capitularis p. 161 et 167. Lovanii 1881. *Barbosa* de canonicis cap. 42. n. 3 seq.

[5]) E. gr. c. 6. X. (III. 10).

[6]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 16. Attamen vicarius capitularis ex decreto s. C. C. d. 4. Sept. 1871 *(Vering* Archiv tom. 27. p. XIII.) nonnisi unus constitui potest, qui tamen, si opus fuerit, unum vel plures pro-vicarios sibi adsciscere valet. Declaravit tamen s. C. C. d. 21. April 1592, non esse sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi (vicarios cap.) praesertim immemorabilem. Talis usus est nominatim in Gallia, eumque in casu speciali tolerandum esse duxit s. C. C. mense Mart. 1863. Archiv tom. 9. p. 444.

[7]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c 16. de ref.; Const. Pii IX. «Rom. Pontifex» 28. Aug. 1873. — Cfr. *Philipps,* Lehrbuch tom. I. p. 416; Bened. XIV. l. II. c. 9. n. 2; *Pecorelli,* Instit. can. tom. II. p. 361. — Si capitulum ecclesiae suffraganeae vicarium constituere neglexerit, spectat, ut nonnulli putant, deputatio vicarii capitularis ad capitulum metropolitanum, quando ecclesia suffraganea simul et metropolitana vacet. Cfr. *de Angelis,* l. c. I. tit. 28. p. 91; *Vering,* Lehrbuch d. K.-R. p. 582; *Ginzel,* l. c. I. p. 298.

aut licentiatus in Jure can.,[8]) caeteroquin vero extra gremium capituli assumi potest (si intra illud nemo ad hoc officium idoneus reperiatur), rite constitutus de officio dimoveri haud potest, nisi adsit causa justa et probata Congregationi episcoporum et regularium, totamque accipit jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi capitulum reservare potest,[9]) quia scilicet vicarius nequaquam meri mandatarii munere fungitur. Nam decretales clare enuntiant, nomine Ordinarii venire aeque capitulum sede vacante, ac ipsum episcopum sede plena.[10]) Sunt tamen aliqua, quae, dum viduata est ecclesia, vicarius capitularis facere nequit, eoquod vel eo ipso potestatem non habeat, vel quia ejus potestati quidam limites a Jure constituantur. Scilicet:

Ejusdem potestas.

a. Non facit, quae Ordinis sunt episcopalis, quamquam recte advocet exteros episcopos a peraganda pontificalia;

b. neque quae episcopo jure tantum extraordinario aut ratione dignitatis episcopalis competunt. Vicarius ergo per se non succedit in facultatibus quinquennalibus vel aliis episcopo tributis (§ 118. 6.), nec in ea jurisdictione, quae episcopo non ex jure proprio sed mere tanquam delegato Sedis apost. e. gr. in exemtos competit:[11]) nec succedit in usu privilegiorum, quae episcopo concessa sunt ob dignitatem pontificalem. Istiusmodi censetur esse usus altaris portatilis, celebratio divinorum tempore interdicti, et similia. (§ 119. 3.)

---

[8]) Non eligendus est doctor in jure civili vel in sacra Theologia, quoties habetur doctor vel licentiatus in jure canonico promotus in publica universitate, qui sit *idoneus*. Ad dubium: «An et quomodo deputatio vicarii capitularis *non* doctoris aut licentiati in jure can., licet electus fuerit vicarius generalis eppi praedefuncti, nullitate laboret, si unus saltem de capituli gremio graduatus existat?» s. C. respondit (25. Jan. 1862): «Providebitur in casibus singularibus.» Acta s. Sedis IV. 464. Scilicet quaeritur in singulis casibus, an vicarius deputandus sit *idoneus*.

[9]) Bened. XIV. de synod. dioec. l. II. c. 9. n. 4.

[10]) Extrav. c. un. Joann. XXII. de praeb. (tit. 3): «Ordinarios intelligimus episcopos . . . vel, ecclesiis cathedr. vacantibus, capitula earundem.»

[11]) Hinc interest, utrum ex Tridentini sanctionibus episcopi quidpiam possint *etiam tanquam apost. Sedis delegati* (Sess. VI. c. 4; XXI. c. 5. 6. 7. 8; XXII. c. 3. de ref.) an vero simpliciter *tanquam Sedes apostol. delegati* (Sess. VI c. 2. 3; VII. c. 6. 14; XIV. c. 4; XXII. c. 5. 6; XXIV. c. 9. 11. 14; XXV. de regul. c. 8. 9). Haec posterioris classis jura in vicarium capit. non transeunt. *Fagnan.* ad tit. 33 l. I. c. 11. n. 54. Sed aliqui auctores liberaliores sunt, et hi dicunt, ea jura, quae *perpetuo* episcopis a Sede apostol. delegata sunt, recte a vicario capit. exerceri, e. gr. *Pellegrinus:* Praxis vicariorum. P. I. Sect. 4. Subsect. 8. n. 34. Ceterum vox «*etiam* tanquam apost. Sedis delegati» juxta canonistas innuit, episcopos posse pro arbitrio procedere vel tanquam ordinarios, vel tanquam delegatos. In dubio, an episcopus usus fuerit jurisdictione sua ordinaria, an vero delegata, censetur egisse cum delegata. *Bouix,* de principiis juris can. p. 454.

c. Excipiuntur ea, per quae status prior ecclesiae vel dioeceseos mutatur, vel futuro praelato praejudicium infertur. Ipsa rubrica tituli 9. libri III. in decretal. Gregor. IX. *„Ne Sede vacante aliquid innovetur“* [12]) vim canonis habet, quo omnes mutationes, ac praesertim successori praejudiciosae, prohibentur. Hinc vicarius non potest alienare bona et jura ecclesiae *cathedralis* (sed tamen ecclesiarum inferiorum) nec bona mensae episcopalis transferre ad mensam capituli, nec mulctas pecuniarias sibi vel capitulo applicare, nec litem super ecclesiae bonis inchoare aut inchoatam prosequi, nec potest canonicatum vel praebendam supprimere, nec sine venia Pontificis dimittere sacerdotes ex dioecesi per excardinationem, quia talis dimissio speciem alienationis redolet. Vicissim valet clericos extraneos dioecesi adscribere (incardinare). Denique

d. excipiuntur ea, quae episcopo specialiter sunt reservata, qualia sunt beneficia ad liberam solius episcopi collationem spectantia. Haec enim conferre non potest vicarius capituli. Recte tamen iste oblatum a patrono clericum instituit et recte etiam confert beneficia, quae capitulum conjunctim cum episcopo conferre deberet.[13]) Quatenus idem litteras dimissorias concedere possit, alio jam loco (§ 63. 2. d.) indicatum est. Specialiter episcopo reservata esse censetur etiam facultas concedendi indulgentias, eoquod ipsa extraordinariae cujusdam est jurisdictionis, quae ad episcopalem tantummodo pertinet dignitatem.[14])

Reliqua, quae sunt jurisdictionis episcopalis v. gr. dispensationes et absolutiones concedere, adprobare confessarios, leges condere, censuras et poenas decernere, beneficia erigere, synodum celebrare, dioecesim visitare, servatis servandis valet vicarius capituli,[15]) verum nonnisi exquisito capituli consensu aut consilio in iis casibus, in quibus episcopus ad hoc ipsum obligatur. Cessante vacatura seu, quod idem est, litteris Apostolicis novo episcopo praesentatis, administratio vicaria finem sortitur, huicque a vicario et oeconomo muneris gesti ratio reddenda est, et scripturae ad ecclesiam pertinentes a capitulo extradendae sunt.[16])

---

[12]) Vide etiam eod. in VI. (III. 8); X. vag. Joann. eod. (5); X. vag. com. ed. (III. 3).

[13]) Vide titul. *Ne sede vac.* etc.

[14]) Bened. XIV. de syn. l. II. c. 9. n. 7. *Devoti* Instit. tom. I. p. 221. Substitutio facienda propter absentiam vicarii spectat ad vicarium ipsum, non ad capitulum. Si decisum a s. C. C. refert *Garcias* de benef. p. 5. c. 7. n. 23.

[15]) *Huller* l. c. p. 167; Bened. XIV. l. c. n. 3 seq. Sed synodum celebrare et dioecesim visitare non potest, nisi effluxerit annus a die ultimae synodi, respective ab ultima visitatione. Cfr. bina decreta s. C. C. a Bened. XIV. l. c. n. 6. adducta. — Vicarius ecclesiae metropolitanae non potest vocare concilium provinciale, sed hoc pertinet ad antiquiorem suffraganeum. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 2. c. 9. n. 8.

[16]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de ref. c. 16; declar. s. C. n. 25. p. 376, ed. cit.

3. *Sede impedita,* seu quum episcopus vinculo suae ecclesiae non quidem solutus, sed tamen vi externa in exercendo munere suo impeditus est, non confestim vicarius a capitulo deputari debet, quia hoc regulariter nonnisi diremto spirituali episcopi cum sua ecclesia connubio faciendum est. In unico casu speciali capitulum sede impedita vicarium constituere a Jure jubetur, videlicet cum episcopus a paganis vel schismaticis (vel etiam ab haereticis) captus est. Sed statim summus Pontifex ea de re certiorari debet, qui dein aut vicarium a capitulo deputatum confirmabit, aut alium administratorem dabit.[17]) Excipe tamen: a) Si taliter captus episcopus non ita arcte custodiatur, ut ipse ejusque dioecesanis facile non sit, saltem per litteras inter se agere: nam tunc jurisdictio episcopi non suspensa neque ad capitulum devoluta intelligi debet.[18]) b) Si captus episcopus reliquerit vicarium generalem, qui interim dioecesim administret.[19]) Casu vero, quo episcopus a gubernio suo civili, licet haeretico vel schismatico, de sede episcopali deturbatus vel quomodocumque in suae dioecesis gubernatione impeditus est, interim ejus vicarius generalis vices ipsius debet supplere, donec Sedes apost. de hac re certior reddenda, quidquid expedire visum fuerit, constituat. Nam in hoc casu non adeo interruptum est dioecesis regimen, ut lex illa singularis et exceptionalis, quae pro priori casu constita est, locum habeat.[20]) 3. Sede impedita.

Si episcopus sit publice et nominatim excommunicatus vel suspensus, et propterea etiam mandatum vicarii generalis extinctum, pariter ad Sedem apost. pro provisione recurrendum est, idque procedit etiam, si, episcopo in remotis agente, vicarius generalis ab ipso relictus moriatur vel a principe saeculari ex dioecesi ejiciatur.[21])

---

[17]) c. 3. Si episcopus in VI. (I. 8). Cfr. *Fagnan.* Comm. ad c. 5 (III. 8) n. 27.

[18]) Declar. s. C. ap. *Richter* et *Schulte* p. 370 n. 1.

[19]) *Philipps* Lehrbuch d. K.-R. p. 422 not. 7.

[20]) Et haec quidem sententia Romae *practice* adoptata est. In hoc sensu Pius VII. rem decidebat, quum (a. 1811) episcopus Trecensis a Napoleone captus fuisset (Histor.-polit. Blätter tom. II. p. 167). Item quum capitulum Coloniense, Clemente Augusto de sede archiepiscopali violenter expulso (20. Nov. 1837), vicarium capitul. deputasset, haec agendi ratio Gregorio XVI. haud probata et hoc solum concessum est ab eo, ut taliter deputatus tanquam *vicarius generalis* fungeretur et tanquam subdelegatus archiepiscopi impediti facultatibus quinquenn. uteretur. — *Philipps* l. c. *Walter* K.-R. § 143. Cfr. noviss. decretum s. C. Episc. et Reg. dd. 3. Maj. 1862, quo electiones vicariornm capitul. in regno Neapolitano, episcopis e suis sedibus ejectis factae, nullae et irritae, electores vero nec non ipsi hujusmodi vicarii censuras eccles. incurrisse declarantur. Archiv. tom. 9. p. 444.

[21]) *Ferraris* sub v. *Capitulum,* art. 3. n. 36.

§ 124. 2. De reliquis episcoporum adjutoribus in sede episcopali.

Praeter senatum capituli cathedralis alii quoque operarii episcopo in regimine totius dioecesis auxilium praestant, nimirum in exercenda potestate sive jurisdictionis sive ordinis.

1. Vicarii quoad jura ordinis.

1. Jam antiquitus, quum in qualibet urbe nonnisi una esset ecclesia parochialis, quae erat cathedralis, cui ipse episcopus praeerat, archipresbyter aliique ex presbyteris in obeundis sacris officiis antistiti opem ferebant ejusque vices supplere solebant. Exinde usus invaluit, quo hodiedum ad *jura ordinis communia* exequenda haud raro decanus capituli in locum episcopi subrogatur (quo praecipue benedictio aquae baptismalis, cereorum, cinerum palmarum etc. pertinet), administratio vero curae parochialis, ubi ea etiamnum cathedrali imminet, uni ex canonicis commissa reperitur. Ad exequenda vero *jura ordinis propria* olim ex parte chorepiscopi inserviebant, in pagis ac oppidis longe dissitis non unam tantum, sed plures saepe ecclesias curantes et variis instructi facultatibus, e. gr. minores ordines conferendi, litteras *pacificas* seu *formatas* clericis in aliam dioecesim abituris dandi. Eosdem nunc episcopos nunc tantum presbyteros fuisse, fere indubium est.[1]) Sed dignitas chorepiscoporum, eoquod jura episcoporum invaderent, et novis subin episcopatibus erectis dioecesis ad arctiores limites redigerentur, saeculo 9. et 10. fere ex integro exstincta est,[2]) aliique posthac episcoporum administri sunt inducti. Quum nempe primum Africae et Hispaniae et deinceps Palestinae regiones barbarorum incursionibus succubuissent, haud pauci earum regionum episcopi sedibus suis pulsi in terras Occidentis demigrarunt, ecclesiaeque suae titulum retinentes episcopis domesticis operas subsidiarias praestitere. Cumque ob amplitudinem dioecesium, praesertim Germanicarum, eorum opera utilis esse videretur, usus invaluit, ut plerique Germaniae episcopi tales auxiliares sibi adsciscerent. Ne tamen canones violarentur, quibus prohibetur, ne plures sint in eadem urbe episcopi, ideo ejusmodi *vicarii in pontificalibus* (uti dicuntur) ad titulum alicujus ecclesiae nunc ab infidelibus occupatae ordinari, ac propterea etiam *episcopi in par-*

Quoad jura ord. communia olim archipresbyter, nunc decanus capituli.

Quoad jura ord. propria olim chorepiscopi,

nunc episcopi titulares.

---

[1]) Hanc quaestionem accurate expendit clar. *Philipps* K.-R. t. II. p. 97 seq. Cfr. *Devoti* instit. tom. I. p. 204.

[2]) In Germania tamen nomen *chorepiscopi* per longius tempus retinebatur, ita tamen, ut iste titulus cum nominibus nunc *archidiaconi,* nunc *praepositi,* nunc *decani* vel promiscue usurparetur, vel eisdem adjungeretur. Sic in monumentis saeculi 11. et 12 phrases occurrant: «chorepiscopus *et praepositus*», vel: decanus *et chorepiscopus*», ex quo recte inferunt, officia chorepiscoporum in archidiaconos et alios translata fuisse. *Richter* K.-R. § 126 not. 3; *Schulte* System p. 264 n. 2.

tibus (sc. infidelium) vel episcopi *titulares* nuncupari coeperunt. Sed novissime P. Leo XIII. titulum «in partibus infidelium» abrogavit, et ejusmodi episcopos *titulares* vocari jussit, quia hodie nuncupatio «in partibus infid.» permultis in regionibus haud quadrat, scilicet in iis, quae hodie non dominationi infidelium, sed potius schismaticorum vel haereticorum subsunt.[3]) Et hic quidem mos hodiedum servatur, sed apud insigniores duntaxat ecclesias. In nostro quoque Imperio inductum est, ut nonnisi metropolitae vicarium in pontificalibus habeant, ex fundo religionis sustentandum. Creantur a summo Pontifice, qui tamen votis episcopi certam personam designantis libenter annuere solet,[4]) dummodo conditiones ad hoc requisitae[5]) concurrant, personaque ab episcopo designata debitis qualitatibus instructa esse via consueti *processus informativi* (§ 84) reperiatur. — Ex eo, quod episcopum titularem inter et ecclesiam, cujus titulum gerit, vere matrimonium spirituale subsistit, istud vinculum a solo Rom. Pontifice rescindi potest. Nullam tamen *actu* jurisdictionem super suam dioecesim titularem habent. — Ex sententia gravium doctorum[6]) ipsiusque s. C. Congregationis tenentur ad visitationem ss. liminum, tum ad contestandam venerationem erga ss. Apostolorum cineres debitamque summo Pontifici submissionem, tum ut saltem (si nesciant de ecclesia sua quidpiam referre) aliquid in ejusdem ecclesiae utilitatem summo Pontifici proponant. Hoc patet etiam ex juramento, quod in episcopi titularis consecratione exigitur, scil.: «Apostolorum limina praescriptis temporibus in litteris fel. record. Sixti Papae Quinti editis, per me ipsum visitabo.» — Exercent pontificalia, quae sibi a dioecesano demandari contingit; extra dioecesim tamen, cui dati sunt, eadem peragi ab iis posse multi negant.[7]) Eorum

---

[3]) In elencho «Gerarchia cattolica» ab a. 1882 non amplius invenitur nomenclatio «in part. infid.», occurrit vero nomen «sedes titulares» et «sedes residentiales» (quo nomine ecclesiae episcopales regulariter ordinatae intelliguntur). Archiv t. 48. p. 211. Interdum etiam episcopi *suffraganei* dicuntur, vel etiam episcopi *nullatenses* aut *annullares*.

[4]) Ex natura rei consequitur, neque capitulo, neque gubernio saeculari per se jus ullum competere, interveniendi in assumtione talis suffraganei. *Schulte* l. c. p. 265. Concord. austr. art. IV. a. et art. XXXIV.

[5]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 6. n. 5. (Cfr. tamen lib. II. c. 7 n. 2); *Fagnani* ad c. 4. X. (II. 24) n. 82 seq.; *Thomassin.* de vet. et nov. Eccl. discipl. pr. 2. lib. 3. c. 42. n. 12 et 13.

[6]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 6. n. 5. *Fagnani* ad c. 4. X. (II. 24) n. 82—85 contra *Andreucci* de episcopo titulari n. 209 in ejusdem Hierarchia eccles. lib. I.

[7]) Utrum in aliena dioecesi cum ejusdem Ordinarii venia licite peragant pontificalia, negant quidem *Fagnani* (in cap. «episcopalia» de privil.) et Benedict. XIV. (De syn. l. 13. c. 14. n. 6), sed juxta declarationes s. C. C. (e. g. in causa Dardanien. et Meten. d. 22. Aug. 1626 in Analect. juris pontif. 1863

sustentatio vel de mensa episcopali vel de praebenda canonicali, quam interdum retinent, desumenda est.

2. Coadjutores.

2. A dictis vicariis in pontificalibus probe discernendi sunt *coadjutores,* qui episcopis senio, morbo, aut quovis casu sinistro in exercendo munere suo ad tempus vel perpetuo impeditis, adjungi solent, ea lege, ut praelatum vel in temporalibus tantum, vel in solis spiritualibus, vel in utrisque sua opera adjuvent. Nam cum ex genuino humanitatis jure canones prohibeant, tum ne senex aut aegrotus deponantur,[8]) tum ne ejusdem ecclesiae duo sint episcopi, aliud non remanet, nisi ut, ex praecepto eorundem canonum, impedito vel infirmo constituatur coadjutor, unus vel plures.[9]) Ejus rei jam pridem exempla occurrunt,[10]) sed jam pridem etiam interdictum fuit, ne quis episcopus aliusve beneficiatus successorem sive coadjutorem cum jure successionis *ipse* sibi constituat. Distinguitur duplex coadjutoria: alia *simplex* et *temporaria* absque jure successionis, quoad durat infirmitas, vel si haec perpetua sit, ad dies vitae impediti; alia *cum jure successionis,* quae a nonnullis vocatur *perpetua.*

a. temporales;

a) Coadjutorem *temporalem* dare, olim ad metropolitam pertinebat, sic tamen, ut nonnunquam etiam summus Pontifex desuper certior fieret. At per Bonif. VIII.,[11]) ea datio causa major declarata et Sedi apost. reservata est. Nihilominus tamen in *regionibus remotis* 1. permittitur, ut episcopus senio aut aegritudine gravatus, vel alias ex integro et perpetuo impeditus, de consilio capituli unum vel duos coadjutores auctoritate apostolica possit assumere. 2. Si episcopus demens factus fuerit, tunc ejus capitulum (semper cum duabus tertiis suffragiorum) eadem auctoritate coadjutorem assumat idoneum. Si vero episcopus sic impeditus coadjutorem assumere noluerit, licet requisitus a capitulo, tunc nil per capitulum innovetur, sed hoc casu (et etiam praecedenti) rerum status fideliter ad Sedem apost. deferendus est, quae vel ejusmodi coad-

a quonam constituendi?

---

p. 191) hoc facere non prohibentur. Cfr. Die Weihbischöfe v. *Kohn* in *Vering* Archiv tom. 46. p. 201 seq. Per Hungariam plures exstant episcopi mere titulares, ab Imperatore hoc titulo decorati (e. gr. Tribunicensis, Noviensis, Dulmensis etc.), sed isti tum ordine episcopali tum jurisdictione carent, exceptis duobus (Belgradensi et Tiniensi), quos Papa in episcopos consecrari permittit. *Cherrier* tom. I. § 215.

[8]) c. 5. Clerico aegrotante vel debilitato. X. (III. 6): «nec afflicto affictio sit addenda.» c. 1. 4. C. 7. qu. 1.

[9]) tot. tit. cit. et c. 4. C. cit.

[10]) Primum exemplum praebet ecclesia Hierosolymitana, ubi Alexander episcopo Narcisso 120 annos nato coadjutor datus fuit. Item s. Augustinus Valerio episcopo Hipponensi coadjutor accessit, qui ipse posthac Eraclium qua talem assumpsit. c. 12. C. 7. qu. 1.

[11]) c. un. *Pastoralis* in VI. (III. 5).

jutorem, vel vicarium generalem constituet. Coadjutor, cui etiam congrui reditus ex bonis ecclesiae seu ex mensa episcopi assignandi sunt, regulariter potest omnia, ad quae inhabilis est coadjutus, vel quae hic sibi ipsi non reservavit, excepta tamen nominatim alienatione bonorum eccles. Eadem generatim coadjutori praerogativa debetur in ecclesia, quae competit coadjuto, ita tamen, ut hic semper praeferatur, quia coadjutus fulget radiis propriis, coadjutor alienis. Quae eorum potestas.

b) Quoniam aequum est, ut, qui dignus censetur gubernanda dioecesi vivente ejus praelato, etiam eo defuncto aliis praeferatur, ejusmodi coadjutoriis jam pridem *jus successionis* adjunctum est,[12]) idque potissimum tunc utile videbatur, quando in electione novi episcopi turbae vel damna ecclesiae imminentia timebantur. Atque hanc disciplinam coadjutorum cum jure succedendi ipsum Conc. Trid., licet caeteras exspectativas et coadjutorias prohibuerit, in casu necessitatis et utilitatis adprobavit.[13]) In eodem concilio statuitur, ut talis coadjutor nonnisi interventu Rom. Pontificis assumatur, qui in casibus extraordinariis etiam inconsulto capitulo (jure episcopum eligendi praedito) eundem constituere valet.[14]) Ubi tamen nominatio regia viget, nonnisi cum consensu principis jure nominandi instructi coadjutor constitui potest. Etenim tunc vel imperans nominare debet personam idoneam a Papa confirmandam, vel consentire in eum, quem Papa idoneum censuerit. — Quoad jura coadjutorum cum jure succedendi distingui debet, utrum assumti sint ad meram successionem, an vero simul etiam ad administrationem.[15]) Si prius, jus acquirunt succedendi coadjuto, sed interim suspensum, donec eveniente vacatione efficiatur jus plenum et efficax absque alio ministerio et facto hominis. Hinc talis coadjutor sede nondum vacante neque ad residentiam tenetur, neque dioecesis illius gubernationi sese immiscere, neque ulla emolumenta ex coadjutoria exigere potest. Ejus vero, qui assumtus est ad administrationem et ad sublevandum praelatum, tanta est potestas, quantam requirit conditio coadjuti et literae apostolicae concedunt. b. perpetui seu cum jure successionis. Quis constituat. Quae sint eorum jura.

3. Pro exercitio jurisdictionis et regimine dioecesis jam in antiqua ecclesia archidiaconi constituti sunt (§ 122), qui amplis- Archidiaconi.

---

[12]) c. 14. C. 7. qu. 1. (Gregor. M.)

[13]) Sess. XXV. de ref. c. 7. Vid. supra (§ 78. 1).

[14]) Exemplum praebet ratio, qua dissidia cum regimine Borussico in causa Coloniensi a Sede apost. sunt composita. Etenim per Breve Gregor. XVI. die 24. Sept. 1841 archiepiscopo Clem. Augusto, eoque consentiente datus est coadjutor Joann. Geissel, episc. Spirensis, qui simul constitutus est administrator archidioecesis apostolicus.

[15]) *Zallinger* h. t. lib. III. p. 104.

simam jurisdictionem tum ex lege scripta, tum ex consuetudine, tum vero maxime propria usurpatione obtinuere, ita, ut eorum auctoritas tandem non tam in subsidium, quam potius in diminutionem potestatis episcopalis atque in hierarchici regiminis perturbationem cesserit.[16]) Propterea factum est, ut episcopi curam pastoralem revocarint ad se ipsos et vicarios suos amovibiles, seu *officiales*, uti dicebantur, quos jam saeculo 13. constitutos esse novimus. Inter officiales per singulos archidiaconatus dispositos (officiales foraneos) ille, qui in civitate episcopali suo munere fungebatur, eminebat (vicarius generalis). Constitutis hisce vicariis, archidiaconorum auctoritas decrescere et paulatim ad interitum vergere coepit; ad quod haud parum etiam Concil. Trid. contulit, cujus decretis[17]) eorum potestas fere exhausta est.[18])

Officiales inde a saec. 13.

Quantum ad vicarium generalem seqq. sunt notanda: *a.* Vicariatus generalis seu *in spiritualibus* non est beneficium, sed munus, cui adjunctus est honor cum jurisdictione. — *b.* Jurisdictio haec est in eodem cum episcopo tribunali, unde non datur appellatio a vicario generali ad episcopum; hoc enim esset appellare ab eodem ad eundem. — *c.* Potest episcopus (sed si ipse sit idoneus et juris peritus, non tenetur) sua auctoritate, quin consensus sive capituli sive gubernii saecularis necessarius sit,[19]) unum eligere vel (sive ex indulto apostolico sive ex legitima consuetudine) etiam plures in solidum pro certo districtu aut ad certas causas, quos tamen omnes in civitate episcopali commorari oportet. In quibusdam regionibus e. g. Germaniae, Galliae etc. duo constituuntur vicarii generales: alter *officialis,* cui jurisdictio contentiosa committitur, alter *vicarius generalis* in sensu strictiori, ad quem

Vicarius generalis habet jurisd. eandem cum episcopo, a quo assumitur.

---

[16]) Archidiaconi ab initio *vicarii* tantum sui episcopi erant ejusque oculi dicebantur. c. 1. de offic. archidiac. X. (I. 23) et c. 6. et 11. D. 93. At temporis progressu jurisdictionem per se stantem et destinctam a jurisdictione episcopi obtinuerunt, ita, ut ab ipsis ad episcopum appellatio fieret, et inferiores officiales ab iis constituerentur. Ampliores dioeceses in plures archidiaconatus dividebantur. Ad *jus archidiaconale* pertinebat visitatio proprii districtus cum jure procurationes percipiendi, celebratio judiciorum synodalium, jurisdictio tum contentiosa tum criminalis in clericos, institutio clericorum corporalis (usurpabant etiam authorisabilem [§ 85. 1 b.] sed contra jus fasque), examen ordinandorum, eorumque coram episcopo repraesentatio (§ 69. 2 c.) *Philipps* p. 433.

[17]) Sess. XXIV. c. 3. 20; XXV. c. 14. v. *Nec quaevis* (de ref.).

[18]) De Officio Vicarii X. (I. 28); eod. Clem. (I. 7); in VI. (I. 12). Cfr. *Moy* Archiv tom. IV. p. 402 seq. Vom bischöfl. Generalvicar; Ibid. tom. 15. p. 337—370. *Friedle:* Ueber den bischöfl. Gen.-Vicar. *Sbrozio,* de Vicario episcopi. Romae 1604. *Leurenius* Tractatus quaternarius de episcoporum vicariis. Colon. 1708.

[19]) Concord. austr. art. IV. a. Hinc abrogatum censeri debet decretum aul. 23. Maj. 1782, vi cujus vicarius gener. a gubernio adprobari debuit.

res administrationis maxime pertinent. Apud Italos utrumque munus eidem committitur, id quod legibus antiquioribus magis convenit, in quibus haec duo nomina promiscue adhibentur.[20]) — *d.* Requirit vero jus ad munus vicarii generalis clericum scientia et moribus commendandum, ideoque in jure canonico doctorem, aut licentiatum vel alias idoneum (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 16. de ref.), qui jam 25. aetatis annum attigerit, sed episcopo non sit consanguineus; non est necessarium, ut vicarius eligatur ex capitulo, imo generatim opportunum et in casibus particularibus a s. C. C. praeceptum est, ut persona extranea (sc. quae non sit de clero dioeceseos) ad officium vicarii assumatur. Excusat vero ab observatione hujus regulae etiam consuetudo contraria. Excluduntur vero regulares ac nominatim mendicantes (*Santi* tit. 28 n. 29). — *e.* Jurisdictio vicarii est 1. *vicaria* et *mandata* (p. 69), i. e. est ipsiusmet episcopi jurisdictio, nomine et vice episcopi exercenda, hujusque tum revocationi tum limitationi obnoxia. Proinde eadem cum episcopo censetur persona, ejusque jurisdictio *coram episcopo* cessat. 2. Est jurisdictio *generalis*, quia extenditur tum ad totam dioecesim, tum ad omnes causas, quae ad *jurisdictionem episcopalem ordinariam* pertinent, exceptis dumtaxat iis, quae *speciale mandatum* requirunt. Et haec sunt: quae episcopo non vi jurisdictionis, sed vi ordinis episcopalis competunt, aut non vi jurisdictionis ordinariae, sed specialiter ipsi tanquam Sedis apostol. delegato concessae; item quae ob rei gravitatem specialiter reservantur ipsi episcopo. Talia e. g. sunt: causas criminales graviores clericorum cognoscere, visitare dioecesim, celebrare synodum, res ecclesiae alienare, beneficia conferre (non vero instituere praesentatos) vel innovare, dimissorias concedere, nisi episcopo in remotis agente (§ 63. 2. c.), dispensationis in impedimentis matrimonii concedere, etiam cum episcopus ex concessione Pontificia dispensat, in casibus episcopo reservatis absolvere, in irregularitatibus et in suspensionibus ex delicto occulto provenientibus dispensare, et generatim causas arduas pertractare, ad quas etiam indulgentiarum concessio spectat. (Causae tamen matrimoniales ex consuetudine vicarii generalis

Dotes.

Potestas.

[20]) A tempore Bonifacii VIII. († 1303) vicario generali committi consuevit jurisdictio voluntaria, officiali vero jurisd. contentiosa. Nihilominus tum in antiquioribus legibus tum in Conc. Trid. (Sess. XXIV. c. 12 et 16. Cfr. c. 1. 2. 3. 4. Sess. XIII. de ref.) officialis cum vicario confunditur. Juxta praxim Curiae Rom. in litteris, quae in regiones Italiae, Hungariae, Dalmatiae, Epiri, Orientis mittuntur, is ipse vicarius generalis salutatur, qui in litteris pro Africa, Hispania, Gallia, Anglia, Germania destinatis, nomine offiialis compellatur. In multis Germaniae dioecesibus vicarius generalis universam episcopi jurisdictionem accipit, exceptis dumtaxat causis matrimonialibus, quae officiali committuntur. *Friedle* l. c. p. 341.

cognitioni subjici possunt, idemque super proclamationibus dispensare, ac matrimoniis assistere valet.) Haec et alia negotia (quae recensentur a canonistis) vicarius generalis vi mandati generalis, quo munus suum accepit, peragere non potest, sed ut possit, per mandatum speciale ipsi committantur, necesse est. «Habet siquidem potestas vicarii generalis analogiam cum administratore bonorum alienorum, qui ad res graviores speciali mandato indiget, et bona domini administrare, non alienare, statum priorem conservare, non immutare potest.»[21]) — *f.* Exspirat jurisdictio vicarii generalis spontanea dimissione, revocatione ab episcopo facta, item cessante munere episcopali per obitum episcopi vel alio modo, ita ut etiam in negotiis jam coeptis et re non integra cesset vicarii jurisdictio. Si episcopus censuram incurrerit et sic jurisdictione careat, impeditur usus jurisdictionis etiam in vicario; at recuperante episcopo jurisdictionem eadem etiam in vicario confestim efficax redditur.[22])

Hujus instituti variae formae.

Caeterum institutum vicariatus generalis aevo recentiore varias formas induit nec leves subiit mutationes. In plerisque dioecesibus vicarius generalis cum consiliariis subordinatis collegium efficit, quod Vicariatus generalis, Ordinariatus vel Consistorii nomine venit. In nonnullis locis inter plura tribunalia causae separatae dividuntur.[23]) In nostro Imperio plerumque in locum vicarii gene-

---

[21]) *Ferraris* sub voce *Vicarius generalis* art. 2. Bened. XIV. de synod. dioec. l. 2. c. 8. n. 2. *Moy* l. c. p. 414 seq. *Friedle* l. c. p. 360. — Notandum est, vicario gener. ab episcopo communiter aliquas etiam ex facultatibus quinquenn. et trienn. communicari, quibus ille proin tanquam subdelegatus Sedis apost. utitur.

[22]) Quodsi haec principia firmiter teneantur, quaestio, utrum vicarius generalis ordinariam, an delegatam habeat potestatem, otiose magis, quam utilitur agitatur, estque non rerum sed verborum ea de re disputatio. Dicendum tamen (ut in textu), eam potestatem esse *vicariam et mandatam,* non ordinariam. Nam licet de ordinaria participet in eo, quod vicarius gener., posteaquam constitutus est, ex vi et dispositione legis certam mensuram jurisdictionis episcopalis accipit: in omnibus tamen *mandatarium* episcopi repraesentat, qui ipsum constituit et suo arbitratu removet, ejusque potestatem contrahit aut latius explicat. Supra exposita (sub b. et f.) sunt perspicua vicariae et mandatae potestatis argumenta. *Philipps* Lehrbuch p. 439 n. 21. et p. 503 n. 1. Vide supra § 24. 4.

[23]) In Bavariae dioecesibus e. gr. tria hujuscemodi collegia exstant, in quae tota episcopalis administratio et jurisdictio distributa est. Scilicet Ordinariatus in duo officia dispescitur, quae sunt *Consilium generale* sub directore, et *Vicariatus generalis,* constans ex Vicario generali et pluribus consiliariis; pro causis vero matrimonialibus judicium matrimoniale seu Consistorium, cui praeest officialis, constitutum est. *Permaneder* K.-R. p. 362. Cfr. *Schulte:* Status dioec. cathol. *Schneider* l. c. n. 249 seq. Cfr. etiam *De Angelis,* qui (ad L. I. tit. 28. p. 64) quatuor modos ponendi *plures* Vicarios generalis referens sequentem tanquam *juri contrarium* reprobandum esse docet: quando nempe duo vel plures vicarii gen. ita ponuntur, ut procedant

ralis subrogatum est Consistorium seu Ordinariatus, quo nomine tum collegium eorum, qui episcopo in regenda administrandaque dioecesi a consiliis sunt, tum etiam cancellaria pro expediendis negotiis adjuncta intelligitur. Consistorium, quatenus collegium episcopo *consultatorium,* constat praeside et pluribus assessoribus, qui tum e capitulo tum e reliquo clero, imo etiam ex laicis deligi possunt. Episcopum sententiae suorum consiliariorum non teneri acquiescere et quasvis res etiam propria decidere posse auctoritate, ex indole hujus collegii sponte resultat. Porro Consistorium, tanquam *officium administratorium,* una cum cancellaria sibi adjuncta omnia illa negotia pertractat et expedit, quae gubernationem dioecesis et directionem scholarum elementarium respiciunt. Idem quasi organum est medium tum inter episcopum et clerum dioecesanum, tum inter hunc et gubernium civile in iis rebus, quae vel ad causas mixtas pertinent, vel alias inter clerum et magistratus civiles aguntur.[24])

§ 125. III. De episcoporum adjutoribus per tractus minores distributis. 1. De decanis ruralibus.

Inter episcoporum adjutores, qui per minores dioecesis regiones dispositi curam animarum exercent, eminent vicarii foranei, alias etiam decani rurales, commissarii episcopales etc. nuncupati, quorum originem et officium expendere jam oportet.

1. Ubi, religione christiana in pagos quoque propagata, etiam ruri templa et oratoria excitata fuerunt, insigniorum ecclesiarum seu titulorum presbyteris cura et inspectio intuitu tum cleri tum populi certi cujusdam districtus demandari coepit. Atque hi sacer- Origo.

---

collegialiter, nempe sic, ut quod pluribus eorum (per vota majora) placeat, pro deciso habeatur, prout fit in tribunalibus collegialibus. Hoc fuit reprehensum a s. C. epp. et regul. d. 24. Sept. 1827. — Sed bene advertas, hoc non cadere in nostra Consistoria, in quibus consiliarii mere dant consilium, non (ut *De Angelis* supponit) votum *decisivum.*

[24]) In dioecesi Brixin. quoad vicarium generalem peculiaris viget exceptio. Nimirum in Sede episcopi non exstat talis vicarius, sed consessibus dioecesis, quae trans montem Arulam jacet, vicarius generalis pro ea regione constitui solet, qui praeterea, cum sit episcopus titularis, Dioecesanum in pontificalibus sublevat. Videlicet a. 1818 ex pacto et convento Pii VII. et Francisci I. Imper. pro districtu Vorarlbergensi nova sedes episcopalis constituenda fuisset. Attamen propter difficultatem nummariam interim vicarius generalis Feldkirchii residens pro salute animarum in illa dioecesis parte procuranda deputatus est. Bullar. Rom. Contin. tom. XV. p. 40. Novissime etiam pro Silesia Austriaca ejusmodi Vicarius gen. constitutus est episcopo Wratislaviensi subjectus. Nota, regulariter non posse constitui vicarium generalem in aliquo loco vel parte dioecesis, sed ad hoc requiri vel specialem concessionem apostolicam, vel legitimam consuetudinem. *Ferraris,* qui laudat decretum s. C. episc, 22. Dec. 1628.

dotes, qui clericis minorum titulorum praeerant, ad exemplum archipresbyterorum cathedralium, qui super clericos in civitate episcopi degentes inspectionem gerebant,[1]) pariter vocati sunt archipresbyteri (et quidem *rurales* ad distinctionem a praefatis *civitatensibus* seu *urbicariis)* et deinceps prout illi, *decani,* vel etiam *vicarii foranei,* eoquod foris i. e. extra civitatem episcopalem constituerentur. Eorum districtus jam pridem decania appellabatur, vel christianitas,[2]) hodie etiam capitulum (rurale) dicitur, quae denominatio tunc apta est ad rem, quando presbyteri cujusdam decanatus collegium efformant cum constitutione capitulari, cum propriis statutis, conventibus et bonis capitulo propriis.[3]) — Medio aevo vicarii modo ab archidiacono modo ab episcopo constitui solebant. — Nunc vero plerumque ab episcopo constituuntur, interdum vero a capitulo rurali (seu a clero decanatus) ex parochis eliguntur, accedente Ordinarii confirmatione. Eorum officium majoris amplitudinis est apud Germanos et Gallos, quam apud Italos.

Potestas in genere.

2. *Quantitas potestatis* vicario foraneo competentis metienda est non ex aliquo jure, sed ex commissione illi facta ab episcopo; cum enim dictus vicarius sit ipsius *delegatus,* eam habet potestatem, quam delegans ipsi impertiverit. Olim hi vicarii veri nominis jurisdictionem obtinuerunt, praesertim quoad minora clericorum delicta; hodie tamen jurisdictione haud pollent, sed eorum munus in eo duntaxat consistit, ut tanquam personae mediae episcopum in regenda et administranda dioecesi adjuvent. Possunt vero ea, quae minora sunt, et sive inter plebem et parochos, sive inter hos et alios clericos controversa, extrajudicialiter cognoscere.

3. *In specie* ex praxi, etiam in nostro Imperio vigente, decanorum negotia ad haec capita revocari possunt:

---

[1]) Concil. Ticin. a. 850 c. 13. *(Harduin* tom. V. col. 28): Propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus archipresbyteros praeesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant. Cfr. c. 4. X. (I. 24.)

[2]) Capit. Caroli Calvi apud Tolos. a. 844. c. 3: Statuant episcopi loca convenientia per *decanias,* sicut constituti sunt archipresbyteri.

[3]) Notandum est decretum s. Rit. C. (ap. *Schöpf* K.-R. tom. III. p. 294) emanatum pro capitulis ruralibus, *in quibus constitutio capitularis viget:* «Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet praecedentiam in choro, sessionibus et processionibus et aliis actibus et functionibus eccles. supra alios parochos, canonicos et presbyteros *ipso antiquiores et digniores,* sed debet ipse vicarius stare, sedere et incedere in loco suae receptionis et dignitatis, ac si non esset vicarius foraneus, tam cum cotta, quam sine illa, non obstante quacumque ordinatione episcopi, praeterquam in congregationibus, quae et mandato episcopi fiunt, in quibus tanquam episcopi delegatus praecedere debet omnibus, non tamen in processionibus, Missa et aliis, quae fiunt ante congregationem.»

a. Debent iis omnibus, quae curam animarum et legum eccles. observantiam attinent, invigilare,[4]) ac praesertim clericorum mores et conservationem inspicere, eosque in rebus minoribus delinquentes fraterne admonere, graviora vero admittentes et non recte ambulantes episcopo denuntiare. Quapropter etiam districtus sui visitatio eisdem ab episcopo debet injungi.[5])

Negotia incumbentia.

b. Iisdem incumbit, certa quaedam negotia tum *periodice* expedienda tum *ex improviso* emergentia conficere, de omnibus rebus gravioribus episcopum certiorem reddere, ejus mandata ad clerum deferre, et vice versa, quae clerus cum episcopo tractare voluerit, ad hunc transmittere. Inter praedicta negotia haec sunt praecipua: 1. Decani est, parochos et omnes ecclesiarum rectores in muneris rite adepti administrationem et bonorum possessionem inducere. 2. Animarum curatoribus aegrotis curam paternam impendere, et si decesserint, rerum relictarum inventarium conficere funebriaque, juribus stolae ad ipsos pertinentibus, persolvere, nisi alia consuetudo localis vigeat. 3. In locum sacerdotum defunctorum aut absentium alium interim substituere, usquedum episcopus ea de re constituerit. 4. Congregationes clericorum, quae dicuntur conferentiae, instituere et casuum discussionem dirigere. 5. Bonorum eccles. administrationi in suo districtu juxta normas ab episcopo praescriptas invigilare annuasque rationes revidere, nisi episcopus laboriosum istud munus in alium contulerit. 6. In certis causis matrimonialibus tanquam *commissarii episcopales* funguntur e. g. in instituendo examine matrimoniali inter sponsos cognatos, in causis separationum etc. 7. In Imperio Austriaco decanis antehac etiam scholarum minorum inspectio a regimine politico commissa fuit, iidem hasce scholas quotannis visitare earumque necessitatibus et utilitatibus omni meliori modo prospicere tenebantur.

Eorum facultates.

c. Decani statim, ac munus suum auspicantur, certas facultates ab episcopo accipere solent vel ex plenitudine potestatis episcopalis, vel ex ipsis facultatibus quinquennalibus aut triennalibus haustas, quibus proinde instructi, ex parte tanquam delegati sui episcopi, ex parte tanquam subdelegati Sedis apostolicae considerandi sunt.[6])

---

[4]) Concil. provinc. Vienn. (1858) p. 77, ubi decani antistitis *oculi aurisque* loco esse dicuntur. Cfr. Synod. Leod. (1851) p. 3. 1. seq.

[5]) Concil. provinc. Vienn. p. 78 *de visitatione a decanis habenda,* ubi annua visitatio decanis praescribitur. Synod. Brixin. tit. 16. n. 5 saltem intra quadriennium visitatio fieri jubetur. In Synod. Leod. visitatio solemnis praescribitur.

[6]) Ad has facultates (praeter eas, quae matrimonium respiciunt) praesertim pertinent, ut a casibus episcopo reservatis absolvere, confessariis tum saecularibus tum regularibus, vel cum, vel sine examine, curam animarum, seu jurisdictionem prorogare atque benedictiones episcopo reservatas, in quibus chrismatis unctio non intervenit, peragere possint.

§ 126. 2. De parochis. Generalia.

Jam parochorum nobilissimum munus describendum venit, qui vere ac proprie *adjutores et cooperatores episcopi* et *sacerdotii participes* dicuntur,[1]) quorumque, si bene ministraverint, maxima debet esse existimatio.

Ortus et progressus.

1. *De parochiarum ortu et progressu.* Tribus prioribus ecclesiae saeculis una dumtaxat erat ecclesia, scil. cathedralis, ad quam christiani non modo urbis, sed etiam locorum viciniorum confluebant, in eaque, etiam postquam aliae ecclesiae ruri exstructae erant, Sacramenta administrare per aliquod tempus unice licebat. Sed aucto fidelium numero etiam per pagos templa et oratoria (tituli majores et minores) constitui et sacerdotes ad eadem ablegari coeperunt, qui populi mores inspicerent ejusque curam spiritualem gererent. Insignioribus ecclesiis jus administrandi baptisma unice reservatum erat, unde ecclesiae *baptismales* vocabantur.[2]) Earum presbyteri (vel chorepiscopi) etiam clericis titulorum minorum praeerant (§ praeced.). Ad titulos vero minores pertinebant tum *martyria* seu capellae in honorem ss. Martyrum erectae, tum etiam *oratoria* nobilium ruri exstructa. Et quaemadmodum ecclesiae baptismales ruri exstantes ecclesiae cathedrali ceu matrici subjectae erant ab eaque festo paschatis s. oleum accipiebant, ita plane tituli minores ab ecclesia baptismali seu plebana in pluribus dependebant. In hac quippe sola licuit sacrum audire diebus festivis et Sacramenta recipere, ejusque rectori soli decimae sunt persolutae.[3]) Verum temporis successu capellas et oratoria vel in ecclesias parochiales converti vel monasteriis uniri seu incorporari (§ 79. 2.) contigit.[4]) Vinculum parochorum cum ecclesia sua

---

[1]) Concil. Aquisgran. II. (a. 836) c. 5.

[2]) Districtus, super quem ecclesiae baptismales extensae erant, dicebatur parochia, vel etiam dioecesis. Parochia saepe etiam vocatur *plebs*, sc. tropice populus inhabitans parochiam. Unde earum rectores presbyteri de plebe vel plebani, presbyteri parochiani, et (inde a saec. 12) parochi dicebantur. In C. J. C. praeterea nomina: rector ecclesiae, parochialis ecclesiae curator, persona etc. usurpantur. *Richter* p. 129 not. 1.

[3]) Haec tamen nonnisi de statu parochiarum *ruralium* obtinent. Nam in civitatibus usque a saec. 11. unica duntaxat ecclesia parochialis exstare consuevit, imo ante Conc. Trid. populus nondum per parochias ubique erat fixe distributus. Quod elucet ex hujus concilii decreto, quo episcopis injungitur, ut in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent. (Sess. XXIV. c. 13. de ref.)

[4]) Incorporationes plurima quidem commoda importarunt, ac illud praesertim, quod regulares per numerosos ministros curae spirituali fidelium copiose providere potuerint. Sed hae uniones haud leves etiam abusus invexere, inter quos ille admodum perniciosus erat, quod regulares ad ecclesias sibi unitas vicarium amovibilem et a suo nutu pendentem, ac etiam extraneum

quod attinet, iidem ab initio nonnisi ad tempus et modo revocabili ad aliquam ecclesiam ablegati sunt, atque ab episcopo pro lubitu amoveri potuerunt. Tractu tamen temporis primum, et quidem saeculo jam quarto, in vicis et villis, serius tamen in urbibus (non tamen generaliter ante saeculum undecimum) ortae sunt parochiae, quoniam sacerdotes in perpetuum mitti titulisque affigi, melius visum est.[5]) Ex quibus patet, quonam sensu institutum parochianum juris divini esse dici possit. Scilicet spectata parochorum institutione primigenia, nimirum quatenus sunt sacerdotes, procul dubio divini sunt juris. Sed quatenus sunt parochi, i. e. clerici certis titulis affixi et jurisdictionem ordinariam, a lege determinatam obtinentes, institutionis sunt mere humanae. Equidem institutum parochianum, prout nunc in ecclesia viget, optime ad animarum salutem conducit; nihilominus tamen falsum est, parochos esse institutionis *divinae*, eorumque originem non minus ac episcoporum, a Christo descendere. Etenim 1. *officium pastorale* ex insitutione *divina* in solo Primatu et in episcopis residet; alii pastores, sive supra sive infra episcopos positi, non proprium sibique inhaerens pastoris officium habent ex jure divino, sed illud exercent ex ecclesiastica commissione. 2. Parochiae in hoc sensu saeculo tertio vel quarto antiquiores non sunt. Nam antiquitus non erant sacerdotes certo populo addicti ratione stabili et perpetua, sed episcopus cuivis presbytero dabat subditos, quamdiu et quos vellet.[6])

Notio parochi.

2. Genuina muneris parochialis notio ea est, qua *parochus intelligitur ille clericus esse, qui curam animarum seu jurisdictionem ordinariam quidem et propriam, sed episcopo subardinatam, in populum alicujus territorii legitime circumscripti apud ecclesiam auctoritate superiorum designatam ratione stabili exercet.* Igitur constitutiva seu elementa, ex quibus notio parochi coalescit, sunt:

---

deputare consueverunt. Et hoc exemplum non raro etiam parochi sunt imitati, pariter vicarium in sua parochia quasi mercenarium destinantes, tenui nonnisi salario eidem assignato. Atque haec corruptela, non obstante prohibitione Conc. Later. IV. (c. 30. X. III. 5.) perseveravit, donec tandem a Conc. Trid. (Sess. VII. c. 7. de ref.) et subsecutis Pontificibus haec res ad rectum ac genuinum ordinem est revocata.

[5]) Romae tamen et Alexandriae minoribus quoque ecclesiis jam antiquitus sacerdotes ratione stabili affixos fuisse, probat *Devoti* Inst. l. I. tit. 3. § 88. Cfr. *Philipps* Lehrb. I. p. 444.

[6]) Falso quidam asserunt, parochos esse successores 72 discipulorum. Nam hi discipuli tantum abest ut parochi fuerint, ut neque sacerdotali charactere insigniti essent. Quod vel ex eo patet, quod ex 72 discipulis septem diacoi electi sunt (Act. 6). «Quomodo ergo iidem a Christo sacerdotes creati esse poterant» *Devoti* l. c. n. 87 n. 1. *Philipps* l. c. p. 450. *Nardi* dei parrochi Pesaro 1830 Vol. I. p. 280. — Contrarium sc. parochos esse institutionis *divinae* tenet *Schefold:* Die Parochialrechte p. 146 seq. — Cfr. Acta s. S. I. p. 391.

Parochus presbyter

a) Parochus regulariter quidem presbyter sit, oportet; ac praecise ex jure canonico id non requiritur. Sufficit, ut sit clericus, intra

vel presbyterandus.

annum tamen presbyterandus, utque annum 25. attigerit.[7]) *b)* Juris-

Jurisdictio ejus est fori interni.

dictio parochi et communi fere Theologorum sententia[8]) dicitur esse interni duntaxat fori, et maxime ad Sacramenti poenitentiae aliorumque Sacramentorum dispensationem, ad verbi divini praedicationem et ad alia spiritualia fidelibus conferenda revocatur. Verum quia ab ipsa lege canonica certae functionum et negotiorum species muneri parochiali sunt alligatae, jurisdictio parochi merito dicitur *ordinaria,* quamvis nihilominus potestati episcopi subjecta maneat, nec nisi cum justa ad eundem dependentia recte

Parochiae limites,

possit exercere. *c)* Munus parochiale certo loco adstringitur et in fideles in eo loco degentes tanquam suum subjectum sese extendit. Limitum parochialium determinatio per competentem auctoritatem, nempe per episcopum, fieri debet, ita quidem, ut cunctum populum in certas propriasque parochias distingui oporteat.[9]) Limitationi legitime semel factae, si certo de ea constet, per nullam praescriptionem derogari potest.[10]) Ad parochianos jam pertinent omnes, qui in hoc districtu domicilium vel quasidomicilium obtinuerunt[11]) et fidei catholicae addicti sunt. Et hisce solis re-

quibus adstringitur munus.

gulariter functiones parochiales sunt ministrandae.[12]) *d)* Vinculum, quo parochus cum sua parochia connectitur, ejusmodi est, ut sine ipsius licentia in districtu parochiali nemo praeter episcopum functiones ad munus suum pertinentes licite peragat,[13]) neque parochiani ab aliis Sacramenta vel alia spiritualia recipere possint. Haec tamen regula tam ex lege scripta quam ex consuetudine

Parochiani corpus non efficiunt.

haud modicas exceptiones patitur. *e)* Populus parochialis corporationem in sensu juridico seu universitatem, tanquam mera plu-

---

[7]) c. 14 in VI. (I. 6).

[8]) Bened. XIV. de synod. dioec. L. 5. c. 4. — *Schmalzgrueber* Lib. I. tit. 31 § 6.

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 13. de ref.

[10]) *Philipps* Lehrbuch d. K.-R. p. 452. c. 4. X. de parochiis et alienis parochianis (III. 29). — Domus aliqua in confinio posita ad eum parochum pertinet, in cujus territorio janua reperitur: «Ibi parochianus, ubi porta principalis.» Acta s. Sedis XVII. p. 287.

[11]) De quo infra in jure matrimoniali § 164.

[12]) Vagi illius parochiae commoda percipiunt, in qua modo sunt.

[13]) Vetatur tamen parochus quosvis ignotos sacerdotes ad celebrandum sacrum in sua ecclesia admittere, nisi requisita documenta exhibuerint. Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 16. de ref.: «Nullus praeterea clericus peregrinus sine commendatiis sui Ordinarii literis ab ullo episcopo ad divina celebranda et Sacramenta administranda admittatur.» Et Sess. XXII. de observ. in celebr. Missae: «Singuli in suis dioecesibus interdicant, ne cui vago et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat.» — Syn. Brixin. (tit. X. n. 7) jure merito requirit, ut literae dimissoriales *recentes* ostendantur.

ralitas hominum, non constituit proindeque jura corporum eccles. haud participat;[14]) nihilominus tamen certis obligationibus erga ecclesiam manet obstrictus, quae onerum parochialium nomine veniunt. A vinculo parochiali eximuntur domus regularium in sensu proprio (§ 140); instituta religiosa in sensu improprio nonnisi per speciale summi Pontificis privilegium eximi possunt.[15]) *f)* Centrum unionis in ecclesiasticis est *ecclesia parochialis*, et quidem designata aut Romani Pontificis aut episcopi auctoritate.[16]) *g)* Regulariter parochi in perpetuum et cum titulo beneficii constituuntur, et propterea removeri non possunt, nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis. In Gallia tamen post revolutionem consuetudo viget, ut parochorum succursalium (desservants) triginta, uti fertur, millia existant sine canonica institutione et sine jure perpetuitatis, ita, ut ab episcopis revocari et transferri possint. Hac tamen auctoritate episcopi haud frequenter, et nonnisi prudenter ac paterne uti debent, quoties nimirum ejusmodi revocatio necessaria aut utilis esse apparet spirituali bono rectoris aut parochiae, sive illius a quo removetur, sive illius ad quam transfertur. Quam consuetudinem s. Sedes tolerat, et quodammodo passive in ea se habet.[17]) *h)* Indicia parochiae naturalia quidem, sed non essentialia sunt: Fons baptismalis, celebratio matrimoniorum, coemeterium, jus sepulturae etc., quae notae, ubi reperiuntur, signa sunt, ecclesias esse parochiales, quin tamen in defectu unius alteriusve signi notio parochiae evertatur. Neque cura animarum est ecclesiae parochialis indicium infallibile, cum etiam penes ecclesiam filialem possit esse beneficium *curatum*. Sed discrimen inter ejusmodi beneficium et parochiale in eo est, ut prius sit minus plenum, neque cum omnibus conjunctum juribus parochialibus.

Ecclesia designata.

Parochorum amovibilitas.

Indicia parochiae.

[14]) *Schulte:* System d. K.-R. p. 282. — Juxta aliquorum sententiam, quam in c. 3. C. 10. qu. 3. fundatam existimant, saltem decem familias esse decet, ut parochia constitui possit.

[15]) Seminaria per se non sunt exemta; congruum tamen Tridentinae legi (Sess. XXIV. c. 11. de ref.) videtur, «seminaria regularibus familiis rite constitutis dirigenda et educanda tradita, quae intra eorum septa cum iisdem degunt, a parochiali jurisdictione in Sacramentorum saltem administratione esse immunia.» Acta III. 61.

[16]) c. 11. C. 16. qu. 7; Conc. Trid. Sess. XXI. c. 4. de ref. *De Angelis* ad tit. 29. l. III. p. 37.

[17]) S. C. C. 5. Dec. 1863; 3. Jul. 1868. Herm. Raimund in *Vering's* Archiv. tom. 21. p. 423. seq.: Einige Entscheidg. der röm. Congreg. über parochi amovibiles. Episcopis statuum unitorum Americae ex tacita venia s. Sedis pariter competit potestas conferendi omnia beneficia parochialia ad *tempus* et *manualiter*. *De Angelis* l. c. p. 41. — Succursalibus, licet beneficia veri nominis non teneant, non licet pro lubitu a suo munere recedere, sed ab episcopo cogi possunt, ut in munere suo persistant. S. C. C. 9. Maj. 1884. Acta s. Sedis XVII. 288.

Dum jam ad munus parochiale delineandum accingimur, illa potissimum tum jura tum officia expendemus, quorum in alliis tractatibus mentio non fit.

§ 127. Jura et officia parochorum circa religiosam instructionem et s. ministerium.

Praedicatio et instructio.

1. *Praedicatio verbi Dei et instructio fidelium* religiosa ad praecipuas muneris parochialis partes pertinet. Concilium Trid. praecipit, ut omnes parochi, et quicumque curam animarum habentes, diebus saltem dominicis et festivis, et praetera tempore Adventus et Quadragesimae aliis etiam diebus sermonem de rebus divinis ad populum habeant. Imo si qui ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras eccles. et etiam per poenas arbitrarias ad implendum suum officium cogi possunt.[1]) Neque tunc ab hoc officio liberatur parochus, si plebs parochialis non sit numerosa. Eodem concilio etiam pueros in religione informare parochi jubentur.[2]) Caeterum per se intelligitur, eos privatim quoque datis occasionibus munus evangelistae facere oportere.[3])

Ss. Missae applicatio.

2. Respectu *s. ministerii* cumprimis unusquisque parochus, sive dives sit sive pauper, pro populo sibi commisso diebus dominicis festisque ex ratione offfcii et ex justitia in ecclesia parochiali, seu in ecclesia, ubi populus parochialis congregatur, sacrificium Missae offerre tenetur.[4]) Nam *„praecepto divino,“* ait Concil. Trid.,[5])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. V. c. 2. de ref., e. g. assignando ex fructibus parochi partem congruae alteri, qui loco ipsius hoc ministerium adimpleat. *Barbosa* de off. et pot. parochi I. cap. 15. n. 3. — Cfr. 149. 2.

[2]) Sess. XXIV. c. 4. de ref.

[3]) Praesertim obstetrices circa rationem conferendi baptismum sunt instruendae. Bened. XIV. Instit. 8. — Ubi parochi et concionatoris officia diversis committi solent, concionatorem in omnibus rebus controversis parocho acquiescere convenit, id quod in syn. Brixin. quoque statuitur (tit. 12. n. 3), ubi etiam parochi monentur, ne totum concionandi onus in alios sacerdotes rejiciant, sed per se quoque hoc munus exerceant.

[4]) «Licet tamen parochis (ait *Devoti* tom. 1. Instit. p. 241), qui gravi inopia laborant, cum episcopi venia diebus dominicis festisque accipere, quod a pio aliquo homine datum est, et pro eo Missam offerre, modo infra hebdomadam rem divinam conficiant, quam festis diebus conficere debuissent.»

[5]) Sess. XXIII. c. 1. de ref. Const. Bened. XIV. «Cum semper oblatas» d. 19. Aug. 1744. Cfr. dissert. synopt. Camilli Tarquinii S. J. in Eph. «Acta» I. 390. seq., ubi cl. auctor probat: 1. Onus hoc parochiale applicandi esse intelligendum non de divino jure absolute spectato, sed de div. jure hypothetice spectato. Jus divinum absolutum ad solos episcopos pertinet, alios vero animarum curatores nonnisi mediate attingit, quatenus nempe hi ex institutione eccles. partem pastoralis officii divinitus instituti accipiunt. Hinc in potestate ecclesiae est, super applicationis officio dispensare. 2. Quoties

«mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere et pro his sacrificium offerre.» Atque haec obligatio non modo parochis et vicariis saecularibus sed etiam parochis et vicariis regularibus incumbit, necnon parochiarum administratoribus (provisoribus) et generatim omnibus, qui curam animarum vel tanquam veri nominis pastores vel tanquam eorum *vicarii* (non vero tanquam meri coadjutores) exercent. Qui enim in locum alterius ponitur et omnia ejusdem exercet officia, pro una eademque persona habetur.[6]) Non vero tenentur applicare vicarii apostolici et missionarii, nisi teneant parochiam formaliter erectam i. e. nisi regant populum certis limitibus circumscriptum apud ecclesiam designatam. Caeterum Missa pro populo omnibus dominicis necnon illis diebus festivis applicari debet, qui ab Urbano VIII. declarati sunt pro diebus de praecepto;[7]) quibus etiam dies festus unius ex principalioribus patronis in civitate, oppido, pago est accensendus.[8]) Et licet inter dies festos ab Urbano VIII. recensitos plurimi aevo recentiore sublati sint, nihilominus iis quoque diebus animarum curatores pro populo applicare tenentur.[9]) Et quia obligatio applicandi derivatur ex justitia, eadem *gratis*

---

praecise applicandum sit, jure divino non determinari, sed jure ecclesiastico. 3. Missionarios ad hoc non obligari, nisi agatur de parochiis canonice erectis. 4. Onus hoc incumbere etiam episcopis et parochis orientalibus, sed intra terminos legum et consuetudinum localium, vel in ipsarum defectu intra terminos juxtu normam legum occidentalium definiendos. Cfr. Brixner Kirchenblatt: «Ueber die Missa pro populo» 1872 n. 13.

[6]) Vide hoc enucleatius expositum in «Acta s. S.» tom. 1. d. 397. — Ad hanc applicationem etiam eos, qui in dioecesi Brixin. *curati* vocantur, adstrictos esse, Romae decisum est et clero intimatum 4. Dec. 1846. Scil. tenentur sacrif. offerre, qui tenentur agnoscere *oves suas*. Porro tenentur applicare *vicarii perpetui*, quia isti sunt veri nominis parochi; imo etiam *vicarii temporanei*, quia ad hoc juxta Bullam Pii IX. «Amantissimi Redemtoris» d. 3. Maj. 1858 obligantur *omnes animarum curam actu gerentes*. Decisum etiam est a s. C. C. 7. Maj. 1808, applicandum esse in tali casu non a rectore habituali sed a parocho actuali i. e. a vicario. *De Angelis* ad lib. 1. tit. 28. p. 49. — Proprie loquendo nostri *expositi* pariter non sunt, nisi vicarii temporales, saltem ubi munera parochialia pene omnia peragunt et proinde vix immunes declarari possunt ab officio applicandi (*De Angelis* lib. 1. tit. 28); sed apud nos isti *juridice* considerari solent ut meri *adjutores* parochorum, seu ut *cooperatores expositi* (§ 129. 1. b. 4) et propterea ex consuetudine non solent applicare.

[7]) Constit. «Universa per orbem» 1642. Brixner Diözesanblatt 1858. p. 65—87.

[8]) Non item tamen die festo *patroni* ecclesiae, quia ejus nulla fit mentio in cit. Constitutione. In nostris tamen regionibus non *loci*, sed *ecclesiae* tantum patroni habentur. — Festo aliquo in Dominica incidente, unica applicatio sufficit.

[9]) Sic declaravit et mandavit Pius IX. in Encyclica ad universos Orbis episcopos directa (3. Maj. 1858).

fieri debet, nec potest parochus pro ea eleemosynam percipere.[10]) Bene vero conceditur, ut parochiani intuitu hujus oneris tenues pastoris reditus adaugeant. Denique obligatio isthaec est personalis simul et realis, ita, ut interveniente causa canonica aut necessitate, qua parochus eam celebrare non possit, per alium eam applicare teneatur.[11])

Applicandi officio, quod parochis incumbit, quodammodo respondet ex parte fidelium obligatio sacrum audiendi. Hinc fideles veteri disciplina in sua duntaxat parochia praecepto audiendi Missam satisfacere potuerunt.[12]) At juri antiquiori primum per privilegia ecclesiis regularium concessa, deinde per consuetudinem contrariam et per expressas posteriorum Pontificum constitutiones derogatum est. Juxta Concilium Trid. populus moneri quidem debet, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis accedat.[13]) Verum prout jam s. Carolus Borr. censuit, et Bened. XIV. in Synodo dioecesana invicte probat, parochiani hortationibus quidem et suasionibus ad hoc idem invitari, nullatenus tamen praeceptis episcoporum, nedum parochorum cogi possunt.[14]) Ratio est, quia et ipsi episcopi non possunt delere consuetudinem, quae jam ubique viget et naturam induit juris communis.[15])

3. Quoad *Sacramenta ceterasque s. functiones* inter *jura mere parochialia* et *jura non mere parochialia* distinguendum est. Jura

---

[10]) Constit. Bened. XIV. cit. § 2; s. C. C. in causa Brixien. 3. Mart. 1855 ap. *Lingen* et *Reuss* p. 789.

[11]) S. C. C. d. 25. Sept. 1847 decrevit, alium ad hoc onus licite substitui non posse, «excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica.» Acta III. 97. Cfr. II. 207. — Ad quae haec notare juvat: Quod parochus *omnibus* praecise dominicis et festis pro populo applicare teneatur, non est de lege *divina*, sed *humana* tantum. Proinde si nonnisi cum gravi incommodo possit semper in persona Missam pro populo celebrare, non peccare videtur, si quandoque alium substituat. Nam leges humanae non obligant cum notabili incommodo. Parochi plures regentes parochias pro singulis separatim per se vel per alios debent applicare. S. C. C. 3. Febr. 1884 (Münst. Past.-Bl. 1885 N. 7. p. 73).

[12]) c. 52. D. 1. de consecr. (Theodulf. c. a. 797); c. 4. C. 9. qu. 2. (conc. Nannet.): «In dominicis vel festis diebus presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in ecclesia sit, qui proprio contempto presbytero ibi velit Missam audire; quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant.» c. 2. X. (III. 29); c. 2. X. vag. comm. de treuga et pace. (I. 9.) (Sixt. IV.)

[13]) Sess. XXII. de observ. et evit. in celebratione Missae.

[14]) l. 11. c. 14. n. 7—13, ubi etiam illud refertur, quod s. C. C. praeceptum episcopi Mindensis de audienda Missa et concione in propria parochia ut nimis severum expungendum putavit.

[15]) Acta IV. 257. Cavetur tamen in constitutionibus Pontificum, quae etiam alibi audire Missam concedunt, *ne in contemptum parochialium ecclesiarum id fiat.* Bened. XIV. l. c. n. 10.

mere parochialia a solis parochis aut a sacerdotibus a parocho suffectis exerceri possunt; jura vero non mere parochialia parochis haud privative competunt, sed ab aliis etiam ministris licite peraguntur. Postquam nimirum regularium exemtiones aliaeque concessiones (praesertim sodalitatum et hospitalium oratoriis factae) plures extraordinarios ministros induxerunt, tum Sacramenta tum aliae s. functiones etiam ab his, modo intra justos limites sese contineant, rite administrantur.[16])

Jura mere parochialia.

a) Jura *stricte* parochialia ex vigenti disciplina sunt haec: 1. *Baptismi collatio.* «Legitimus baptismi minister (ait Rituale Rom. tit. 2. c. 2. n. 12) est parochus, vel alius sacerdos a parocho vel ab Ordinario loci delegatus,» 2. *Viaticum* et *communio paschalis.* Hanc posteriorem in propria uniuscujusque parochia fieri, leges diserte praecipiunt.[17]) Verum in nostris regionibus hac in re disciplina justo plus relaxata reperitur. Equidem episcopi permittere possunt, ut fideles etiam in alia quam parochiali sua ecclesia communione paschali reficiantur; nihilominus tamen praxis illa legibus vix consona videtur esse, qua passim, non praehabita superiorum licentia, etiam alibi communio paschalis suscipitur, nisi forte legitima consuetudo huic usui patrocinetur.[18]) 3. *Extrema unctio.* Imo decreta est excommunicatio R. Pontifici (simpliciter) reservata contra «religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia.»[19])

[16]) Cfr. Bened. XIV. Inst. 105, ubi refertur decretum s. Congr. Rit. d. 10. Dec. 1703, in quo singulatim definitur, quid juris competat parochis quantum ad oratoria in parochia existentia, eorumque rectores.

[17]) Bened. XIV. Inst. 18. et de syn. dioec. l. 12, c. 6. n. 10; l. 9. c. 16. — Jure antiquiore trino quotannis communio praecepta erat. c. 19. D. 2. de cons. (Conc. Agath. 506); c. 16. eod. (Conc. Turon. III. a. 813) — «Propositionem: Parochiani non tenentur in propria parochia communicare in paschate» ab Academia Sorbonica hanc censuram tulisse refert. Bened. XIV. in cit. Inst., quod sit *propositio falsa, scandalosa et temeraria.*

[18]) Conc. prov. Colon. (1860), syn. Leod. (1851), syn. Paderborn. (1867) obligationem paschalem ad propriam parochiam adstringunt; Conc. prov. Strigon. (1858) legitimam agnoscit contrariam earum regionum consuetudinem; Conc. prov. Vienn. (1858 p. 72) edicit, episcopos permittere posse commun. paschalem in aliena ecclesia. Hoc idem statutum est in pluribus synodis saeculi 18., quas recenset *Richter* p. 467 not. 6 ed. 1.

[19]) Const. «Apost. Sedis» n. 14. Idem jam sub eadem poena prohibuerat Clemens V. (c. 1. Clem. V. 7). Excipe tamen: 1. Legitimam ejusmodi jurium praescriptionem (Acta s. S. IV. p. 257); 2. si religiosi domesticis suis Sacramenta morientium ministrent, quod etiam valet de alumnis Seminarii, quod moderamini religiosorum traditum est, nec non de famulis actu inservientibus. Acta s. Sed. III. 61. *Lucidi* II, p. 357; 3. Bulla Pii non videtur comprehendere instituta religiosa votorum simplicium. Horum institutorum sacerdotes, contraveniendo huic Bullae articulo, illicite quidem agunt, at non incurrunt censuram.

4. Administratio *poenitentiae* olim pariter saltem in paschate parochis privative competebat.[20]) Sed hodie, cum vel ipsa annua confessio coram quovis adprobato confessario licite fieri potest, poenitentiae administratio non tam inter jura, quam potius inter officia parochialia venit. Tenentur quippe animarum curatores poenitentiam (et ss. Eucharistiam) fidelibus toties administrare, quoties id ipsi rationabiliter petierint. Verum parocho confiteri ne paschali quidem tempore hodie parochiani tenentur. Caeterum parochus suorum confessiones ubique locorum, in sua vero parochia etiam alienorum licite audit. 5. *Proclamatio* (§ 164), *conjunctio* (§ 192) et *benedictio matrimoniorum* (§ 193). 6. Jus *sepulturae* intuitu eorum, qui in tractu parochiae domicilium vel quasi-domicilium obtinuerunt; excipe tamen 1. si sepulchrum gentilitium habeant, aut 2. si aliam parochiam pro sepultura elegerint.[21]) Si quis casu fortuito extra suam parochiam moriatur, de jure pariter, in sua parochia humari deberet, modo commode illuc portari possit,[22]) quia ex eo, quod ad tempus discessit, non desiit esse loci sui parochianus.[23]) At ex consuetudine, vel etiam ex conventione parochorum ab episcopo adprobata talis defunctus in nostris regionibus sepeliri plerumque solet in loco mortis suae. Tanto magis advenae ex loco remotiori atque vagi in parochia, in quam transierunt, sepeliri debent. Occasione transitus cadaveris ex aliena parochia a parocho loci, per quem fit translatio, nihil posse exigi, iterato declaratum est.[24])

Jura non mere parochialia.

b) Inter jura non mere parochialia in Decreto s. C. R. d. d, 10. Deci 1703 iterum duo genera distinguuntur: *functiones parochiales* et *functiones mere sacerdotales*. Functiones parochiales sunt,

---

[20]) Sixtus IV. (c. 2. X. vag. comm. [I. 9.]) edixit: «quia de jure tenetur parochianus saltem in paschate proprio confiteri sacerdoti.

[21]) c. 5. de sepult. X. (III. 28), ubi cadaver illegitime in alieno loco sepultum restitui jubetur. Cfr. Acta I. 87, III. 46; VI. 573 Archiv tom. 4. p. 185.

[22]) c. 3. in VI. (III. 12). Per publica coemeteria valetudinis causa lege civili inducta ac per impeditam exinde cadaveris dispositionem in proprio seu gentilitio sepulchro, reliqua jura cum proprietate sepulchri connexa remanent illaesa, cujusmodi sunt expositio cadaveris in ecclesia (ubi est in usu), funeralia, eorumque emolumenta. Acta I. 87, 124.

[23]) Ille tamen parochus ad hunc effectum proprius ex lege censetur, in cujus parochia aliquis decessit, qui saltem brevi tempore et perfunctorie in ea commoratus est. Acta III. 46. Regulares, qui extra monasterium decedunt, debent in loco mortis sepeliri, nisi commode ad monasterium deferri possint c. 5. in VI. (III. 12); Acta s. S. V. p. 125. — Si in calamitate publica, e. gr. grassante lue asiatica, cadavera sine ullo ritu sepulturae tradantur, emolumenta funerum cessant. l. c. p. 127.

[24]) Decr. s. C. C. 28. Nov. 1671 confirm. ab. Innoc. XI. (Acta s. S. V. p. 222; s. C. epp. et regul. 24. Nov. 1713 l. c.) — Cfr. ib. Append. V. et VI.; item p. 569. *Zallinger* l. III. tit. 28; *Schmalzgrueber* h. t.

quae quidem etiam in oratoriis a parocho independentibus fieri permittuntur, sed tamen eoquod quandam praeeminentiam et honorificentiam in parocho prae se ferant, ad solum parochum aut ad sacerdotem ejus loco suffectum spectant. Et haec vigore praedicti decreti sunt: Benedictio mulieris post partum[25]) et fontis baptismalis,[26]) celebratio Missae solemnis feria V. in Coena Domini, itemque celebratio Missarum solemnium (i. e. cum ministris) per annum. Functiones vero mere sacerdotales (quo referuniur ceterae benedictiones, ac distributiones candelarum, cinerum et palmarum, functiones item majoris hebdomadae) *per se* etiam rectoribus aliarum ecclesiarum independentium, capellanisque sodalitatum conceduntur, etiamsi hae ecclesiae limitibus parochiae comprehendantur. Dixi *per se;* nam in pluribus locis, ac in nostris praesertim regionibus, etiam hujus generis functiones aut vetusta consuetudine, aut legibus synodalibus solis parochis competunt.[27])

4. Sunt denique alia multa, quae parochis in ecclesia peragenda incumbunt, veluti supplicationes ac processiones curare, indulgentias, festivitates, jejunia, literas pastorales, mandata et constitutiones ab episcopo emanatas populo denuntiare, omnium, quae ad cultum Dei publicum pertinent, curam singularem gerere.

§ 128. Parochorum munia et negotia ad extra.

Praeter recensitas functiones ministeriales alia insuper munia et negotia ex injunctione non modo ecclesiae, sed et potestatis civilis parochis incumbunt, quae cum officio pastorali propius aut remotius cohaerent. Praecipua ejus rei capita (nam non omnis haec materia spectat ad jus canonicum) ad sequentia collimant:

1. Parochi est, *vigorem disciplinae eccles.* in populo parochiano servare. Equidem parochi jurisdictione pro foro externo carent, ac propterea non possunt leges ferre pro suis parochianis, neque censuras aut poenas eccles. ipsis infligere. Sed tamen ipsis incumbit officium *vigilantiae pastoralis,* qua *oves suas agnoscere* earumque mores jugiter inspicere debent. Idcirco in pluribus

1. Cura disciplinae.

Vigilantia et correctio pastoralis.

---

[25]) Attamen lite exorta inter quandam ecclesiam parochialem et collegiatam s. C. C. 7. Dec. 1720 declaravit: «Est in libertate puerperarum accedere ad quamcunque ecclesiam sibi bene visam.» Sed hoc tum solum obtinet, quando juri parochorum nulla favet aut constitutio synodalis aut consuetudo.

[26]) Ex justis et legitimis causis e. g. ob locorum distantiam, viarum asperitatem episcopus facile potest concedere erectionem fontis baptismalis etiam in filialibus ecclesiis independentibus a matrice. *Santi* h. t. n. 8.

[27]) Bened. XIV. Inst. 105, ubi ejusmodi statuta synodalia referuntur. Syn. Brixin. tit. 2. n. 14: Benedictiones, quae cum stola fieri solent, sacerdotes sive saeculares sive regulares nullibi peragant, non praehabita parochi loci licentia.

dioecesibus statim ac in parochiam immissi fuerint, ac deinceps singulis annis vel saltem bienniis districtum parochialem visitare jubentur. Item parochis incumbit *officium paternae correctionis* et *admonitionis*, ut nempe errantes et peccantes corrigant, negligentes excitent, scandala et abusus resecent. Media huic fini inservientia hodie, brachio saeculari languescente, alia vix praesto sunt, et vix unquam proficua quam spiritualia.[1]) Et certe haec *cura disciplinae* pertinet inter praecipua officia illius, qui dicitur *curator animarum!*

2. Cura pauperum.

2. *Cura pauperum*, viduarum et orphanorum ex indole muneris sui ita ad parochos spectat, ut quasi nativi pauperum patres dicendi sint.[2]) Et haec quidem obligatio, utpote divina lege ordinata, semper in suo vigore perdurat, etiamsi legibus civilibus modernis instituta pauperum, ecclesia exclusa, administrationi civili obnoxia reddantur.[3])

3. Inspectio scholarum.

3. *Inspectio scholarum* elementarium in districtu parochiali existentium parochis *vi officii pastoralis* competit. Hinc parochus recte lege Austriaca quoque antehac localis scholarum parochia-

---

[1]) In Imperio Austr. vi decret. canc. aul. 18. Jun. 1826 parochianus a parocho corrigendus, vel alias ab ipso citatus, invocato judicis auxilio cogi potest, ut se sistat parocho. Sed hodie decr. valorem habere non videtur. — Cfr. syn. Leod. (1851) p. 53, ubi media singulis abusibus et scandalis resecandis efficacia, ac praesertim piae sodalidates et consociationes commendantur.

[2]) „*Praecepto divino* mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, pauperum aliarumque personarum miserabilium curam paternam gerere.» Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 1, de ref. Cfr. c. 3. X. (III. 36); 2. Clem. (III. 11).

[3]) Inde ab anno 1848, ac praesertim postremis his annis fere ubique pecuniae pro pauperibus relictae administrationi, vel saltem inspectioni saecularium sunt subjectae. In Imperio Austr. parochi vi legis Josephinae instituto pauperum praeerant, et una cum aliis ex numero parochianorum deputatis eleemosynas pauperibus distribuendas determinare, rationes quotannis conficere, ac testimonia paupertatis exhibere debebant. Ast legibus novissimis instituta pauperum addicta sunt curae communitatis politicae (lege 5. Mart. 1862; Gemeinde-Ordnung für Tirol 9. Jan. 1866, §§ 27, 35; legibus 1869. 1870 pro Austria super. et inferiori et pro Carinthia editis). Parochis nonnisi illae fundationes administrandae relinquuntur, quae vel natura sua sunt ecclesiasticae, vel ex voluntate fundatorum ipsorum administrationi sunt addictae. Si vero rogati fuerint parochi a communitate, ut collaborent in administrando instituto pauperum, vel etiam ut totam administrationem in se suscipiant, nihil obstat, quominus hoc charitatis opus peragant. Cfr. *Rosshirt:* Neuere Staatsgesetzgebung über das Stiftungswesen in *Vering* Arch. tom. 25 p. 89. — Tenentur etiam parochi militum invalidorum, nec non eorum, qui pensiones ex fundis publicis percipiunt, apochis subscribere, ac talium percipientium mortem, et loci statusve mutationem indicare. — Synod. Leodiensis (p. 58) parochis recte inculcat, ut nosocomia, senectutis hospitia, carceres aut alia id genus loca visitent, foveant ac stabiliant; porro ut pias sodalitates, quibus de pauperibus cura est, maxime eam, quae a s. *Vincentio a Paulo* nuncupatur, erigere et fovere nitantur.

lium inspector consideratus fuit. Sed lege d. 25. Maj. 1868 de hoc munere dejectus est. Porro pro inspectione et directione scholarum in singulis locis, districtibus et provinciis collegium proprium constitutum est, quod consilium scholasticum (Schulrath) vocatur. Ex dispositione legis, a gubernio comitiis generalibus propositae, in *consilium locale* etiam parochus *vi muneris sui* cooptandus esset; pariter *in consilium districtus* et *provinciae* viri ecclesiastici essent vocandi. Verum plura comitia provincialia legem ita propositam reiecerunt, statuentes, ut animarum curator non *ex officio* sed nonnisi per electionem membrum consilii scholastici esse possit. Generatim ecclesiae influxus in scholas per novas leges adeo imminutus est, ut nonnulli episcopi Austriaci melius esse duxerint, parochos istis collegiis omnino non associari, quam associatos scholis nihil fere prodesse, vel omnino ad earum detrimentum cooperari.[4])

4. Parochorum est, conscribere *libros parochiales* necnon quaevis alia documenta, quae ex iis desumuntur. Ad libros parochiales praeprimis libri tum baptizatorum tum matrimonio junctorum ex Conc. Trid. praescripto[5]) pertinent; praeterea Paulus V. in Rituali Romano a se (1641) edito librum confirmatorum, librum status animarum, et librum defunctorum a quolibet parocho haberi jussit. In dicto Rituali (tit. ult.) formulae in quinque dictis libris scribendae ad amussim et minutissime praescribuntur. Hi libri originetenus erant mere ecclesiastici, et nomine ecclesiae scribebantur ac conservabantur. Verum processu temporis libri baptizatorum, nubentium et defunctorum (matriculae) etiam a potestate civili ceu *documenta publica* considerari coeperunt, factisque in his libris consignatis plena fides haberi consuevit. Sicque accidit, ut parochi etiam nomine potestatis civilis praedictos tres libros conscribant, iidemque privative matricularum legitimi depositarii habeantur, et testimonia ac documenta ex iis descripta vere authentica sint seu publicam fidem facere debeant. Hinc eas etiam leges servari oportet, quae pro illis conscribendis a potestate politica praescriptae sunt. Limita tamen, dummodo formulae a potestate politica praescriptae sanctionibus ecclesiasticis non adversentur, et salva conscientia adhiberi possint.[6])

4. Conscriptio librorum parochialium.



[4]) Cfr. *Vering* Arch. t. 25. p. 307.

[5]) Sess. XXIV. de ref. matrim. c. 1. et 2.

[6]) In Imperio Austriaco matriculis parochialibus et documentis ex iisdem exscriptis litt. pat. dd. 1. Maj. 1781 publica probandi vis pro foro civili formaliter addicta est. Deinceps alia lex prodiit (20. Febr. 1784), qua ratio scribendi matriculas accurate definita est, ita tamen, ut quoad substantiam eaedem prorsus formulae praescriberentur, quae in Rituali Romano erant ordinatae. Subin legibus civilibus regulae peculiares haud paucae pro conscribendis matriculis sunt adjectae, quae tuta conscientia ab animarum cura-

aliarumque rerum inde pendentium,

Sed multiplex praeterea scriptionis genus dictis libris annexum esse solet. Nam non solum testimonia[7]) (etiam pro personis militiae stabili adscriptis) ex illis describere, verum etiam multiplicis generis tabellas[8]) eorum ope conficere, ad parochorum officium spectat.

---

toribus potuerunt observari. Neque etiam gubernium civile, has regulas statuendo, unquam intendebat ecclesiae hos libros surripere et parochos quantum ad hanc rem ceu meros reipublicae officiales considerare; sed solummodo una cum ecclesia jus quoddam inspectionis et dispositionis sibi vindicavit. Igitur parochi haud unquam desierunt esse depositarii matricularum principaliter nomine ecclesiae ad hoc munus constituti. Rebus sic stantibus mirum non videbitur, quod clerus novae ordinationi Ministeriali dd. 1. Julii 1868 sese opposuerit. Hac quippe ordinatione (contra tenorem legis dd. 25. Maji 1868) jussi sunt parochi etiam matrimonia *civilia* consuetis matriculis juxta ordinem consignare. Id quod oppido repugnat conscientiae catholici pastoris et libertati conscientiae apud nos solemniter proclamatae. Siquidem conjunctionem ab ecclesia reprobatam legitimis et ecclesiast. matrimoniis inserere, propriaque subscriptione communire, aliud non foret, nisi agnoscere eam et adprobare tanquam legitimam. Cfr. *Dr. Fessler:* Stand der Frage wegen der pfarrl. Tauf-, Trau- und Sterbebücher. Wien 1869. — Inter praescripta civilia hujus generis etiam illud notandum est, quod ii, qui militiae stabili adscripti sunt (Brixn. Dioec.-Blatt 1857, p. 29) ratione baptismi, nuptiarum et obitus matriculis civilibus consignari debent, eoquod dictae personae parochis civilibus omnino subjiciantur. Quodsi contingat, ut parochus functiones s. intuitu personarum *ad militiam vagam* pertinentium peragat, isti actus pariter matriculis consignandi sunt. At praeterea (vi ordin. minist. pro bello dd. 15. Febr. 1871 Brixn. Dioec.-Blatt 1871, p. 54, 55) omnes personae natae, copulatae et defunctae, *confestim* expleta functione per modum copiae, seu (ut dicitur) extractus, ex matricula *immediate* denuntiari debent superioribus militaribus a parocho civili. — De cetero propter numerum cleri militaris imminutum (§ 112 in fin.) edicto ministeriali dd. 28. April 1870 *(Vering* Arch. t. 24, p. 29) parochis civilibus injunctum est, ut intuitu personarum militarium longe plures actus parochiales, quam antea necessarium erat, imo omnes omnino peragant in locis, ubi magna militum multitudo est in stativis, deficiente animarum curatore militari. Cohaerenter in eodem edicto praescribitur, ut parochi civiles (saltem in locis, ubi frequentes sunt inscriptiones) pro personis, quae curae animarum militari subsunt, peculiares matriculas penes se habeant, quibus functiones parochiales intuitu talium militarium peractas consignent. Attamen quoad viros militares, qui vel ad ulteriora belli servitia reservantur (Reserve-Männer), vel stabiliter sunt dimissi (dauernd Beurlaubte [§ 184, 2.]) minister pro bello dd. 16. Jan. 1872 declaravit, horum copulationem non amplius (juxta ordinat. minist. dd. 31. Juli 1867) instantiae militari debere intimari. *(Vering* l. c. tom. 28, p. 73.)

[7]) Testimonium baptismale personis suspectis aut vitae inordinatae deditis vel in terris exteris commorantibus dare non licet, nisi, ut dari possit, licentiam a suo magistratu obtinuerint. — Cfr. edictum min. pro cultu et instr. d. 22. Sept. 1852. *Helfert* K.-R. § 221. Praeterea hoc edicto monentur animarum curatores, ut in dandis quibuscumque testimoniis quae ex matriculis desumuntur, circumspecte agant et intentionem postulantium illa caute explorent.

[8]) Sic ex libro baptizatorum tabella tum pro conscriptione militari tum pro annua vaccinatione transscribenda venit; ex libro mortuorum quovis qua-

Praeter praedictos libros canonicos etiam alia scripta *in archivo parochiali* conservanda, et nominatim matriculas examinis sponsorum, urbarium parochiae, tabellam omnium fundationum, ordinationes a superioribus emanatas et similia fideliter custodire oportet.

5. Pars muneris parochialis est etiam administratio bonorum eccles., quae a parochis una cum aliquibus laicis ipsis adscitis geritur juxta normas suo loco indicandas.[9])

5. Administratio bonorum eccles.

drimestri nomina defunctorum ad judicem deferri opus est, cui haereditatum divisio incumbit, etc. In dioecesi Brixin. quotannis etiam extractus legales ex tribus dictis libris ad Consist. mittendi sunt, ne, si libri parochiales casu interierint, legitima documenta omnino deficiant. — Modum haec omnia rite conficiendi vid. ap *Helfert*, Gesch.-Styl.

[9]) Rei naturae consentaneum est, ut parochus etiam in assumtione famulorum ecclesiae scilicet aeditui et organoedi interveniat. Aedituorum assumtionem olim ad superiores ecclesiasticos pertinuisse, imo sua natura ad ipsos spectare, extra dubium est. In Austria jam decreto aul. dd. 13. Oct. 1770 statutum fuit, ut parochi libere assumerent aedituos, organoedos et personas tum campanili tum sepulturis praepositas. Sed praxis in hac re varia erat. Haud raro enim vel parochiani vel patroni in assumendis hujusmodi ecclesiae famulis se ingerebant. Quin etiam tunc assumtio eorum variabat, ubi superiores eccles. soli eam curabant. Nam aeditui nunc a parocho solo admittebantur, nunc ab Ordinario assumi vel saltem adprobari consueverunt. Novissime in Austria pluribus decisionibus et edictis ministerialibus horum famulorum assumtio ceu res eccles. mere *interna* (juxta art. 15. legis fundam. imperii) declarata et unice *parocho* addicta est (videatur e. gr. decisio minist. in aliquo recursu dd. 10. Dec. 1869. *Corresp.-Blatt* des kath. Clerus für Oesterr. 1882, Nr. 8; edictum minist. dd. 11. Junii 1880 l. c. Nr. 7), et hoc etiam tunc, ubi parochiani sumtus pro mercede, aedituo etc. solvenda, suppeditant (ut decisum est a minist. dd. 5 Oct. 1879 l. c. Nr. 7. 8. 13) nisi forte parochiani in constituendo salario jus eligendi aedituum sibi reservaverint. Sed ex istis decisionibus non satis clarescit, quid juris *patronis* in hac re competat. — In nonnullis locis tum aeditui tum organoedi in muneris sui ingressu fidelitatem suam juramento confirmare, vel etiam confessionem fidei juxta formulam Trident. emittere debent. — Juxta anteriores leges (polit. Schulverfassung § 168) munus tum aeditui tum organoedi, quoties fieri potuit, ludimagistro demandandum erat. At vi legis novae scholas concernentis dd. 14. Maj 1869, § 52 comitiis provincialibus liberum relinquitur, utrum haec duo munera, alterumve eorum, in persona ludimagistri cumulari concedant, nec ne. Jam vero pleraque Cisleithaniae comitia provincialia munus quidem organoedi compatibile esse declararunt cum officio ludimagistri, minime vero etiam munus aeditui. Ejus rei consequens erat, ut superiores ecclesiastici munera vacantia aedituorum aliis libere conferre potuerint, officia vero organoedorum pro variis rerum adjunctis de novo pariter ludimagistris, aut novis aedituis aliisve ex parochianis impertirent. Cfr. Ueber den Messnerdienst in Oesterr. in *Vering* Arch. tom. 25, p. 277 seq.; l. c. tom. 24, p. 98. In provinc Tirolensi lex provincialis nova pro scholis ab Imperatore non est adprobata. Unde magistratus publici statum legis antiquae (§ 168 polit. Schulverf.; ordin. minist. dd. 1. Maj. 1867 et dd. 15. Dec. 1868) adhucdum valere contendunt, dicta duo officia tanquam accessoria ludimagistrorum considerantes. Haec cum ita sint, episcopus necessario unumquemque compellitur admittere ad chorum et

6. Parochorum privilegia.

6. Privilegia, quibus parochi ex lege tum canonica tum civili fruuntur, maximam partem jam alibi (§ 71) recensuimus. A solvenda taxa stigmatis et illa, quae cursus publici nomine debetur, eandem fere, ac ipsi episcopi, immunitatem habent.

§ 129. De parochorum vicariis et adjutoribus.

Sicut unus episcopus praeest dioecesi, ita unus duntaxat parochus gregi suo proprie praefici debet, qui ipsius curam spiritualem gerat.[1]) At hisce sanctionibus minime repugnat moderna praxis, qua plures ministri ubique fere locorum deputari solent, qui vel parochum laborantem sublevent, vel ejus defectum aut in loco aut in stationibus remotis omnino suppleant. Atque hi operarii nuncupari solent *vicarii, curati, capellani, cooperatores, coadjutores, expositi, beneficiati,* sic tamen, ut horum nominum nullatenus eadem ubique sit significatio. Nos, quin verbis vim inferamus, quoad rem ipsam commode distinguendos esse ducimus eos, qui parochi sui *remoti* vices ex integro aut fere ex integro supplent, ab illis, qui *simul* cum parocho in eodem loco subsidii causa laborant in cura animarum. Hi adjutores, illi vicarii rectius dicuntur. Tractabimus ergo primum de vicariis, ac deinceps de subsidiariis.

1. Vicarii, a. Perpetui.

1. *Vicarii,* scil. qui vices parochi gerunt in cura animarum, designari solent, quando titulus parochiae, seu, ut dicitur *cura habitualis* est apud aliam personam, cui canones non permittunt actuale exercitium curae in isto loco, ut sunt personae morales, monasteria etc., vel quae ob aliam rationem e. g. ob dignitatem episcopi vel praelati in sua persona curam exercere nequeunt. Vicarii alii sunt *perpetui,* alii *temporales* vel amovibiles. Determinare, utrum vicarii constituantur perpetui, an temporales, exceptis quibusdam casibus (e. g. in casu vacantis parochiae) reservatur arbitrio prudenti Ordinariorum, qui in hac re procedere possunt, prout populo magis expedire videtur.[2]) Hinc generatim episcopus potest statuere, ut loco vicarii temporalis, qui antea deserviebat, pro majori utilitate constituatur vicarius perpetuus.[3])

Episc. potest constituere perpet. vel temporal.

in sacristiam, quem magistratus politicus constituerit ludimagistrum, vel saltem huic omnes dictorum officiorum proventus intactos relinquere. Et certe hoc haud convenit libertati, quae ecclesiae quoad res *internas* addicta est.

[1]) c. 3. 4. C. 21 qu. 2. — Hoc non obstante potest urbs non solum ob multitudinem incolarum, sed etiam ex eo, et quidem in eodem tractu plures habere parochos, quia incolae sunt diversae nationis et linguae. *De Angelis* ad tit. 29. l. III. p. 37.

[2]) Conc. Trid. Sess. VII. c. 7. de ref.; Sess. XXI. c. 4. de ref.; Sess. XXIV. c. 13. de ref.; Sess. XXV. c. 16. de ref. *De Angelis* ad L. I. tit. 28. p. 31 seq. Acta s. Sedis tom. IV. p. 422.

[3]) *De Angelis* l. c. Acta s. S. l. c. Sed probe attendi debent circumstantiae. Sicut enim ex una parte in ecclesia monasterio pleno jure seu

Vicarius perpetuus instituitur ab episcopo ad nominationem parochi primitivi, postquam in examine praevio *privato* idoneus repertus fuerit. Sed tum Romae vi Constitutionum Pontificum, tum in aliis regionibus ex jure particulari vicarii perpetui concursui parochiali subjiciuntur. Vicarius perpetuus est verus parochus, i. e. totam curam *actualem* exercet, excluso parocho primitivo, qui invito vicario non potest curae animarum ullo modo se ingerere. Porro vicario perpetuo incumbit onus applicandi Missam pro populo, prout parochis (§ 127, not. 6), item obligatio residentiae et cura eorum omnium, quae pertinent ad populum regendum. Idem habetur ut verus beneficiatus; nam licet non habeat *titulum beneficii*, habet tamen *verum titulum in beneficio*, a quo, si semel institutus est, non potest amoveri sine causa canonica et sine processu canonico. Parocho vero primitivo competit jus redituum, defensio jurium parochialium et fabricae reparatio. Sed ex reditibus vicario congrua portio debet assignari, pro arbitrio episcopi taxanda. Vicarii perpetui in *sensu proprio*, sunt qui ecclesiis inserviunt incorporatis. *Improprie* nonnunquam etiam illi ita dicuntur, qui penes ecclesias a matrice plene dismembratas constitui ac etiam investiri solent. Hos parochus ecclesiae matricis *(parochus antiquus* seu *major) praesentare* potest, quando proventus ab ecclesia matrice detracti et filiali applicati sunt. Tales animarum curatores nullatenus pendent a parocho *majori* neque in temporalibus, neque in spiritualibus. Pastores isti (qui in Tiroli *curati*- in archidioecesi Salisburgensi *vicarii* nuncupantur), proprie non sunt nisi parochi inferioris ordinis qui circa essentialia ceteris parochis prorsus aequales sunt, et nonnisi in accidentalibus ab iis differunt, scil. in eo, quod aliquae praerogativae pastoribus ecclesiae matricis reservari solent, veluti jus benedicendi aquam baptismatis; annuum censum, quem recognitionis vocant, exigendi; ad vacantem filialem praesentandi; hinc inde existit obligatio, ut curatus cum populo pluries per annum ad ecclesiam matricem veniat, et similia. Sed maxima in hac re diversitas reperitur. Nam nunc omnia ista honorifica matrici retenta sunt, nunc nullum dependentiae signum reliquum est.

ex incorporatione, ex dismembratione.

b. Vicarii *temporales* id commune habent, ut titulo beneficii non sint innexi, et nonnisi alterius nomine curam animarum ad

b. Temporales

---

subjective unita non potest constitui vicarius perpetuus, eoquod in hoc casu monasterium spoliaretur jure parochiali in illa ecclesia; ita vice versa nihil fere obstat, quominus mutetur vicarius temporalis in perpetuum, si ecclesia monasterio sit accessorie, vel (prout dicimus) quoad temporalia tantum unita, eoquod monasterium per hoc vix ullam juris laesionem persentit, dum ejus praelatus parochus esse manet, ut antea erat, scil. circa temporalia tantum.

nutum amovibiles,[4]) exerceant. In eorum numerum veniunt: 1. qui
α. apud ecclesias pleno jure incorporatas
deserviunt in ecclesiis *pleno jure* incorporatis, sive regulares sint in parochis regularium, sive saeculares in quibuscumque ecclesiis incorporatis. Si nempe unio ecclesiae facta fuerit monasterio idque pleno jure, tunc titulus ecclesiae unitae ita residet penes conventum, ut ejusdem praelatus sit *parochus principalis et habitualis,* qui tamen potest ac debet nominare aliquem e suis religiosis, sed ab episcopo examinatum et adprobatum, ad actuale exercitium curae in illa ecclesia.[5]) Et hic vicarius ad nutum sui praelati amovibilis et proin temporalis est, quoad curam tamen animarum omnimodo episcopo subjicitur.[6]) Si tamen monasterium nolit religiosum pro cura nominare, valet episcopus vel nominare vicarium saecularem vel erigere vicariam perpetuam sic, ut conventus ipsi vicarium perpetuum praesentare possit.[7]) Ceterum vicarii temporales infra sex menses a parocho habituali nominari debent (s. C. C. 24. Sept. 1864). 2. Qui parochi diutius absentis vices gerunt
β. Vice parochorum absentium.
v. gr. quando parochus peregrinationem ad pia et religiosa loca instituit, vel religionem ingressus versatur in probatione. Hi vicarii ab ipso parocho nominari possunt, accedente tamen episcopi adprobatione.[8]) 3. Provisores parochiales, qui vacante parochia curam animarum exercent.[9]) Tam hi, quam antea dicti etiam administra-
γ. In defectu parochorum.
δ. Apud filiales.
tores vocantur. 4. Qui populo penes filiales habitanti praesunt et

[4]) Amovibilitas ad nutum non in omnibus casibus eodem sensu intelligenda est. Regularium amotio voto obedientiae omnino subjacet. Quoad ceteros vicarios refert utrum officium, ad quod deputati sunt, aptitudine sua sit perpetuum (e. gr, capellania, expositura), an vero consistat in mere temporali deputatione (2. et 3. in textu). Amotio illorum causam quidem canonicam non exposcit, sed tamen causam honestam et rationabilem. In horum amotione sufficit, ut interveniat arbitrium boni viri et ut absit dolus et odium. Acta III. 449. 506. IV. 16.

[5]) Bene igitur notari debet differentia, quae est 1. inter parochum, qui dicitur *primitivus* seu titularis, et 2. eum, qui *principalis* et habitualis (cui opponitur actualis); 3. eum, qui parochus *major* vel antiquus vocatur. Scil. relationes istae resultant 1. ex incorporatione *non pleno jure* 2. ex incorp. *jure pleno*. 3. ex dismembratione unius parochiae (curatiae) ab altera. *Schenkl* § 312 et *Neller* Dissert. in *Schmid* thesaur. tom. 6 p. 441 seq.

[6]) Ab episcopo (ait *Ferraris* sub v. *vicarius parochialis)* talis vicarius temporalis removeri non potest, nisi ex causa legitima et adprobata, propter quam etiam, si perpetuus esset, privari possit juxta s. C. C. et Rotae decisiones. Const. «Firmandis» Bened. XIV. d. 6. Nov. 1744.

[7]) Conc. Trid. Sess. VII. c. 7. de ref. et Const. Pii V. «Ad exequendum» a. 1567. — *Omnes* vicarii temporarii (non solum apud ecclesias, quae monasterio sunt unitae) a parochis habitualibus sunt nominandi et ab episcopo assumendi, cum per examen privatum ideonei reperti sunt. Sed in nostris regionibus tales vicarii ab episcopo sine interventu parochi habitualis constitui solent.

[8]) Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref.; *Schmalzgrueber* l. c. n. 7.

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref.

cum dependentia a parocho certum genus functionum parochialium commissum obtinent, amplitudinis incertae et variae. Nimirum maxima in hac re est regionum, imo locorum varietas. Si natura et indoles originaria horum vicariatuum spectetur, clerici in iis positi proprie non sunt nisi *cooperatores expositi* sive tales, qui in remotiore parochiae parte in subsidium parochi resident. Idcirco, nisi beneficium teneant, ad nutum amovibiles sunt, nihilque obstat, quominus parochus in ecclesia filiali, si velit, in persona munera parochialia peragat. Eadem de causa etiam nonnullae functiones, v. gr. baptisma, sepultura, matrimoniorum assistentia, aliaque jura et negotia parochialia iisdem subtrahi possunt. At quamvis talis dependentia *juri* sit conformis, haud pauci tamen ejusmodi capellani vel expositi omnia fere parochorum munera obeunt et intuitu negotiorum vix quidquam discriminis reperiri potest inter ipsos et veros parochos. Nominantur expositi, capellani[10]) vel etiam curati.

2. Adjutores

2. Quod *coadjutores* attinet, a) alii ex causis *a jure* determinatis etiam contra parochorum voluntatem iisdem *ab episcopo* adjungi possunt, et quidem 1. parochis perpetuo infirmis, si nempe hi morbo perpetuo et insanabili, amentia vel etiam senio ad executionem officiorum suorum inutiles reddantur. 2. Parochis illiteratis et imperitis, qui sacris officiis minus apti, alias tamen honestae vitae sunt, quibus episcopi, etiam tanquam Sedis apostol.

in subsidium parochorum infirmorum aut imperitorum.

[10]) Capellani proprie dicuntur ministri, quibus onus incumbit celebrandi annuatim certas Missas in capella vel altari. Sed in concreto diversi generis capellani existunt, scil. 1. qui in aulis principum functiones sacras obeunt. 2. Quos episcopi sibi adsciscunt, adinstar syncellorum in ecclesia orientali. 3. Qui praesunt capellaniis sive ecclesiasticis sive laicalibus (supra § 77 not. 6), quae reducuntur ad pia legata (et quidem ut plurimum ad ss. Missas), quibus haeredes testatoris pro ipsius ultima voluntate gravantur. 4. Beneficiati, quibus certum genus actuum ministerialium commissum est, ac praesertim ii, qui vel in loco parochi vel in filiali operam subsidiariam praestant. De his potissimum supra in contextu sermo erat. Ab his tamen probe discerni debent capellani locales, ab Imperatore Josepho II. instituti. Nam hi posteriores in ecclesiis a matrice penitus avulsis funguntur et nulla ratione a parocho antiquo pendent, proindeque quoad omnia parochis aequiparantur. 5. Capellani monialium, qui debent esse maturae aetatis, ex clero saeculari (ex ragulari tantum ob penuriam sacerdotum saecularium) et temporales duntaxat *(Ferrar.* sub v. Capella, capellanus). 6. Capellani hospitalium; his interdum jurisdictio quasi-parochialis competit in personas hospitalis, nec non circa Sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, nempe circa tumulationem, minime vero circa Sacramentum matrimonii et reliqua parochialia. Attamen ad eorum munus in concreto dimetiendum usus locurum, lex fundationis et mens episcopi eosdem constituentis attendi debet. 7. Capellani militum, quorum jurisdictio ex Constitutionibus Pontificis noscitur, quibus cura animarum quoad milites in diversis territoriis ad certas quasdam stabilesque leges revocata est. Vid. supra § 112 in fin. Cfr. *Ginzel* I. p. 343 et *Schöpf* K.-R. tom. III. p. 446.

delegati ex praecepto Conc. Trid.[11]) coadjutores vel vicarios pro tempore deputare partemque fructuum eisdem pro sufficiente victu assignare, vel aliter isti ecclesiae providere debent. Quaenam officia hisce coadjutoribus obeunda sint, ex eo omnino pendet, utrum coadjutus prorsus inhabilis existat, necne. Si ita sit, coadjutori injungitur gubernatio parochiae, perinde ac si ipse esset parochus, et in hoc casu *administrator seu provisor in spiritualibus* nuncupatur. Si vero parochi inhabilitas non sit nisi partialis, coadjutor ea peragere tenetur, ad quae peragenda a coadjuto assumtus est, ea vero munia nequit obire, quae coadjutus vult et potest ipsemet explere. In hoc tamen casu coadjutor in classem mox sequentem referendus est. Nimirum

Laborantium. b) alii coadjutores parochis non inhabilibus, sed laborantibus dantur, videlicet ubi populus parochialis tam numerosus est, ut unicus rector non sufficiat. Hi vel beneficium tenent, cui onus sublevandi parochum ex fundatione incumbit, vel ad nutum amovibiles in subsidium curae constituuntur. Nomina, quibus nuncupari solent, sunt: cooperatores, capellani, coadjutores, primissarii nonnunquam etiam vicarii et apud Italos pro-parochi.[12]) — Eorum deputatio, Quoad eos potissimum sequentia notari debent: 1. Ajutores amovibiles olim ab ipsis parochis assumi consueverant,[13]) postquam ab episcopo examinati et adprobati erant.[14]) Hodie tamen eorum tum deputatio tum amotio in plerisque locis ad episcopum spectat. Et haec praxis, sicut indigentiis hujus temporis respondet, ita et sustentatio, juri canonico non adversatur. 2. Congruam sustentationem eorum determinare pariter est episcopi; et quidem ipsa assignanda est ex proventibus parochiae, si sufficientes sint, secus eis aut per particulares fundationes, aut per populum ad vitam necessaria adprobatio, sunt subministranda.[15]) 3. Adprobantur ad confessiones audiendas pro tota dioecesi, ita, ut haud ulla parochorum suorum licentia munera, ad hoc requiratur.[16]) 4. Quantum ad reliqua munia refert, utrum

[11]) Sess. XXI. c. 6. de ref.; c. 3. X. (III. 6).

[12]) Interdum ratione gradus et salarii duo genera distinguuntur: cooperatores et coadjutores (in archidioecesi Salisburg.) vel cooperatores et subsidiarii seu supernumerarii (in dioecesi Brixin.).

[13]) Conc. Trid. Sess. XXI. c. 4. de ref. Modum in assumptione sequendum determinavit Innoc. XIII. in Constit. «Apostolici ministerii» a. 1723 § 11, quae Constitutio confirmata et extensa est ad universos locorum Ordinarios a Bened. XIII. in Const. «In supremo» a. 1724.

[14]) Non sufficit, eos jam fuisse adprobatos ad confessiones, sed necessaria est specialis adprobatio ad munus eorum subsidiarium. Constit. cit.

[15]) Legibus particularibus haud paucis cooperarii cum parochis habitare et victum competentem cum iisdem sumere jubentur. Conc. prov. Salisb. 1569.

[16]) S. C. C. 26. Octobris 1631 censuit, sacerdotes ab Ordinario ad audiendas confessiones per dioecesin approbatos posse omnino dioecesanorum confessiones audire absque ulla parochorum licentia, eosque, qui sic confessi

eis per decretum episcopi *generaliter* committatur cura animarum et administratio Sacramentorum, an vero ita mittantur in curam animarum, ut quasi in continua dependentia a parocho suo in singulis casibus, in quibus requisiti fuerint vel a parocho vel a parochianis, operam suam subsidiariam praestent. Si prius, procul dubio ad universitatem causarum delegati sunt; proin absque speciali delegatione sui parochi, etiam valide matrimoniis assistere possunt, nec non subdelegandi potestate pollent,[17]) quod utrumque secus est in secundo casu. 5. Mutua relatio parochi et adjutoris non tam jure, quam charitate ordinari debet. Duo potissimum sunt, ad quae cooperator adstringitur. Primo ad *diligens subsidium* in cura animarum, prout ipsum nomen *subsidiarii* vel *cooperatoris* innuit; quod tamen sic intelligendum est, ut parocho integrum maneat, quoscumque actus ministeriales, si velit, in persona peragere. Alterum officium est *obedientia exacta,*[18]) quae etiam illud comprehendit, ut non seorsum et quasi proprio marte, sed conjunctim cum parocho et unitis consiliis cum eo curam animarum exerceat. Parochus vero, ut monet novissimum Concil. provinc. Viennense, cooperatores ut fratres sacerdotii, filios aetatis et experientiae ratione habeat, consilio regat, exemplo excitet, juniores ad curae parochialis munia benigna assiduitate informet.[19])

et relatio ad parochum.

SECTIO IV.

De praesulum ecclesiasticorum conjunctione in conciliis.

§ 130. Notiones praeviae.

2. *Conciliorum notio et genera.* Concilia ecclesiastica sunt conventus praesulum ecclesiae, sub legitimi superioris praesidio

1. Conciliorum notio

fuerint, nisi aliud obstiterit, esse legitime absolutos. (Thesaur. resol. III. 141). *Ginzel* K.-R. I. p. 342.

[17]) *Reiffenstuel* l. IV. tit. 3. *Bouix* tractat. de parocho. Append. I. p. 561. *Schöpf* K.-R. l. c. p. 468. *Ginzel* K.-R. I. p. 341. — Cfr. infra in jure matrimoniali. § 193.

[18]) «Cooperatores suis parochis ad nutum obediant in iis, quae circa curam animarum et bonos mores ipsis injunguntur.» Synod. Brixin. tit. 10 c. 4. — «Spiritu obedientiae ducti promtos se exhibeant, et alacriter parochi vices suppleant, quotiescumque ad hoc fuerint requisiti.» Syn. Leod. 1851, p. 62.

[19]) Conc. prov. Vienn. p. 76. — Synod. Leod. cit. p. 59: «Meminerint vicarii, se inferiores esse et parochorum discipulos, quibus proinde reverentiam debent et obedientiam; unde nihil novi alicujus momenti sine eorum assensu introducere praesumant, neminem parochianorum nimia assiduitate colant, nec praesertim eos frequentent, qui se parochi adversarios constituerint, sed omnium reverentiam, dilectionem et fiduciam parocho conciliare semper studeant. *Parochi* velint vicarios observare ut viros sacerdotio Christi insignitos, cum bonitate, mansuetudine et benevolentia eos tractantes ut socios in labore, sicque omnia disponere, ut eorum neuter graviore onere prematur et tamen omnia munia suo tempore adimpleantur.»

celebrati, ad res eccles. communibus suffragiis definiendas eo cum effectu, ut subditi exinde obligentur. Ex qua definitione clarescit, qua ratione a conciliis tum conciliabula tum illi rectorum eccles. consessus differant, qui conferentiarum (§ 134) nomine veniunt.

et genera. Sunt vero concilia vel oecumenica vel particularia, prout aut a Papa aut a primate, metropolita, episcopo convocantur. Item particularia sunt vel nationalia, vel provincialia, vel dioecesana. Verum bene notanda est differentia, quae inter synodum dioecesanam et reliqua varii generis concilia subsistit. Nam concilia proprie talia ex episcopis constituuntur, suntque proinde *synodi episcoporum:* in synodo vero dioecesana unus nonnisi est hierarcha primi ordinis, nimirum episcopus dioecesanus, qui solus in ipsa auctoritate pollet, et unicus est judex. Ceteri omnes, qui ad synodum dioecesanam vocantur, sunt sacerdotes secundi duntaxat ordinis, et episcopo subjecti. Idcirco hi conventus rectius *synodi episcopales* nuncupantur. Ad hanc differentiam firmius statuendam usu loquendi recentiori inductum est, ut nonnisi consessus episcoporum *concilia* vocari soleant, congregationes vero cleri dioecesani unacum suo episcopo frequentius *synodi* dicantur.

2. Momentum et utilitas. 2. *Momentum et utilitas conciliorum.* Concilia pro conservatione et incolumitate ecclesiae absolute quidem necessaria non sunt, eoquod, si agatur *de rebus fidei,* quid sentiat ecclesia, etiam aliis mediis erui poterit; si vero *leges* sint ferendae, in regno Christi nunquam non praesto sunt legislatores a Deo constituti, quorum sanctiones non minorem inducunt obligationem, quam si conciliariter essent conditae. Nihilominus tamen, quum certo quodam tempore tantae difficultates emergere tantaeque turbae excitari possint, ut malis publicis nullo modo occurri queat, nisi omnium collatis consiliis, conjunctisque viribus: concilia quandoque relative necessaria esse asserendum est, ad fidei potissimum dogmata definienda, ad grassantes errores profligandos, ad catholicam propugnandam, illustrandam et evolvendam doctrinam, ad ecclesiasticam tuendam ac reparandam disciplinam, ad corruptos populorum mores corrigendos.[1]) Ex quo patet, ex conciliis egregia emolumenta, non solum in ecclesiam,[2]) sed et in rempublicam

[1]) Constit. «Aeterni Patris», qua Pius IX. indixit Conc. Oecum. 29. Jun. 1868. Scopum Concilii Vaticani sic Pontifex definit: «In oecum. enim hoc Concilio ea omnia accuratissimo examine sunt perpendenda ac statuenda, quae hisce praesertim asperrimis temporibus majorem Dei gloriam, et fidei integritatem, divinique cultus decorem, sempiternamque hominum salutem, et utriusque cleri disciplinam ejusque salutarem solidamque culturam, atque eccles. legum observantiam, morumque emendationem, et christianam juventutis institutionem, et communem omnium pacem et concordiam in primis respiciunt.»

[2]) «Ubi pietas et disciplina floreret, frequentes fuisse episcoporum conventus; ubi concilia cessarent, pietatis studia et disciplinae vigorem marcuisse, historia eccles. testatur. «Conc. prov. Vienn. in edicto indictionis» p. 1.

civilem redundare.[3]) Id quod ex idea et natura istorum conventuum manifeste adparet. Siquidem episcopi, ut viri doctrina et sanctitate praestantes, dum in concilio vires suas et consilia conjungunt, areopagum nobilissimum et tribunal summa auctoritate praeditum constituunt, quod apud omnes probos in veneratione est. Quae in conciliis definiuntur, majorem vim in hominum animos exercere solent, quam quae ecclesiae praelati qua singuli decernunt. Conciliis enim abundantia divinae gratiae promissa est;[4]) insuper in conciliis *facilius invenitur*, quod a *pluribus senioribus quaeritur*,[5]) et libentius a populo acceptatur, quod a pluribus inventum est; imo et promptius in effectum deducitur ab iis, qui ipsimet ad illud stabiliendum operam suam et consilium posuerunt.[6])

§ 131. De conciliis generalibus.

Concilia generalia sunt conventus totius orbis catholici episcoporum ad definienda universalis ecclesiae negotia auctoritate et praesidio summi Pontificis celebrati. Ut autem generale sit et legitimum concilium, tria praecipue desiderari, inter catholicos convenit: legitimam tum convocationem tum celebrationem atque decretorum confirmationem. Conciliorum general.

1. Jam circa *convocationem* duplex enascitur quaestio, videlicet 1. Convocatio.

a) cujus sit, concilium generale convocare? Summi Pontificis id esse, aliunde notum est, et hoc non minus ex primatu jurisdictionis, quam ex genuina concilii generalis notione sequitur. Atque si qui interdum alii praeter ordinem episcopos ad concilium generale evocasse leguntur, tale concilium non efficitur authenticum, nisi deinceps Pontifex se illi adjunxerit. Negari porro non potest, priora oecumenica concilia ab imperatoribus esse convocata; sed hoc non sine interventu Pontificis est peractum, qui vel una cum imperatore episcopos convocavit, vel postea ejusdem convocationem ratam habuit. Imperatores nequaquam ut ecclesiae jura infringerent, auctoritatem suam interponebant, sed potius ut eam opera sua juvarent. Hoc ad liquidam jam dudum viri eruditi demonstrarunt, a quibus etiam illud clare evictum est, jam Quis vocet.

---

[3]) Const. «Aeterni Patris»: «Nemo enim inficiari unquam poterit, cath. ecclesiae ejusque doctrinae vim non solum aeternam hominum salutem spectare, verum etiam prodesse temporali populorum bono, eorumque verae prosperitati, ordini ac tranquillitati, et humanarum quoque scientiarum progressui ac soliditati.»

[4]) Matth. 18, 20.

[5]) c. 3. D. 20.

[6]) Hinc Pius IV. in Constit., qua adprobavit syn. Trident., concilium vocat remedium optimum et opportunissimum. — Cfr. *Philipps* K.-R. II. p. 220 seq. *Zallwein:* Principia jur. eccl. tom. I. p. 333 seq.

in prioribus quatuor conciliis cogendis summos Pontifices operam suam collocasse.[1])

Qui vocentur.

b) Quinam sint vocandi? Pro omnibus conciliis, proin etiam pro conciliis oecumenicis regula valet, quod ex jure divino omnes et soli episcopi jure suffragii *decisivi* in iis ferendi gaudent, quia ii omnes et soli jurisdictione divinitus concessa potiuntur. Num etiam episcopi *titulares* inviolabile jus habeant interveniendi concilio generali, ita ut summus Pontifex de jure divino eos convocare teneatur, est controversia hodiedum a nemine decisa. Certum autem est: 1. eos vocari *posse,* et reapse illos Concilio Vaticano interfuisse omnibus notum est. Eosdem interesse *oportere* ex formula in convocatione ex tempore concilii Lateraneusis V. usitata non liquet; sed tamen in eadem formula discrimen inter episcopos residentes et non residentes factum non est; 2. eosdem, *si vocati fuerint,* vi ordinis episcopalis et proinde *de jure divino* gaudere suffragio decisivo.[2]) *Ex jure humano* Cardinales non-episcopi vocantur, itemque abbates consecrati habentes jurisdictionem, praelati nullius dioecesis, ordinumque religiosorum generales speciale privilegium ferendi in conciliis generalibus voti *decisivi* sunt adepti. Sed privilegium hoc non est extendendum ad praepositos *congregationum* religiosarum, quia istae differunt ab *ordinibus* religiosis; et hinc nec ad concilium Vaticanum admissi sunt. Praeter dictos admittuntur etiam *consultores,* nempe doctores Theologiae et juris canonici, nonnunquam etiam laici doctrina prudentiaque conspicui, ut Patres congregatos in rebus discutiendis adjuvent. Hi ergo votum *consultivum* duntaxat habent. Item adsunt *notarii, scruta-*

[1]) *Zallwein* l. c. p. 406. *Philipps* l. c. p. 248. *Moy:* Archiv. tom. II. p. 555 et 675: «De jure Rom. Pont. concilia oecumen. convocandi eisque praesidendi», ubi praesertim illud ostenditur, Conc. Chalcedon. s. Leonis M. auctoritate fuisse convocatum, ipsumque per suos legatos s. synodo praesedisse. In hoc Conc. Lucentius episc. legatus Leonis M. illud Dioscoro crimini vertit, «quod synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apost., quod nunquam factum est, nec fieri licuit.»

[2]) Sententia affirmativa defenditur in opusculo: «Sul diritto suffragio dei vescovi titolari e rinunziatarii nel concilio oecomenico, per Raffaele M. Coppola praelato Protonot. apost. Napoli 1868.» Argumentum potissimum auctoris est: Episcopi tiulares jurisdictionem non quidem particularem sed tamen universalem (cfr. supra § 114. 2) habent, vi cujus cum Papa et episcopatu unum corpus efficiunt et ad docentem ecclesiam de jure pertinent. Praeter alia argumenta auctor in rem suam citat plurimos theologos et canonistas e. g. *Gonzalez, Zallwein, Ferrari, Bellarmin, Devoti, Philipps, M. Capellari* (Greg. XVI.), *Bolgeni* etc. contra Melch. Canum, *Suarez* et alios. Attamen alii doctores has rationes non censent omni ratione majores, imo nonnulli in partem contrariam se inclinant (Civiltà catt., Dr. Murray in tract. de ecclesia Christi cap. 16 etc.). Sed hi omnes episcopis titularibus votum decisivum asserunt. Cfr. Das ökumen. Concil. Stimmen v. Maria Laach fasc. 3. p. 62.

tores suffragiorum, *magistri caeremoniarum, cursores,* aliique *ministri,* qui Patribus in necessariis inserviunt. Adesse possunt denique *defensores,* velut olim imperatores et eorum proceres, in Conc. Trid. autem oratores regum et principum. Procuratores episcoporum legitime absentium olim votum decisivum habuisse constat; in Conc. Trid. hisce procuratoribus facultatem ferendi suffragii mere consultivi Pius IV. impertivit. Omnes concilio active intervenientes pro tempore a Pontifice super lege residentiae dispensantur. Ut concilium dici possit generale, omnes quidem episcopi vocari debent, omnesque, qui legitimo impedimento non detineantur, venire tenentur;[3]) non tamen est necesse, ut omnes compareant. Sufficit omnibus celebrationem more solito indicatam esse, et tot ex diversis ecclesiae provinciis convenire, ut collegium episcoporum, inspectis omnibus adjunctis, repraesentare censeantur.

2. Celebratio.

2. *Celebrationem* ipsam et modum rerum in concilio gerendarum quod attinet,

a. quaedam praeparationes et solemnitates praemittuntur.[4]) — *b. Ordo* in Concilio servandus determinatur vel a Papa (ut in Vaticano) vel a Patribus (ut in Tridentino). Ad legitimum Concilii ordinem requiritur, ut Patres in omnibus legitime procedant, ut in dandis suffragiis sint liberi, nec non ut causas mature expendant. — Utrum autem revera haec tria observata sint, judicare, non pertinet ad privatum quemque, sed ad ipsum Concilium. — *c.* Consessus ipsi sunt duplicis generis: vel congregationes generales, vel sessiones publicae. In congregationibus omnes res tractandae praevie discutiuntur et accurate examinantur, ut pro sententia decisiva in sessionibus publicis ferenda jam omnia parata sint.[5]) — *d.* Praesidium habet Papa aut in persona aut per legatos, et quidem non meri honoris, sed directivum in proponendis regendisque deliberationibus. Quo etiam spectat jus proponendi ea, de quibus in concilio erit agendum, ac ante reliquos omnes sententiam

[3]) In convocatione Conc. Trid. et Vaticani (29. Jun. 1868) stricte injungitur episcopis, vi jurisjurandi, quod summo Pontifici praestiterunt, ac s. obedientiae virtute, et sub poenis in celebratione conciliorum adversus non accedentes statutis, ut ipsimet concilio intersint. Qui non veniunt ad concilium, causas canonicas suae absentiae per procuratorem probare debent; nec in proprias sedes patres redire possunt, nisi venia a concilio obtenta et a Papa confirmata.

[4]) Ante celebrationem Conc. Trid. (Sess. I.) omnes Christi fideles ad preces sunt excitati, ipsisque episcopis peculiaris vivendi ratio, durante concilio servanda, praescripta est. Similiter Pius IX. Jubilaeum et preces pro concilio indixit.

[5]) In concilio Vaticano per suffragia patrum constitutae sunt deputationes 1. pro rebus fidei; 2. pro disciplina eccles.; 3. pro rebus regularium; 4. pro ritu orientali et missionibus apostolicis. Hae deputationes schemata examinarunt a theologis et canonistis pro concilio praeparata.

ferendi (Act. 15, 7). Quodsi etiam Imperatores conciliis praefuisse legimus, id nonnisi ad tuendum ordinem, minime vero ad rerum eccles. definitionem spectasse, manifestum est.[6]) — *e.* Suffragia viritim dari solent. Rationem suffragia secundum nationes ferendi, a conciliis Constantiensi et Basileensi inductam, Conc. Trid. reprobavit. In concilio Vaticano patres sententias sub verbo *placet*, aut *non placet* protulerunt. Formula subscriptionis est vel: Definiens subscripsi», vel: «Consentiens subscripsi», prout quis voto decisivo vel nonnisi consultativo fruitur.

3. Confirmatio.

3. Decreta conciliorum etiam, ubi legati Pontificii interfuerunt, a Papa *confirmari* oportet. Etenim ad integritatem conciliorum unio membrorum cum capite postulatur. Hinc ut episcoporum judicium ad catholicum dogma pertineat, necesse omnino est, ut a Romano Pontifice confirmetur. Ex quo sequitur, hanc confirmationem non esse (ut aliqui putant) nudum testimonium, omnia in concilio legitima gesta esse, sed insuper illius, qui quemadmodum ecclesiae, ita et conciliorum caput est, sigillum, quo decreta per se vacillantia obsignantur et supremae auctoritatis pondere corroborantur.

§ 132. De conciliis nationalibus et provincialibus.

Conciliorum particularium duplex potissimum genus assignari solet.

Concilia nationalia.

1. *Concilia nationalia* juxta Bened. XIV.[1]) sunt, in quae conveniunt archiepiscopi et episcopi unius regni vel nationis praeside ejusdem nationis Patriarcha[2]) vel Primate. Haec concilia in Africa et in regno Francorum frequenter habita fuisse constat; Romani etiam Pontifices (ut recte observat Bellarminus) *primis sexcentis vel octingentis annis ad graviora negotia dijudicanda cogebant concilia nationalia episcoporum Italiae;* ast tempore recentiore raro celebrantur, neque eorum celebratio, prout provincialium, a Conc. Trid. praecipitur. Imo hodie absque Sedis apostol. venia nec indici neque celebrari possunt, prout Pius IX. episcopis Galliae, concilium nationale petentibus (1849), necnon episcopis Germaniae Herbipoli congregatis (1848) respondit. Quodsi Primas alicujus nationis jura primatialia revera obtineat (sicut in Hungaria et in

---

[6]) Praefuerunt (ait *Zallwein* l. c. p. 423) ut defensores conciliorum et advocati ecclesiae, non ut judices; adfuerunt, non ut definirent, sed ut splendore majestatis armarent; praesidebant materialiter (fas sit verbo), non formaliter, hoc est ... ut sua auctoritate ordinem pacemque synodo adsererent.

[1]) De syn. dioec. l. 1. c. 1. n. 2.

[2]) Nonnulli quidem conciliis provinc. et nation. addunt etiam patriarchalia; sed quia Patriarchae raro evocant alios episcopos, praeterquam suae nationis, haec tertia species superflua esse videtur.

Hibernia), ille post licentiam Papae acceptam concilium nationale indicere eique praesidere potest. In casu vero opposito Papa concilium convocet eique per legatum praesideat, necesse est. Novissime in Hungaria (1822) et in America septemtrionali (1852 et 1866) concilia nationalia celebrari contigit. Eadem non constituere supremum in rebus ecclesiasticis tribunal nationis, in Bulla «Auctorem fidei» (1794) n. 85 et in Syllabo n. 35. enunciatur. Majoris momenti sunt

Concilia provincialia.

2. *concilia provincialia,* quae a metropolitis aut, iis impeditis a coëpiscopo antiquiore congregantur.[3])

Quoties celebranda.

a. In concilio Nicaeno I. bis quovis anno,[4]) in concilio Nicaeno II. singulis annis eorum coactio praecepta est; Conc. vero Trid. eorum celebrationem *quovis triennio* fieri praecipit. Haec tamen lex diu oblitterata est, donec tandem nostra aetate reviviscere coepit.

Quinam vocandi.

b. Vocandi sunt omnes, qui sive ex jure sive ex consuetudine idonei sunt ad provincialem ecclesiam juridice repraesentandam, scil. 1. omnes provinciae episcopi, et, sede vacante, vicarius capitularis; 2. episcopi exemti, qui nulli subjiciuntur archiepiscopo; nam hi a Conc. Trid. aliquem vicinum metropolitam semel eligere jubentur, cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant; 3. praelati, qui vere sunt nullius, habentes jurisdictionem quasi episc. in clerum et populum separatum, pariter (ut supra) tenentur eligere metropolitanum vicinum, scil. non quidem viciniorem, sed non nimis longe distantem.[5]) Et hi quidem, utpote qui jurisdictionem ordinariam habent, in concilio voto decisivo gaudent, quod etiam episcoporum absentium procuratoribus a concilio indulgeri poterit. Cum suffragio nonnisi consultativo vocantur et venire tenentur; 1. capitula cathedralia, quae pariter invitari debent et unum vel duos procuratores deputare possunt; 2. abbates et praepositi, qui non sunt vere *nullius*, priores conventuales, nec non superiores ordinum, si qui ex his de jure aut consuetudine citari aut venire debeant. Siquidem non idem ubique quoad istorum vocationem et obligationem usus reperitur.[6]) Laici, quibus

---

[3]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 2. de ref. — Ueber die Provincial-Concilien und Dioeces.-Synoden von Dr. *Fessler.* Innsbruck 1849.

[4]) c. 3. D. 18: «Habeatur semel concilium ante dies quadragesimae — — secundum vero agatur circa tempora autumni.»

[5]) Conc. Trid. l. c. — Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. c. 8. n. 14.

[6]) «Nec teneri venire ad concilium prov. exemtos et abbates, nisi ii, qui de jure et consuetudine interesse debent.» s. C. C. a. 1581. — In appendice novissimi concilii prov. Viennensis (p. 199) haec recensio reperitur: Episcopi auxiliares vel Metropolitae vel aliis concilii patribus adjuncti, capitula metropolitana et cathedralia, ecclesiarum collegiatarum praepositi, nec non abbates, praepositi, priores conventuales (i. e. abbates singulorum conventuum)

olim quandoque interesse concessum erat (nam hodie admitti non amplius solent) jus sententiae decisivae nunquam possunt obtinere. Denique notandum est, a quovis episcopo unum vel duos theologos in consilium adhiberi, variosque in concilio ministros, v. gr. *promotores, secretarios, notarios* concilii etc. constitui.

Negotia pertractanda.

c. Negotia his conciliis competentia sunt: 1. Leges universales ac inprimis Tridentinas in ea provincia, praesertim si oblitteratae fuerint, in effectum deducere et renovare. Porro quaedam peculiaria *praeter* istas leges, non vero *contra* eas statuere ac praesertim illas modificationes juxta regionis illius indigentias determinare, quas determinandas conciliis provinc. reliquit Synodus Trid.[7]) 2. Corrigere excessus et resecare abusus, maxime qui circa Sanctorum invocationem, circa indulgentias et reliquias irrepserunt.[8]) 3. Episcoporum causas criminales minores in prima instantia cognoscere (§ 107. 2. b.).

Ordo celebrandi.

d. Rerum tractandarum ordo. Praevie indicuntur in provincia preces publicae ad opem divinam implorandam; indigandum in statum fidelium religiosum et moralem, ut, quid corrigendum emendandumque sit, perspiciatur. Caeterum forma celebrationis per Pontificale Romanum et Caeremoniale episcoporum determinatur, in eoque consistit, ut singulae materiae (e. gr. fidem, disciplinam, studia theologica etc. respicientes) singulis *commissionibus* discutiendae tradantur. Materiae ab his commissionibus confectae a patribus concilii in sic dictis *congregationibus* denuo examinantur atque leges in formulas rediguntur, quae deinceps in

---

atque superiores provinciales regularium, qui animarum curae operam navant, aut quorum monasteriis domibusve beneficia curata incorporata existunt, ad concilium provinciale vocandi sunt et consultativum in eo suffragium exercent. Capitulum metrop. per 3, cathedralia per 2 procuratores a canonicis suffragiis absolute majoribus eligendos comparent.» Concilio prov. Coloniensi (1860) aderant 8 canonici capituli metropol., 1 vel 2 canonici capitulorum cathedr. 1 de capitulo exemtae dioecesis Osnabrug. Interfuere etiam procuratores facultatis theologicae, id quod etiam de conc. Pragensi non autem etiam de Vindobon. notandum venit. — Notanda est responsio s. C. C. d. 18. Junii 1859 in causa Strigon. emissa ad quaestionem: 1. utrum canonici ecclesiae metrop. adinstar collegii, an vero per procaratores adesse debeant; 2. quisnam ordo sedendi sit servandus: «Capitulum metrop. esse invitandum ad synodum prov., quatenus in eadem civitate celebretur, ordinato tamen servitio chori arbitrio et prudentia archiepiscopi. Canonici autem sive collegialiter sive per procuratores intervenientes locum habeant juxta praescriptum in Caeremon. episcop. l. 1. c. 31.» Acta III. 314. Ceterum quoad êppos auxiliares, coadjutores etc. vid. *Schneemann,* das zweite Plenar-Concil in Baltimore (1866) in *Vering* Arch. t. 22. p. 115. seq.

[7]) Ejusmodi res e. gr. sunt Seminaria, servitia in choro ecclesiae cathedr., concursus parochialis. (Conc. Trid. XXIII. 18; XXIV. c. 12, c. 18 de ref.)

[8]) Conc. Trid. Sess. XXV. decr. de invoc. SS. et de indulgent.

sessionibus, quarum tres tantum aut quatuor haberi solent, acceptantur et publicantur.

Confirmatio summi Pontif.

e. Acta concilii provincialis ante promulgationem vi Constitutionis Sixti V. («Immensa» 1587) *ad Congreg. Conc. Trid.*[9]) *transmitti* debent, a qua examen ad normam Conc. Trid. instituitur et, quae fors minus recta sunt, corriguntur. Facta demum hac revisione iisque correctis, quae s. Congregatio censuit esse corrigenda, decreta concilii promulgari possunt, quo facto vim obligatoriam pro tota provincia, imo pro omnibus in ea participantibus obtinent.[10])

Episcopi Austriaci, quibus synodos celebrandi libertas restituta est (Concord., art. IV. e.), a Pio IX. jussi sunt, amicabilis notitiae causa gubernio civili significare, quando synodos habituri sint, necnon synodalium actorum exemplar, cum illa publici juris fiunt, ad ipsum deferendum curare.[11])

§ 133. De synodo dioecesana.

Synodus dioecesana a Bened. XIV. definitur «legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisque, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est.»

Falsae doctrinae quoad synodos dioec.

Recentiori aetate quoad institutum synodorum episcopalium opiniones quaedam novae, et a genuina horum conventuum idea omnino alienae, quaquaversus diffusae et a quibusdam cupidissime arreptae sunt. Contendunt, episcopum in synodo non unicum esse judicem, sed parochis aequaliter cum illo jus sententiae *decisivae,* jus abusus reformandi, imo etiam *judicium in rebus fidei competere,* et quidem vi juris per ordinationem accepti. Porro dicunt, synodum posse sedium majorum decreta, definitiones et sententias examinare, et, prout visum fuerit, acceptare vel respuere.[1]) Item clericis in synodo congregatis jus et fas esse, disciplinam eccles. innovare, cultum divinum moderari, usum linguae vernaculae in functionibus liturgicis inducere, institutum confessionis auricularis immutare, coelibatum sacerdotum abolere, actus regiminis epi-

---

[9]) Pius IX. ex ea peculiarem Congregationem «super revisione synodorum» exsecuit.

[10]) Duplex approbatio distinguitur apud Bened. XIV. syn. l. 13. c. 5. n. 9. seq.): una, quae fit *in forma communi,* qua simpliciter exprimitur, acta concilii posse promulgari; altera, quae fit *in forma specifica* et cum clausula: *motu proprio et ex certa scientia.* Prior est simplex approbatio, haec vero formalis confirmatio.

[11]) In Brevi 5. Nov. 1855.

[1]) Synodus Pistoriensis reprobata in Const. «Auctorem fidei» Propos. damn. 9. 10. 11.

scopalis ad trutinam vocare, paucis: illa quoque innovare aut destruere, quae diuturno saeculorum usu consecrata sunt, imo et cum principiis fidei et ordine divinitus constituto proxime et indivulse cohaerent.[2]) Quis non primo obtutu clare perspicit, hancce synodorum ideam non ex fontibus genuinis sed mere ex indole civilium comitiorum esse desumtam et ecclesiae inepte affictam? Sed hisce figmentis veram synodorum disciplinam juvat opponere.

Quis vocet.

1. *Vocatur* synodus ab episcopo, postquam saltem confirmatus est, et etiam a praelato vere nullius, si indultum speciale a Sede apostol. obtinuerit, itidem a vicario generali specialiter ad hoc delegato, nec non sede vacante a vicario capitulari, sed ab hoc nonnisi tunc, ubi annus fuerit elapsus ab ultima synodo dioecesana completa.

Qui vocandi sint.

2. *Jus et obligatio veniendi* ad synodum certis personis de jure vel ex consuetudine incumbit, videlicet: Superioribus conventuum religiosorum, qui vel capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent; canonicis ecclesiae cathedralis; decanis, et maxime parochis et animarum curatoribus. Caeteri quoque ex clero arcessi et nonnunquam ab episcopo vel cogi possunt, nimirum «cum aut de morum disciplina restauranda, aut de re ad omnes clericos pertinente agendum est.»[3]) Cum omnes vocati vix ullibi accedere queant, eos, qui comparere debent, aut ab episcopo, aut a clero in vim concessionis ab episcopo factae designari oportet. Laici jus assistendi synodo per se non habent, «at ex gravi urgentique causa potest episcopus eos admittere, dummodo suffragium non ferant.»[4])

Relatio cleri ad episcopum in synodo.

3. *Modus participandi* respondere debet relationi, quae ex lege eccles. inter episcopum et clerum intercedit. Relatio haec in synodo non mutatur, sed eadem esse pergit; ideo solus episcopus est judex in tali consessu, isque solus potest condere decreta et promulgare.[5]) Quapropter neque suffragia colligi solent, neque contra synodum aut ejus statuta quisquam reclamare potest.

---

[2]) Scripta, in quibus de synodis dioecesanis principia minus recta referuntur, sunt: *v. Wessenberg:* die Bisthums-Synode. Stuttgart 1849; — *Dr. Haiz:* das kirchl. Synodal-Institut in diario Friburgensi pro Theologia tom. XX.; — *Dr. Filser:* die Dioeces.-Synode. Augsb. 1849. — *Hirscher:* die kirchl. Zustände der Gegenwart. 1849. — Ex opposito commendari merentur: Bened. XIV. de synodo dioecesana; — opuscul. cit. *Dr. Fessler.* — Die Dioecesan-Synode von *Georg Phillips.* Freiburg. 1849. — *J. Amberger:* der Klerus auf der Dioeces.-Synode. Regensb. 1849. etc.

[3]) Bened. XIV. l. c. l. 3. c. 6. n. 4.

[4]) Bened. XIV. l. c. c. 9. n. 8.

[5]) Bulla Pii VI. «Auctorem fidei» a. 1749 contra synodum Pistor. (1786) § 9. «Doctrina, qua statuit, reformationem abusuum circa eccl. disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopis et parochis aequaliter pendere ac stabi-

4. Quoad *res in synodo gerendas* inprimis causae fidei nonnisi circumspecte tractandae nec unquam auctoritate decisiva definiendae sunt.[6]) Idem de rebus liturgiam concernentibus procedit. Potest vero synodus constituere, quae circa praedicationem, institutionem religiosam, et rem divinam peragendam expedire videntur. Ulterius spectat ad synodum, decreta concilii provincialis publicare et in effectum deducere, aliasque leges forte nunquam promulgatas aut oblitteratas, ac inprimis decreta Tridentina, instaurare, vel etiam leges novas condere, in quantum id limites legislativae episcoporum potestati positi permittunt. Praecipuus vero synodorum episcopalium scopus est is, ut earum ope morum cleri et populi reformatio perficiatur et abusibus et corruptelis opportuna remedia adhibeantur. Et hoc respectu synodus dioeces. et visitatio dioeceseos per episcopum se invicem sustentant atque una alteram sibi in subsidium exposcit. Etenim celebrationi synodi visitatio dioeceseos et inquisitio in rerum statum necessario praemittenda est; at peracta synodo denuo dioecesim lustrari oportet, ut episcopus de synodalium decretorum observatione sciscitari possit. Olim in synodis etiam scrutinia instituere frequens erat, in quibus clerici de exercitio curae animarum episcopo rationem reddere debuerunt. Sed haec scrutinia hodie non amplius in usu sunt. Res gerendae et competentia synodi.

5. *Eliguntur* in synodo certi quidam officiales, aut durante consessu deservituri, quales e. gr. sunt: promotor synodi, secretarius, notarius etc., aut deinceps munus aliquod obituri, velut judices in partibus (§ 104. 2), testes synodales (§ 118. not. 3) et examinatores synodales (§ 87. 1. *b.*). Hi soli etiamnum in synodo eligi solent, sic nimirum, ut ab episcopo proponantur et a synodo adprobentur. Officiales eligendi.

6. *Modus celebrandi* a ratione, qua concilia provincialia habentur, haud multum discrepat. Videlicet praemitti debent: dioecesis visitatio, status moralis et religiosi investigatio, auxilii divini publica imploratio, deliberatio praevia cum decanis et parochis. Sessionibus ipsis, ad summum tribus, solemnitates religiosae et pia exercitia adjungi solent, plurimaque fiunt ad spiritum pietatis Modus celebrandi.

---

liri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum; falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Aërianae a Calvino innovatae.»

[6]) Bulla cit. § 10. «Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in synodo congregati pronunciantur unacum episcopo judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio et quidem etiam per ordinationem accepto: falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum ecclesiae, ad minus erronea.»

et zeli excitandum comparata. Durantibus sessionibus in tota dioecesi Sanctissimum publicae adorationi exponi solet.

Constitutiones synodales, quin Pontificis vel metropolitae confirmatione indigeant, omnes dioecesanos obstringunt.[7])

§ 134. Appendix: De conferentiis pastoralibus.

Pro coronide quaedam de conferentiis (collationibus) pastoralibus seu decanalibus subjungere juvat ob earum cum synodis analogiam, quamvis synodi non sint, sed tantummodo conventus parochorum et reliqui cleri, qui sub praesidio plerumque decani institui solent. Conferentiae enim non ideo instituuntur, ut leges condantur, sed ad deliberandum, quid intra limites legis agendum sit. Hujusmodi coetus jam pridem celebrari consuevisse, antiquitatis monumenta clare comprobant.[1]) Hinc etiam Rom. Pontifices, quum eos maxima utilitas istarum collationum haud lateret, easdem commendare et clero praescribere nunquam praetermiserunt. Concilium Romanum sub Bened. XIII. a. 1725 habitum conferentias semel quavis hebdomada haberi voluit. Quamvis vero in nostris regionibus hi coetus adeo frequenter haberi non possint, tamen, ut *saepius in anno* celebrentur, a s. C. C. cunctis Orbis catholici episcopis inculcari solet.[2]) — *Convenire* autem in iis debent omnes, qui vel saeculares vel regulares curam animarum exercent, etiam canonici, qui Poenitentiae Sacramentum fidelibus administrant.[3]) — Argumentum seu *objectum,* circa quod

Conferentiae praeceptae.

Quinam interesse debeant.

Objectum.

[7]) Quia synodi propter complurium dioecesium amplitudinem non ita frequenter cogi possunt, per s. Sedem diversimode provideri solet, ut earum defectus alio modo suppleatur. Sic Pius IX. indulto 4. Maj. 1851 (Synod. Leod. p. 44. et 358) episcopo Leodiensi concessit: 1. ut in locum synodi, ad mentem Conc. Trid. *annuatim* habendae, decanorum congregatio substitui possit. Decani tamen bina quotannis concilia parochorum congregare debent, ita, ut in primo concilio parochorum sententias de rebus eccles. vel ad fidelium utilitatem conducentibus exposcant, in altero vero eosdem parochos de actis et sancitis in synodo (sc. interim ab episcopo et a decanis habita) certiores reddant; 2. ut tradi possint exercitia spiritualia in forma synodi, seu conjungi exercitia cum actione synodali (l. c. p. 352). In Brevi d. 5. Nov. 1855 Pius IX. ad similes favores concedendos sese paratum declaravit, quoties episcopi Austriaci eos singillatim postulaverint.

[1]) Exstat inter constitutiones Riculphi Suession. sequens statutum: «Sanximus, ut in unoquoque mense statuta die, i. e. Calendis uniuscujusque mensis, per singulas decanias presbyteri simul conveniant, et convenientes — — — *„de suo ministerio et religiosa conversatione, atque de his, quae in parochiis accidunt, sermonem habeant.“* c. 20.

[2]) Ita declaravit s. C. C. in litteris ad Cels. episcopum Brixin. 20. Jan. 1859. scriptis. Dioeces.-Blatt 1859 p. 61.

[3]) 3. Sept. 1650. s. C. censuit, «episcopum cogere posse ad interessendum congregationi casuum conscientiae parochos tam saeculares, quam regulares, curam animarum exercentes.» — 15. Mart. 1692. s. C. C. respondit:

istae collationes versantur, constituunt materiae ex theologia practica ac praesertim ex Morali et Liturgia desumtae. Plerumque certi casus solvendi proponuntur. — *Finis* autem, ob quem instituuntur, praecipuus est, ut sacerdotes se invicem in excolendis necessariis scientiis adjuvent, statuta dioecesana intimius cognoscant et accuratius adimpleant, in praxi ministerii s. uniformes fiant et sic pretiosa illa animorum unione conjungantur, quam tantopere a Christo Domino commendatam in Evangelio legimus.[4]) Dici vix potest, quantopere hi consessus conferant, ut sacerdotes in confessionali, in cura animarum omni meliori modo unitis consiliis et viribus, quae muneris sui sunt peragant. Ut tamen iste finis obtineatur, conferentias scite a praesidente dirigi et omnia ordine legitimo pertractari oportet. Quoad casuum singulorum solutionem monet Bened. XIV., haud novas et insolitas opiniones esse proferendas, sed illas, quae praestantium virorum auctoritatibus innitantur; quaestionem prius declarandam, responsum dein subjiciendum solidisque rationibus firmandum esse. Citata ex Auctoribus certa et accurata esse opportere; «etenim non semel canones afferri deprehendimus, qui in tota Juris amplitudine haud continentur.»[5]) In conferentia ipsa, qualibet dissertatione praelecta, disquisitio modeste ac pacifice facienda, et per viam suffragiorum decisio totius congregationis de ea materia ferenda et in actis redigenda est.[6]) Per se patet, illas potissimum materias pertractandas esse, quae praxim pastoralem respiciunt.

Finis.

Qua ratione sint instituendae.

SECTIO V.

De statu religioso.

§ 135. De status religiosi essentia et variis formis.

Status religiosus,[1]) in ecclesia semper in magna existimatione haberi solitus, tum ex *laicis* tum ex *clericis* coalescit, et, qui ei

---

«Posse (episcopum) compellere omnes sacerdotes saeculares confessarios, etiamsi sint canonici, caeteros vero non posse compellere, sed hortari.» Apud Bened. XIV. Instit. 103

[4]) Math. 18, 20; Joann. 17. 21. Instructio pastor. Eystett. p. 478.

[5]) Bened. XIV. Instit. 103. p. 690. *Quinto.*

[6]) Cfr. Instit. Bened. XIV. cit. et 102. — Breve Pii IX. 17. Mart. 1856, *Ne vero.* Synod. Leodiens. p. 14. et 460.

[1]) Auctores, qui hanc materiam pertractant: *Suarez* de religione tom. 3. fol., *Pignatelli* Consultationes canonicae Colon. Allobrogum 1718; *Pitonii* Discept. eccles. Rom. tom. 4. *Tamburinus* de jure abbatissarum et monialium: *Cardinal. de Luca* annotat. ad Conc. Trid.; *Vincent. Petra* Commentaria ad Constit. apost. Rom. 1708; *Pellizarius*, Tractatus de monialibus, Rom. 1755 (edit. correcta); *Bouix* de jure regularium Parisiis 1857;

sunt addicti, religiosi seu *regulares* dicuntur, quibus opponuntur *saeculares* sive laici sint sive clerici.

Praetermissa historia de ortu et pregressu status religiosi et religiosorum ordinum, in exordio hujus tractatus sufficiet, tam notas essentiales omnibus communes, quibus status religiosus constituitur, quam principales ejusdem formas indicasse. Igitur

Notae essentiales status religiosi:

1. status religiosus est *status hominum ad perfectionem christianam tendentium per tria consilia evangelica* (paupertatis, castitatis et obedientiae), *voto firmata, et in manibus legitimi superioris in instituto religioso emissa, cum regula ab ecclesia adprobata vel saltem tolerata.* Ergo ad statum religiosum haec quatuor requiruntur et quidem duo de jure naturali et duo de jure positivo. Scilicet

Perfectio christiana seu consilia Evangelii

a) Fundamentum status religiosi est *perfectio christiana,* seu studium observandi non modo praecepta, sed et *consilia Evangelii.* Haec consiliorum observantia, a Christo Domino summopere commendata, est quaedam in ecclesia Christi *religio* sublimior,[2]) quae in instituto regularium formam stabilem et distincte expressam adipiscitur. Et jure merito perfectio christiana praecise in praedictis tribus consiliis consistere creditur; nam trium consiliorum evangelicorum professio tum hominem a mundo et illecebris mundanis (quae sunt *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum* et *superbia vitae.* I. Joann. 2, 16) separat, tum etiam fortius Deo alligat. Unde status religiosus saltem completus non potest dari absque tribus consiliis evangelicis.

votis firmata.

b) Sed ut notio *status* exurgat, haec consiliorum observatio etiam *emissis votis* firmari debet. Nam status *(a stare)* est quidam

---

Schels, die relig. Frauen-Genossenschaften. *Schuppe,* das Wesen der neuern relig. Frauen-Genossenschaften. Mainz 1868. Cfr. etiam *Möhler* gesammelte Schriften tom. 2. über das Mönchthum, ac praesertim: Les Moines d'Occident etc. par le Comie de Montelembert. Paris 1860 et germanice: die Mönche des Abendlandes etc. v. P. Carl Brandes. Regensburg-Mainz 1861.

[2]) Cfr. supta § 36 not. 3. Bene observat *Suaresius* (tom. 3. de Relig.) «Christum fecisse quandam religionem in particulari, ad eam quosdam homines congregando, eisque proprium particularem modum vitae retigiosae tribuendo.» — In enodanda quaestione de origine status religiosi, utrum nempe juris divini an vero ecclesiasticae institutionis sit, formae accidentales, quibuscum status religiosus existit, ab ipso statu religioso probe discerni debent. Igitur dicendum cum *Suaresio* (l. c. tract. 7. I. 3. 2.), statum religiosum quoad substantiam ab ipso Christo esse traditum et institutum, quippe qui homines ad tria consilia evangelica exhortatus sit; proin hunc statum esse de jure divino, non praecipiente sed consulente. Et haec sententia, ait idem *Suaresius,* est omnium catholicorum recte sentientium. Sed quia Christus peculiarem vivendi modum seu regulam religionis non praescripsit, singuli ordines, prout in concreto existunt, humanae dumtaxat sunt institutionis. Status religiosi essentiam accuratius sola determinat ecclesia.

vivendi modus cum permanentia, ex causa non facile mutabili, sed perenni. Jam vero nulla alia causa cogitari potest hanc permanentiam seu firmitatem inducens, nisi homo ipse vi voti se adstringat ad perpetuam consiliorum observantiam. Ergo emissio votorum, et quidem ad vitae tempus, est de essentia status religiosi.

Professio seu traditio sui ordini facienda.

c) Votorum emissio seu sui traditio Deo facta eodem tempore et actu conjungitur cum *professione,* quae est traditio sui totalis instituto religioso et mediante instituto *ecclesiae* facta ac vicissim ab instituto nomine ecclesiae ad mentem constitutionum illius instituti acceptata. Votum seu promissio Deo facta obligat hominem sine interventu hominis. Econtra professio, ceu traditio sui instituto regulari facta, ab instituto nomine ecclesiae acceptari debet. Nam professio est quasi-contractus inter ordinem et professum, mutuas obligationes et speciale quoddam jus inducens. Scil. per professionem rite celebratam professus efficitur 1. verus sodalis sui instituti omniumque officiorum et jurium ejusdem particeps; 2. non jam privata quadam devotione, sed peculiari et publico ecclesiae jure Deo consecratus, ut adeo voti castitatis infractio verum sacrilegium involvat. — Hinc ubi deest traditio sui facta instituto et acceptata, deest status religiosus.[3])

Approbatio ecclesiae.

d) Vitae ratio seu forma institutorum religiosorum *ab ecclesia adprobata* vel *saltem tolerata* sit, oportet. Etenim ecclesiae, quia rectrix est fidelium in ordine ad vitam aeternam, competit, instituta religiosa tum prohibere tum adprobare. Ex quo sequitur, statum prohibitum simul esse irritum, eoquod ut ajunt doctores, status prohibitus est status rebellionis, non religionis. Item sequitur, posse ecclesiam quibusdam conditionibus essentialibus suam adprobationem adnectere. Ejusmodi conditiones sunt *status coenobiticus* quantum ad omnes religiosos, et *clausura* quantum ad moniales. Etenim 1. ex jure moderno vita solitaria seu eremitica non participat de statu religioso, quia ecclesia non approbat nisi statum coenobiticum seu in communi viventium, sub praelato et sub regula aliqua adprobata ad christianam perfectionem tendentium.[4]) 2. Legibus ecclesiasticis[5]) pro monialibus observatio clausurae rigidissime praescripta est, imo suppressio omnium mulierum conventuum decreta, in quibus lex clausurae non servaretur.

---

[3]) Ejus rei specimen est illa congregatio sacerdotum, quam instituit s. Vincentius de Paula pro missionibus (Lazzaristarum) in quorum votorum emissione talis ordini facta traditio non occurrit et propterea Alexander VIII. in adprobanda ea congregatione edixit: «Haec congregatio non censeatur in numero ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri saecularis.»

[4]) Ex quo tamen non sequitur, vitam eremitarum esse prohibitam, prout contendit *Bouix* de jure regul. t. 1. p. 54.

[5]) c. un. *Periculoso* in VI. (III. 16.) Bonif. VIII.; Pii V. Constit. «Circa Pastoralis;» Conc. Trid. Sess. XXV. de regul. c. 5.; Bened. XIV. Inst. 29.

Proin noluit ecclesia conventus foeminarum pro conventibus religiosis agnoscere, nisi clausurae se vellent subjicere. Hodie tolerantur quidem moniales sine stricta clausura; sed tamen regula valet, votorum solemnitatem quoad moniales generatim nonnisi cum clausura subsistere posse.[6]) Similiter penes ecclesiam est, essentiam status religiosi aliis praeterea conditionibus alligare.

Ex quibus apparet, illos vivendi modos, in quibus fideles vel non omnia tria vota emittunt, vel se non tradunt instituto per professionem, non pertinere ad statum religiosum completum seu stricte sumtum. Possunt tamen illa instituta, quae observant quaedam statui religioso essentialia, revocari ad statum religiosum incompletum seu late sumtum, uti mox dicetur.

2. Varia genera status religiosi: Quoad vota

2. Sed jam diversa genera in certas classes redigere debemus.

a) Primam diversitatem inducit votorum discrepantia, qua vota religiosa sunt vel *solemnia* vel *simplicia.* Medio aevo ignota erat distinctio votorum simplicium et solemnium, sed votorum solemnitas ad statum religiosum ita erat necessaria, ut religiosi non haberentur, qui vota dumtaxat simplicia emisissent. Sed jus antiquum cursu temporis correctum est, nec hodie quisquam propter solum solemnitatis defectum expers est religiosae vitae. Haec votorum discrepantia non est sita in majori aut minori apparatu rituum, qui in vovendo adhiberi solent, nec in natura seu qualitate votis intrinseca. Nam ex natura sua omnia vota non sunt nisi simplicia (quia etiam per haec potest quis perpetuo se tradere religioni), atque ecclesiae tantummodo lege efficitur, ut quaedam vota solemnia sint. *Voti solemnitas,* ait Bonifac. VIII. *ex sola ecclesiae constitutione est inventa.*[7]) Est ergo utrorumque

---

[6]) S. Pius V. in Constit. cit. interdicit ac irritas praeterea declarat admissiones et professiones a monialibus emittendas, quae sub clausurae lege vivere absolute recusant. Attamen vota illarum monialium non desinunt esse solemnia, quae, monasteriis clausurae subjectis viventes, sive ex praescripta consuetudine, sive per abusum, clausuram non rigorose observant, dummodo dispositae sint sese subjicere s. Sedi vel episcopo clausuram forsitan in pristinum rigorem revocaturo. Nam moniales, quae paratae sunt s. Sedi se subjicere, si haec clausuram ipsis stricte injungeret, ad illas non pertinent, «quae absque clausura omnino vivere *nolunt,*» de quibus solis loquitur s. Pius V. Adverte tamen, eam hodiedum esse mentem sedis Apost., qua vota dumtaxat simplicia emittere injungit monialibus in iis regionibus, in quibus ratione legum civilium et aliarum circumstantiarum lex clausurae rite servari non possit, quamvis moniales pertineant ad ordines, qui approbati sint ad vota solemnia nuncupanda. Ita Pius IX. ordinavit pro statibus Americae foederatis quoad moniales Visitationis d. d. 2. Sept. 1864. Acta I. 739. ib. IV. 602.

[7]) C, *Quod votum* in VI. (III. 15); cfr. c. 6. X. (IV. 6). Recte ergo s. Alphons. cum Busenbaum tradit principium, ea omnia et sola esse vota solemnia, «quae ut talia acceptantur ab ecclesia.» Haec in novo jure est regula aptissima, omnino clara et perspicua pro votis internoscendis. Quoniam

discrimen non specificum, sed accidentale ac propterea variabile, et quidem hoc triplex est: *α*) Vis votorum solemnium est *absoluta* et *irrevocabilis*, eoquod vovens *absolute* et ex utraque parte (scil. religionis et religiosi) *immutabiliter* religioni se offert. Haec perpetuitas et immutabilitas status talis est, ut nec ullo modo ordinario auferri possit, nec via extraordinaria auferri consueverit, id quod ex modo (sub *γ*) dicendis illucescet. *β*) Vota solemnia emitti nequeunt nisi in religione *stricte* adprobata. *γ*) Vota solemnia effectus majores producunt, quam vota simplicia. Vota nimirum solemnia magis resecant religiosum a mundi illecebris, et plenius removent impedimenta perfectioni obstantia. Quod sic per partes probatur. Nam quoad *votum castitatis* matrimonium solemniter voventium omnino irritum, simpliciter voventium illicitum dumtaxat habetur. Item per *solum* votum *solemne* castitatis praecedens matrimonium ratum, non consummatum solvitur. *Votum paupertatis* solemniter emissum, aufert tum dominium rerum temporalium, tum capacitatem dominii, tum denique usum earum independentem; at votum simplex paupertatis adimit solum jus fruendi et retinendi (absque licentia superiorum), non vero proprietatem rerum vel saltem dominii capacitatem, ita ut sic vovens per se haereditatum capiendarum habilis exsistat, et cum licentia superioris de bonis suis disponere vel etiam testamentum condere possit.[8]) *Obedientia* demum solemni voto adpromissa vim habet vota simplicia *ante* professionem emissa absque auctoritate superioris exstinguendi; quae vero *post* professionem fiunt promissiones sive Deo sive hominibus, a legitimo superiore possunt irritari. Ergo votorum solemnitas consistit in vi, ab ecclesia ipsis addita, irritos vel irritabiles faciendi quosdam actus hominis religiosi, votorum perfectioni contrarios. Quapropter vota solemnia institutis religiosis majorem dignitatem conciliant, quam simplicia, et exinde notabilis exoritur differentia institutorum religiosorum. Equidem status religiosus substantialis potest etiam subsistere cum votis simplicibus (modo supra dictae [1. a. b. c. d.] conditiones adsint); at pluris aestimantur instituta cum votis solemnibus, eaque sola

---

vero solemnitas ex jure tantum ecclesiastico est votis superaddita, ecclesia etiam potest substantiam et mensuram effectuum solemnitatis determinare et proinde conditiones ad eam requisitas vel ampliare vel restringere, item novas addere aut hucusque vigentes abrogare. *Nilles* de votor. solemnitate Innsbrucker Quart.-Schrift. 1886 pag. 245.

[8]) Sed haec dominii incapacitas in casibus particularibus a Sede Ap. potest modificari. Sic 1. Dec. 1820 rescriptum prodiit, quo s. Poenitentiaria concessit regularibus Belgii utriusque sexus etiam solemniter professis, ut bona acquirere, retinere et administrare de iisque disponere possent, non obstante solemni paupertatis voto. Facultas haec a Leone XIII. 31. Jul. 1878 denuo confirmata et ad nonnullas alias regiones ad quosdam ordines Galliae extensa est. *Nilles* l. c. p. 270.

dicuntur *religiones, ordines religiosi, ordines formales.* Illa vero, quae habent vota simplicia, *congregationes religiosae* nuncupantur. Et hae sunt vel proprie tales, vel improprie tales, prout omnia essentialia ad statum religiosum habent, vel formam tantum illius imitantur et aliquid ex eo retinent e. g. vel vota temporaria tantum, vel unum tantum ex tribus votis. Et hae congregationes dicuntur etiam *instituta religiosa* vel *conservatoria,* quae non sunt nisi conventus mulierum sub aliqua regula collegialiter viventium, sed sine clausura et cum votis tantum simplicibus aut etiam sine votis.

Quoad finem. b) Quoad finem sibi praestitutum coetus religiosi sunt vel *activi* vel *contemplativi,* vel *mixti* prout principaliter se exercent in contemplatione rerum coelestium vel in operibus misericordiae aut instructionis, vel denique utrumque conjungunt. Haud infrequens est, ut vitam etiam activam profitentes tribus votis consuetis quartum adjiciant, e. gr. specialis obedientiae summo Pontifici circa missiones praestandae, vel se in pignus dedendi pro redemtione captivorum.

Quoad regulas. c) Aliud discrimen parit diversitas regularum, quas religiosi diversi profitentur. Sunt vero regulae principales, quae dicuntur quatuor magnae regulae, scil. sanctorum Basilii, Benedicti, Augustini[9]) et Francisci. Sub unaquaque ex istis regulis militant quamplures religiosae familiae; eandem enim regulam profitentes, variis inter se constitutionibus differunt. Nimirum regulae s. Benedicti accensentur fere omnes monachales ordines v. gr. Benedictini, Cistercienses et plures ordines militares; non tamen Carthusiani, qui proprias constitutiones habent pro regula. Sub s. Basilii regula militant fere omnes Orientis monachi. Augustini regulam habent omnes canonici regulares, Eremitae, Augustiniani, Dominicani et plures alii. Sancti Francisci regulam sequuntur minores de observantia, Conventuales et Capucini aliaeque religiosae familiae, quae sub distinctis superioribus generalibus proprias habent constitutiones.[10])

Quoad sexum. d) Quoad sexum distinguuntur regulares virorum familiae et regulares mulierum familiae seu moniales. In virorum monasteriis praeter clericos etiam fratres laici seu conversi reperiuntur. In monasteriis monialium pariter sunt laicae seu conversae.

---

[9]) Augustini regulam rectius repetunt a quodam ignoto auctore saeculi decimi, non a s. Augustino.

[10]) Differunt regulae a constitutionibus. Regula enim, stricte sumta, denotat priscas leges a s. fundatore conditas, constitutiones sunt statuta ab ipsis ordinibus serius regulae primitivae adjecta. Nonnunquam explicationes et definitiones regulae accurratiores nomine constitutionum veniunt, etiamsi simul cum regula prodierint.

e) Denique non sunt praetereundae distinctiones, quibus religiones 1. clericales et monachales, 2. militares et non militares; 3. mendicantes et non mendicantes distinguuntur.[11]) Aliae distinctiones.

§ 136. De norma erigendi novas familias religiosas novosque eorum conventus.

Praemissis necessariis notionibus agendum jam est 1. de canonica religiosorum institutorum erectione, 2. de eorundem propagatione per conventus noviter erectos.

1. *Erectio ordinum religiosorum* post concilium Lateran. IV.[1]) et Lugdun. II.[2]) regulariter nonnisi cum approbatione summi Pontificis fieri potest. *Spectato solummodo horum decretorum tenore,* proprie nec ordines formales nec simplices congregationes sine Pontificis venia institui, imo neque inchoari possent, atque professio emissa in instituto a Papa non adprobato nedum illicita sed etiam invalida foret. *Spectato,* inquam, *horum decretorum tenore;* nam iisdem decretis fluxu temporis per contrarias consuetudines haud parum derogatum est. Cum nimirum, non obstante Bulla Pii V. supra (§ praeced. not. 4) memorata, instituta quaedam monialium ac praesertim Tertiariarum (i. e. tertii ordinis s. Francisci) continuarentur, quin clausurae legem observarent; Sedes apost. illa, cum utilia viderentur, primum toleravit seu dissimulavit,[3]) et quum subin etiam nova erigerentur, sese haud opposuit. At haec tolerantia mere negativa, cursu temporis, ut Erectio ipsorum ordinum.

---

[11]) Scilicet *clericales* principaliter ordinantur ad cultum divinum et ad salutem animarum procurandam, e. gr. canonici regulares, Jesuitae; *monachales* ordinantur ad vitam contemplativam et solitariam e. gr. Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses: *mendicantes* ex primaeva institutione servant paupertatem non solum in particulari, sed et in communi, cujusmodi sunt Praedicatores, Minores, Eremitae s. Augustini et Carmelitae. Ordines *militares* ex fine primario ordinantur ad militandum pro defensione religionis et ecclesiae, quo pertinent: ordo Teutonicus, Melitensis et plures alii. — Plures ordines hodie non amplius finem ab initio iisdem propositum prosequuntur; inprimis paucissimi sunt, qui etiamnum vitam *mere* contemplativam ducant. — Videatur succincta historia et recensio religiosorum ordinum apud *Permaneder* p. 271; *Maupied* tom. 2. p. 83. Ordines et congregationes in Austria receptas recenset *Ginzel* K.-R. II. p. 233—241.

[1]) c. 9. X. (III. 36).

[2]) c. *un. Religionum* in VI. (III. 17): « . . . repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de caetero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novae religionis assumat, cunctas affatim religiones et ordines mendicantes post dictum concilium (Lateran IV.) adinventos, qui nullam confirmationem Sedis apostol. meruerunt, perpetuae prohibitioni subjicimus, et quatenus praecesserant, revocamus. (Cfr. Extrav. Joann. XXII. c. un. tit. 7.)

[3]) Bened. XIV. Instit. 105.

ita dicam, positiva evasit, eoquod nempe Pontificibus frequens erat, instituta talia etiam laudare sicque in quodam sensu latiori etiam adprobare. Unde duplex adprobatio distingui coepit: una in sensu proprio, qua institutum aliquod in ordinem formalem erigitur seu ejus vota pro solemnibus declarantur. Et haec quidem adprobatio unice ad s. Sedem spectat, eaque, ut patet, nunquam meris congregationibus impertitur. Altera in sensu latiori et improprio aliud non significat, nisi institutum aliquod esse laudabile, et fideles cum plena securitate in illud ingredi posse. Et haec adprobatio, quae congregationibus necessaria est, etiam ab episcopo potest impertiri; si vero et ipsa adprobatione Pontificia[4]) hodie muniri soleant, propterea solemnitatem votorum, quae est quasi coronis status religiosi, haudquaquam consequuntur. Etenim «quoad congregationes religiosas votorum simplicium lex ista de necessitate *praeviae* licentiae Rom. Pontificis in desuetudinem abiisse cernitur, cum Sedi Apostolicae jam in more sit positum, fidelibus pro obtinenda novi instituti approbatione supplicantibus respondere, procurandum primo esse, ut institutum de licentia *episcopi* erigatur, postea vero fore deliberandi locum, sitne suprema auctoritate approbandum nec ne.» (*Nilles* l. c. p. 256.)

Erectio conventuum.

2. In erectione *novorum regularium conventuum* inprimis quaeritur,

Quinam consentire aut interrogari debeant.

a) quorum consensus pro erectione expetendus sit? Praeter licentiam Ordinarii, quae juxta Concilium Trident.[5]) pro novorum monasteriorum erectione expresse requiritur, *quoad ordines mendicantes* etiam sedis apost. licentia est necessaria;[6]) *quoad non mendicantes extra Italiam*[7]) lex clara non adest, quae licentiam Sedis apost. pro hoc exposcat. Est tamen sententia communis, et a Romanis Congregationibus (teste Benedictio XIV., Ferrari, Monacelli et aliis) adoptata, ad novi conventus erectionem neces-

[4]) Haec gradatim et nonnisi post experimenta impertiri solet. Primo enim ad commendationem Ordinarii institutum laudatur; post congruum tempus adprobatur. Constitutiones autem primo per modum experimenti, e. gr. ad triennium vel quinquennium, deinde vero post intervallum per decretum definitivum adprobantur. Cfr. «Methodus pro approbandis novis institutis votorum simplicium exposita a Card. Bizarri» in *Vering,* Archiv. tom. 15. p. 412. Vid. elenchum ejusm. institutorum ib. p. 411.

[5]) Sess. XXV. de regul. c. 3.

[6]) Cfr. c. un. in VI. (V. 6); Constit Urbani VIII. «Rom. Pontifex» 28. Aug. 1624.

[7]) Pro Italia Pontificis licentiam praescripsit Innoc. X. in Constit «Instaurandae.» Acta I. 727. Ad «mendicantes» pertinent, quibus interdictum est possessiones in communi habere, quamvis illicite illas habeant, vel licite ex Pontificis dispensatione. Pertinent scil.: 4 antiquiores ordines s. Dominici, Minorum, Eremitarum s. Aug., et Carmelitarum; praeterea Ordines servorum Mariae, Minimorum s. Franc. a Paula, s. Hieronymi et Societas Jesu. Acta l. c.

sarium esse beneplacitum Apostolicum, etiam extra Italiam et adjacentes insulas, nec pro valore erectionis sufficere ordinarii licentiam.[8]) Excipe vero 1. religiosos vi dispersos, qui sedes primitivas, quibus pulsi fuerant, nullius rogato consensu denuo occupare atque etiam aedificia diruta de novo instaurare possunt. (Quando vero regulares conventum spontanee derelictum volunt reassumere, ab iis servanda sunt decreta apostolica super novorum conventuum erectione edita.) 2. Probati auctores neque pro meris hospitiis pro regularium itinerantium commodo aedificandis, neque pro novis domibus religiosarum congregationum cum votis simplicibus, neque pro mera translatione conventus alicujus in alium situm ejusdem loci consensum Pontificis necessarium ducunt.[9]) Quoad erectionem monasteriorum monialium lex aliqua certa et directa licentiam Sedis apost. non praescribit, sed tamen *indirecte* istius veniae necessitas ex lege clausurae aliisque connexis sequitur. Idcirco (inquit Fagnani) practica est, ut erectiones monasteriorum monialium fiant a Sede apost. tum propter gratias, indulgentias, privilegia et exemtiones, quae ab illa impetrantur, tum propter facultatem educendi abbatissam ex alio monasterio pro novi monasterii institutione. — Ulterius requiritur, ut neque vicina monasteria, neque parochus loci juste et rationabiliter erectioni novi conventus contradicant. Nimirum episcopus licentiam daturus interrogare debet *Priores aliorum monasteriorum* in locis per 4000 passuum distantiam circumvicinis, utrum absque detrimento monasteriorum jam existentium religiosi novi conventus sustentari et ali possint; quodsi vero constat, praeter monasteria jam existentia etiam novum sustentari posse, tunc alii religiosi nec vocari nec audiri debent.[10]) *Parochum* quod attinet, necessarium quidem non est, ut is consentiat, imo nec ut ab episcopo vocetur et audiatur. At vero si juribus parochialibus stricte talibus per novam fundationem praejudicium illatum iri existimet, integrum ipsi est, a decreto episcopi erectionem concedentis ad Congregationem episc. et regul. recurrere atque tali erectioni sese opponere. Sed in hac lite non erit victor, nisi praejudicia pertimescenda sint jurium parochialium proprie laesiva. Sic e. g. jus parochiale strictum non laeditur, quando tantummodo praevidetur minor concursus populi in ecclesia parochiali, imminutio oblatio-

---

[8]) Cfr. Const. Leo XIII. «Romanos Pontifices» ann. 1881 (Acta XIII. p. 492).

[9]) De his cfr. *Bouix:* De jure regular. P. I. p. 244—260; Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 9. c. 1. n. 9.

[10]) Hoc privilegium (quod dicitur *cannarum*), vi cujus novum conventum fundare non licet, nisi in certa distantia ab alio, proprie solis mendicantibus favet. Jesuitas hoc privilegio aliorum ordinum non gravari, sancivit Gregor. XIII. Cfr. Archiv. tom. 26. p. 143.

num gratuitarum et similia. — Interrogandi sunt etiam *incolae loci,* quando agitur de erectione monasterii mendicantium. — Denique non est praetereundum, etiam *reipublicae civilis* (§ 36. 1. d.) in erectione rationem esse habendam. In Imperio austriaco vi artic. XXVIII. Concord. possunt episcopi in suis dioecesibus ordines seu congregationes religiosas utriusque sexus juxta s. canones constituere, non tamen, quin ea de re cum gubernio caesareo communicent. Lege peculiari [11]) modus hujus communicationis determinatur. Nimirum episcopus tale suum propositum regimini provinciae denuntiare debet, indicando tum media sustentationis novo conventui necessaria, tum etiam, si forsitan ordo vel congregatio, ad quam pertinet domus constituenda, legali Imperii adprobatione nondum gaudeat, adprobationem ordinis ecclesiasticam, scopum et constitutionem. Quodsi talis ordo vel congregatio in Imperio jam existat legali modo, regimen politicum *provinciae* episcopo erectionem domus religiosae concedere potest, de hac tamen re Ministerium pro cultu certiorare debet. Quoties vero *aut* nova societas in imperii ditionem introducenda est, *aut* difficultates apparent, res semper ad praedictum Ministerium deferri oportet, imo in priori casu vel suprema Imperatoris resolutio ab eodem impetranda venit.[12])

Quae ex parte conventus requirantur.

b) Quaeritur vero etiam, *quaenam ex parte conventus noviter constituendi requirantur?* Praeprimis necesse est, tum ut congruae sustentationi provisum sit, tum ut saltem 12 religiosi habitent in novo conventu.[13]) Minor numerus quidem non prohibetur;

[11]) 13. Jun. 1858. Reichsgesetzblatt XXV. n. 95. — Brixner Diözesanblatt 1858. p. 53. Sed admissio per se non includit jus corporationis. Circulare minist. pro cultu 12. Jul. 1872. — De temporaria religiosorum extraneorum in Austria commoratione de eorumque ad sacerdotium promotione vide edictum ministri pro Cultu de 13. Nov. 8. et 14. Dec. et 6. Jan. 1881 (Tir. L.-G.-Bl. 1881 p. 3). *Vering* Arch. 1884 p. 328.

[12]) Concessio novam domum religiosam ordinis in Austria jam admissi erigendi pendet ab arbitrio administrationis pro cultu. Decis. minist. 14. Maj. 1877 Nr. 631. *Wolsky* Judicatenbuch n. 361. — In regno Borussiae domus religiosae antiquiores (i. e. ante saecularisationem erectae) jura corporationum obtinent. Etiam post saecularisationem novi conventus erigi, novique ordines introduci potuerunt, sed ut simplices associationes, sine juribus corporationum. Verum anno 1871 dira persecutione exorta non solum Jesuitae sed etiam «ordines ipsis affines nec non congregationes ordinibus similes» ex imperio Germanico proscripti sunt. Et haec proscriptio contra jus fasque decreta tum latissima et arbitraria extensione, modoque prorsus inhumano in exitum deducta est. In ceteris Germaniae ditionibus currente hoc saeculo associatio religiosa plus minusve restrictionibus fuit obnoxia, estque maxime hoc tempore. — Religiosos etiam ex Gallia et Italia dirissime expulsos esse, omnibus notum est. — Excessiva guberniorum in religiosos ordines dominandi libido proscribitur in Syllabo n. 52. 53.

[13]) Conc. Trid. XXV. de regul. c. 3; Constit. Gregor. XV. 17. Aug. 1622. «Cum alias.»

ast tunc privilegio exemtionis frui non possunt, et Ordinarii loci visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni subjiciuntur.[14]) Quoad moniales numerus duodenarius ex lege scripta quidem haud necessarius esse videtur, sed juxta praxim curiae Romanae erectio pariter fieri non debet pro pauciori numero, quam 12 monialium choristarum. Attamen cautum est etiam in Conc. Trid. (l. c.), ne nimius sit religiosorum aut monialium numerus, sed is tantummodo, «qui vel ex reditibus monasterii, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.» Imo in quolibet monialium monasterio certus religiosarum numerus praefigi debet, ita ut in posterum non possit augeri, nisi a s. Congregatione epp. et regular. Quod tamen meras congregationes non attingit.[15])

§ 147. Modus ingrediendi statum religiosum.

I. Novitiorum receptio.

Ingressio in statum religiosum tria momenta sibi gradatim succedentia comprehendit: novitiorum admissionem, novitiatum et professionem religiosam. — Quoad primum, nempe quoad receptionem eorum, qui ad religionem admitti postulant, tres quaestiones expendi opus est:

Quinam sint admittendi.

1. *Quaenam personae admitti possint ad religionem?* Admitti omnes possunt, qui jure communi aut particulari ordinis seu communitatis non prohibentur. Prohibentur vero ex lege ecclesiae *universali* (nam non agimus de legibus *particularibus* ordinum relig.): *a)* Episcopi, etiam tantummodo confirmati, nisi cum summi Pontificis consensu.[1]) *b)* Conjugati post matrimonium ratum tantum possunt religionem ingredi, etiam dissentiente altero conjuge, prout in jure matrimoniali fusius exponetur. At consummato ma-

---

[14]) S. C. C. d. 26. Aug. 1873 denuo confirmavit: Domus religiosas subjici visitationi, correctioni et omnimodae jurisdistioni Ordinarii loci tanquam Sedis apost. delegati, si in his actu non alantur saltem sex religiosi probatae vitae, quorum ad minus quatuor sint sacerdotes maturae aetatis; sicut et conventus erectos post decretum Urbani VIII. latum die 21. Jun. 1625, in quibus degunt religiosi minoris numeri quam duodecim. *Ex Const. „Nuper" Innocentii XII. d. 23. Dec. 1697.* Acta s. Sed. tom. 7. p. 630. Verum s. C. C. non urgere solet, ut episcopi jus visitandi minores conventus exercere studeant; dummodo peculiares circumstantiae aliter non suadeant. Acta II. 155.

[15]) Nota duplicem esse modum, quo existunt monasteria. Multa enim existunt independenter ab aliis et distinctam familiam constituunt. In his est *stabilitas loci,* vi cujus professus semper manet in eodem convento. His monasteriis praesunt abbates. Alia vero coadunantur in unam provinciam sub superiore provinciali; tunc non habetur stabilitas loci et professi possunt transferri ab uno conventu in alium ex dispositione provincialis et in tali casu in conventu praeest loci superior v. gr. guardianus.

[1]) c. 18. X. (III. 31); c. 2. X. (I. 7); c. 10. X. (I. 9).

trimonio ad hoc alterius conjugis consensus requiritur; conjux vero consentiens, si juvenis sit vel suspectus de incontinentia, debet pariter religionem assumere; si senex sit et extra dictam suspicionem, cum simplici continentiae voto potest in saeculo remanere.[2]) Item pars innocens, invita etiam altera, religionem ingredi potest, ubi altera vel adulterium patravit, vel in haeresim lapsa in suo errore pertinaciter perseverat.[3]) Sed in singulis hisce tribus casibus matrimonii vinculum perdurat. *c)* «Ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum» gravati.[4]) *d)* Infames et criminosi, si actis publicis de crimine admisso constet. Crimina occulta non obstant, sicut neque illi repelluntur, qui de crimine aliquo inquisiti in judicio absoluti sunt.[5]) *e)* Obnoxii reddendae rationi pro administratione, quando nimirum propter reddendas rationes lis aut molestia vel hic et nunc pendet, vel, ne inferatur, timendum est. *f)* Liberi, quorum parentes, fratres et sorores extrema vel etiam gravi necessitate premuntur.[6]) Admitti tamen possunt illegitimi,[7]) porro liberi, qui post annos discretionis parentum licentiam non obtinuerunt,[8]) denique clerici, etiam curam animarum habentes, licet episcopi licentia non obtenta.[9])

Qui possint admittere.

2. *Quinam possint admittere seu recipere novitios?* Jus recipiendi novitios spectat ad ordinem, quem quis ingredi vult, ita tamen, ut non a solo praelato, sed a conventu seu capitulariter exerceri oporteat. Quoad moniales in quibusdam regionibus prae-

---

[2]) c. 2. 3. 7. 8. de connversione conjugatorum. X. (III. 32).

[3]) cfr. tit. cit. c. 15. 16. 21. et c. 4. 6. X. (IV. 19.)

[4]) Sixtus V. in Constit. «Cum de omnibus.» 26. Nov. 1587.

[5]) Constit. cit. et Clem. VIII. Constit. «In suprema.» 2. April. 1602.

[6]) *Schmalzgr.* in tit. de regul. n. 40. 42. 43; c. 1. D. 30.

[7]) Greg. XIV. Constit. «Circumspecta.» 15. Mart. 1591. Sed cfr. *Vering* Archiv. t. 16. p. 363 seq., ubi quaedam restrictiones referuntur.

[8]) *Schmalzgr.* l. c. n. 41. — Notum est illud s. Hieronymi (ad Heliodor.) effatum: Per calcatum oportet pergere patrem, per calcatam pergere matrem, et ad vexillum crucis evolare. Lex nostra civilis pro ingressu minorennium postulat patris sive tutoris consensum. Decr. aul. 26. Jan. 1844. Sed cfr. etiam decis. summi tribunalis 24. Apr. 1883 *(Riehl* Suppl. p. 62).

[9]) Bened. XIV. in Brevi «Ex quo.» 14. Jan. 1747 Bullar. tom. 2. n. 25. Cfr. *Nilles* opusc. «De libertate clericorum religionem ingredi volentium» Oenip. 1886. — Tales vero suum propositum suo Ordinario indicare oportere, per se intelligitur. Cfr. Constit. Sixti V. «Cum de omnibus» (1587) de qualitatibus recipiendorum. Archiv. tom. 16. p. 363. Itemque «Institutiones super receptione et educatione novitiorum Clem. VIII. jussu editas.» ib. p. 381. — Quoad *exteros* edicto minist. d. 11. Oct. 1859 (Archiv. tom. 7. p. 282) praescribitur: 1. ut omnes, qui non sunt cives Austriaci, si tanquam novitii in monasterio austriaco recipi velint, per Ordinariatum respect. gubernio provinciae, propositis necessariis documentis, denuntientur; 2. ut omnes extranei, antequam professionem *solemnem* faciant in monasterio, quod habet *stabilitatem loci*, jus civitatis Austriacum obtinere debeant.

terea episcopi licentia impetrari solet, idque ex consuetudine magis, quam ex jure scripto. Sed in duobus decretis s. Congreg. super statu Regular.[10]) praeterea statuitur, ut in quavis provincia eligantur octo examinatores, scil. provincialis et septem alii religiosi probatae vitae, qui postulantes juxta normas accurate determinatas examinare debent. In iis familiis, quae uno tantum monasterio constant (seu ubi viget *stabilitas loci)* pro hoc fine pariter ejusmodi examinatores constituendi sunt.

Modus admissionis.

3. In praelaudatis decretis etiam *modus, quo admissio fieri debet,* statuitur. Nempe examinatorum est, praevie in postulantis dotes inquirere. Hunc in finem pro eo literae testimoniales impetrari debent tum Ordinarii orginis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum 15. annum suae aetatis ultra annum commoratus est. In hisce testimonialibus, quae pro *monialibus* non praescribuntur, referre debet episcopus de postulantis *natalibus, aetate, fama, moribus, vita, conditione, scientia, an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius.*[11]) Captis jam necessariis informationibus, postulantem duplici scrutinio subjici opus est, quorum unum instituitur a provinciali cum delectis ac ipso examinatoribus, alterum vero a superiore generali (vel etiam a procuratore generali [sc. actis examinis ad eum transmissis]) itidem cum examinatoribus ipsi adjunctis. In conventu, ubi est stabilitas loci, postulans a binis collegiis examinatur, quorum uni praesidet religiosus a superiori locali deputatus, alteri ipse localis superior. Superior regularis, qui non servata hujus decreti («Regul. disciplinae») forma novitium ad habitum vel professionem receperit, ipso facto poenam incurrit privationis omnium officiorum vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda. Professio tamen facta, omissis testimonialibus literis et absque praedicta forma, ex iteratis s. C. declarationibus non invalida, sed tantum illicita est. Novitiarum monialium, vota solemnia habentium, ex praecepto Concilii Trid. bina institui oportet examina, scil. tum ante earum

---

[10]) Decretum «Romani Pontifices» (vid. Archiv. tom. 8. p. 143. seq.) et «Regulari disciplinae» (Archiv. tom. 16. p. 353 seq.) utrumque d. 25. Jan. 1848. Declarationes super priori decreto Archiv. tom. 9. p. 436, super altero tom. 16. p. 360 seq. — Decr. «Reg. disciplinae» duabus partibus constat agitque de probatione admittendorum 1. ad habitum religiosum, 2. ad professionem l. c. p. 354 seq.

[11]) S. Congreg. super statu Reg. 25. Jan. 1848. § 2. *Moy,* Archiv. III. 480. — Cfr. Declarationes ejusd. Congreg. de hoc decreto apud *Moy,* Archiv. tom. 9. p. 436. — Per se patet, episcopum utplurimum a parocho postulantis suas informationes capere oportere.

ad habitum admissionem, tum ante professionem.[12]) Quam explorationem episcopus etiam ad meras congregationes extendere potest, eoquod istae ipsius subdantur jurisdictioni.[13])

§ 138. II. De novitiatu. III. De professione.

1. Novitiatus.

1. Receptus post susceptum habitum, antequam ad professionem admittatur, ex praescripto Concilii Trid.[1]) per integrum annum in probatione stare debet, quod tempus probationis *novitiatus* dicitur. Novitiatus (ut ait Innocent. III.) eo fine fuit inductus, ut novitius asperitates monasterii, et istud mores novitii experiri valeret.

Requisita ad valorem.

a) Novitiatus, ut *validus* sit, per integrum annum, computandum de momento ad momentum, protrahi debet, nec tamen (regulariter) ultra annum extendi. Atque hoc spatium continuum sit, oportet, sic, ut de novo debeat inchoari ab eo, qui cum animo non redeundi egressus est, sed postea poenitentia ductus revertitur. Excipe tamen, si statu non perfecte dimisso, statim revertatur (Acta III. 119. 126). Item excipitur casus, quo quis expleto anno probationis ob adversam valetudinem cogitur e religione exire. Is enim absque altero probationis anno potest ad professionem admitti, nisi religionis conditio aut novitii mores essent immutati (s. C. C. in Massanensi 1613. et Neapol. Nov. 1605). Insuper novitius durante tirocinio habitum religiosum deferre et aliqua saltem anni parte in conventu seu monasterio degere debet, in quo professio emittenda est. Congregationes ex *lege positiva* non tenentur integrum annum pro novitiatu praescribere, neque has leges observare, quia in iis professio solemnis non fit.

Conditio et jura novitiorum.

b) Ad jura novitiorum potissimum pertinet 1. plena libertas ad saeculum redeundi. Ne haec libertas vel minimum violetur, in Concilio Trid.[2]) quaecumque donationes, renuntiationes, pactiones, quas facit novitius ante duos menses proximos ante pro-

---

[12]) Sess. XXV. de regul. c. 17. — Episcopus vel alius ab eo deputatus in utroque casu virginis voluntatem explorare debet: «an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, an idonea monasterio, an hoc monasterium idoneum ipsi?»

[13]) Quoad exteros vid. not. 9 hujus §. — Ex lege civili regni Bavariae admissio ad habitum relig. fieri nequit ante ann. 21, professio vero non ante ann. 33. Usque ad hunc ann. singulis trienniis vota simpl. emittuntur.

[1]) Sess. XXV. de regul. c. 15. Praescriptum probationis tempus aetate Innoc. III. non pertinuit ad formam essentialem actus religiosae professionis. Quare probationis tempore non accurrate servato, tum novitius, tum abbas monasterii juri suo renuntiare videbantur. Sed Concilium Trid. l. c. annum probationis clausula irritanti praescribens, hoc tempus induxit in formam actus, cui neuter renunciare amplius potest. Acta II. 306.

[2]) l. c. cap. 16.

fessionem *solemnem*, irritae et nullae declarantur, quoties nempe agitur de notabili bonorum quantitate. Intra duos menses proximos ante professionem ejusmodi actus inter vivos cum licentia episcopi fieri quidem possunt, attamen effectum non sortiuntur, nisi secuta professione.[3]) Porro in favorem dictae libertatis novitiorum in eodem decreto cavetur, ne parentes vel propinqui novitii quidquam tribuant monasterio praeter victum et vestitum. In monasteriis quidem monialium nomine dotis aliquid dari et recipi posse, usu inductum est, quin simonia esse censeatur, quia illud non accipitur tanquam pretium status religiosi, sed tantummodo sustentationis causa, praesertim si monasterium non sit opulentum; attamen dos ante secutam professionem ne titulo quidem depositi monasterio consignari potest, et si novitius egrediatur, praecipit Concilium Trid. *sub anathematis poena dantibus et recipientibus . . ., ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant.* 2. Clerici novitii beneficium intra novitiatus annum nequit alteri conferri, ipsaque resignatio beneficii a tali clerico facta ante professionem nullum sortitur effectum. Per professionem vero *solemnem* beneficia tam de facto quam de jure vacant. Per professionem non solemnem in aliqua congregatione emissam beneficia non quidem evadunt vacua; verum si ipsa residentiam exigant, potest Ordinarius sic professis terminum competentem decernere, infra quem vel ad beneficia redeant, vel ea dimittant, quo elapso beneficia vacant. 3. Novitii gaudent privilegiis fori et canonis, indulgentiisque ordini concessis. 4. Regulas et praecepta sui ordinis non quidem ex titulo professionis, sed ex decentia tamen et probationis causa servare tenentur.

2. *Professio religiosa* non est, nisi votorum emissio et quidem *proprie loquendo* solemnium. In sensu *latiori et improprio* etiam emissio votorum simplicium professio dicitur. Alia distinctio est professionis *expressae,* quae verbis, scriptura vel aliis signis, consensum sufficienter declarantibus exprimitur, et *tacitae,* quae fit sine verbis aut signis, sed per facta, quae dicuntur concludentia, inducitur, v. gr. dum quis expleto tirocinio habitum religiosum per aliquod tempus defert. Attamen professio tacita (saltem solemnis), hodie non amplius pro valida habetur.[4]) 2. Professio.

Circa professionem haec potissimum notanda sunt:

---

[3]) Possunt istae donationes etiam valide fieri in congregationibus et in religione Societatis Jesu.

[4]) Professio tacita, (solemnis) non quidem a Concilio Trid. sed tamen jure novissimo sublata est. In declar. enim a s. C. C. d. 12. Jun. 1858 n. XI. ita habetur: «Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.» Archiv. tom. 16. 375.

Conditiones, ut sit valida.

a) Ad valorem professionis requiritur, ut persona ad religionem habilis — in legitima aetate constituta — post integrum novitiatus annum — in conventu ad hoc designato — cum libero consensu (ergo citra omnem fraudem seu dolum et absque vi et metu[5]) — in religione aliqua adprobata — in manibus legitimi superioris — tria substantialia vota emittat. Quodsi una vel altera ex his conditionibus desideretur, invalida est professio eamque emittens non fit religiosus. Praeterea professio in suo initio irrita non potest convalescere per subsequentes actus emissos e. gr. per votorum renovationem, quae forte fiat singulis annis (Acta s. S. V. p. 412).

Generatim.

In specie.

Inter modo enumeratas conditiones sunt duae, quae fusius explanari debent. Scil. 1. quoad *aetatem requisitam* et *modum profitendi* lex Tridentina,[6]) per quam post annum 16. expletum professio, eaque etiam solemnis, fieri permittitur, vigore novissimae dispositionis Pontificiae pro universo orbe conditae, sed pro ditionibus Austriacis paulisper immutatae, abrogata est. In decreto siquidem s. Congreg. super statu Regular. *„Neminem latet“* 18. Mart. 1857[7]) sic statuitur: In omnibus virorum religionibus vota solemnia habentibus, novitiatu et anno saltem 16. expleto, vota duntaxat simplicia emittantur eaque continuentur saltem per triennium, quo elapso taliter professi ad professionem votorum solemnium admitti possunt. Valent tamen superiores religiosi ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum.[8]) Completa hac aetate alumnus vel admittendus est ad solemnem professionem, vel dimittendus a religiosa familia. Durante hoc spatio vota isthaec simplicia ex parte quidem voventium sunt perpetua, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia. Sed vinculum votorum simplicium duplici modo dissolvi potest: 1. dispensatione summi Pontificis, cui professi urgentibus ex causis preces porrigere possunt; 2. dimissione ex parte ordinis

Quoad aetatem.

Praemittenda sunt vota simplicia.

---

[5]) Vis et metus pro varietate circumstantiarum vel irritam reddere professionem, vel saltem causam suppeditare potest obtinendi dispensationem. Acta I. 483. III. 126. V. 403.

[6]) Sess. XXV. c. 15. de regul. Vid. duo decreta Clem. VIII. (1602 et 1603) de receptione novitiorum in Bullar. Rom. (ed. Luxemb. tom. 4, p. 145. 146), ubi (§ 22) inter alia statuitur, fratres conversos non esse recipiendos ante vigesimum aetatis suae annum.

[7]) Vid. hoc decretum apud *Bouix* op. cit. P. I. p. VIII. vel in Archiv. tom. 9. p. 437. Vide literas Eminent. s. Congreg. Praefecti istud decretum concomitantes (19. Mart. 1857) pro nostro Imperio.

[8]) In nullo casu, etiam cum ratio legis assistere videatur, dilationem ultra praescriptos limites fieri posse, s. C. super Statu regul. declaravit in causa Americ. d. 19. Aug. 1866.

(scil. Generalis ordinis, vel praesidis congregationis cum suis visitatoribus etc.), qui sine forma processus (non tamen ex causa infirmitatis) taliter professos dimittere potest, ita, ut iidem data dimissione ab omni dictorum votorum vinculo eo ipso liberi fiant. Ceterum professi cum votis simplicibus participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium fruuntur et gaudent, iisdemque in pluribus aequiparantur. Attamen jus non habent sese ingerendi in majoribus ordinis negotiis, cujusmodi sunt, quae pertractantur in capitulis provincialibus. Jus autem habent ferendi suffragium in actis capitularibus sui conventus, dummodo haec ad solemnem professionem non referantur.[9]) Retinere possunt dominium bonorum suorum *radicale* (sc. proprietatem rerum suarum et dominii capacitatem), ut ajunt, sed omnino interdicta est eis eorum administratio, ut redituum erogatio, atque usus. Non tenentur ad privatam recitationem divini officii; debent tamen choro interesse et regulas ordinis servare ut solemniter professi. Non possunt superiores iisdem dimissoriales atque dispensationes a defectu natalium concedere, nisi ad ordines minores tantum; ad majores titulo paupertatis promoveri non possunt.[10]) — In Brevi *„Ad universalis"* d. 7. Febr. 1862 Pius IX. decrevit, nullam omnino irritamque esse professionem votorum solemnium in quibusvis regularibus virorum familiis factam, nisi novitii emittant prius professionem votorum simpli-

[9]) Acta II. 101. Archiv. tom. 16. p. 379. Plures sunt notandae declarationes s. C. super statu regul. (Archiv. tom. 9. 411 seq. ib. tom. 16. p. 373 seq.) super variis dubiis emissae. E. gr. 1. Emitti possunt vota solemnia in loco, ubi sunt novitii, quin hi teneantur profiteri in domo peracti novitiatus. 2. Si professi votorum simpl. ab ordine dimittantur, «Ordinarius tum quoad ordines tum quoad matrimonium, prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet.» (Sc. his omnino aequiparandi sunt.) 3. Quoniam non simplicia sed solemnia vota dissolvunt matrim. ratum tantum; ideo in casu, quo conjux aliquis infra bimestre post contractum matrim. religionem ingressus est, ad apost. sedem recurrendum est pro facultate, ut statim emitti possint vota solemnia, ne tam diu exspectare debeat pars in saeculo derelicta et novum matrimonium contractura.

[10]) Ex speciali s. Sedis indulgentia et dispensatione aliquando etiam professi votorum simplicium ad ordines majores promoveri possunt, sed tamen adjecta conditione: «Si praefatus clericus ab ordine dimissus fuerit, vel dispensationem a votis simpl. obtinuerit, suspensus maneat a susceptorum ordinum exercitio, donec sibi sacrum patrimonium constituerit.» Archiv. tom. 17. p. 70. Quoad quaestionem, cujus episcopi jurisdictioni talis sit obnoxius, haec notentur: Simpliciter professi, ad ordines sive majores sive minores promoti, in casu egressus, quo nempe per dimissionem vel per dispensationem ordinem suum deserunt, iterum cadunt sub auctoritatem Ordinarii, cui ratione originis, domicilii etc. subjecti erant, priusquam religionem ingrederentur. Ita decisum est a s. C. episc. et regul. in Mexic. et Meliten. 20. Jan. 1860, itemque 6. Maj. 1864. Acta I. 365. 366. Cfr. supra p. 199.

cium, et ita in ea per integrum triennium permanserint.[11]) 2. *Professio fit coram regularis familiae moderatore,* recitata formula professionis, adhibitis etiam aliis solemnitatibus secundum receptum uniuscujusque ordinis usum. In monasteriis monialium professiones in manibus abbatissae aut illorum ordinis superiorum, qui jurisdictionem earum habent, sunt faciendae. In conservatoriis vero et congregationibus episcopis immediate subjectis professio emittitur in manus episcopi, vel illius, quem aut quam ipse ad hunc actum delegaverit. — Dignitas professuri diligente et accurato examine de novo discutienda est, ad quod faciendum superiores sub gravissimis poenis adstringuntur.[12])

Coram quo professio facienda.

[11]) Legibus civilibus Austriacis (17. Oct. 1770 et 25. Mart. 1802) cautum erat, ne quis religionem profiteretur, qui non vel annum 24. expleverit, vel anno 21 transacto tribus annis in religione laudabiliter perseveraverit. (Praeterea clerici regulares nonnisi finitis studiis philosophicis solemniter profiteri permissi sunt resol. supr. de 20. Aug. 1814.) In concordato Austr. art. 28. statutum est, ut regulares «juxta s. Sedis praescriptiones candidatos ad novitiatum et ad professionem religiosam admittant.» Ast in tractationibus concordatum respicientibus postulante caesar. regimine sedes Apostolica annuit, ut observata hactenus praxis intuitu aetatis, qua perpetua permanentia in statu religioso inducitur, posthac quoque retineatur. Propterea Sedes apostolica, promissioni suae insistens, una cum laudato Brevi «Neminem latet», peculiarem instructionem ad episcopos Austriacos misit, injungens, ut in ditione Austriaca professio votorum *solemnium* differatur juxta morem et praxim inibi inductam. Itaque etiam in ditione Austriaca professioni solemni necessario praemittenda sunt vota simplicia. Sed tamen executio Brevis «Neminem latet» conformari debet praxi apud nos hactenus vigenti. Qua vero ratione id fieri debeat, quaestio est valde gravis et intricata, quae duplici praxi et interpretatione solvitur. Scilicet in aliquibus locis opinio viget, intentioni gubernii caesarei (utpote quod novitios ante annum 21. respective 24. transactum prorsus liberos esse vult) satis consuli, si vota *solemnia* non ante eam aetatem quam lex civilis postulat, emittantur; idcirco professos votorum simplicium vere obstrictos manere et nonnisi dispensatione Papae, aut dimissione ex parte ordinis in foro eccles. tum *interno* tum *externo* prorsus liberos effici putant. Ita, ajunt, menti gubernii omnino satis fieri, eoquod, si simpliciter professus discedere velit, dimissio existentibus causis ab ordine haud difficulter obtineatur. Alii autem censent, per vota ista simplicia in foro eccles. *externo* nullam obligationem induci, sed in foro dumtaxat interno. Proin (intuitu fori externi) taliter professos nunquam non ab ordine libere discedere posse. Ita sentiunt *Schulte,* Lehrb. p. 464; *Ballay,* de votis simplic. Arch. t. 17. p. 40; imo hoc etiam in currenda consist. Viennens. asseritur Arch. t. c. p. 74. Idem etiam exposcere videtur rescriptum ministerii pro cultu d. 27. Jun. 1859 (Archiv. t. 11. p. 440). Attamen graves adsunt rationes dubitandi, num haec altera interpretatio menti Sedis apost. conveniat. — Lex de praemittendis votis simplicibus, primitus virorum dumtaxat familias respiciens, in imperio Austriaco ad moniales quoque extensa est, seu potius illam extendendi *facultas* episcopis concessa. (Vid. litt. s. Congr. super statu regul. d. 19. Mart. 1857 in Archiv. I. 384). Sed in praxim deduci non solet.

[12]) Decret s. Congreg. super stat. regul. «Regulari disciplinae» in altera ejus parte.

b) Professio valida ex una parte perpetuo vinculo connectit religiosum cum ordine, ex altera parte aequiparatur morti, quae omnia solvit. Etenim (praeter peccatorum poenas) exstinguit omnia vota simplicia prius emissa, aufert irregularitatem ex defectu natalium, sed tantummodo pro suscipiendis ordinibus, non autem pro assequendis praelaturis sive in ordine sive extra ordinem, dirimit sponsalia et matrimonium ratum non consummatum, liberatque professum a patria potestate. Praeterea professus nihil amplius sibi acquirere potest, sed quidquid acquirit, monasterio acquirit, nisi illud sit de mendicantium numero.[13]) Imo si quis professus saeculo restituatur, non potest ea bona recuperare, quibus ante solemnium votorum emissionem renuntiaverat, sed ea abdicatio effectum primitivum semper retinet. Effectus professionis.

§ 149. Egressus ex religione.

Professus multiplici ratione ex religione sua egredi potest: voluntarie vel involuntarie, cum sua culpe vel citra culpam, denique aut omni religionis vinculo solutus, aut obstrictus adhuc permanens. Egressus voluntarius:

1. Inprimis *legitime* fit egressus *ob declarationem nullitatis professionis religiosae.* Etenim nulliter professo, nisi malit ratificare et convalidare suam professionem irritam, liberum relin- 1. Ob nullitatem professionis.

[13]) Dispositio illa Justiniani imper., qua res omnes monachi, statim ac professionem emisit, monasterio acquiruntur, ex jure Romano (Nov. V. c. 5; Nov. CXXIII. c. 38 [Auth. ad l. 13 Cod. de ss. Eccl. I. 2.] in corpus juris can. transiit (c. 7. 9. C. XIX. qu. 3. [ubi liberis ingredientis legitima portio vindicatur]). Cfr. c. 11. 13. C. XII. qu. 1; c. 16. C. XVIII. qu. 2; c. 2. X. (III. 26). Conc. Trid. Sess. XXV. c. 2. de regul. Igitur vi juris communis potest quidem regularis bona acquirere, sed monasterio tantum, non sibi. Ipse jus solummodo habet accipiendi et utendi juxta Conc. Trid. l. c. «quod necessarium sit.» Quare si quando haereditas religioso alicui viro sive per testamentum, sive ab intestato deferatur, in religionibus possidendi jure gaudentibus, loco regularis ad haereditatem vocati, religio ipsa succedit, atvero in religionibus eo jure carentibus, nec religio in sui religiosi locum haereditatem obtinere potest, ideoque haereditas ad eos devolvitur, qui ab intestato ex legitima successione ad eam vocantur. Acta I. 225. Rom. Pontifex justis ex causis religiosis testamenti factione activa et passiva carentibus interdum indulget, ut testamenta condere, et haereditates legatave capere queant. — Quoad leges civiles *Austriacas* vide infra § 233. not. 14. II. — Leges civ. Bavariae prorsus conveniunt cum legibus eccles. — Leges Borussiae et aliarum Germaniae ditionum conventibus antiquioribus jus succedendi ab intestato non concedebant; jus vero haereditarium ex testamento ad certos limites fuit reductum. Religiosi autem conventuum recentiorum reliquis civibus in hac re pares habentur. Quid obtineat in Gallia, vide ap. *Bouix* I. p. 390. 436. seq. Archiv. tom. 11. p. 263 seq. Cfr. *Schulte* Lehrb. p. 470. Notandum est etiam, mendicantes posse quidem accipere manuales Missarum eleemosynas, at sortem capitalem pro annuis fundationibus persolvendis ipsis attribui non posse.

quitur, reclamare contra valorem ejusdem, intra quinquennium tamen et per modum legitimi processus deducendi coram superiore regulari et episcopo loci. Elapso tamen quinquennio, alia via non patet, *nisi restitutio in integrum* a Sede apost. obtinenda, qua religioso datur facultas reclamandi perinde, ac si elapsum nondum fuisset quinquennium. Qui ante sententiam judicis discessit, non audiendus sed tanquam apostata puniendus est.[1]) Ceterum professio nulliter emissa quandoque valet, ut votum simplex, quod potissimum tunc accidit, quando professio ideo nulla est, quia vel in conventu non designato, vel ante completum probationis annum, vel in religione non adprobata erat emissa.[2])

2. Per s. Sedis dispensationem.

2. *Per summi Pontificis dispensationem,* per quam ex causa gravi et publica regulares a votorum solemnium et professionis suae vinculo liberantur et religiosi esse prorsus desinunt. Vota simplicia congregationum stricte talium, utpote quae perpetua sunt, pariter summo Pontifici reservantur: ad quem etiam tunc recurri oportet, quando egredi volenti ex congregatione late tali, non habente vota perpetua, non consentit congregatio, si nempe in ea interveniat promissio *perseverantiae* data et acceptata. Ratio est, quia talis appromissio est contractus ultro citroque obligatorius, qui proinde altera parte dissentiente remitti non potest, nisi interveniente Pontifice, qui omnium jurium ad congregationes religiosas pertinentium primarius est administrator.[3])

3. Per transitum ad aliam religionem.

3. *Per transitum ad aliam religionem.* De jure communi i. e. non attentis peculiaribus exceptionibus et singularum religionum statutis, a laxiore ad arctiorem religionem transiri potest, petita, licet non obtenta immediati proprii praelati licentia.[4]) Sed praelato constet, necesse est, arctiorem religionem paratam esse illum recipere. Ob multiplices tamen prolixitates et controversias, quae

---

[1]) Conc. Trid. de regul. Sess. XXV. c. 19; Decretum Urbani VIII. «Ad occurendum» 5. Jan. 1663 apud *Richter* et *Schulte* p. 434. et ib. p. 600; Constit. Bened. XIV. «Sed datam.» 4. Mart. 1748. — Ceterum beneficium restitutionis in integrum non conceditur nisi 1. constet de causis legitimis, propter quas intra concessum sibi quinquenn. reclamare regularis non potuerit, et 2. nisi religiosus, ac praesertim qui ex capite vis et metus valorem suae professionis oppugnat, in promptu habeat argumenta, quae praevidere faciant bonum causae suae exitum. Acta I. 31. III. 125, ubi etiam agitur de modo istiusmodi causas pertractandi l. c. V. 412. De hoc cfr. Const. cit. «Sed datam,» *Santi* l. III. p. 289.

[2]) *Bouix* I. p. 642 seq.

[3]) Quod omnino congruit doctrinae ab omnibus receptae, vota et juramenta, in quibus de praejudicio tertii agitur, a nemine nisi a Rom. Pontifice solvi aut commutari posse.

[4]) c. 18. de reg. (III. 31); Conc. Trid. XXV. de reg. c. 19; Bened. XIV. «Et quo» 14. Jan. 1747 et «Pastor bonus» 13. April 1744.

quoad ejusmodi transitum enasci possunt, e. gr. utrum institutum quoddam laxioris an arctioris sit observantiae, ex hodierna praxi ad tribunalia Sedis apostolicae recurrere possunt et solent, qui ad ordinem strictiorem transire cupiunt. Transitus ad laxiorem religionem a Conc. Trid. (l. c.) quidem prohibetur, permittit tamen Bened. XIV.[5]) eum concedi ob justas et respective graves causas, a majori Poenitentiario probandas, audito prius superiore ordinis, *a quo,* et cum consensu superioris ordinis, *ad quem* faciendus est transitus. Verum transitus non permittitur, nisi ad talem religionem, in qua viget claustralis observantia.

4. Per secularisationem.

4. *Per secularisationem* via aperitur egrediendi non ex religione, sed tantummodo ex monasterio. Nempe ex causis gravioribus (et «dummodo orator provisus sit sufficienti s. patrimonio») s. Sedes nonnullis religiosis solemniter professis in saeculo degendi facultatem concedit, et quidem in habitu presbyteri saecularis retento interius aliquo regularis habitus signo, eaque lege, ut *substantialia votorum* suae professionis, cum statu recens electo compatibilia, observent, et sub obedientia Ordinarii loci, in quo degunt, etiam in vim voti religiosi vivant, i. e. ut episcopus non eam tantum jurisdictionem in illos habeat, qualis ipsi in clericos saeculares competit, sed possit iis insuper praecipere in virtute obedientiae religiosae. Porro hujusmodi religiosi in saeculo degentes ob votum paupertatis, quo manent obstricti, dominii incapacitatem retinent, ideoque nec haereditates capere, neque testari de suis rebus, neque beneficium proprio nomine possidere, sed illud tantummodo nomine Sedis apost. administrare possunt, congruam sustentationem ex eo non proprietatis, sed administrationis tantum titulo percipientes.[6]) Itaque vis indulti, quod dicitur saecularisationis, haec est: Regularis *solvitur* ab obligationibus, quas cum ordine per professionem contraxit, et vicissim ordo solvitur ab obligationibus erga eundem regularem contractis. Porro regularis intuitu ordinis sui communionem omnium bonorum spiritualium et temporalium amittit. Verum reliqua omnia sarta tectaque *manent.* Unde manent vota *Deo* nuncupata cum obligationibus

---

[5]) Const. «Pastor bonus» § 34. — Dum regularis per transitum ad alium ordinem in hoc annum probationis agit, jus suffragii, quod habuit in ordine derelicto, nondum quidem extinctum est, sed tamen manet in suspenso, ac propterea exerceri non potest.

[6]) Hae conditiones exprimi solent in hujusmodi indultis s. Congregationis episcoporum et regular. *Ginzel,* K.-R. II. p. 286. Cfr. Acta IV. p. 388: «De juribus et facult. regularium, qui indulto saecularisationis sint donati.» — Quid ratione voti *paupertatis* saecularisatis incumbat, infra § 233 not. 14. I. exponetur. — Caeterum ejusmodi indulta non immediate a s. Sede concedi solent, sed committuntur episcopis, ita sc., ut hi rem examinent, causisquae probatis transitum ad saeculum concedant.

suis substantialibus, manetque in suo vigore *coram ecclesia* status religiosus, quem regularis per professionem participavit.

5. Per apostasiam.

5. Via *criminis* fit egressio *per apostasiam a religione,* quae proprie loquendo est malitiosa discessio e religione, cum animo non amplius redeundi. Discedentes cum animo revertendi non sunt apostatae, sed *desertores* seu *fugitivi,* qui tamen in jure apostatis aequiparantur. Desertoribus etiam illi accensentur, qui vel sine causa, vel ex levi duntaxat causa a suis conventibus recedunt sub praetextu superiores suos adeundi. Superioribus incumbit, tum fugitivos tum apostatas inquirere et omni meliori modo ad reditum campellere. De poenis statutis contra apostatas vide infra § 221.

6. Egressus involuntarius:

6. *Citra voluntatem* fit egressio, cum quis professis ejicitur vel dimittitur ex ordine, aut cum ordo religiosus legitime supprimitur.

a. Per expulsionem.

a) Religiosi incorrigibiles, mediis et poenis aliis frustra tentatis, a suis superioribus processu legitime facto *e religione* ita *expelli* possunt, ut sic ejecti, quamdiu non redierint, habitu clericali incedere debeant, et sub obedientia Ordinarii loci ad essentialia vota adstringantur, quae in toto suo robore perdurant.[7]) Tanto magis simplices congregationes suos religiosos, utpote simpliciter tantum professos, vel si incorrigibiles sint, vel ex causis in regula expressis *dimittere* possunt. Id quod etiam in ordinibus formalibus procedit quoad eos, qui nonnisi simpliciter sunt professi (§ praeced.), sed ex causa duntaxat gravi et cognita, nec non gravata superiorum conscientia. Suspensio perpetua ab exercitio ordinum ipso jure irrogata est in eos, qui ejecti sunt e religione et extra claustra degunt (§ 221).

b. Per ordinis suppressionem.

b) Per *suppressionem et extinctionem ordinis religiosi* omnia ejusdem jura, privilegia, munera et ministeria pariter extinguuntur; professi votorum duntaxat simplicium et ss. ordinibus nondum initiati, omni votorum vinculo soluti egredi debent, illis vero, qui ad ss. ordines promoti sunt, facultas datur aut in aliquem ex ordinibus adprobatis se conferendi, aut in saeculo tanquam presbyteri saeculares permanendi, sed sub totali et omnimoda obedientia et subjectione erga Ordinarios, in quorum dioecesi domicilium figunt.[8])

---

[7]) Decretum s. C. C. 21. Sept. 1624 ap. *Richter* et *Schulte* (Conc. Trid.) p. 433. — Juste et legitime expulsus non potest praetendere alimenta a religione. *Ferraris* s. v. *ejicere* n. 45.

[8]) Ita dispositum est in Const. Clem. XIV. «Dominus ac redemtor» 21. Julii 1773. — Caeterum prorsus alia est conditio religiosorum *vi dispersorum.* Nam quum horum collegialis existentia non de jure sed de facto tantum, sc. ob vim ipsis illatam cessaverit aut interrupta sit, eorum tum

§ 140. Jura regularium praecipua ad extra.

1. *De regularium habilitate ad munera ecclesiastica.* Ex antiqua ecclesiae praxi et continuis Rom. Pontificum oraculis manifeste elucet,[1]) statum religiosum natura sua cum cura animarum cumque vitae pastoralis muneribus et aliis officiis ecclesiasticis optime componi posse. In specie tenendum est: 1. Habilitas religiosorum:

a) religiosos posse deputari ad curam animarum et obtinere beneficia ecclesiastica. In hac vero re attendi debet nota distinctio beneficiorum saecularium et regularium (§ 76. 2). Ad beneficia regularia, pleno jure monasterio unita, administranda unum ex religiosis monasterii deputari posse ac debere, ex antea (§ 125. 1. b.) dictis constat. Sancivit tamen Pius V., ut cum religioso *monacho,* qui in vicarium curatum nominatur, quatuor alii religiosi habitare debeant; at ex dispositione Gregorii XIII. sufficit, si *unus* duntaxat religiosus vicario curato in socium addicatur.[2]) Verumtamen ad parochias saeculares et ad alia beneficia simplicia saecularia e. gr. ad canonicatus in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis canonici regulares et a fortiori monachi ac mendicantes promoveri non possunt absque indulto Apostolico, quod tamen non datur, nisi instante episcopo pro necessitate et utilitate ecclesiae.[3]) At Praemonstratensibus (inquit Bened. XIV.)[4]) conceditur ex integro privilegium assequendi et retinendi quascumque parochiales ecclesias et vicarias, tam saeculares quam regulares, absque dispensatione Apostolica. Similiter religiosi congregationum vota simplicia ha- a. Ad beneficia eccl.

---

officia tum jura, quatenus in dispersione in effectum deduci possunt, in eodem vigore perdurant, quia, ut habet regula juris (64. in VI.): *quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi,* et reg. 52: «Non praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.» In specie integrum est religiosis dispersis, suum institutum cum omnibus juribus et privilegiis perpetuare, prorsus, ut novitios assumere et suos superiores eligere et cactera omnia facere possint, quae status dispersionis fieri permittit. Eadem omnia jura conservantur, quamdiu vel unicus religiosus est superstes, juxta regulam: «Jus collegii remanet in uno.» Attamen ea et privilegia et jura saltem suspenduntur, quae ordini tributa sunt ut corpori morali, sive ut societati sub disciplina regulari viventi. Acta I. 239. III. 141. ibid. 151., ubi enumerantur «facultates regularibus in Italia violentia suppressis (a s. Poenitentiaria apost.) concessae aut declaratae.» Cfr. *Maupied* II. p. 216; Acta S. Sedis VII. p. 147.

[1]) Sic jam declaravit P. Siricius in sua celebri ad Himerium Tarracon. Epistola (ap. *Bouix* tom. II. p. 3); Conc. Trid. Sess. XXV. de regular c. 11; Bulla «Auctorem fidei» propos. 80. ex damnatis.

[2]) Pii V. Const. «Ad exequendum» ann. 1567 § 5, ubi non de quibusvis regularibus sed de monachis tantum ita statuitur. A Gregor. XIII. dispositionem Pii V. mutatam esse, tradunt auctores. *Reiffenstuel* tit. 37. l. III. n. 9. et *Bouix* tom. II. p. 32.

[3]) Bened. XIV. Const. «Quod inscrutabilis.» 9. Juli 1745.

[4]) Constit. «Oneroso» 1. Sept. 1750.

bentium a beneficiis haud excludi videntur, et proin iidem recte de beneficiis etiam saecularibus provideri possunt citra dispensationem Pontificiam.[5]) Ad beneficia vero *majora,* ad summum Pontificatum, ad Cardinalatum et ad episcopatum regulares indiscriminatim evehi possunt, uti quotidiana testatur experientia. Caeterum religiosus, qui fit episcopus, non tantum tribus votis substantialibus, sed etiam aliis suae religionis observantiis cum episcopatu coompatibilibus manet adstrictus. Ex declaratione s. C. C. de 7. Dec. 1639 (Acta I. 227) regularis ad episcopatum assumtus capere potest haereditates et legata post episcopatum obtentum sibi delata, ita tamen, ut sibi usumfructum tantum, quoad vixerit, acquirat, proprietatem vero ecclesiae cui est desponsus.

b. Ad gradus academ. etc.

b) Posse regulares ad gradus academicos et ad cathedras in scholis promoveri, in examinatores synodales nominari etc., continua ecclesiae praxis abunde testatur.

2. Eorum jura qu. s. ministerium:

3. *De regularium juribus quoad s. ministerii exercitium.* Regulares ordines non tantum in parochiis procurandae animarum saluti sese impendunt, sed praeterea tum in suis tum in alienis ecclesiis s. ministerium exercent. Cumque ad illud exercendum veram a summo Pontifice missionem habeant, episcopus eos tunc tantum a. s. ministerii actibus arcere poterit, quum ad hoc non reperiuntur idonei. Pertinent vero potissimum haec tria ad s. ministerium:

a. Qu. praedicationem.

a) Praedicationis ministerium, quod hisce regulis determinatur: 1. ut regulares nonnisi cum licentia episcopi publice verbum Dei annuncient (§ 116). Et haec licentia, semel concessa, ob rationabiles causas, licet occultas, iterum suspendi potest. 2. Ut antequam praedicare incipiant, personaliter coram episcopo se praesentare, ab eoque benedictionem petere teneantur.[6]) 3. Ut episcopus prohibere possit, ne regulares ea hora in ecclesiis conciones habeant, qua ipse personaliter praedicaturus est.[7])

b. Qu. ss. Eucharistiam.

b) Quoad *ss. Eucharistiae* administrationem sequentes potissimum normae pro regularibus sunt constitutae:

1. Parochiani nedum in ecclesiis, sed etiam in oratoriis privatis regularium, diebus praeceptis valide s. Missae intersunt. Possunt vero regulares in suis conventibus et collegiis erigere oratoria privata, et in iis licite celebrantur eodem die plures

---

[5]) *Bouix,* De jure regular. II. p. 51.

[6]) Conc. Trid. Sess. V. c. 2. de ref.

[7]) De *jure* tamen nequeunt regulares inhiberi, ne in suis ecclesiis praedicent eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habenda est. Sed dispiciendum etiam erit, quid pax, quid salus animarum, quid muneris parochialis auctoritas postulet. — Cfr. tractatum: «Circa catechismi, seu doctrinae christ. traditionem in ecclesiis regularium non parochialibus.» Acta II. 184. ib. 157.

Missae etiam a presbyteris saecularibus.[8]) 2. Regulares ab episcopo possunt prohiberi, ne sacerdotes saeculares, aut non sui ordinis regulares peregrinos, ad Missas in suis ecclesiis celebrandas admittant, priusquam ipse aut vicarius ejus generalis vel foraneus, inspectis eorum litteris commendatitiis, id permiserit.[9]) 3. Regulares illis famulis, qui actu conventui deserviunt, si degant intra septa monasterii sub eorum obedientia ratione servitutis ipsis exhibendae, communionem paschalem, viaticum (et etiam extremam unctionem et sepulturam) dare possunt, quia de eorum quasi familia esse censentur. Famuli vero et famulae monialium, quamvis exemtarum omnino subsunt nexui parochiali *(Ferraris* s. v. *Famuli).* In quantum vero juvenes in collegiis regularium et puellae in conventibus monialium educationis causa degentes a lege parochiali eximantur, utplurimum ex regionum consuetudine et episcoporum dispositionibus dimetiendum erit. 4. Regularibus ss. Eucharistiae Sacramentum *publice* exponere tantummodo cum licentia Ordinarii conceditur, nisi fors consuetudo legitime praescripta illis suffragetur.[10])

c. Qu. Sacram. poenitentiae.

Ad Sacramenti poenitentiae administrationem sequentes regulae pertinent: 1. Ad audiendas confessiones *regularium,* novitiorum eorumque famulorum, quorum superius mentio facta est, confessarii religiosi et adprobationem et jurisdictionem obtinent a suis praelatis, quibus, cum habeant jurisdictionem quasi-episcopalem, ex jure communi et antiquo competit facultas adprobandi suos ad confessiones. Verum 2. ad audiendas confessiones *saecularium* regulares aut parochiale beneficium habere, aut ab episcopo per examen vel alias idoneos declaratos et approbatos esse oportet.[11]) Vi Constitutionis Clem. X.[12]) tenetur episcopus

[8]) Pius VI. concessit, ut quilibet sacerdos celebrans in ecclesiis personarum utriusque sexus ordinis Minorum s. Francisci, vel Capucinorum, possit prorsus in omnibus uti missali respectivi ordinis. Id quod etiam de celebratione in ecclesiis Benedictinorum, Carmelitarum, Discalceatorum et Eremitarnm s. Augustini obtinet. *Bouix* op. cit. C. II. p. 195.

[9]) Bened. XIV. Const. «Apostolicum ministerium,» 30. Maj. 1753.

[10]) Parochus jus non habet impediendi vel prohibendi, ne regulares ante Missam parochialem aut eodem tempore, quo Sacrum fit in parochiali ecclesia, celebrent Missam in diebus festis. Num episcopus in rigore juris id possit, controvertitur. *Bouix* P. II. p. 341. seq. Cfr. not. 7.

[11]) Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 15. de ref. S. C. ep. et reg. d. 2. Martii 1866 declaravit: 1. Per adprobationem episcopi regularibus conferri necessariam jurisdictionem ad confessiones valide excipiendas. 2. Hinc ejusmodi jurisdictionem a superioribus regularibus auferri ipsorum subditis non posse, quamvis juste interdici prohiberique iisdem possit, quominus confessiones audiant. 3. Propterea si regularis inobediens, spreta hac inhibitione, confessiones excipiat, valide poenitentes ab ipso absolvi, quamvis illicite. Acta I. 683. Archiv. t. 15. p. 456.

[12]) «Superna» 2. Jun. 1670. §§ 4—7.

sine limitatione illos regulares adprobare, quos generaliter idoneos reperit; quos autem non judicat adeo idoneos, potest vel limitare e. gr. ad certum tempus, vel nullo modo adprobare.[13]) Porro facultas absoluta, praevio examine ab ipso episcopo (non vero ab ejus praedecessore aut vicario generali) data, ab eodem revocari non potest, nisi ex nova superveniente causa confessiones concernente. Econtra facultas limitata potest ab episcopo restringi vel omnino adimi absque praedicta causa.[14]) 3. Confessarios regulares, ut valide audiant confessiones *monialium*, etiam sibi subjectarum, specialem in hunc finem episcopi dioecesani adprobationem habere oportet. Namque praelatus regularis potest solummodo eligere ac deputare monialium subjectarum confessarios, adprobatio vero nunquam non spectat ad episcopum. Caeterum confessarii monialium ordinarii constitui nequeunt, nisi ad triennium, quo elapso, ut confessiones valide audire pergant, licentia s. Congregationis episc. et reg. indigent.

3. Regularium privilegia.

3. *De regularium privilegiis, et speciatim de privilegio exemtionis.* Privilegia, quibus ordines relig. largiter perfruuntur, id sibi peculiare habent, ut privilegia, quae uni ordini concessa sunt, etiam aliis fiant communia, et hoc est, quod privilegiorum communicatio dici solet. In specie ordines mendicantes inter se absolutam et plenissimam habent privilegiorum communionem, quibus etiam religiosi Societatis Jesu adjunguntur, qui omnia privilegia eo ipso acquirunt, quae mendicantibus conceduntur. Equidem verum est, a Conc. Trid. permulta regularium privilegia revocata esse;[15]) verum etiam illud tenendum est, reliqua omnia privilegia in vigore suo perstare, etiamsi subinde decretis Tridentinis adversentur, modo ista decreta non habeant clausulam derogatoriam: «non obstantibus quibuscumque privilegiis.»[16])

In specie de privil. exemtionis.

Praecipuum regularium privilegium est illud, quod *exemtionis* vocatur, quodque antiquitus concessum, hodiedum in omnibus

---

[13]) Cfr. Bened. XIV. Instit. 86, n. 4, ubi pro Bononiensi dioecesi decernitur, sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus sine discrimine nonnisi ad anni spatium facultatem audiendi confessiones impertiri. *Bouix* (l. c. p. 237) hoc decretum cum Jure consonare negat.

[14]) Usus facultatis respectivae in antefata Bulla (not. 12) sic determinatur: «Semel autem simpliciter adprobatos (regulares) posse in dioecesi episcopi adprobantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorundem infirmorum parochum illico certiorem reddere; et hoc posse illis ab episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsum infirmum relinquendam.»

[15]) In variis decretis in genere, et speciatim Sess. XXV. de reg. c. 22.

[16]) *Reiffenstuel* in tit. 33. l. V. n. 135. seq.

religionibus integrum subsistit, nisi speciales restrictiones a Sede apostolica quoad nonnullos ordines expresse statutae sint.[17]) Hinc vigore articuli XXVIII. Concord. privilegium exemtionis etiam in Imperio Austriaco vigere tenendum est, eo non obstante, quod exemtiones per leges civiles erant sublatae. Sed exemtiones hisce restrictionibus limitantur: *a)* Exemtione per se nonnisi ordines formales cum votorum solemnitate, et moniales iisdem adnexae, clausuram cum votis solemnibus habentes, potiuntur.[18]) *b)* In conventibus post annum 1625 erectis saltem 12 regulares degere oportet, ut reapse privilegio exemtionis perfruantur.[19]) *c)* Exemtio ita conventibus adstricta est, ut regulares manentes extra clausuram potestati episcopi subsint.[20]) *d)* Eximuntur regulares tantummodo tanquam regulares, i. e. in iis solis, quae observantiam regularem concernunt. *e)* Exemtiones a Tridentino ad quamdam moderationem certosque limites reductae sunt, ita ut exemti regulares exinde quoad plura disciplinae capita Ordinariis locorum aut qua talibus, aut qua Sedis apostol. delegatis subjiciantur. Auctores enumerant quinquaginta circiter casus, in quibus exemti post Conc. Trid. episcoporum jurisdictioni subsunt; inter quos sequentes praecipui sunt: 1. Potest episcopus exigere, ut regulares intersint processionibus, nisi speciale quoad hoc habeant privilegium. 2. «Dies festi, quos in dioecesi sua servandos idem episcopus praeceperit, ab exemtis omnibus regularibus serventur.» 3. Episcopi «clausuram sanctiomonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent.»

---

[17]) Sic in Gallia tum Trappistae tum omnes moniales ex s. Sedis declaratione pro non exemtis haberi debent. *Bouix* l. c. p. 131. 132. Possunt tamen moniales Galliae cum votis simplicibus (quia ob peculiaria adjuncta vota solemnia emittere non permittuntur) ex indulto s. Sedis, seu potius vi extensionis declarativae spiritualium favorum lucrari indulgentias omnes, quae monialibus vota solemnia emittentibus concessae fuerunt. — D. 23. Martii 1869 s. C. ep. et regul. sororibus Carmeliticis in Gallia concessit communicationem omnium privilegiorum et gratiarum, quibus fruuntur moniales ejusdem ordinis, quae, alibi existentes, vota solemnia nuncupant. Acta IV. 602.

[18]) Instituta religiosa cum votis simplicibus exemtionen, quam sibi vindicant, demonstrare debent. Ad eandem tamen demonstrandam non sufficit alligare *genericam* communicationem cum privilegiis alicujus ordinis, sed demonstrari quoque debet, Papam intendisse extendere hanc communicationem etiam ad odiosum hoc exemtionis privilegium. Inter instituta religiosa votorum simplicium, quae ex speciali s. Sedis gratia gaudent omnimoda exemtione ab episcopali jurisdictione, visitatione et correctione, speciatim recensetur Congreg. P. P. excalceatorum s. s. Crucis et Passionis D. N. J. Ch., nec non Congreg. ss. Redemtoris a. s. Alphonso fundata. Acta I. 98. Arch. t. 17. p. 452.

[19]) s. C. C. 21. Jun. 1625. ap. *Ferraris* sub v. *Conventus.* artic. I. n. 27; *Ginzel* tom. II. p. 252. not. 1. Cfr. supra § 136 not. 13.

[20]) s. C. C. ap. *Ferraris* sub v. *Regulares.*

4. Monasteria monialium exemtarum, quae regularium praelatorum gubernio non sunt subdita, ab episcopis tanquam Sedis apost. delegatis regi debent, sed in rebus tantummodo spiritualibus, non vero in temporalibus. 5. Regularium ecclesiae parochiales et personae curam animarum in iis exercentes subesse debent «immediate in iis, quae ad dictam animarum curam pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi», ita ut parochi regulares ab episcopo puniri possint, si in officio suo deliquerint.[21]) 6. Pro libro ab aliquo regulari in lucem edendo tum superiorum ordinis tum episcopi licentia requiritur.[22])

§ 141. Regularium jura praecipua ad intra.

1. Regularium constitutio.

1. Non eadem est omnium ordinum relig. *constitutio,* neque una eorum forma. Diversitas in eo potissimum posita est, ut aliqui conventus religiosi per se et seorsum familiam completam constituant, alii autem simul sumti in unam congregationem seu, uti dicunt, provinciam coalescant. In priori casu superior conventus (sc. abbas, praepositus, et respective abbatissa) a praelatis aliorum conventuum haud dependet, et plerumque ad dies vitae eligitur. Abbates una cum prioribus et subprioribus juxta regulas ordinis familiam religiosam regunt, sed in rebus gravioribus nonnisi adscito conventu.[1]) In hisce conventibus est etiam stabilitas loci. Talis est constitutio Canonicorum regularium (e. gr. Praemonstratensium, Lateranensium etc.) et Benedictinorum. In altero casu superiores conventuales subsunt provincialibus, provinciales vero generalibus, qui toti ordini praesunt. Ubi talis constitutio viget, capitula tum provincialia tum generalia congregari solent.

Supremus ordinum gubernator est Pontifex R.

Sed illud omnibus ordinibus est commune, ut omnes Romanum Pontificem tanquam summum praelatum et gubernatorem venerentur, a quo siquidem suam obtinent jurisdictionem, cujus-

[21]) Conc. Trid. Sess. XXV. de regular. c. 5. 9. 11. 12. 13; Bened. XIV. Constit. «Firmandis». 6. Nov. 1744.

[22]) Reg. X. indicis (ap. *Richter* et *Schulte* p. 611). *Bouix* op. cit. P. II. p. 146. Caeterum de hac materia consuli possunt: *Fagnan.* in c. Grave. de offic. Ordinarii n. 37; *Reiffenst.* in tit. 31. l. I. n. 110; *Bouix* l. c. p. 132—155.

[1]) Ad conventum regulariter professi tantum pertinent; sed ut jus suffragii habeant, eos saltem subdiaconos esse oportet. In electionibus superiorum religiosorum, qui ad dies vitae eliguntur, per imperium Austriacum intervenire solet commissarius tum episcopalis tum imperialis (nisi fors a tali ablegando gubernium desistendum censeat). In Hungaria unus ex tribus a conventu designatis a gubernio eligitur ad dies vitae. Ceterum in nostris monasteriis omnino jus commune et statuta regularia vigent (art. Conc. 28), sublatis legibus saecularibus contrariis (art. 34. 25). Arch. II. 379; *Schulte* Lehrb. p. 473.

que suprema gubernatione diriguntur. Exercet vero Pontifex suam in regulares potestatem tum per Congregationem super negotiis episc. et regular., tum per Cardinales *protectores,* qui ab ipso pro singulis religionibus designari solent. Officium vero protectorum est, ordinem suae curae commissum in quieto et pacifico statu conservare et augere, eundem adversus impugnatores et molestantes tueri, et cum regulis prudentialibus magis quam jurisdictionalibus invigilare, ne a superioribus in subditos justo severius agatur. Nam jurisdictio proprie non competit protectoribus.[2])

2. Potestas rectoria est duplex.

2. Potestas, intra ordines religiosos consistens, est duplex: altera dominativa seu domestica, altera jurisdictionalis. Potestas *domestica* exsurgit ex voto obedientiae et traditione sui ipsius, quo profitens se suasque actiones tradit in finem ordinis specialem. Inde praelati jus acquirunt, subditorum conscientiam ligandi praeceptis, non tamen iis, quae sunt supra regulam, sed iis tantum, quae saltem indirecte sub regula comprehenduntur. Potestas vero *jurisdictionalis* ad claves ecclesiae pertinet, et proin a Christo Domino data, et mediante summo Pontifice ad superiores regulares derivata est. Exsistit vero talis potestas in exemtis duntaxat religionibus, et quidem in superioribus generalibus, provincialibus et conventualibus. Unde hi omnes, quia jurisdictione pro foro etiam externo gaudent, veri nominis praelati exsistunt. At superiores institutorum non exemtorum, vel congregationum, potestatem jurisdictionalem non habent, sed tantummodo dominativam, et proinde non sunt proprie praelati.

Restrictio jurisdictionis.

Verum *jurisdictio* superiorum tanta non est, ut *leges perpetuas* seu *statuta generalia* condere possint. Nam hoc neque provincialibus, neque generalibus licet, sed capitulis duntaxat generalibus, et his eatenus tantum, quatenus statuta ab ipsis condita regulae sint consona et sub ea reductive saltem comprehendantur. Ex quo colligitur, quid capitula quoad ordinis sui reformationem possint, aut non possint. *Reformatio* nimirum *in sensu proprio* est reditus seu reductio ordinis a regula mitigata legitima ad regulae primitivae rigorem. Regulae legitima mitigatio facta esse potest vel decreto Apostolico, vel decreto ipius religionis (si haec habeat potestatem regulam moderandi), vel per legitimam praescriptionem seu consuetudinem, qua certae austeritates et observantiae, non in votis, sed solummodo in lege positiva fundatae, abrogatae sunt. Etenim contra obligationes *ex vi votorum ortas* legitima consuetudo induci haud potest, ad easque observandas omnes religiosi compelli possunt et debent, atque ejusmodi abusuum resecatio non est reformatio in sensu proprio. Supposito jam,

Potestas ordines reformandi.

[2]) *Bouix* P. II. p. 165 seq.; *Schels* op. cit. p. 201 seq.

mitigationem regulae *legitime* esse perfectam, reformatio in proprio sensu tum a Rom. Pontifice, tum a capitulo generali institui potest, ejusque consequens est, ut omnes, qui post factam reformationem professionem emittunt, regulae reformatae se subjicere debeant. Utrum vero etiam antea professi ad hoc teneantur, est quaestio valde controversa, cujus decisio a variis circumstantiis pendet. Contendunt quidem auctores, ad observandam eam reformationem, quae facta est Pontificis auctoritate, etiam antea professos obligari posse. Attamen experientia docet, summum Pontificem ex prudentia talem obligationem raro ad illos extendere. Hinc etiam episcopis, qui in visitatores Apostolicos assumti sunt pro reformatione conventuum Austriacorum, hoc tantum injunctum est: «Cum junioribus incipiens fundamenta ponat . . . . reliquos vero aetate provectiores . . . . *invitet.*»

3. De regularium obligationibus.

3. De *obligationibus* regularium haec pauca summatim perstrinxisse sufficiet: *a.* Obligantur cumprimis ad tria vota observanda. Respectu voti *paupertatis* explicandum venit, eodem ordinarie non ordines ipsos, sed singulos duntaxat religiosos adstringi. Ordines enim, exceptis Fransiscanis et Capucinis aliisque nonnullis, possunt in communi bona temporalia possidere et libere per se ipsos administrare, nisi quod in alienatione bonorum immobilium, et mobilium majoris pretii, legibus ecclesiasticis et praesertim decreto Urbani VIII.[3]) (apud nos etiam legibus civilibus) adstricti sunt, exceptisque monialibus, quae in administratione bonorum suorum a praelatis suis dependent. Religiosos vero singulos quod attinet, semper attendi debet discrepantia votorum, utrum scil. solemnia, an vero simplicia nuncupaverint (§ 135. 2. *a.*). Decernit Conc. Trid., ut regularis, qui tanquam proprium quidquam *tenere deprehensus aut convictus fuerit, biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suae regulae et ordinis constitutiones puniatur. b.* Tenentur ad regulas et constitutiones sui ordinis

---

[3]) 7. Sept. 1624. apud *Bouix* P. II. p. 284.

[4]) Sess. XXV. c. 2. de reg. Ad quaestionem, an religiosis licitum sit habere peculium, i. e. pecunias, annuos census, pensiones vitalitias, ad suum particularem usum, *s. Alphonsus* (l. V. c. 1. n. 15) sic respondet: «Ratione consuetudinis, quae hodie fere in omnibus religionibus, saltem non reformatis, introducta est, puto . . . rigorem concilii (sc. Trid. Sess. XXV. de regular. c. 2) hodie temperatum esse, et licere singulis religiosis ex consensu superioris peculium habere, ut sibi provideant ad usus necessarios vel honestos, modo sint parati, bona a se abdicare ad superioris nutum, semper ac illis sufficienter subveniatur, nam alias non tenerentur peculium dimittere.» Sed etiam advertit s. auctor, ex usu peculii innumera mala monasteriis supervenire longeque melius esse, in iis vitam communem, quam peculiarem usum introducere. De his vid. *Bouix* P. II. p. 540. sep. In ordine reformato vero stricte insistendum est decreto Trid. (l. c.), prout pro reformatione ordinis

servandas, idque generatim quidem non ex voto, sed ex aliis rationibus. *c.* Tenentur ad deferendum habitum relig., quae obligatio, generatim loquendo, gravis est.[5]) *d.* Tenentur ad servandam legem clausurae, qua scilicet restringitur aut prohibetur tum egressus ex claustro, tum ingressus extraneorum in illud. Lex clausurae quoad *virorum* monasteria 1. praescribit, ut religiosi absque sui praelati licentia claustro non *egrediantur,* quae obligatio pariter per se et ex genere suo gravis est; 2. prohibet, ne foeminae clausuram *ingrediantur,* vel etiam sub praetextu privilegiorum introducantur, sub poena excommunicationis Pontifici (simpliciter) reservatae et ipso facto incurrendae.[6]) *Monialium* vero clausura longe rigidior est, quam virorum, eaque prohibet 1. omnem monialium *egressum* extra murum clausurae sub poena excommunicationis Pontifici simpliciter reservatae, exceptis casibus necessitatis e. gr. ex causa magni incendii, epidemiae etc., in quibus vero, si fieri potest, nihilominus episcopi licentia requiritur. 2. Prohibetur sub eadem poena omnium personarum, *cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, ingressus* aut *admissio* intra septa monialium, absque legitima licentia, episcopo ordinario excepto, qui pro facienda visitatione cum quibusdam restrictionibus clausuram ingredi potest, et excepto etiam praelato regulari visitante, vel aliis, qui necessitatis causa ingredi debent.[7]) Ad hos

---

Servitarum sancitum est in Const. Clem. VIII. «Nullus omnino» d. 20. Mart. 1601 edita (Acta s. Sedis V. p. 86). Nota tamen, regulares violenter dispersos admitti ad jura cleri saecularis participanda. In indulto Pontificio pro regularibus in Italia dispersis (d. 18. Apr. 1867) § 16. haec leguntur: «Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut capellanias, aut unum dumtaxat beneficium eccles., etiam residentiale, vel cum cura animarum, et ad nutum Ordinarii loci, ac annuentibus superioribus suis in administrationem assequi et retinere legitime possint: quod tamen dimittere teneantur, statim ac ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint.» Acta s. S. III. 155.

[5]) C. 2. ne clerici vel monachi. in VIto (III. 24).

[6]) «Apost. Sedis» n. VII.: (excommunicamus) «mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.» Constit. Pii V. «Regularium» d. 24. Oct. 1566.

[7]) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 5. de reg.; Const. s. Pii V. «Decori» d. 24. Jan. 1570; Const. «Apost. Sedis» num. VI. inter excommun. simpliciter reservatas. Distinguitur clausura *papalis,* super qua episcopi dispensare non possunt, nisi in casibus in pontificiis constitutionibus enumeratis, vel iisdem similibus; et clausura *episcopalis,* super qua episcopus libere dispensat. Acta I. 734. seq. — Ubi viget clausura *papalis,* episcopus *propria auctoritate* 1. non potest permittere, ut recipi possint mulieres, quae intrare volunt veluti *pensionariae;* 2. non potest transferre monialem etiam ad tempus in aliud monasterium ejusdem Ordinis; 3. neque tunc, quando haec fuerit electa in Superiorissam alterius monasterii S. C. Epp. et Reg. 19. Jul. 1884. Acta s. Sed. XVII. p. 255. — Supra in textu dicta solum de clausura papali valent, prout etiam s. C. episc. et reg. 1. Aug. 1839 declaravit. Nam clausura epis-

inprimis pertinent confessarii (cum quibusdam cautelis a lege praescriptis), medici, syndici et operarii ad necessarium servitium intra monasterium praestandum. Licentiam pro ingressu in casibus enumeratis edat episcopus quoad conventus sibi subjectos. Si conventus sunt regularibus immediate subjecti, per se sufficere videtur superioris regularis licentia, nisi adsit consuetudo contraria, qua istae licentiae ab episcopo tantum concedantur, cui consuetudini standum est.[8]) Insuper omnibus tam clericis quam laicis, maxime vero viris regularibus, interdicitur accessus ad moniales, eas invisendi aut alloquendi gratia, sine causa rationabili et licentia legitima, quoad exemtas tum ab episcopo tum a praelato regulari obtinenda. Attamen, inquit Ferraris, a dicta prohibitione excipiuntur saeculares in primo aut secundo gradu monialibus conjuncti.[9])

§ 142. In specie de religiosis congregationibus.

Congregationes in multis jure *speciali* reguntur, quod hac § breviter exponendum est.[1])

1. Historia

1. *Ortus et progressus* congregationum, quatenus agitur de mulieribus, est hic. Juxta § 136. 1. exposita s. Pius V. in Const. «Circa pastoralis» (1566) omnes moniales absque clausura viventes de medio sublatas et extinctas esse voluit et hoc potissimum ad numerosas Tertiariarum congregationes tunc existentes spectabat. Attamen non obstante bulla s. Pii V. Tertiariarum institutum non fuit exstinctum, sed potius existere et propagari perrexit. Ex quo

---

copalis, vel illa, quae per constitutiones aut per votum speciale introducta est, legibus particularibus regitur. Id quod etiam obtinet de clausura virorum, qui vota simplicia emittunt. Alia tamen res est, quid decorum, quid convenientia sub hoc respectu postulet. Cfr. *Avanzini*, «De Const. Ap. Sedis» adnot. 18. 19.

[8]) *Ferraris* s. v. Monialis art. 3. n. 84. 85. — Ceterum consuetudo contraria et legitime introducta, juxta communem sententiam, potest moderari rigorem legum clausuram imponentium. *Reiffenstuel* l. 3. tit. 35 § 2. n. 66; *Bouix* t. II. p. 606.

[9]) Cfr. *Ferraris* l. c. art. 4. n. 10. 11; *Maupied* v. p. 310 seq. — Specialia ratione clausurae sancita sunt quoad puellas, quae a monialibus proprie talibus educari solent. Inter alia conventus pro recipiendis istis puellis habere debet licentiam s. C. epp. et regul. *Ferraris* l. c. art. I. n. 2—30; *Maupied* l. c. p. 173. Monialium instituta ad educandas puellas erecta et a sede apost. adprobata vi hujus adprobationis ejusmodi puellas recipere possunt absque ulla licentia, ut per se patet.

[1]) Fontes hujus juris sunt potissimum: Statuta et constitutiones a Pontificibus adprobatae, decreta Pontificum et Constitutiones, quae haec instituta religiosa concernunt, praesertim Const. Bened. XIV. «Quamvis justo» d. 30. Apr. 1749; decreta s. C. epp. et regul. has congg. spectantia. Cfr. *Schels*, die neuern relig. Frauengenossenschaften. Schaffhausen 1857; *Schuppe*, das Wesen und die Rechtsverhältnisse der relig. Frauengenossenschaften. Mainz 1868; *Vering*, Archiv. tom. 12. p. 205 seq.; tom. 15. p. 412 seq.

factum est, ut s. Sedes Tertiarias non quidem *adprobaret*, sed tandem *toleraret* et episcoporum omnimodo jurisdictioni subjectas esse declararet.[2]) Successu temporis praeter Tertiariarum atque plures *virorum* congregationes quam plurima alia ejusmodi instituta pullularunt in variis regionibus, quae finem sibi proposuerunt educare juventutem, servire aegrotis, aliisque diversi generis indigentibus. Ejusmodi praesertim mulierum instituta, quae vitam a potiori *activam* sequuntur, propter speciales aetatis nostrae indigentias, maximam societati christianae utilitatem afferunt, ac propterea pluris a plerisque aestimantur et facilius propagantur, quam ordines proprie tales.

2. *Erectio.* Lex novas religiones absque licentia pontificia prohibens quoad has congregationes vigore suo excidit, ideoque eaedem cum sola ordinariorum approbatione et auctoritate inchoari et propagari possunt. Item licite ex sola ordinarii licentia earum congregationum singuli conventus constituuntur.[3]) Similiter dispositio juris de audiendis regularibus in loco degentibus, cum agitur de novo conventu, non respicit congregationes presbyterorum saecularium erectas cum adprobatione ordinarii. Sed pro erigendis novitiatibus et provinciis recurrendum est ad s. C. epp. et regularium. Insuper postquam ejusmodi congregationes jam fundatae atque utiles pro ecclesia ab Ordinariis declaratae sunt, frequenter contingit, ut suo modo vel ipsae, vel earum constitutiones, vel utraeque ab Apostolica Sede laudentur et quodammodo etiam adprobentur (§ 136. 1). Hoc ad commendationem respectivi ordinarii successive fieri solet, nempe sic, ut primum tantummodo finis et scopus fundatoris vel ipsius instituti laudetur, deinde post congruum tempus, si institutum satis diffusum fuerit et uberes fructus tulerit, illud ipsum per decretum s. Sedis *laudetur* et *commendetur*, interdum etiam (vel jam tunc vel postea) *adprobetur* et *commendetur*. Etiam constitutiones talis congregationis primo per modum experimenti, e. g. ad quinquennium, deinceps vero absolute adprobari et confirmari solent.[4])

2. Erectio, et adprobatio.

3. Singulae domus uniuscujusque congregationis communiter ita ad invicem sunt connexae, ut unum corpus efficiant, quod saepe plures provincias sub se comprehendit. Ubi agitur de mulierum congregationibus, cuivis provinciae seu districtui praeest moderatrix generalis, quae non ab episcopo deputari, sed a

3. Constitutio. Coadunatio conventuum.

---

[2]) *Bouix* tom. 1. p. 326; *Maupied* tom. 2. p. 109.

[3]) *Maupied* l. c, p. 90. *Ferraris* s. v. Conventus art. 1.

[4]) Vide de hac approb. Decretum s. C. epp. et regul. in Archiv. tom. 15. p. 412. Notatu dignus est «elenchus praecipuorum institutorum, quae postremis temporibus a s. C. epp. et regul. laudata vel approbata fuerunt (l. c. p. 441). Non sunt minoris numeri, quam 112.

Moderatrix generalis.

capitulo generali eligi debet, et cui assistit consilium generale cum pluribus assistentibus seu consultricibus, quarum consensum in rebus gravioris momenti exquirere debet. Singulis domibus praesunt superiorissae locales. *Potestas* moderatricis generalis a Benedicto XIV. (in cit. Const. «Quamvis justo»)[5]) coarctata est «ad visitationem conventuum, ad superintendentiam in materia educationis puellarum, ad translationem virginum de uno loco in alium,» et generatim ad terminos oeconomicae cujusdam providentiae, «accedente debita subordinatione in praedictis ab ordinariis locorum,» ita quidem, ut eadem «nullam, quantumvis parvam facultatem exercere debeat, independenter ab ordinaria auctoritate eorum praesulum, in quorum dioecesibus existunt instituti sui conservatoria.»[6]) Attamen successu temporis varias ob causas amplior evasit potestas moderatricis generalis, ut mox dicetur.

4. Jura interna. a) Vota.

4. *Jura interna.* *a) Vota* tantummodo *simplicia* emittuntur sive perpetua, sive temporaria, imo in quibusdam congregationibus nulla omnino vota nuncupantur. Instituta, quae vota perpetua habent, pertinere censentur ad statum religiosum (sed non sunt regulares vel moniales in proprio sensu). Instituta, quae deficiunt in iis, quae ad substantiam status religiosi pertinent, proprie non religiosa, sed *pia* vel etiam congregationes saeculares nuncupantur. Vota perpetua nonnisi a R. Pontifice solvi possunt. Quoad votum paupertatis sorores retinent dominium *radicale*, solaque administratio et usufructus ad institutum spectat, nisi soror ante professionem de usufructu disposuerit. Unde etiam bona e. gr. ex haereditate acquirere possunt, nec legibus civilibus in hac re

b) Clausura.

coarctari solent.[7]) — *b)* Congregationes in domibus suis *clausuram* non habent in proprio sensu, sed nonnisi episcopalem, nec, ut

c) Receptio.

per se patet, *stabilitatem loci.* — *c) Admissio postulantium* ad habitum religiosum recipiendum spectat ad superiorissam generalem consentiente ordinario. Virgines ingredientes regulariter dotem determinatam afferre debent, sed quandoque etiam sine dote re-

d) Novitiatus.

cipi possunt. — *d) Novitiatum* congregationum superiores possunt anno breviorem facere, quin ideo irrita sint vota simplicia. Id tamen, absque justa causa licitum non est. Quin s. C. epp. et reg. fieri novitiatum per integrum annum vel etiam per biennium

---

[5]) Data est haec Const. pro Virginibus anglicanis, exorta controversia de potestate moderatricis generalis in relatione ad episcopum dioecesanum, eademque relatio etiam praescripta fuit in adprobatione data aliquibus institutis. Archiv. l. c. p. 415. not.

[6]) Cit. Const. §§ 16. 17. 20.

[7]) Id locum habet in regno Borussiae (quoad pauca ejusmodi instituta, quae adhucdum ibi existunt). itemque in imperio Austriaco, in quo membra congregationum possunt haereditates capere.

adeo exoptat, ut minime probet, si novitii infra hoc tempus de uno in alium locum mittantur. — *e)* Congregationes, quae habent simplicia dumtaxat vota, sed cum vero statu religioso, *ejicere* seu *dimittere* nequeunt religiosum absque justa causa et absque forma canonica, nisi constitutionibus aliter determinatum sit. Neque possunt dimittere absque causa, etiamsi religiosus consentiat. Communiter in constitutionibus caveri solet, ut religiosus ejectus dimissusve, ipso facto solutus censeatur a votis. At in congregationibus, quae status religiosi essentiam non habent, si membrum consentiat, etiam sine causa valide dimitti potest. Sed in iisdem congregationibus *ejectio* sine causa fieri non potest, si perseverantia in congregatione voto vel juramento promissa et a congregatione acceptata fuerit, quia sic acceptando congregatio censetur sese obligare ad non ejiciendum membrum invitum sine causa. e) Dimissio.

5. Ad *relationes externas* 1. imprimis pertinet relatio superiorissae generalis ad *episcopum dioecesanum,* quae haud modicis implicita est difficultatibus. Ex una parte hujusmodi congregationes et singulae earum domus plenae ordinariorum jurisdictioni subjectae declarantur, ex altera parte etiam moderatrices generales certa mensura potestatis instructas esse oportet. Unde venit, ut haec potestas cum ordinariorum potestate haud raro collidi possit. Et haec difficultas crescit, si congregatio aliqua per plures dioeceses est diffusa, et proin moderatrici generali cum pluribus ordinariis est agendum. In hoc casu vel unitas disciplinae religiosae, vel ordinariorum potestas periculo exponitur. Nam nullus episcopus suam jurisdictionem exercere potest in conventus dictarum monialium extra suam dioecesim existentes. Si tamen unusquisque episcopus jurisdictionem suam exercet quoad conventus intra suae dioecesis finis exstantes, jam impossibile evadet regimen superiorissae generalis, imo et capituli generalis istius congregationis. Itaque hodie, crescente multitudine et diffusione talium congregationum, dispositiones supra citatae Benedicti XIV. (Const. «Quamvis justo») vix sufficere videntur, ac propterea s. Sedis dictis congregationibus jam ab aliquanto tempore diversimode providere coepit. Etenim iterato factum est, ut tales mulierum congregationes quoad causas *totius* congregationis non ordinariis, sed vel s. C. de Propaganda vel Cardinali protectori subjectae fuerint.[8]) Insuper advertendum est, in constitutionibus aliquarum congregationum *a s. Sede adprobatis* vivendi rationem monialium et disciplinam exacte determinatam et definitam esse. Et ex hac adprobatione invicte sequitur, instituta ad normam harum constitutionum existere et

5. Relationes externae.
a) ad episcopum

vi Const. „Quamvis justo."

Mutationes.

[8]) E. gr. moniales *ab immacul. Conceptione,* vel sorores *a bono pastore.* Cfr. *Maupied* l. c. p. 261.

Singula episcopi jura.

regi debere, nec episcopos quidquam posse, quod ipsis sit contrarium. Sunt vero generatim haec *episcopi dioecesani jura* quoad istas congregationes: *a)* Habet *jus inspectionis* quoad fidem, vitam religiosam communem, quoad ascesim et scandalorum aut abusuum resecationem.[9]) Sed tamen directio *domestica* non penes episcopum stat, sed penes superiorissas domorum.[10]) *b)* Competit episcopo *jus visitationis* infra terminos suae competentiae. *c)* Ipse intervenit juxta jam antea dicta, dum agitur sive de erigendo novo conventu, sive de admissione ad novitiatum vel ad professionem. In utroque casu explorat virginum voluntatem. *d)* Assignat hujusmodi institutis, etiamsi non sint adprobata neque participent de statu religioso, confessarios ad hoc specialiter adprobatos ad triennium.[11]) *e)* Potest episcopus superiorem generalem deputare, cui suam potestatem, saltem partialem, super domos infra dioecesim exstantes committere possit, sed non potest ipse esse superior generalis congregationis, quae in alias dioeceses diffunditur, ne aliorum antistitum jurisdictio infringatur. *f)* Administratio bonorum totius congregationis ad hanc ipsam pertinet, non ad episcopum. Attamen *delictum* in administratione commissum cadit sub jurisdictionem ordinarii. Unde tunc idem potest de administratione cognoscere et excessus coërcere. *g)* Moderatrix generalis, *qua talis,* seu qua superiorissa totius instituti non est subjecta ordinario dioecesis, in qua degit, nisi quatenus munere suo fungitur in ista dioecesi, eodem plane modo, quo in obeundo munere suo dependet ab aliis episcopis, in quorum dioecesi congregatio ista conventus habet. *h)* Quoad *congregationes virorum,* quae auctoritate ordinariorum sunt erectae, iidem hanc ipsam potestatem habent, quae per constitutiones ipsis addicitur. Si vero constitutiones a sede apostolica adprobatae fuerint, adplicari debent, quae pro Oratorianis resoluta fuerunt in Constit. Benedicti XIV. «Emanavit» d. 21. Jan. 1758. Vi hujus Constitutionis dictae congregationes non sunt episcopo subjectae quoad has constitutiones, ita ut episcopus nequeat quidquam decernere his Constitutionibus contrarium. Praeterea ab episcopo non dependent quoad bonorum administrationem, quoad constitutionum suorum observantiam, quoad membrorum admissionem et expulsionem ac

Episcopus dioecesis, in qua residet moderatrix generalis.

Virorum congregationes.

[9]) *Pitonii* Discept. 75. II. Per consequens subesse debent ordinariis in iis, quae concernunt spiritualitatem, pietatem vel possibilitatem scandalorum. *De Luca,* de regul. disc. 50. n. 13.

[10]) A s. C. epp. et reg. prohibuit iteratis vicibus, ne superiorissae a subditis exigant manifestationem conscientiae nisi *relate ad publicam transgressionem regulae et ad progressum in virtutibus,* «de aliis enim ab eis agendum est cum proprio confessario.» Cfr. «Animadversiones» in Constit. variorum institutorum a s. C. epp. et reg. editas Archiv. l. c. p. 414.

[11]) Cfr. *Schels* p. 240. seq.

superiorum electiones. Sed quando oritur contentio de legitima superiorum electione, episcopo competit causam dirimere, si electio facta fuerit in et pro dioecesi a residentibus in ea, et si requisitus fuerit ab aliquo congregationis membro. Harum congregationum presbyteri parochialibus ecclesiis praefici possunt absque dispensatione pontificia, nec non servatis servandis potest ipsis seminariorum regimen committi. Pro confratrum audiendis confessionibus tunc non indigent licentia et adprobatione ordinarii, sed sufficit sola superiorum facultas, cum hoc ultimum exclusive sufficere, in ipsorum instituto, a sede apostolica confirmato, expresse cautum est. Denique dictae congregationes nequeunt in aliqua dioecesi novum conventum sine episcopi dioecesani licentia sibi constituere, sed nequit etiam episcopus ejusmodi conventum legitime constitutum supprimere.[12])

b) Ad protectores Cardinales.

2. Datur protector Cardinalis in Urbe (non vero extra eam) congregationibus, si petant. Et hic habet supremam potestatem domesticam et jurisdictionalem, nomine Pontificis relate ad totum corpus congregationis exercendam. Nam haudquaquam ea, quae singula instituta concernunt, eidem incumbunt, sed quae ad *universam* congregationem pertinent (juxta Constit. Innocentii XII. «Christfidelium»). Itaque ille congregationem in genere defendit ac tuetur, congregationibus generalibus praesidet, et si quae sint controversa episcopum inter et congregationem, eadem dirimit.[13])

c) Ad parochos locorum.

3. Conservatoria, cum non sint exemta, non minus ac alia instituta e. gr. hospitalia, confraternitates *parocho* loci sunt subjecta tamquam parocho proprio. Parochus jus habet in oratorio seu ecclesia talis instituti peragere rem divinam sive per se sive per alium e. gr. per capellanum instituti, et generatim ea ordinare, quae ad cultum divinum pertinent. Ad ipsum porro spectat administratio Sacramentorum, viatici et olei infirmorum, nisi ad talia (prout communiter contingit) delegare velit domus capellanum. Denique jus habet sepulturae quoad eos, qui in conservatorio e vivis decedunt.

SECTIO VI.

De minoribus in ecclesia societatibus et institutis.

§ 143. Generalia. Piae causae et pia corpora.

Ecclesia catholica, tanquam societas amplissima late per orbem diffusa, non ex solis physicis seu singularibus personis

---

[12]) *Bouix,* de jure regul. II. p. 377—385; *Maupied* II. p. 257.

[13]) Cfr. *Schels* l. c. p. 201. seq. — Quaenam sit natura et indoles harum congregationum ex mente ecclesiae, optime cognosci potest ex saepe laudatis «animadversionibus» in Archiv. l. c.

coalescit, sed etiam personas morales in sinu suo continet, quae finem aliquem specialem prae se ferunt et subsistentiam per se stantem quodammodo habent, ita tamen, ut fini ecclesiastico supremo et auctoritati ecclesiasticae quoad omnia sint obnoxiae (§ 27. 3). Ad has personas pertinent: piae causae, pia corpora aliaeque sodalitates, denique scholae. Praemittenda quaedam videntur generalia de piis tum causis tum corporibus.

piae causae.

1. Ad notionem *piae causae,* seu *fundationis eccles.* simpliciter talis haec quatuor pertinent: *α) bona β)* ad *certum finem ecclesiasticum perpetuo assignata; γ) subjectum juris* i. e. *persona fictitia* seu *idealis, in* qua tum dominium tum finis piae causae haerere censetur; *δ) persona* (una vel plures, quae onera fundationis sustinet et ejusdem commoda percipit. Ad pias causas pertinent 1. simplices fundationes e. gr. pro missis celebrandis, pro missionibus, capellaniae, beneficia fundata etc. In his omnibus proprietas bonorum pertinet ad ipsam fundationem seu piam causam in abstracto spectatam, quae proinde est subjectum juris seu persona juridica, quae omnino distingui debet a personis, in quas emolumenta fundationis redundant, quae sunt et dicuntur membra fundationis passiva. 2. Pia et religiosa instituta, sive ad cultum divinum, sive ad indigentium et miserabilium solatium, sive denique ad juventutis bonum destinata.[1]) — Piae causae (nisi probetur contrarium in casibus concretis) legataque pro iis relicta episcopis quoad directionem, defensionem, administrationem et dispositionem subjiciuntur.[2]) Verumtamen aetate recenti gubernia civilia

[1]) Distingui solent: *Loca sacra* (domus sacrae), quae consecratione episcopi immediate Deo consecrantur, veluti templa, sacella et alia loca iis adhaerentia *(Schmalzgr.* lib. 3. tit. 36. n. 1—3); *loca pia* (domus piae), quae nulla interveniente benedictione vel consecratione (e. gr. capellae domesticae) sunt insignita, quibus vero finis aliquis christianae charitatis est praestitutus. Loca pia iterum distinguuntur in loca *religiosa* seu *ecclesiastica* et loca simpliciter *pia* aut pia *laicalia* privata, prout aut auctoritate ecclesiae eriguntur, e. gr. xenodochia, nosocomia, conservatoria *(domus religiosae* lib. 3. X. tit. 36. de domibus religiosis; Clem. III. 11), aut non interveniente ecclesiae auctoritate a laicis fundantur. Horum bona non censentur ecclesiastica, et generatim independenter ab ecclesia administrantur. Acta II. 373. not. 1.

[2]) Instr. Pacis Osnabr. art. V. fundationem eccles. esse declarat, «si relinquitur eleemosyna pauperibus ad orphanam maritandam vel fundationes in scholas, hospitalia, stipendia studiorum causa relicta.» Ipse protestans *Boehmer* dicit (lib. 3. tit. 26. § 12): «Dispositiones ad pias causas . . . in usus pauperum . . . legata hospitalibus, scholis, studiis destinata . . . (scholae multum ad religionis promotionem facere possunt) . . . intuitu religionis christianae ejusque promotionis factae sunt. Relinquuntur pro animae redemtione. Haec causa primaria, ob quam donationes ecclesiis, aliisque piis corporibus relicta sunt.» Simili modo etiam Van-Espen loquitur, auctor in hac re minime suspectus. P. II. tit. 37. c. 2. 4. Denique etiam leges publicae et civiles usque ad nostram aetatem omnes praedictas causas pias dominio *ecclesiae* vindicarunt.

statuerunt, ut ejusmodi instituta, ecclesiae auctoritate penitus exclusa, soli laicorum dispositioni et directioni quoad omnia subessent. Sicque instituta ecclesiastica contra jus fasque in laicalia sunt transmutata, iis solis interdum exceptis, quae fini strictissime ecclesiastico inserviunt.[3])

Pia corpora.

2. Notio pii corporis, seu *corporationis ecclesiasticae* ex eo oritur, quod interdum pia causa cum societate ecclesiastica ita conjungitur, ut ipsa societas, tanquam persona moralis considerata, evadat illud juris subjectum, in quo jura fundationis haerent. Sed subjectum juris in piis corporibus non constuunt ejus membra numerice considerata; sed hoc subjectum pariter est *persona ficta,* scil. ex coadunatione membrorum abstracta. Ex quo clare elucet differentia inter pias causas et pia corpora. Piae causae personis minorennibus et ad sui defensionem inhabilibus pares habentur; unde curator seu tutor iisdem constitui debet, qui eas defendat et administret. Atvero piae corporationes ad sui defensionem omnino habiles reputari debent, eoquod defensores et officiales e suo gremio seligere possint, ac propterea alieno curatore regulariter haud indigeant. Idcirco pia corpora etiam majori independentia gaudent, quam piae causae. Nam pia corpora via suffragiorum statuta pro suo collegio condere, suos officiales et syndicos eligere, sua bona (servatis legibus eccles.) administrare suique coetus conservationi et incremento omni meliori modo prospicere ex juris dispositione valent. Hunc in finem certa determinataque jura iisdem competunt, tum *originaria*, quae in primitiva constitutione suum fundamentum habent, tum *adventitia*, quae serius per modum privilegii vel in vim specialis concessionis supervenerunt. Ad jura originaria, praeter modo dicta, pertinent: jus *exclusionis,* quo membra putrida e suo coetu segregant; jus *liberae allectionis,* quo novos semper socios sibi adsciscunt; jus *liberae coitionis,* quo ad deliberandum et decernendum de rebus ad se pertinentibus libere congrediuntur; jus *assistentiae,* quo sociis suis in usu jurium collegialium laesionem patientibus subveniunt.[4]) Ejusmodi corpora potissimum sunt ca-

---

[3]) Sic e. gr. in imp. Austr. fundationes pro scholis, pro hospitalibus, pro indigentibus etc. ex multo jam tempore (ut ita dicam) sunt saecularisatae. Quae desuper constituta sint in Ducatu Badensi, cfr. *Arch.* t. 18. p. 34. seq.

[4]) *Schöpf,* K.-R. IV. p. 613. 614; *Huller,* Die Domcapitel p. 1. — Differunt corporationes a simplicibus societatibus, quia hae tum simpliciorem organismum referunt, tum unice in suis sociis exsistunt, iisque desinentibus pariter desinunt. Econtra corporatio perstat exsistere etiam sociis deficientibus. Sed in hoc casu activitas ejus suspenditur usquedum novi socii advenerint. Dig. l. 7. § 2. (III. 4). Cfr. de associationibus *Attenhofer* in *Vering,* Archiv. tom. 24. p. 172. seq.; tom. 26. 6. seq., ubi solide probatur, ordines religiosos ex principiis juris tum privati tum quod dicitur civitatis

pitula et religiosi ordines, imo et singuli regularium et monialium conventus.

Ut vero piae causae, instituta et corporationes qua *personae juridicae* habeantur, i. e. ut tanquam personae fictae in foro civili bona temporalia acquirere et possidere valeant, authorisatio legis civilis pro iisdem omnino est necessaria. Haec siquidem authorisatio efficit, ut pia causa vel collegium, ceu persona juridica et quasi immortalis, perenniter bona acquirere, retinere et per procuratorem de iis disponere possit. Quod secus est, si piae causae seu collegia legis civilis authorisatione careant (Cfr. § 40). Ceterum isthaec authorisatio dupliciter haberi potest: vel per *legem generalem* vel per *constitutionem personalem;* dum nempe vel generatim omnes vel certae speciei fundationes aut societates in jure agnoscuntur, vel singulae erectiones a consensu magistratuum pendent.[5])

4. Quia de capitulis et de conventibus religiosis jam disseruimus, heic illud tantummodo superest, ut ea summarie perstringamus, quae *a)* de piis locis, *b)* de piis confoederationibus et confraternitatibus, denique *c)* de locis instructionis scitu maxime necessaria esse videntur.

§ 144. De hospitalibus et aliis piis locis.

1. De cura pauperum generatim.

1. *De cura pauperum in genere.* Ecclesia nunquam non pauperes summo studio commendatos sibi habuit. Hoc diaconorum institutio in ipso ecclesiae primordio facta, hoc distributae ex ecclesiarum peculio eleemosynae, hoc effusa episcoporum et sacerdotum in egenos largitas, hoc instituta pro juvandis omnis generis indigentibus copiose erecta, hoc denique fundi pro egenorum solatio jam pridem constituti (mensae pauperum, mensae s. Spiritus) luce meridiana clarius probant, adeo ut de hoc ecclesiae merito jam nemo dubitare possit. Sed temporis successu cura pauperum a diaconis ad alios devoluta est, nimirum in capitulis, quae vitam communem colebant, ad ipsam congregationem, ruri vero ad parochos et ad peculiares administratores laicos, qui magistri pauperum seu mensarum Spiritus s. dici consueverant,

(Staatsrecht) introduci posse absque guberniorum concessione, nimirum tanquam associationes non acquisitivas i. e. tales, quae ad finem suum assequendum quidem bona temporalia habent, sed quorum finis non est ipsa horum bonorum acquisitio (nichtwirthschaftliche Genossenschaften).

[5]) Nota tamen, contrarium esse juri Romano (tantoque magis juri medii aevi), itemque jurisperitorum doctrinae, summorum denique tribunalium germanicorum decisionibus, si pro singulis piis causis erigendis requiratur specialis concessio potestatis saecularis in territoriis Germaniae, aliisque, in quibus religio catholica recepta est. *Vering*, l. c.

et pro diversitate regionum et morum vel ab ipso parocho vel a laicis eligebantur, et electi, se munere suo rite functuros esse, juramento interposito polliceri debuerunt.[1]) Hodie tamen in omnibus fere regionibus pauperum cura et fundorum eis inservientium ad magistratus politicos revocata est, quibus isti magistri pauperum omnimode subjiciuntur. Id imperiose magis quam utiliter innovatum esse, vix quispiam cordatus negaverit.[2])

2. Instituta pro indigentibus.

2. *Instituta indigentium curae destinata. a)* Loca recipiendis et alendis pauperibus aliisque personis miserabilibus destinata interdum generali nomine hospitalia[3]) dicuntur, quae proin plures species pro multiplici humanae naturae miseria in se comprehendunt, propriis nominibus insignitas. Quae enim susceptioni peregrinorum specialiter destinata sunt, dicuntur interdum *xenodochia,* interdum etiam *hospitia;* aliqua vocantur *orphanotrophia,* ubi aluntur orphani; alia *ptochotrophia,* ubi recipiuntur pauperes debiles; alia *brephotrophia,* quae nutriendis infantibus, alia *nosocomia,* quae aegrotis curandis inserviunt.

b) Nonnulla ex his institutis erant in titulum erecta et proin clericis saecularibus conferri solita, ea lege, ut reditus suae sustentationi haud necessarios in usum pauperum impenderent. Alia hospitalia spectabant ad canonicorum collegia et quasi ejusdem collegii partem constituebant. Alia denique monasteriis adjuncta erant, et quidem vel penitus iisdem incorporata, vel simpliciter eorum curae commissa.[4]) Cum deinde in pluribus hospitalibus frequenter etiam sub tegumento exemtionis, reditus fini, cui inservire debuissent, subtraherentur, concilium Viennense (1311) hisce abusibus occurrendum justis remediis censuit, prohibendo videlicet, ne hospitalia dentur in beneficium, et stricte praecipiendo, ut eorundem bona juxta mentem fundatorum administrentur.[5])

c) Ex decretis Concilii Trid. omnia haec loca episcopo proprio subjiciuntur. Exceptiones solummodo locum habent quoad

---

[1]) *Van-Espen,* Jus eccles. univ. P. I. lit. V. c. 1; *Moy,* Archiv. tom. 12 p. 195. 367. seq.; tom. 13. p. 238.

[2]) In ditione Austriaca imp. Josephus II. jam initio sui regiminis peculiaria pauperum instituta ordinavit, totamque pauperum et indigentium curam legibus civilibus dirigere sibi sumpsit. Et quamvis etiam parochi in partem hujus sollicitudinis fuerint vocati, tamen mere ut officiales politici habebantur. *Baldauf,* Pfarramt tom. 3. p. 14. seq.

[3]) Stricte tamen et ex vi nominis hospitalia sunt domus pro excipiendis hospitibus ac peregrinis. *Devoti,* Instit. tom. 1. p. 370.

[4]) Saeculo 12. institutus est ordo equestris, cujus sodales erant hospitalarii s. Joannis Hierosol., pro suscipiendis infirmis et egenis. Eodem saeculo originem sumsit ordo s. Antonii Viennensis. Saeculo 16. initium habuit ordo *charitatis* a s. Joanne de Deo institutus. Taceo alios ordines omnibus notos, in hunc finem erectos.

[5]) c. 2. § 1. de relig. dom. Clem. (III. 11).

loca exemta, item mere laicalia, nec non quoad hospitalia regum protectioni subjecta, aut ordinibus religiosis vel militaribus tradita. Verum et horum locorum, tametsi a laicis regantur, administratores quotannis episcopo rationem reddere debent, nisi aliter in eorum fundatione constitutum sit.[6]) Attamen inde a saec. 16. in Germania, Gallia, Belgio etc. hospitalium administratio quoad temporalia episcoporum inspectioni subtracta et magistratibus saecularibus subjecta est, eorumque rectores et administri etiamnum ex laicis assumuntur. Illud tamen nostra aetate denuo inductum est, ut complurium hospitalium cura congregationibus religiosis commissa reperiatur, quibus vel solum pauperum et infirmorum servitium, vel tota pii instituti directio et administratio incumbit. In reliquis charitatis domibus sola cura spiritualis atque disciplina religiosa penes ecclesiasticos remansit.[7])

§ 145. De confraternitatibus.

1. Notio confraternitatis.

1. Ad pia collegia pertinent etiam sodalitia seu confraternitates, i. e. coetus piorum fidelium, qui cum permissu et auctoritate sui Ordinarii sub quodam titulo ad pietatis aut charitatis officia exercenda coadunati et cuidam ecclesiae vel altari adnexi sunt. Igitur notae confraternitatum sunt: *a)* confraternitas est societas quaedam seu familia singularis, in parochia subsistens, vel etiam per plures parochias diffusa, quae *b)* interventu auctoritatis eccles. consituta ab eaque adprobata, *c)* ad finem aliquem specialem dirigitur, nimirum ad certa vel opera pietatis erga Deum vel obsequia charitatis proximo exhibenda. Advertendum vero est, etiam illas confraternitates, quae charitatis causa coierunt, statis diebus ad quaedam pietatis opera convenire semper consuevisse. *d)* Confraternitates sua pietatis exercitia sub titulo et protectione mysterii alicujus religiosi vel alicujus Sancti exequuntur.[1]) *e)* Denique indicium specificum confraternitatum

[6]) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 8. 9. cfr. VII. c. 15. et XXV. c. 8. de ref. Juxta probatissimos auctores et plures s. C. decisiones (cfr. Acta II. 369. «Circa officium eccles.» etc.). Ordinarius potest se immiscere visitationi, administrationi vel correctioni in casu negligentiae administratorum, quamvis dispositio testatoris ordinarium excluserit. Ratio est, quia episcopus a jure constitutus est omnium piarum voluntatum executor. Insuper huic jus competit revidendi quaecumque opera pietatis ex titulo curae pastoralis, «ne (sunt verba s. C. C.) sub specie charitatis et pietatis conventicula aliaque mala exerceantur.»

[7]) Hospitalia et nosocomia, praesertim majora, certos plerumque presbyteros habent pro cura animarum constitutos. Quin et propria coemeteria iisdem olim erant adjuncta. c. 2. X. (III. 48); c. 2. § 3. Clem. (III. 11). Statutum etiam fuit, ut quivis nuper ingressus sacramentum poenitentiae susciperet.

[1]) Instructio pastor. Eystettens. p. 142 distinguit confraternitates in honorem *mysteriorum Christi* (e. gr. confraternitas Corporis Christi, quae jam

est illud, ut in certa ecclesia quasi suum domicilium habeant, in qua socii statis diebus, qui confraternitati sunt solemnes, ad pietatis opera peragenda conveniunt. Imo nonnunquam proprias etiam capellas vel altaria habent, quibus certae gratiae et indulgentiae membris obvenientes adnexae sunt. Et haec praesertim est illa nota, qua confraternitates ab illis sodalitiis seu associationibus ecclesiasticis (Vereine) internoscuntur, quae ad subveniendum diversis necessitatibus proximi hac nostra aetate sunt inductae. Nam hae, licet aliquas gratias et preces sibi adjunctas habeant, tamen nulli ecclesiae vel altari sunt alligatae, et propterea veri nominis confraternitates non sunt, utut caeteroquin earundem formam imitentur. Optandum esset, ut haec pia sodalitia ad genuinam ac veram normam confraternitatum revocentur.[2])

2. Forma et indoles.

2. *Indoles et forma* nostrarum confraternitatum haud parum distat a forma antiquarum sodalitatum. Hae nimirum charitatis exercitium ceu finem principalem sibi praefigere solebant, cum maximo publicae salutis commodo; item in suis ecclesiis vel capellis propria sui coetus insignia habebant, peculiari habitu in processionibus incedebant, peculio ex legatis et fundationibus percepto instructae erant, suos directores et officiales sibi eligebant, imo nonnullis etiam proprii capellani et confessarii erant, qui sodalibus curam spiritualem impenderent. Verum confraternitatum, quae nunc in Germania, in Gallia et alibi existunt, dispositio et forma simplicissima esse solet. Ipsae siquidem fere unice eriguntur ad preces et quaedam pietatis officia Deo exhibenda, quin ad extra aliquid operentur; porro insignia propria vix unquam habent, bonis ex fundatione percipiendis carent, et a parocho tanquam suo moderatore plerumque reguntur. Nihilotamen secius etiam sic utiles sunt, si spiritu pietatis eas penetrari contingat.

3. Erectio.

3. Quoad *normas erigendi* confraternitates sub poena nullitatis ea servari opertet, quae a Clem. VIII.[3]) in hunc potissimum modum sancita sunt: *a)* Ut unica tantum confraternitas ejusdem nominis et instituti in eadem ecclesia et urbe vel vico instituatur, neque etiam in loco vicino, nisi ultra horam ab ecclesia ejusdem

---

saeculo 14. viguit, confraternitas ss. Cordis Jesu etc.), in honorem *Mariae Virg.* (e. gr. confraternitas ss. Rosarii, scapularis etc.), vel in honorem *Sanctorum* institutas. — Cfr. librum sacerdotibus utilissimum: *Schneider,* Die Ablässe etc. Paderborn 1884. Ed. 8.

[2]) Vid. «Verhandlungen der 9. Generalversammlung der kath. Vereine Deutschlands zu Salzburg.» Salzburg 1858. p. 166—176.

[3]) Const. «Quaecumque» 7. Dec. 1604. Bullar. rom. e. c. tom. 3. p. 182. apud *Schneider,* l. c. p. 324. ff. Forma servanda habetur in *Moy,* Archiv. tom. 6. p. 339.

confraternitatis distet.[4]) *b)* Ut erigatur de consensu Ordinarii et cum literis testimonialibus ejusdem, et post examinata ab eo, revisa et pro ratione loci approbata statuta.[5]) *c)* Ut gratiae et indulgentiae confraternitati concessae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. *d)* Ut confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae archiconfraternitati impertitae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis cum aliis ordinibus gaudet. *e)* Ut in aggregandis et instituendis confraternitatibus[6]) quoad literas patentes (diplomata) servetur forma ab eodem Pontifice adprobata. Sed quod Clemens VIII. statuit de formula, spectat solummodo ad ordines regulares, non vero etiam ad episcopum. Proinde sufficit decretum tantum episcopi erigentis ad canonicam erectionem. (Acta II. p. 297. s. C. Indulg. d. 22. Aug. 1842). *f)* Ut confraternitas eleemosynas et alia charitatis subsidia excipiat juxta formam ab Ordinario praescribendam.[7]) *g)* Ut dictae eleemosynae pro arbitrio Ordinarii in utilitatem ecclesiae erogentur. — Insuper hoc notandum est: Erectio alicujus confraternitatis nunc competit superiori ordinis, cui est adnexa, prout e. gr. confraternitas ss. Rosarii B. M. V. solummodo a Generali ordinis Dominicanorum erigi potest, nunc vero spectat ad episcopum. In priori casu episcopi tantum consensus pro erectione requiritur, in altero episcopus ipse jure proprio dat facultatem erigendi.

---

[4]) Bene vero in eadem ecclesia plures confraternitates *diversi* tituli institui possunt, e. gr. de ss. Rosario et de B. Corde Mariae. (Cfr. Acta III. 613.) Confraternitates vero de ss. Sacramento et de doctrina christiana (Christenlehrbr.) in quavis ecclesia parochiali erigere licet. s. C. Indulg. 7. Febr. 1607 in instruct. Eystett. p. 136. not. 2. Cfr. Acta II. 296; *Schneider,* l. c. p. 349.

[5]) Firmo manente fine alicujus sodalitatis non est necessarium, ut praecise archisodalitatis statuta adoptentur. Sed potest episcopus statuta determinare, tum vero etiam *mutare.* Ita decis. est a s. C. Indulg. 9. Dec. 1862 in Utin. in quaestione concernente sodalitium s. Petri Apost. princ. a. 1860 erectum pro adjuv. Sede apost. Acta II. 534; *Schneider,* l. c. p. 335. not. 1. — Ceterum non potest facere in hac re vicarius generalis, quod potest episcopus, sine speciali mandato, et praeterea supposito, quod subdelegandi facultas episcopo sit impertita. Acta IV. 106. Sed «Sanctitas sua *sanationem* erectionum confraternitatum, et approbationum statutorum a Vicariis General. usque ad totum currentem diem 18. Augst. 1868 factarum, necnon aggregationum, quae cum literis testimonialibus et consensu Vicariorum General. locum hucusque habuerunt, benigne impertita est.» Acta IV. 105.

[6]) Confraternitas localis cuidam archiconfraternitati adjungi seu aggregari debet, ut ejusdem privilegia et indulgentias participet. Formulae tum in erigendis tum in aggregandis confraternitatibus a regularibus adhibendae exhibentur in Ephem. Acta II. 57. 60; ib. 296. not.

[7]) Cavetur cit. Constitutione, ut ne publice exponantur mensae, pelves vel capsulae ad hasce eleemosynas colligendas § 8.

4. Directio et jura.

4. *Quoad modum regendi* confraternitates *a)* posset quidem societas ipsa suos rectores et administratores quotannis eligere; in nostris tamen regionibus animarum curator ab ordinario designari solet ut rector confraternitatum in parochia existentium.[8]) Rector sodalitatis in libro peculiari nomina sodalium describat, in alio vero libro consignentur resolutiones ac decreta a directorio legitime congregato facta. *b)* Confratres tenentur interesse processionibus ac in iisdem ante regulares incedere, aut iis deficientibus ante clerum saecularem. *c)* Festa titularia omni possibili solemnitate celebrare convenit. *d)* Episcopo competit, confraternitates laicorum visitare, quanquam erectae sint in ecclesiis regularium, tum quoad administrationem bonorum, de qua officiales rationem ipsi reddere debent, tum quoad cultum et ornamenta altaris seu capellae atque divinorum officiorum, denique circa ea omnia, quae ad obligationes eorundem confratrum relationem habent.[9]) *e)* In dirimendis quaestionibus parochum inter et sodalitia controversis ss. Congregationes Rom. non recedunt a decreto d. 10. Dec. 1703.[10]) *f)* Ut quis membrum piae associationis fiat, is a potestatem habente recipi, respective (quando hoc specialiter praescribitur) elencho confratrum adscribi debet.[11])

5. Quoad relationem confraternitatum ad gubernium, eaedem cum admissione ecclesiae de jure pariter admitti debent tanquam corporationes, vel saltem tanquam piae associationes cum jure acquirendi bona in foro civili. Proin contrarium est juri, confraternitates vel non admittere vel easdem, sicuti societates saeculares, subjicere nutui potestatis civilis. Certe (ut parum dicam), haec pia sodalitia periculum non creant rei civili quemadmodum societates quaedam politicae, quae nihilominus liberalissime admittuntur![12]) In Imperio Austriaco confraternitates sive sodalitates, quales ecclesia probat et commendat, cum consensu et sub direc-

---

[8]) Verum ex hoc titulo is nondum facultatem adipiscitur benedicendi coronas, numismata et scapularia cum effectu consequendarum inde indulgentiarum.

[9]) Instr. Eystett. — cfr. *Ferraris* sub v. *Confraternitas. Schneider,* l. c. p. 336 not. 1; Bened. XIV. Instit. 105, ubi plura decreta s. C. circa hanc rem referuntur. *Matthaeucci,* Officialis curiae eccles. Venetiis 1734. 4. p. 88. *Officialis quoad confraternitates.* — Specialia de confraternitatibus continentur opusculo: «Ueber den Ablass und die Bruderschaften.» v. *Bouvier.*

[10]) Decl. s. C. C. 25. Jun. 1864 (supra § 127. 3. b.). Acta s. S. I. 593; VI. 109.

[11]) Decreto d. 13. April. 1878 prohibetur inscriptio *absentium* sociorum; sed d. 14. Jun. 1880. s. C. Indulg. rigorem istius decreti in pluribus mitigandum censuit. *Schneider* p. 330. seq.

[12]) *Moy,* Archiv. tom. 3. p. 48, ubi exponitur, qui juris sit in diversis territoriis quoad sodalitates, et qualis earundem nexus cum ecclesia, in qua haerent.

tione Ordinarii ea lege constitui possunt, ut singulae erectiones gubernio provinciae denuntientur, atque ut etiam illae episcopo dioecesano maneant subjectae, quae cum piis associationibus exteris cohaerent.[18])

§ 146. De scholis.

1. Scholarum origo et progressus.

1. Religio christiana novam cognitionum non solum divinarum sed humanarum etiam lucem mundo invexit. Unde statim ac fides christiana firmas radices in Orbe egit, scholae christianae seu studiorum sedes in praecipuis civitatibus, e. gr. Alexandriae, Caesareae, Edessae, Romae, Nisibi, Mediolani, Carthagine, florescere coeperunt, et subin, convalescente ecclesia, etiam scholas dilatari et perpoliri contigit. Siquidem ecclesiae semper proprium est, ad praedicationem et Spiritus sancti unctionem etiam doctrinae subsidium et literarum cognitionem adjungere. Jam primis ecclesiae saeculis scholae *inferiores* pro pueris et catechumenis, itemque scholae publicae tam pro omnibus, quam pro adspirantibus ad statum ecclesiasticum (scholae cantorum) sunt erectae. Saeculo 6. scholae *monasticae* ac praesertim Benedictinorum originem sumserunt. Sub imperatore Carolo M.[1]) et deinceps usque ad saecul. 16. triplex scholarum genus distingui consuevit, quae scil. erant: 1. scholae *cathedrales* seu *episcopales* apud capitula canonicorum institutae, in quibus juvenes ad studia theologica praeparabantur; 2. scholae *abbatiales* tum majores tum inferiores, itemque tam pro internis scholaribus in monasterium ingressuris, quam pro externis, qui artes liberales aliaque praeambula docebantur, ad studia incipienda in universitatibus; 3. scholae *parochiales,* seu ruri in parochiis institutae, quae deinceps saeculo 16. scholae *elementares* vocari coeperunt.[2]) Et quum sequiori aetate

[18]) E. gr. cum archiconfraternitate exstante in ditione aliena. Scil. hoc statuitur ad praecautionem, ne piarum sodalitatum titulo molitiones obtegantur in civitatis perniciem vertentes. Not. «Ecclesia» num. XIX. Ordinatio Ministerii pro rebus internis. d. 28. Jun. 1856. *Ginzel,* K.-R. tom. 2. p. 317. — A sodalitatibus parum differunt tum congregationes (e. gr. Marianae) tum piae utriusque sexus societates sub nomine missionis (Standesbündnisse Arch. tom. 4. p. 758). Utraeque nimirum pro certa tantum Christi fidelium classe, non pro omnibus indiscriminatim destinantur. Tum piae associationes (Vereine) tum etiam confraternitates, in Austria subsunt legibus pro associationibus specialiter editis. (Vereinsgesetz. Linzer Quart.-Schr. 1885 p. 464). Quod tamen in praxin vix unquam inducitur. Post concordatum abolitum etiam piis sodalitiis obmotae sunt difficultates, dum e. gr. studiosi prohibiti sunt adjungere se congregationi Marianae.

[1]) Capit. I. Carol. M. a. 789. c. 71; Capit. Carol. M. a. 805. c. 2. 5.

[2]) Theodulf. Aurel. epist. a. 835 parochis injunxit, ut per villas et vicos scholas haberent, parvulosque summa charitate docerent; «nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate ob-

ex neglectu scholarum crassa ignorantia et morum corruptela in populo deprehenderetur, a diversis conciliis cautum est, ut illae ubique per civitates et pagos instituerentur, pueripue in iis legere et scribere ac fidei rudimenta edocerentur. Pro iis, qui ob labores corporales a frequentatione harum scholarum detinebantur, scholae, quae vocabantur *dominicales,* seu diebus festis et dominicis haberi solitae, institutae sunt. Omnes hae scholae (iis non exceptis, quas *urbes* suis sumtibus quandoque excitaverant) superioribus ecclesiasticis, ratione inspectionis et directionis erant obnoxiae, a quibus etiam ludi magistri assumendi examinari et adprobari debuerunt, non antea ad docendum admittendi, quam fidei professionem emisissent.[3]) Neque secuta sic dicta reformatione haec rerum conditio essentialiter immutata fuit. Etsi enim ex hoc tempore etiam principes saeculares legibus suis scholas dirigere sibi sumerent, tamen superiorum ecclesiasticorum potestas ac vis in hac re non fuit exclusa. Recentiori demum aetate homines encyclopaedistarum placitis adhaerentes, religioni infensi, hancque funditus everti cupientes, ecclesiae auctoritatem clerumque e scholis arcere omni virium contentione aggressi sunt.[4]) Sunt autem duo principia quantum ad scholas nostro tempore inducta, circa quae, velut circa duos cardines, cetera omnia vertuntur: primum est *jus exclusivum* (scil. cum exclusione jurium ecclesiae et familiae) statui civili quoad scholas addictum; alterum est *anotio religionis* ex scholis (imo et educationis) vel totalis vel partialis.[5])

tulerint.» Praeceptum etiam fuit (conc. Nannet. a. 895 vel ann. 658 juxta *Hefele,* Conc.-Gesch. III. 104): «ut quisque presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui secum cantet epistolam et lectionem legat, et qui scholas possit tenere» etc. c. 3. X. (III. 1). Cfr. *Hefele,* Conc. Gesch. tom. 3. p. 577. 626. 694. 700. 710. 712. tom. 4. p. 24. 32. 47. tom. 5. p. 635. 790. 917.

[3]) Vid. *Hartzheim,* Concilia Germaniae, in indice sub v. *scholae* et *scholae dominicales.* — Optant inter alia synodi, ut masculi a viris et puellae a mulieribus instituantur, vel saltem quoad locum masculi a puellis segregentur.

[4]) Cujus spiritus novatores hujusmodi sint, clare eloquitur Pius IX. in sua Encycl. d. 8. Dec. 1864: «Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana deleri sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam . . . semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt.»

[5]) Utrumque principium reprobavit Pius IX. damnando has theses: 1. «scholas eximendas esse ab omni ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis auctoritatis arbitrio subjiciendas esse, ita ut nulli alii potestati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum» (Syllab. 45. 47). — 2. Probari posse, eam juventutis instituendae rationem, «quae sit a catholica fide et potestate ecclesiae sejuncta, quae rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terennae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.» (Syllab. 48.)

2. Jura ecclesiae qu. scholas:

2. Vindicando jura et auctoritatem ecclesiae in hac re competentem quantum ad diversas scholas hae ferme regulae statuendae esse videntur (cfr. supra § 37. 3. b.):

a) elementares,

a) Quantum ad scholas *elementares* de jure ad ecclesiam spectat, *non solum catechismum tradere, sed ea omnia dirigere, quae ad culturam religiosam et moralem puerorum referuntur.* Hoc comprobatur 1. *ex historia;* nam annales historiae testantur, scholarum popularium initia et progressus ecclesiae in acceptis habenda esse. Haec res adeo certa est et indubia, ut ipsi auctores protestantes eam testari minime dubitent.[6]) Igitur ecclesia ex institutis, quae ut mater erexit, ut sapiens moderatrix gubernavit, absque injuria non potest arceri. 2. Ex *scopo* scholis popularibus praestituto. Omnes cordati, non solum catholici, sed etiam ex protestantium coetu (e. gr. lex Batav. 1806; lex Würtemb. pro scholis 1836), finem principalem scholarum istarum in cultura religiosa et morali aetatis impuberis collocant, dicentes, non satis esse, si pueri quaedam utilia pro hac vita caduca edoceantur, sed opus esse, ut iidem ad bonos mores vitamque christianam instituantur et educentur, ideoque omnia, mira quadam discendorum et agendorum servata harmonia, in scholis eo tendere oportere, ut religio totius institutionis fundamentum sit, et juventus pie educetur.[7]) Atqui religionem docere, et juventutum vera fide ac christianis moribus instituere non status civilis est, sed ad ecclesiae jura et officia pertinet. Idcirco monopolium in dirigendis scholis statui civili vindicare cum exclusione ecclesiae, nec non amovere religionem a scholis aut ipsius influxum imminuere, maxime injuriosum et damnosum est *religioni* et *ecclesiae, familiis* et *societati,* ipsisque denique *scholis.* Etenim 1. *religionem* et salutarem *ecclesiae* vim ex hisce scholis amovere, idem plane est ac indifferentismum et religionis contemtum promovere, imo sensum religioni infensum animis puerorum instillare.[8]) 2. Ecclesiae vim

Monopolium civitatis injuriosum est 1. religioni.

2. ecclesiae,

---

[6]) *Raumer,* tom. 6. p. 428; Joann. Jac. Moser loquens de jurisd. episcopali, huic etiam scholarum inspectionem accenset lib. 4. c. 9. § 38.

[7]) Pius IX. in lit. datis ad archiep. Friburg. 14. Jul. 1864 sic ait: «Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere, ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus juventus ibi imbuitur, veluti *adventitiae* appareant.»

[8]) Hujusmodi scholas dicunt neutrales seu indifferentes. Sed reipsa non sunt indifferentes. Nam perbelle ait Mr. Déchamps olim Minister Belgicus pro rebus externis (in tractatu: «Die Schule» etc. germanice a com. Leone Thun in kath. Stimmen II. 9. 10. fasc.): Non dantur libri indifferentes, seu neutrales, non dantur scientiae indifferentes, neque etiam indifferentes magistri; sed amovere religionem est promovere errorem et spiritum religioni infensum. Idem clariss. auctor probat, ecclesiam neque in statu pari neque in statu indifferenti auctoritate sua, quas in scholas exercere debet, spoliari

moderatricem e scholis excludere nihil aliud profecto est, quam velle, «ut contra divina sui auctoris mandata agat, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem divinitus commisso desit.» (Pius IX. l. c.), et sic ipsum jus divinum perfringere. 3. Maxima infertur injuria *catholicis parentibus,* si publicae scholae ita sint institutae, ut filiorum religio in iis non solum non foveatur, sed summo fors etiam periculo exponatur. Imo in tali rerum statu ecclesia «cogeretur omnes fideles monere, eisdem declarare, ejusmodi scholas catholicae fidei adversas haud posse in conscientia frequentari» (sunt verba Pii IX. l. c.). 4. Hujusmodi scholarum profanatio, seu religionis ex iisdem expulsio ipsum socialem ordinem subvertere. ac progeniem parere debet, humanae societati periculosam et ad continuas rebelliones proclivem. 5. Denique hoc modo *scholae* ipsae, a fine suo nobilissimo detractae, dignitate sua decidunt.

3. parentibus,

4. societati,

5. scholis.

Rebus sic stantibus aliud catholicis non remanet, quam scholas privatas *catholicas* constituere, (prout pluribus in regionibus jam est in usu) ne scilicet juventus cogatur scholas atheas visitare. — Denique superfluum est addere, religionis ac familiae juribus non satisfieri, si alia potestas ministris ecclesiae non tribuatur, quam tradere in scholis catechismum. Talis enim scholae ab ecclesia separatio, etsi non sit plena, tamen est injuriosa religioni; haec enim, cum esse debeat anima scholae, in tali casu ad ceteras instructionis disciplinas, imo haud raro etiam infra ipsas deprimitur.[9])

---

posse. Nam, ait, si quae *in statu pari* statuuntur leges scholas respicientes, illae convenire debent familiarum voluntati rationabiliter praesumtae; secus enim, si proprio marte et juxta principia certi cujusdam cultus scholae ordinantur, paritas sarta tectaque manere non potest. *In statu* vero *indifferenti* jura diversorum cultuum exigunt, ut gubernium scholis eorum sese non immisceat, sed ipsismet easdem constituendas et regulandas relinquat. Cur enim moderatores statuum indifferentium scholis adeo rigide volunt dominari cum tamen in ceteris rebus campum latissimum libertatibus civium relinquant? p. 9. 15. 16. 23. — Cfr. lit. Emin. *Rauscher* ad nuntium Apost. *Vering,* Archiv. tom. 25. p. 308. seq.

[9]) In Imperio Austriaco jam decreto d. 13. Oct. 1770 declaratum est: «scholas ad res politicas pertinere.» Deinceps lege peculiari scholas concernente 6. Dec. 1774 omnes scholae officialibus politicis, ac praesertim collegio in hunc finem in unaquaque provincia instituto subdebantur, quin tamen ecclesiae ingerentia excluderetur. Post varia fata a. 1805 «constitutio, sic dicta, politica pro scholis» prodiit, in qua animarum curatori inspectio scholarum loci, decanis inspectio districtus, scholastico vero cathedralis omnium dioecesis scholarum inspectio commissa est, ab unoquoque potestatis saecularis nomine gerenda. Et haec quidem dispositio neque per concordatum essentialiter immutata est, nisi quod episcopis quaedam jura *cum munere pastorali* suapte connexa vindicata sunt (Concord. artic. V.—VIII.), inter quae sunt praecipua: tota institutio et educatio religiosa; jus advigilandi, ne quid

b. quoad gymnasia.

b) Earum quoque scholarum, in quibus *literae humaniores* traduntur, institutio et cura olim ad ecclesiam pertinebat, ipsae-

---

tradatur religioni aut honestati adversum; itemque jus advigilandi moribus ludi magistri etc. — Novarum legum (d. 25. Maj. 1868 et d. 14. Maj. 1869) placita summarie sunt haec: 1. Scopus scholis praefixus est educatio moralis et religiosa juventutis. 2. Scholae publicae patent *omnibus* sine discrimine religionis. Possunt tamen cultus singuli suis sumtibus proprias scholas *privatas* constituere. 3. Magistri in his scholis pariter nullo habito respectu religionis seligi possunt. (Advertere, positis his duobus principiis [sub n. 2 et 3] negari, quod affirmatur primo [n. 1], atque statui principium scholarum indifferentium seu religionis expertium.) 4. Inspectio suprema totius instructionis (nec ipsa excepta religione) competit potestati saeculari. 5. Cura, directio et immediata inspectio instructionis religiosae et piorum exercitiorum pertinet ad confessionem respectivam, exclusa tamen quavis ejusdem ingerentia in ceteras disciplinas. Insuper dispositiones factae a superioribus eccles. quoad institutionem religiosam et pia exercitia directori scholae, mediante consilio districtus, intimari debent; si tamen obsint ordini pro scholis statuto, rejici possunt. 6. Quinam libri in scholis sint adhibendi, determinatur ab inspectione districtus, audita conferentia magistrorum ejusdem districtus. Sed libri pro tradenda religione tum demum adprobari possunt, ubi qua tales idonei declarati sunt a superioribus respectivi cultus. 7. Fundus pro scholis elementaribus consitutus (Normalschulfond) una cum fundo studiorum, ceterisque fundationibus factis pro scholis, *omnibus* cultibus sunt applicandi, nisi constet, eas pro certae religionis asseclis esse destinatas. — Hae leges aliaeque subsequentes confestim in exitum sunt perductae, et quidem haud raro magno cum religionis odio et damno. Sic apud scholas catholicas magistri judaei aut protestantes, vel etiam homines religionis inimici constituti sunt; piae preces in scholis interdictae et signa religionis e. g. piae imagines ex scholis ejectae, instructio religiosa et pia exercitia multipliciter impedita; libri pro instructione electi, religiosum sensum juventutis pervertentes, vel saltem ab omni positiva religione alieni etc. Propter detrimenta his legibus producta saepius conquesti sunt Austriae episcopi e. gr. literis datis d. 2. Maj. 1872 ad ministrum pro cultu, d. 16. Apr. 1877 ad imperatorem; episcopi provinciae Salisburgen. reclamarunt d. 30. Nov. 1876 et 12. Mart. 1880; episcopi Bohemiae cum aliis d. 27. Dec. 1979 etc. Quod non sine fructu factum est. Nam 1. Minister pro cultu (literis datis ad provinciarum gudernatores) declaravit, gubernium nullatenus favere scholis indifferentibus, sed velle habere scholas, quarum pars integralis debeant esse tum religiosa instructio tum pia exercitia a potestate eccles. immediate (quamvis sub suprema gubernii inspectione), ordinata (11. Jun. 1873. Archiv. tom. 29. p. 283). 2. Tempus pro danda in scholis instructione religiosa est ampliatum (1. Jun. 1878. Archiv. tom. 41. p. 102). 3. Preces in scholis ordinatae; sacramenta saltem tribus vicibus a scholaribus suscipienda; Missa quavis dominica et diebus festis, aliisque certis diebus frequentanda (edict. consilii provinciae Morav. 10. Mart. 1878. Archiv. tom. 41. p. 456), imagines Crucifixi retinendae l. c. 457. Cfr. edict. ministri pro cultu (16. Maj. 1880. Archiv. tom. 44. p. 267). 5. Controversia, exorta quoad juramentum ab omnibus magistris praevie emittendum, per declarationem ministri pro cultu ad episc. Linciensem datam d. 23. Apr. 1871 composita est, scil. hoc juramento neminem cogi ad agendum contra suae conscientiae dictamen. 6. Denique per legem novellam d. 2. Maj. 1883 lex scholas concernens (d. 14. Maj. 1869) haud paucas mutationes acceptit tam cum commodo materiali populi quam cum bono religionis. Sub hoc ultimo respectu

que pariter apud monasteria et canonicorum collegia constitutae erant, sic, ut non tantum clerici, sed et laici ad eas confluerent. Atque hae scholae altiores seu gymnasia, quum temporis cursu exolevissent, a conciliis saeculi 16, reflorescente scientiarum cultura, denuo instaurari jussae sunt, sed sub virorum ecclesiasticorum et decanorum ruralium inspectione et gubernatione. Verum nostro tempore hae scholae pariter a directione ecclesiastica exemtae et reipublicae civilis regimini sunt subditae. Sunt tamen hodiedum hincinde gymnasia, quae *vel* a guberniis pro *catholicis* tantum sunt destinata, ac propterea nonnisi catholicos magistros accipere solent, *vel* ex subsidiis catholicorum sustentantur. Hae posterioris generis gymnasia ab ecclesia dirigi solent sub inspectione gubernii. Ceterum semper integrum ecclesiae esse oportet, gymnasiis *catholicis* vigilantiam et sollicitudinem suam impendere. Ergo ipsi integrum debet esse: *a)* educationem juvenum religiosam dirigere et exercitia ad fovendam pietatem apta praescribere;[10]) *b)* invigilare, ne literarum humaniorum disciplinae venena admisceantur;[11]) *c)* religionis magistrum adprobare ipsique dare docendi missionem, et ubi opus esse visum fuerit, eandem revocare;[12]) *d)* prospicere, ut pecuniae pro catholicorum juvenum

---

haec duo sunt notanda: 1. Director scholae nonnisi ille constitui potest, qui probare valet, se capacem esse (data necessitate) ad instituendam majorem scholarium partem in eorum religione (§ 48); contra illum scholae magistrum, qui sive in schola deest suo officio, sive *extra scholam* suo agendi modo vel auctoritatem magisterii deprimit vel fructuosam praeceptoris et educatoris activitatem impedit, media disciplinaria adhiberi possunt. — Cfr. Die Gesetze und Vorschriften über das gesammte Volksschulwesen. Wien, 1878. *Vering,* K.-R. p. 122—135. Dr. Friedr. Graf *Schönborn,* Die Wirkungen der Neuschule, Prag, 1880. Cfr. leg. d. 12. Aug. 1869. Cfr. legem Borussicam d. 11. Mart. 1872 qua *soli* statui civili inspectio omnium scholarum vindicatur in *Vering* Archiv. tom. 27. p. 297. (Cfr. p. 138) nec non episcoporum Fuldae congregatorum gravamina l. c. p. 298. — In Gallia bellum atrocissimum motum est adversus scholas catholicas. Jam gubernium, expulsis religiosis, scholarum monopolium sibi vindicat, ita, ut omnia indicia christiani cultus ab iisdem scholis atheis penitus exulent, imo libri irreligiosissimi pueris in manus tradantur. Episcopi enixe hortantur parentes, ne pueros mittant in scholas indifferentes; sed scholae prorsus impiae et religionis laesivae *absolute* ab illis et tam stricte prohibentur, ut pueris easdem visitantibus Sacramentum Confirmationis negare soleant.

[10]) Concord. Austr. (art. V. VII., qui tamen sunt abrogati).

[11]) Conc. prov. Vienn. 1858. p. 164: De studiis gymnasialibus. — Libri aliqui in scholis sunt in usui religioni catholicae adversi; sed nihil contra illos valet ecclesiae auctoritas.

[12]) Literae Emin. Cardinalis *Rauscher:* «Ecclesia» n. 8. «Secundum leges in Austria vigentes pro gymnasiis mediisque scholis a potestate civili institutis religionis magistri ita seliguntur, ut episcopus dioecesanus concursum habeat et, quem dignissimum censeat, gubernio, adjectis concursis actis, significet, qui et de regula ad magisterium vacans deputatur. Quando sub peculiaribus

educatione a piis fundatoribus relictae juxta eorum intentionem fideliter applicentur.[13])

c) Ipsae etiam *universitates* seu potius *studia generalia*, ut olim dicebantur, ecclesiasticae erant institutionis et originis, et inspectioni ecclesiae subjiciebantur. Scilicet *studia generalia* erant loci instructionis seu instituta sub auspiciis summi Pontificis erecta, omnibusque sine ullo nationis discrimine patentia, ita, ut tum missio professorum, seu habilitas docendi in iis impertita, tum studia discipulorum ibi facta, ubique locorum rata et valida haberentur. Constabant pluribus *facultatibus* (sed non eodem semper numero) seu disciplinis aut disciplinarum complexu, veluti theologia, jure civili, artibus liberalibus etc. Porro haec instituta habebant propriam constitutionem, exemptam a jurisdictione ordinariorum, propria statuta a Pontificibus adprobata, efformabantque corpora peculiaria cum suis juribus, unde *universitates* in sensu juris dici consueverunt. Inde a saeculo 13. fundari non potuerunt, nisi ex summi Pontificis privilegio, qui specialis erectionis bullas emittere solebat praeter literas fundationis a principibus, saltem

---

rerum adjunctis eum declinari contigerit, nunquam non vir nominatur, quem episcopus ad munus obeundum habilem enunciaverit.» Cfr. art. VI. Concord. — Haec etiamnum sunt in vigore, et quidem etiam quantum ad scholas, quas reales vocant.

[13]) Ponderatu dignissima sunt, quae professoribus gymnasialibus a concilio Vienn. p. 165 et 166 ut sapienter, ita graviter inculcantur. Utinam iidem meminerint monitionis in Concord. art. VII. expressae: «Omnis institutio ad vitae christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita erit.» — Impietas vero moderna molimina prorsus contraria concordato proposuit. A. 1870 quaedam gymnasia una cum consilio deputatorum Austriae inferioris (Landesausschuss) petierunt a ministro pro cultu, ut pia exercitia vel extra gymnasium instituantur, vel ad minimum reducantur absque omni discipulorum coactione, ut progressus in religione in classificatione nulla prorsus ratio habeatur etc. Minister pro cultu edicto d. 29. Oct. 1870 respondit: discipulos rei sacrae interesse debere anno scholastico incipiente atque finito, nec non singulis festis et dominicis, itemque ter saltem per annum ss. sacramenta ab iis esse suscipienda. Ad haec *omnes* discipuli adigendi sunt, nisi sint aliqui, qui provocent ad art. XIV. legis status fundamentalis (vi cujus nemo, qui *sui juris* est, ad actum religiosum cogi potest), — quod tamen statim inchoato semestri fieri debet. Discipuli omnis religionis expertes (confessionslos) ante annum 14. completum cogi possunt ad religionem, in qua nati sunt, addiscendam, minime vero post completum annum 14. Edict. minist. d. 28. Oct. 1870. Archiv. tom. 25. p. 217. seq. — Ibid. p. 220. edicto minist. d. 11. Nov. 1870 statuitur, in scholis mediis communalibus, etiamsi in iis non tradatur religio, nullo tamen modo exercitia pietatis praescripta omittenda esse. Cfr. edictum minist. d. 8. Nov. 1880 (Archiv. tom. 45. p. 164), quo praecipitur pro omnibus scholis mediis et elementaribus, ut diebus, quibus discipuli ex praescripto suscipiunt ss. sacramenta, feriae concedantur sive die integro, sive binis diebus dimidiatis. — In Hungaria pariter omnia tentantur, ut scholae mediae catholicae ab ecclesiae directione subducantur.

tempore posteriori edi consuetas. Porro Pontifices hisce studiis tam *conservatores* et *judices* dabant, quam pro suis juribus exequendis delegatos apostolicos apud ipsa constituebant, scilicet *cancellarios* (aut in persona ordinarii, aut capituli praepositi, vel peculiaris cancellarii), qui studiis generalibus invigilarent et doctoris gradum concederent. Attamen nostrae aetatis universitates plurimum differunt ab antiquis studiis generalibus. Sunt nimirum instituta mere saecularia, legibus civilibus obnoxia, et ab ecclesiae influxu sejuncta. Merito tamen ecclesia obsistit, ne fundationes, quas ex manifesta fundatorum voluntate in profectum religionis catholicae factas esse constat, ex dispositione regnantium pro defendendis et propagandis erroribus erogentur. Neque ipsi potest probari, si doctrinae christiano nomini infensae sub splendido *liberae scientiae* praetextu juvenum animis instillentur.[14]) Denique ecclesiae jus negari non poterit, ex subsidiis libere collectis universitates catholicas constituendi, id quod nostro tempore in nonnullis locis revera in exitum deductum est, in aliis vero omnium votis desideratur.[15])

Sunt vero praeterea duo quasi annulli, quibus universitates catholicae cum ecclesia colligantur: facultates theologicae in iis existentes, et jus promovendi ad doctoratum sive theologiae, sive juris canonici.[16])

Facultates theologicae.

Quod attinet primo *facultates theologicas*, haec potissimum sunt notanda. Ab initio scholares cum magistris vel secundum diversas suae originis nationes, vel juxta diversas, quae tradebantur, disciplinas seu facultates, in plures turmas seu societates

---

[14]) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 2. de ref. praecipit, ut ipsius canones et decreta ab universitatibus integre reciperentur, ad eorumque normam catholica fides a professoribus exponeretur, juramento quolibet anno ad hoc faciendum obstringendis. — Libertatem scientiae usque ad laesionem doctrinae catholicae progredi nunquam posse, Pius IX. identidem ac nominatim in duabus epistolis ad archiepiscop. Frisingensem (a. 1862 et 1863) datis tum etiam in Syllabo n. 8—14 declaravit. — Dici vix potest, quam exitialis sit hodie universitatum conditio fidei et moralitati juvenum, ipsique bono sociali. Quantam juvenum stragem facit irreligiositas docentium et defectus totalis exercitii cujuscumque religiosi! Haud mirum, si universitates evadant seminaria rebellionis!

[15]) In imperio Austr. vi Concord. (lit. «Ecclesia» n. 4) liberum est episcopis, ejusmodi universitatem fundare, sed collatis praevie cum gubernio caesar. consiliis. De cetero etiam universitas Pestinensis declarata est catholica, quatenus nempe professores omnes in ea assumendi debeant esse catholici (n. 6). — Universitates catholicae neo-erectae sunt in Gallia, in Belgio et in Hibernia.

[16]) Juxta lit. «Ecclesia» prius episcopi sententia expetenda est, quam professor facultatis juridicae ad jus canonicum tradendum deputatus constituatur (n. 5).

distinguebantur, ita ut nationes a suis *procuratoribus*, facultates vero a suis *decanis* dirigerentur. Deinceps haec posterior separatio sola permansit, ita scilicet, ut doctores juxta disciplinas in varia collegia distinguerentur, et quatuor facultates, nimirum theologiae, jurisprudentiae, medicinae et philosophiae enascerentur, certis juribus et privilegiis exornatae. Facultates theologiae hodiedum arbitria in quaestionibus arduis et dubiis ferunt, possunt in consilium adhiberi in conciliis etiam generalibus, itemque gradum doctoris pro universa ecclesia valiturum conferendi jus habent. Verum ex illo tempore, quo studia theologica et seminaria (§ seq. 3) in singulis fere dioecesibus excitata erant, facultates theologicae haud parum pristini splendoris amiserunt, id quod de universitatibus generatim venit notandum. Nominatim universitates jure illo insigni, scil. *missionem ecclesiasticam* (i. e. jus publice docendi) pro universo orbe catholico conferendi, a summo Pontifice accepto, non amplius gaudent, sed hodie missio et auctoritas docendi etiam professoribus facultatis theologicae unice ab episcopo tam conferri, quam etiam auferri seu revocari potest. Et haec quidem revocatio ex causis opportunitatis conscientiae episcopi remissis fieri potest; ideoque non requirit figuram et strepitum judicii, et sententiam proprie talem, etiam in casu, quando professor, non provisorie, sed stabiliter est constitutus, imo etiam quando professor aliquis ex deputatione reipublicae civilis ad munus docendi e. g. in facultate theologica constitutus est. Ratio hujus rei ex eo petitur, quod munus docendi ecclesiasticum non habet rationem beneficii eccles., ad quod auferendum procedi non potest nisi in forma judicii.[17])

Gradus doctoralis.

Quoad *gradum doctoralem* jam dictum est, illum ab initio aliud non fuisse, nisi docendi missionem et licentiam magistris in scholis impertitam. Haec licentia primum a scholastico vel ab

---

[17]) Ex vigenti ecclesiae disciplina, quae in omnibus recentioribus concordatis claris verbis enunciatur, quaeque pro foro ecclesiastico, etiam rescissis per gubernia concordatis, inconcussa manet, missio ecclesiastica pro quavis cathedra theologiae non solum professoribus Seminariorum, sed etiam professoribus theologiae in facultatibus universitatum ab episcopo dioecesano conferenda est, qui consequenter eandem, «quum id opportunum censuerit» revocare petest. Idem etiam in omnibus fere conciliis provincialibus declaratur. (Conc. prov. Colon. [1860] P. II. tit. 2. c. 26. Conc. prov. Prag. [1860] tit. 1. c. 10). Juxta art. VI. Concord. Austr. et conc. prov. Viennense (p. 161) in assumendis professoribus theologicae facult. semper etiam episcopus intervenire debet, ejusque sententia tunc omnino decisiva est, ubi ejusmodi professores ad seminarii dioecesani alumnos erudiendos adhibentur. Interrogationes, quibus competitores in concursu publico, a summo administro indicendo, satisfacere oportet, pariter ab episcopo designantur. Cfr. Das Recht der Ertheilung der Befugniss zum Lehramte der Theologie (missio ecclesiastica) a *Schulte* in *Vering* Archiv. tom. 19. p. 1. seq.

alio praelato et quidem gratis dari solita est,[18]) deinceps vero ab ipsa facultate tribui coepit ita, ut ista docendi venia ad unum tantummodo locum adstringeretur. Verum tractu temporis ea adprobatio pro omnibus aliis etiam instructionis locis et universitatibus valorem obtinuit. Tandem factum est, ut laurea tum theologica, tum aliarum facultatum, dignitas distincta, variis privilegiis ditata[19]) et ab actuali magisterio omnino separata evaserit. — Doctores s. Theologiae creandi potestas residet penes summum Pontificem, qui illam potestatem per viam communicationis in facultates, vel etiam in quaslibet personas singulares transferre potest.[20]) Promotioni praemittendum est rigorosum examen, quo exploretur candidati scientia et eruditio. Examinatores omnes catholicos esse convenit, etiam cum agitur de conferenda juris canonici laurea. Cautum etiam est apud nos, ut dimidia examinantium pars ab episcopo constituatur.[21])

§ 147. De Seminariis.

Varii modi educandi clerum.

Quia status clericalis singularem animi culturam et praeparationem requirit, sive institutio theologica, sive educatio ad religionis virtutisque studium spectetur: ideo ecclesiae catholicae nihil magis omni tempore fuit cordi, quam suorum ministrorum praeparatio et animi cultus. Sed perquam varias clericorum cultura fluxu temporis subiit vicissitudines.[1])

---

[18]) c. 1. 2. 3. X. (V. 5).

[19]) Doctoratus antehac erat dignitas, quae ex utriusque legis sanctionibus nobilitatem tribuebat. *Schmalzgrueber* lib. 5. tit. 5. § 1. In recessibus etiam Maximiliani I. (1500) doctores equitibus pares habentur. *Schöpf*, K.-R. III. p. 408. Doctores in obtinendis dignitatibus et beneficiis eccles., in testimonio dicendo, in ferendis oneribus publicis, in subeundis poenis ob crimina admissa etc. specialibus privilegiis fruebantur.

[20]) E. gr. in episcopos, prout in literis «Ecclesia» n. 3. statuitur non tamen sine gubernii caesar. interventu. Id nemini mirum videbitur, qui perpenderit, lauream s. Theologiae etiam in foro civili ponderari et agnosci. — Saeculo 16. comites palatini aliique curiales privilegio gaudebant, conferendi lauream theologicam. Sed istud privilegium propter abusus deinde secutos a Pio V. in Constit. «Quamvis». 1568. in VII. (V. 16) revocatum est, et ex decisione Rotae (tom. 1. decis. p. 357) «non suffragatur doctoratus non acquisitus a publica et adprobata universitate.»

[21]) Concord. art. VI. — Sumtus in solemnitate inaugurationis doctoralis expendendos moderatum est concilium Viennense a. 1311. c. 2. Clem. de magistris (V. 1). — Caeterum tres graduatorum ordines distinguuntur: 1. *Baccalaurei,* qui sui in scientia profectus primum testimonium publicum sunt consecuti. 2. *Licentiati* seu ii, quibus post peracta examina data est *licentia*, supremum gradum seu doctoratum, quando voluerint capessendi. 3. *Doctores* seu ii, qui ad supremum gradum literarium reapse promoti sunt ejusque rei testimonium acceperunt.

[1]) *Sailer,* Neue Beiträge zur Bildung des Geistlichen. (2. Aufl. München 1819. 2. tom.). *August. Theiner,* Geschichte der geistlichen Bildungs-Anstalten. *Walter,* K.-R. §§ 201—204. Bened. XIV. Instit. 59.

1. Tempore antiquissimo.

1. Ut clericis domicilia paterent, in quibus informarentur bonis moribus et sapientia, episcopi jam antiquitus peculiaria instituta penes se habuerunt,[2]) in quibus supremam vigilantiam, imo interdum etiam juvenum informationem in se susceperunt. Cursu temporis hae scholae episcopales (episcopia) cum exercitio ordinum minorum ita sunt conjunctae, ut clerici et literarum studio et ministerio sacro simul animum intenderent (§ 121. 1).[3])

et vigente vita canonica.

Cum deinde, tempore regum Francorum, etiam apud monasteria atque rure scholae excitatae essent (§ praec.), juvenes in iis quoque prima elementa addidicerunt. Ast ultima quasi manus culturae clericorum nunquam non in episcoporum scholis admoveri necesse erat. Majorem firmitatem et propagationem scholae episcopales eo temporis spatio sortitae sunt, quo *vita,* quae dicitur *canonica,* viguit, ubi nimirum juniorum clericorum disciplina et informatio magistro ad hoc deputato, nempe Scholastico, commissa fuit (§ 122. 2).

2. Excitatis studiis generalibus.

2. Verum vita canonica cessante, simulque publicis universitatibus excitatis, disciplina, quae in monasteriis et ab episcopis tradebatur, in desuetudinem abiit, quia omnes fere Theologiae studiosi, derelictis scholis episcopalibus, ex omnibus terrae partibus ad academias magna frequentia confluebant. Eaque praxis omnibus merito probata fuit, tantum abest, ut censura a quopiam notaretur. Etenim universitatibus, quae illo tempore inspectioni ecclesiae erant obnoxiae, adjuncta erant collegia excipiendis clericis destinata, in quibus ipsi, praeter egregiam ex publicis professoribus doctrinam simul honestam vitae disciplinam sibi compararent. Cum vero postea effrenata vivendi licentia in publicis academiis invalesceret, et doctrina scholastica, studiorum fervore remisso, in argutias degeneraret; ecclesiae praesules clericorum informationem ad meliorem formam revocare decreverunt.

3. Decretum Concilii Trid.

3. Scilicet jam a. 1552 s. Ignatius de Loyola Collegium Germanicum pro educandis clericis ex Germania oriundis excitaverat.

---

[2]) *Socrates* Hist. eccles. lib. 1. c. 11. «Alexander, Alexandriae episcopus pueros . . . in ecclesia educari jubet, studiisque doctrinae erudiri et maxime omnium s. Athannsium. Quem quidem, cum jam adolevisset, in diaconum ordinat.»

[3]) Concil. Tolet. II. a. 531. (c. 5. D. 28): Statuimus observandum, ut mox detonsi vel ministerio lectorum traditi, in domo ecclesiae sub episcopali praesentia a praeposito sibi debeant erudiri. — Concil. Tolet. IV. a. 633. (c. 1. C. 12. qu. 1): Omnis aetas ab adolescentia in malum prona est. Nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituere oportuit, ut, si qui in clero impuberes aut adolescentes exsistunt, omnes in uno conclavi atrii commaneant, ut lubricae aetatis annos non in luxuria, sed in disciplinis eccles. agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum disciplinae et testem vitae habeant. Cfr. c. 3. l. c.

Ad hoc exemplum Concilium Tridentinum in unaquaque dioecesi pro informandis clericis *Seminarium* constitui praecepit.[4]) Cura Seminariorum et scholarum iisdem adjunctarum, nec non potestas dandi ipsis leges, a synodo Tridentina episcopis est commissa, ita tamen, ut hi in regendo Seminario quoad spiritualia consilio duorum canonicorum, quoad temporalia vero consilio duorum de capitulo et duorum de clero civitatis uti teneantur. (Acta s. S. t. 12. p. 495.) Porro Seminaria juxta mentem synodi Trident. oportet esse instituendis clericis exclusive destinata, et comprehendere non tantum juvenes, qui theologiae operam navant, sed et juniores, ita ut non excludantur nisi minores annis duodecim; item in iis potissimum filii pauperum institui debent, quin tamen filii divitum excludantur, dummodo probabile sit, eos permansuros esse in statu clericali, et propriis sumtibus alantur. Quicunque in Seminarium admittuntur, ex mente ejusdem concilii debent statim tonsuram recipere et habitu clericali indui. Denique Patres etiam determinarunt, quomodo clerici in disciplina ecclesiastica sint imbuendi, ac praesertim qua ratione ab episcopo eorum sustentationi sit consulendum.[5]) Ad normam harum sanctionum permulta Seminaria ubique gentium deinceps sunt constituta.

4. Aetate recentiori.

4. Ast recentiore aetate cultura clericorum denuo a recto tramite deviavit, imo (quod maxime dolendum) ecclesiae directioni vix non penitus subtracta est. Id praesertim accidit post suppressionem Societatis Jesu, et post ecclesiarum spoliationem in Germania. Nam, extinctis tum Seminariis tum monasteriorum scholis, juvenes ad statum clericalem adspirantes integram fere animi culturam in gymnasiis et universitatibus a gubernio politico constitutis accipiebant, ita, ut unicum tantummodo annum in Seminario episcopali transigere consueverint. Itaque educatio clericorum in statum adeo lugubrem devenit, ut saeculis praeteritis vix similis deprehendatur. — Neque *in Imperio Austriaco* informatio clericalis ad normam juris canonici composita erat. Imprimis enim Seminaria generalia, quae Imperator Josephus II. pro

---

[4]) Sess. XXIII. c. 18. de ref. — Bened. XIV. Instit. 59: «Tunc Cardinalis Polus de reformando clero Anglicano secum recogitans, a. 1566 recentia episcoporum Seminaria proposuit, quorum institutum in Trid. synodo diligenter examinatum a. 1563 postea s. Carolus Borr. feliciter invexit.»

[5]) L. c. — *Bouix,* De capitulis p. 473 seq. et de episcopo tom. 2. p. 67 seq., ubi auctor inter alia probat: 1. Seminarium non posse alicui congregationi religiosae regendum committi nisi pactum cum superiore congregationis desuper ineundum Sedis apost. confirmationi subjiciatur; 2. sat multas Seminariorum dispositiones, quae nunc reperiuntur, decretis Tridentinis adversari ideoque, cum legitimae non sint, ad ejusmodi decretorum terminos reformari oportere

singulis provinciis fundaverat, instituta mere politica et a spiritu ecclesiae prorsus aliena erant. Et haec quidem defuncto Imperatore sublata sunt. Ast etiam Seminaria dioecesana a disciplina gubernii civilis justo plus pendebant, quia istud tum ordinem studiorum, tum libros pro institutione praescribere, porro professores ab episcopo electos adprobare, nec non cetera legibus suis determinare sibi sumsit.

5. Tempore novissimo.

5. Hinc jure merito episcopi nostro tempore in hac re gravissimi momenti jura sua a guberniis reclamantes nisu unanimi adlaborant, ut clericorum disciplina et informatio praescriptionibus synodi Tridentinae ex asse conveniant. Iidem etiam in erigendis Seminariis puerorum operam suam maxima alacritate posuerunt, id quod pariter tum decretis dictae synodi, tum disciplinae antiquiori congruit, tum denique hodie in tanta sacerdotum penuria ecclesiae omnino necessarium est.[6]) In plerisque ditionibus Seminariorum disciplina ultimis hisce decenniis rite constituta fuit, ac etiam in Austria, praesertim editis decretis d. 23. April 1850, et d. 30. Jun. 1850 et vigente Concordato (Art. XI. XVII.). Sed hodie Seminaria paene ubique in maximum periculum et in extremum fere discrimen adducuntur, eoquod rerum publicarum moderatores non solum aspernantur Seminaria ad normam Concilii Tridentini constituta (licet haec sola a s. Sede ceu *vera et perfecta Seminaria* declarata sint), sed vel ipsum jus educandi clericos juxta sanctiones canonicas episcopis eripere conantur.[7])

Episcopi Austriaci jam a. 1856 Viennae congregati unitis consiliis normas constituerunt tum pro ratione studiorum in Seminariis servanda, tum pro constituendis professoribus theologicis sive in Seminariis sive in facultatibus theologicis. Hae sanctiones, a supremo publicae institutionis ministro 29. Mart. 1858 ad certam formam redactae et publici juris factae sunt, cautumque

---

[6]) Jam in quavis fere dioecesi exstructa sunt Seminaria puerorum e. g. Borromaeum Salisburgi, gymnasium episcopale Tridenti una cum Joanneo, quod est Bulsani, Vincentinum, quod magnificentissime exstructum Brixinae est opera p. m. episcopi Vincentii Gasser.

[7]) Cfr. Lit. Pii IX. ad êpp. Bavariae d. 23. Mart. 1865 *(Vering,* Archiv. tom. 14. p. 308), ubi declarat Pontifex, non posse postulare gubernium, ut episcopus contentus esse velit scholis theologicis, quas gubernium in Lyceo Spirensi erigere proposuerat. «Etenim eadem Sedes haud potest recognoscere, ... ejusmodi scholas, quae a gubernio diriguntur ac pendent, posse in illarum scholarum locum suffici, quae ex ecclesiae legibus ac propria cleri institutionis educationisque natura et indole debent cum Seminariis esse conjunctae et una cum illis episcoporum vigilantiae, auctoritati et jurisdictioni subjacere.» Cfr. *Vering,* Archiv. tom. 29. p. 34. seq. de saeva sublatione Seminarii dioecesis Basileensis.

est, ut concilia provincialia[8]) deinceps celebranda hasce normas in ordinandis studiis dioecesanis semper prae oculis habere debeant.[9])

---

[8]) Concilium provinc. Vienn. ad horum principiorum normam seq. potissimum sapientissime constituit: a) Disciplinis theologicis per quatuor annos incumbendum est. Eisdem studentes, quantum fieri potest, omnes in seminario episcopali degant. b) Praelectiones theologicae exceptis iis, quae doctrinam pastoralem, catecheticam et eloquentiam sacram attinent, sermone latino habendae sunt. c) Prae reliquis studiis theologiae dogmaticae strenue incumbendum summaque cura in dogmatibus explanandis adhibenda est, respiciendo quam maxime nostri aevi rationem et indigentias. d) Commendantur hebdomadales disputationes a professore dogmaticae instituendae. e) Exegesi s. Scripturae secundum Vulgatam accedat textus hebraici et graeci explanatio, cui quantum temporis dicandum sit, antistes constituet. f) Semel saltem in hebdomade convenientibus cunctis theologiae auditoribus per horae unius spatium selecta s. Patrum opera legantur et exponantur. g) Professores consilia inter se conferant, ne eadem res paucis mutatis a pluribus discutiatur. h) In theologia morali systematis ratio non negligenda et pro temporum conditione allaborandum est, ut resecentur radices errorum, quibus vitae christianae principia pessumdantur. i) Eloquentiae theoria frequentioribus exemplis adumbretur; hinc declamationes habendae et presbyteratus candidati ad conciones graviter et devote enuntiandas exemplo et exercitatione efformandi sunt. k) Ad profundaria quoque rerum theologicarum studia alumni incitandi sunt e. g. per praelectiones extraordinarias, quibus vel res theologicae penitius explanantur vel praecipua metaphysices et philosophiae moralis systemata explicantur. l) Vacante aliqua cathedra instituti theologici dioecesani concursus publicus ad ipsam adspirantium per totam dioecesim indicatur, nisi vir suppetat, qui editis scriptis aut professoris theologiae partibus laudabiliter jam expletis scientiae probationes exhibeat; nam tali viro docendi munus etiam absque concursu conferri potest. Integrum est etiam episcopi sacerdoti, qui, quin sit professor, erudiendis alumnis (e. g. eorum studia dirigendo) utilem jam operam contulit, cathedram vacantem modo provisorio demandare et post annum ad idoneitatis examen eundem admittere. p. 153—160.

[9]) Leo P. XIII. in sua Encycl. «Aeterni Patris» d. 4. Aug. 1879 theologiam fundamento doctrinae s. Thomae Aquinat a. professoribus vult inaedificari. «Doctrinam Thomae Aq. studeant magistri in discipulorum animos insinuare.» Ex mente Pontificis s. Thomas fidelissimus est dux docentium et discentium, ut omnes ab impura errorum lue praeserventur. — «Curandum est *(Lucidi* de Visit. II. p. 359), ut omnes magistri sint de coetu ecclesiastico.» Sed tamen sine venia Pontificis Seminarium non potest tradi religiosis familiis, et salvis semper Episcopi et parochi juribus. Acta s. Sed. III. 48. 61; *Lucidi* l. c. p. 353; *Pennacchi* Commentar. in Const. «Ap. Sedis» I. 1028.

LIBER II.

De gubernatione ecclesiae, et de juribus ad eam pertinentibus.

§ 148. Rerum nexus et conspectus.

Iis jam ad finem perductis, quae de ecclesiae constitutione dicenda erant, ad illa jura explicanda convertimur, quae ad ecclesiam recte regendam et administrandam pertinent. Cum vero ecclesiae gubernatio tota quanta circa exercitium trinarum potestatum a Christo ipsi relictarum versetur, omnis hujus libri materia commode in tres sectiones dispescitur, quarum prima s. magisterii, altera s. ministerii, tertia s. imperii disciplinam et administrationem continet. Itaque omnia, quae ad hasce tres potestates pertinent, conspectui exhibebimus, non tamen heic attenta varietate, qua potestas eccles. per gradus hierarchicos distributa est.

SECTIO I.

De administrando s. magisterio.

§ 149. De functionibus s. magisterium respicientibus.

S. magisterii est:

Ut ecclesia munere magisterii divinitus sibi commisso rite fungatur, ad sacratissima ipsius tum jura tum officia spectat

1. Fidem a. conservare.

1. *fidei conservatio, definitio et explicatio, a)* Siquidem ecclesia tanquam *sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis unquam immutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria hoc unum curat, ut vetera diligenter sapienterque tractando custodiat.*[1]) *b)* Ipsius porro est, determinare, quid sit fidei, seu definire, quid sit credendum in rebus fidei. *c)* Ipsa etiam est judex, fallere et falli nescia, in quaestionibus dubiis circa doctrinam exortis. *d)* Ipsa denique est, per quam prisca illa coelestis philosophiae dogmata successu temporis excurantur, limantur, poliuntur, sed non commutantur, non detruncantur aut mutilantur; per ipsam accipiunt evidentiam, lucem, distinctionem, sed retinent plenitudinem, integritatem, proprietatem.[2])

b. definire.

c. dubia decidere.

d. explicare evolvere.

2. Fidem propagare. Praedicatio

2. *Fidei propagatio* per praedicationem, catechesin et per missiones ad convertendos paganos. *Praedicatio* ordinatur ad eos,

---

[1]) Vincent. Lerin. commonit. a. 434. c. 23.

[2]) L. c.

qui in religione christiana nati et educati sunt, nimirum ut iidem in fide confirmentur et excolantur. *Catecheses* antiquitus pro catechumenis, qui inter audientes erant relati, haberi consueverunt, eoque munere episcopi aut presbyteri vel diaconi minoresve etiam clerici, imo interdum laici quoque fungebantur. Hodie vero tum pro pueris tum pro adultis instituuntur, et quidem quoad illos tam in ecclesia quam in scholis per catechistas ad id munus specialiter deputatos. *Missiones* in regionibus infidelium a s. Congregatione de prapaganda fide reguntur, iisque promovendis piae confoederationes in hunc finem institutae utilissime inserviunt.

Catechesis

Missiones.

3. *Errorum contra fidem enascentium condemnatio et profligatio.* Ut errores, qui fidem infuscare atque homines a veritate abstrahere possent, efficaciter depellantur, ecclesia certa media spiritualia in promtu habet, quae in duplici sunt classe. Nimirum alia ad praecavendos errores, alia ad reprimendos errores jam exortos sunt comparata. De utrisque enucleatius disserendum est.

3. Ab erroribus defendere.

§ 150. De cautionibus praeventivis contra errores in fide.

Ecclesia Christi hisce mediis fidei puritati consulere atque, ne errores sanae doctrinae admisceantur, praecavere studet:

Ecclesia arcere studet errores contra fidem:

1. *Symbola fidei conficit,* quae non sunt nisi breves dogmatum aut articulorum summulae et collectiones atque publica signa, per quae orthodoxi ab infidelibus et sectariis distinguuntur. Confici quam maxime tunc solent, quum haereses pullulant, ut credentes quasi communi aliqua tessera et regula instruantur, et veluti quodam clypeo contra errores praemuniantur. Symbola ecclesiae maxime celebrata sunt: Apostolicum, concilii Nicaeni I., Constantinopolit. I., s. Athanasii, concilii Lateranensis IV.,[1]) et Viennensis;[2]) decretum Eugenii IV. ad Armenos et symbolum Pii IV. seu Conc. Trid., cujus formula eadem est cum Constantinopolitano, nisi quod adjunctas habeat declarationes contra errores posteriorum temporum et sectarum.

1. Per symbola.

2. *Catechismos et alios libros pro instructione religiosa praescribit,* ex quibus fideles tanquam ex limpidis fontibus tum dogmata fidei hauriant, tum vitae christianae officia. Maximae auctoritatis et utilitatis est Catechismus Romanus ex decreto Conc. Trid. (1566) editus. Caeterum neque catechistis neque parochis licet propria auctoritate aliquem catechismum in scholas introducere, cum id unice ad episcopos spectet. Quin et illud haud levia affert incommoda, si unaquaeque fere dioecesis proprio cate-

2. Per catechismos.

[1]) c. 1. X. (I. 1.)
[2]) c. 1. Clem. (I. 1.)

chismo pro informanda juventute utatur. Unde in Brevi ad episcopos Austr. (5. Nov. 1855) a Pio IX. edito hunc in modum statuitur: «Omnem vero curam impendite, ut in primordiorum seu elementariis scholis ii ad catechesim tradendam adhibeantur libri, quibus juventus unam eandemque catholicae ecclesiae addiscat doctrinam, atque ut nulla unquam quoad libros ipsos fiat immutatio, nisi gravis adsit causa et collatis semper invicem consiliis.»[3])

3. Per praeceptum professionem fidei emittendi.

3. Exigit ab omnibus ad officia vel beneficia eccles. promovendis, ut in muneris sui auspiciis *fidei professionem* juxta formulam a Pio IV. praescriptam (nunc post Vaticanum cum additione ante conclusionem facienda) emittant eamque juramento confirment. Professionem hanc emittere tenentur: *a)* promoti ad episcopatum, qui hodie in manibus Nuntii apostol., vel alterius episcopi a Papa ad hoc deputati *privatim* id faciunt, deinde vero *publice* in prima synodo provinciali, quae post eorum promotionem celebratur;[4]) *b)* provisi de canonicatu vel dignitate in ecclesia cathedrali, et provisi de beneficio curato; illi quidem coram episcopo et capitulo,[5]) hi vero coram episcopo vel vicario (foraneo); utrique sub sanctione poenali a Conc. Trid. decreta: scilicet ut illi, qui hanc professionem intra primum bimestre a die pacificae possesionis culpabiliter omittunt, teneantur in conscientia ad restitutionem fructuum, post bimestre perceptorum, ante omnem judicis sententiam.[6]) Canonici ecclesiae collegiatae et beneficiati simplices hoc jure communi non afficiuntur, eidem tamen subjici possunt ex consuetudine aut dioecesium statutis.[7]) *c)* Praelati locorum regularium:[8]) id tamen non in omnibus regionibus usu receptum esse videtur, licet solida hujus omissionis ratio assignari vix possit.

---

[3]) Constit. Bened. XIV. «Etsi minima.» 7. Febr. 1742. — Concilium provinc. Vienn. pro scholis elementaribus catechismum a Cardinali-archiepiscopo Migazzi editum unice adhiberi jubet. p. 169.

[4]) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 2. de ref.; Const. Greg. XIV. «Quas Apostolicis» 13. Mart. 1591.

[5]) S. C. C. 1. Apr. 1786 (ap. *Zallinger*, instit. jur. eccles. I. 78) declaravit: 1. renovandum esse fidei professionem, si quis de novo in eadem ecclesia cathedr. canonicatum vel dignitatem obtinuerit; 2. professionem a canonicis semper fieri oportere coram episcopo et capitulo, licet alia vigeat consuetudo; sufficit autem unica fidei professio, si in capitulo praesens sit episcopus vel ejus vicarius (s. C. C. 25. Jan. et 9. Febr. 1726 ap. *Santi* I. pag. 6); 3. si quis ob dictam consuetudinem professionem fecisset coram solo capitulo, etiam supposita bona fide, pro impetranda absolutione a fructuum perceptorum restitutione ad Sedem apostol. recurri oportere.

[6]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. *Zallinger* l. c. p. 74.

[7]) In nostris regionibus omnes sacerdotes ad curam animarum absolutis studiis ablegandi professionem fidei juratam emittunt.

[8]) Constit. Pii IV. «Injunctum» a. 1564.

d) Promovendi in academiis ad gradus literarios, et doctores magistrive publici saltem theologiae.[9]) *e)* Ipse summus Pontifex coram collegio Cardinalium fidei publicam professionem emittit. — Ratio hujus cautionis ab ecclesia praeceptae evidens est. Ecclesia siquidem tali medio et docentium et audientium orthodoxae doctrinae omni meliori modo consulere intendit. Quomodo vero per hoc vinculum, uti quidam contendunt, conscientiae libertas violetur, difficile est intellectu. Ecquis enim cogitur, obnitente conscientia, magisterii munus suscipere, vel in suscepto persistere, postquam dogmata fidei a se juratae retrorsum projecerit?

4. Per cautiones qu. lectionem s. Script. in lingua vernacula.

4. *Cautiones peculiares statuit quoad lectionem s. Scripturae in lingua vernacula.* Inprimis advertendum est, ab ecclesia non agnosci communem legendi s. Scripturam necessitatem, a Protestantibus et Jansenistis assertam,[10]) qua semel admissa etiam translatio in linguam cuilibet notam statuenda esset. Sed potius ecclesiae persuasum est (uti in regula quarta Indicis dicitur), si s. Biblia vulgari lingua sine discrimine permitterentur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriturum esse. Etenim s. Scriptura considerari debet tanquam sacrarium profanis occlusum et nonnisi illis patens, qui bene affecti et debitis scientiis instructi ad illius lectionem accedunt. Hinc ad animarum damna avertenda et profanationis periculum amovendum, lectioni s. Scripturae certi quidam limites positi sunt. Sed hae restrictiones nullo modo ad textum originalem aut versionem graecam, eamque latinam, quae dicitur Vulgata, pertinent, sed solas versiones in idioma maternum respiciunt, earumque usum certis quibusdam regulis subjiciunt. Potest siquidem unusquisque cum licentia parochi vel etiam (ut aliqui putant) consulto dumtaxat confessario ss. Biblia etiam in lingua vulgari legere, qui ex hujusmodi lectione non damnum sed fidei et pietatis incrementum capere posse intelligitur. Sed in hac re decretum, quod sequitur, servari oportet: «Quodsi hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, *aut* editae cum adnotationibus desumtis e sanctis ecclesiae Patribus *vel* ex doctis catholicisque viris, conceduntur.»[11]) Et haec unica fere cautio, quae circa lectionem

---

[9]) Constit. Pii IV. «In Sacrosancta» a. 1564. (88), ubi cujuscumque disciplinae magistris id injungitur, «ne simplicia nonnullorum adolescentium res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scopulos imprudenter impingant.» Quisque per se ipsum, non per procuratorem professionem fidei emittere tenetur. *Santi* I. p. 8.

[10]) Constit. «Auctorem fidei» n. 67. Constit. Clementis XI. «Unigenitus» a. 1713. propos. 78. 80. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 6. c. 10.

[11]) Decr. s. Congr. Indicis ddo. 13. Junii 1757. Cfr. Regulas Indicis (reg. 4) in Conc. Trid. edito a *Richter* et *Schulte* p. 609. — Similiter etiam

s. Scripturae ab ecclesia praecipitur adhiberi, certe nullius viri cordati reprehensionem incurret, perpendentis, multas circumferri versiones vernaculas ab haereticis vitiatas, easque ob aliam causam ab eisdem non divulgari, nisi ut sub specie piissimae lectionis animis legentium errores insinuentur.[12])

5. *Approbatio librorum edendorum, seu censura praevia.* Cum post typographiam inventam perniciosorum librorum numerus subito increscere coepisset, Alexander VI., ac deinceps Leo X. in concilio Lateran. V. decreverunt, ne de caetero libri, tractatus aut scripturae *qualescumque* imprimerentur sine praevio examine episcopi vel vicarii generalis, illiusque licentia impetrata. Et haec quidem lex, excommunicationis aliarumque poenarum[13]) sanctione munita, postmodum in 10. regula Indicis unacum iisdem poenis approbata et renovata est.[14]) Verum quia hac nostra aetate propter legendi scribendique aviditatem et augescentem in dies librorum numerum perdifficile, imo impossibile evasit, omnes omnino libros et pagellas praeviae censurae subjicere; rigorem dictae legis quadam mitigatione temperari opus erat. Haec mitigatio tum ad ipsa *scripta* pertinet tum ad *poenas et censuras.* 1. Quoad ipsa *scripta* Pius IX. pro Statu eccl. (2. Jun. 1848) decrevit, ut censores posthac de iis tantum solliciti essent, quae divinas Scripturas, s. Theologiam, historiam eccles., jus canonicum, Theologiam naturalem, ethicen, aliasque hujusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generatim de omnibus, in quibus religionis vel morum honestatis speciatim intersit. Libros vero et ephemerides, qui morales et religiosi argumenti non sunt, sine praevia eccles. censura in Statu Pontificio edi permisit.[15]) Easdem normas etiam concilium provinciale Viennense adoptavit, statuens, ut libri ex professo de religione tractantes et ad commemoratas disciplinas

5. Per praeviam librorum censuram.

Rigor pristinus.

Hodierna mitigatio.

quoad scripta,

Gregorius XVI. in sua encyclica dd. 8. Maji 1844 declaravit: «Auctoritate Benedicti XIV. adjecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae ab Apostolica Sede» etc. (ut supra in cit. decr.).

[12]) Usque ad saec. 13. lectio s. Scripturae in versionibus vernaculis ulli prohibitioni haud obnoxia fuisse videtur, eoquod hactenus in hac re abusus nondum intervenerant. Sed ubi in Galliis Biblia ss. in idioma maternum translata in conventiculis passim legi et ad sensum privatum contorqueri coeperunt, praesules eccles. excessibus inde timendis congruis mediis obviandum esse censuerunt. Unde a conc. Tolosano (1299) can. 14. (*Mansi* tom. 23 p. 197) ss. librorum lectio laicis interdicta est, exceptis duntaxat Psalmis et aliis in Breviario latino contentis. Vid. etiam Conc. Trid. Sess. IV. decr. de editione et usu ss. librorum. Sess. XXV. decr. de indice.

[13]) Poenae erant: Librorum impressorum amissio, et illorum publica combustio, ad centum ducatorum fabricae Principis Apostolorum de Urbe sine spe remissionis solutio, ac anni continui exercitii impressionis suspensio.

[14]) Sess. IV. cit. decr. versus finem.

[15]) Pii IX. P. M. Acta Romae P. I. p. 99—101.

spectantes nullatenus antea publicentur, quam ejus rei licentia ab episcopo vel, si auctor sit ex regularibus, etiam a superioribus religiosis, rite fuerit obtenta. Pariter cavetur, ne Missale, Breviarium, Pontificale, Caeremoniale, Rituale et quicumque libri liturgici, praeterea catechismi et libri precum formulas continentes sine permissu episcopi typis mandentur.[16]) 2. *Poenae* harum legum transgressoribus a conc. Lateran. V. et in 10. regula indicis intentatae hisce temporibus executioni dari non possunt, censura vero excommunicationis (nulli reservatae), ibidem decreta, per Bullam Pii IX. generatim sublata, et quoad illos dumtaxat confirmata est, qui libros s. Scripturae et eorundem librorum adnotationes et expositiones contra decretum Conc. Trid. (Sess. IV. «de editione et usu s. librorum») «*sine Ordinarii approbatione* imprimunt, aut imprimi faciunt.»[17])

quoad poenas.

§ 151. De mediis ad reprimendos errores jam exortos.

Quodsi zizania pullulare, hoc est, errores contra fidem publicari et spargi contingat, per praesules eccles. non solum error damnari et proscribi debet, sed omni cura, imo etiam poenarum comminatione adlaborandum est, ut error quasi in germine exstirpetur, nedum latius propagetur. Quod duplici modo perficitur:

Ecclesia reprimere studet errores exortos:

1. *Reprobando propositiones catholicae fidei repugnantes,* sive oretenus prolatae fuerint, sive scriptis. Id singulariter per Pontifices fieri solet, qui omni adhibita diligentia in aliquam doctrinam, quae ipsis tanquam suspecta denuntiata est, inquirunt eamque ad certas ac distinctas formulas redigunt, atque ubi reprehensibilem repererint, propositiones aut libros vel simpliciter damnare, vel

1. Reprobando propositiones fidei contrarias.

[16]) Conc. provinc. Vienn. p. 59, ubi etiam indicatur, simplicem adprobationem libro praefixam nullatenus pro libri adprobati commendatione haberi oportere. (Sc. librorum adprobatio per se non est commendatio, sed merum episcopi testimonium, nihil esse in iis censura dignum quantum ad fidem et bonos mores.) — Rom. Pontificum Clem. VIII., Urbani VIII., aliorumque decretis cautum est, ne Missale Rom. imprimatur, quin de perfecta novae editionis concordia cum archetypis Romanis exemplaribus plane constet et ab Ordinario loci illud imprimendi facultas impertita sit. Festa peculiaria in Missali et in Breviario in appendice poni, non vero in locis suis juxta calendarii ordinem inseri debent.

[17]) Juxta P. Avanzinum (Cfr. ejusd. Append. III. ad Const. «Apost. Sedes») in concilio Later. V. et in 10. regula Indicis sermo est de *quibuscumque* libris imprimendis, legendis, retinendis, vendendis etc., in concilio vero Trid. (Sess. IV. cit.) solummodo de s. Scripturis nec non de earum adnotationibus et expositionibus. Sub utroque respectu praeceptum ecclesiae hodiedum viget (cum mitigatione supra exposita). Sed *censura* nonnisi in decreto Concilii Trid. (Sess. IV.) expressa vi Bullae Pii IX. robur habere pergit, ac etiam haec restricta est ad eos, qui hos libros sine Ordinarii adprobatione imprimunt vel imprimi faciunt, cum a Conc. Trid. extensa fuisset etiam ad retinentes, vendentes, evulgantes.

etiam theses erroneas *qualificare* solent. Est autem *qualificare* propositiones nil aliud, quam illas variis censuris theologicis, vel severioribus vel mitioribus, perstringere. Numerantur plures hujusmodi censurae, quin tamen auctores in determinando earum numero conveniant.[1]) Qualificatio ista est vel specifica, dum cuivis propositioni sua censura inuritur, vel cumulativa, quando plures propositiones in bulla Pontificia enumeratae variis censuris perstringuntur, quin tamen significetur, quaenam in specie hac vel illa censura notetur.

2. Reprobando libros perniciosos, seu censura repressiva.

2. In specie *reprobando libros perniciosos,* seu *adhibendo censuram repressivam.*

I. Jus antiquius,

a) Certum est, ecclesiae praesules potestatem habere, fideles a lectione librorum pravas doctrinas continentium etiam sub poenis eccles. abstrahendi. Non minus in propatulo est, omnes catholicos hac prohibitione in conscientia obligari. Historia omnium saeculorum abunde testatur, ejusmodi leges prohibentes in ecclesia semper viguisse et receptas esse, licet ratio persequendi perniciosos libros non eadem omni aetate fuerit. Per longum tempus usus

In specie per literas Apostolicas,

obtinuit, ut haereticorum scripta in ignem conjicerentur. Postea libri pravi prohibiti sunt per concilia oecumenica aut per summos Pontifices, qui literis Apostolicis libros haereticos vel alias perniciosos nominatim damnarunt et proscripserunt.[2]) Cum vero, praesertim arte typopraphica detecta, in tanta librorum colluvie singuli libri suspecti vel perniciosi notari non amplius possent, indices

per indices librorum prohibitorum.

librorum prohibitorum adornari coeperunt, quibus publice editis fideles zizania facillime a bonis seminibus internoscere possent.[3])

---

[1]) Dicitur propositio qualificata alia haeretica, alia erronea, haeresi proxima, haeresin sapiens, suspecta de haeresi, schismatica, blasphema, impia, scandalosa, seditiosa, piarum aurium offensiva, male sonans, simplicium seductiva, temeraria, periculosa, improbabilis etc. Expressiones istae explicantur a *Zallwein,* Princip. jur. eccl. tom. 1. quaest. 4. c. 2. p. 652.

[2]) R. Pontifices jam ante conc. Later. V. editis literis Apost. scripta perversa prohibere solebant. Sed frequentius hoc contigit a Conc. Trid. ad nostra usque tempora. Hoc spatio sub variis poenis variaque ratione quamplurimi libri haeretici aut suspecti a R. Pontificibus sunt damnati. Sic (ut paucis exemplis recentioribus rem declarem) Clemens IX. 20. Febr. 1667 damnavit quandam editionem gallicam Ritualis Rom.; Innoc. XI. 20. Nov. 1687 theses 68 cum libris Mich. de Molinos proscripsit; Innoc. XII. 12. Mart. 1699 Fenelonii librum: «Explication de maximes des Saints» etc. damnavit; et quis ignorat, nostro tempore a Gregorio XVI. opera Hermesii (26. Sept. 1835), a Pio IX. opera Franc. Vigil (10. Jun. 1851), J. Nuytz (22. Aug. 1851), Jac. Frohschammer (11. Dec. 1862) peculiaribus editis literis damnata esse? *Avanzini* op. cit. Append. III.

[3]) Vetustissimum indicem exhibet decretum Gelasii Papae, in quo veteres haeretici recensentur, quorum scripta sub anathemate damnantur. Vid. hoc decretum ad calcem tom. 1. Bullarii R. in editione Taurin. vel l. c. apud Avanzinum p. 113.

Omnium celeberrimus est index, quem Pius IV. ex decreto Concilii Trid. a viris pro hoc munere specialiter deputatis conficiendum curavit, quique a. 1564 publici juris factus et a subsecutis Pontificibus, nimirum a s. Pio V., Sixto V., Clemente VIII., Alexandro VII. et Benedicto XIV. pluribus regulis auctus et emendatus est, pluriesque typis excusus. Dictus index ab initio tres librorum prohibitorum classes[4]) exhibebat. Sed primitiva haec classium distinctio ab Alexandro VII. sublata est, quippe qui (ne quis opinetur libros 2. vel 3. classis minus cavendos esse) in nova indicis editione omnes eodem ordine alphabetico recenseri jussit, sola primae classis denominatione retenta. Attamen non illi tantum libri ad prohibitos pertinent, qui *nominatim* in indicem sunt relati, sed illi quoque omnes, qui generaliter per regulas indicis damnantur.

Tres classes indicis Rom.

Nimirum auctoritate Pii IV. decem regulas indici Tridentino adjici contigit, quae postea quibusdam aliis a Pontificibus superadditis auctae sunt. Hisce regulis quidam libri generaliter prohibentur, v. gr. libri omnes ante a. 1515 jam damnati, versiones quaecumque librorum prohibitorum, libelli famosi, libri Jansenistarum, scripta, quibus defenditur duellum etc. (reg. 1—3). Praeterea regulae statuuntur quoad lectionem s. scripturae in lingua vulgari (reg. 4), quoad libros haereticorum, qui non sunt argumenti religiosi (rel. 5), quoad libros de controversiis catholicorum et haereticorum disserentes (reg. 6), quoad libros obscoenos (reg. 7), quoad libros, qui obiter tantum errores continent (reg. 8), quoad libros superstitiosos et de magia etc. tractantes (reg. 9), denique de censura praevia librorum imprimendorum (reg. 10). Quantum ad *sanctiones poenales* in regula indicis sic statuitur: «Quod si quis libros haereticorum vel cujusvis auctoris scripta, vel ob haeresin vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur.» Excommunicatio haec vi Indicis nemini, sed vi Bulla *Coena* Pontifici reservata erat.[5])

Regulae indicis.

b) Hodie omnino et unice valet Const. «Apost. Sedis», in qua (n. 2) excommunicat *speciali modo* Pius IX.: „*Omnes et sin-*

II. Jus novum. Bulla Pii IX.

[4]) *Prima* cl. continet auctores vel haereticos vel de haeresi suspectos, quorum scripta non edita solum, sed edenda quoque prohibita sunt. *Altera* cl. non auctores, sed libros comprehendit, quorum doctrina vel fidei vel bonis moribus repugnat, etiamsi auctores sint catholici. *Tertia* cl. complectitur libros anonymos, aut fidei aut morum honestati contrarios. Fr. Forrerii praefatio in indicem ap. Gallemart. in append. Concilii Trid.

[5]) Constit. «Dominici gregis» 24. Mart. 1564 apud *Richter* et *Schulte* p. 612. Vide ibid. etiam regulas indicis. — Bulla «Coena» § 1.

gulos scienter legentes sine auctoritate Sedis apost. libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.“ Ad quae verba haec notanda sunt:

Prima hujus articuli pars.

1. Libri in *prima* parte hujus articuli sub censura prohibiti, ait Avanzinus, tres prae se ferre debent conditiones, quarum *prima* est, ut sint apostatarum vel haereticorum; *altera* vero ut haeresim contineant; *tertia* ut eandem haeresim propugnent. Ex quo inferas: *α*) libros eorum, qui credant apostatis et haereticis (i. e. qui adhaereant eorum damnatis erroribus, non tamen ad sectas eorum pertineant), vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent, hoc articulo probabilius non comprehendi.[6]) *β*) Non comprehendi sub hac censura libros apostatarum et haereticorum, in quibus haeresis simpliciter traditur, quin propugnetur. *γ*) Neque diaria seu ephemerides, quousque folia manent per se completa, sub ea censura sunt prohibita, eoquod non veniant sub nomine librorum.[7])

Altera Pii IX. prohibitio.

2. In *secunda* hujus articuli parte sub censura prohibentur libri cujusvis auctoris: a) *Per Apostolicas literas* prohibiti. Per verba *Apostolicas literas* non intelliguntur decreta Indicis, sed literae, quae nomine Rom. Pontificis *immediate* prodeunt sive in forma Bullae, sive in forma Brevis, sive per epistolas encyclicas, sive alia quavis extrinseca forma, quando in iis agitur: «Apostolica auctoritate» vel similiter. Proinde cessavit excommunicatio regulae X. Indicis. Cessarunt enim omnes censurae, quae per Bullam Pii IX. non fuerunt renovatae, exceptis censuris Tridentinis. Censura autem regulae X. Indicis non lata fuit a synodo Tridentina, sed judicio et auctoritate Pii IV. in Const. «Dominici gregis.» — b) Prohibentur libri, qui per Apostolicas literas *nominatim* seu expresso titulo, quem in fronte gerunt, damnati sunt, non vero cum generice prohibentur libri alicujus scriptoris. — c) Illi tantum libri, per literas Apostolicas nominatim prohibiti, sub dicto articulo comprehenduntur, qui prohibiti fuerint *sub poena*

[6]) Si vero in libro aliquo *indubie* haeresis propugnetur et quidem pertinaciter, tunc auctor censetur haereticus, aut apostata, quamquam antea non fuerit ut apostata cognitus. Hinc e. gr. certe liber Renan non potest legi sine excommunicationis censura. *Avanzini* n. 7 et 8 in comment. Bullae «Apost. Sedis.»

[7]) Sed prava diaria jure naturali prohibita sunt, tantoque magis peccant (vel jam ratione cooperationis), qui associationis causa eis nomen dant. Pius IX. 30. Junii 1871 indicere jussit parochis, quarundam ephemeridum interdictam esse lectionem; contravenientes, ait, non veniali sed mortali se culpa obstringi. — *Fasciculi* omnino libris aequiparandi sunt (*Formasino* [epp Nolen.] Commentario nella Constit. «Apost. Sed.» p. 35. Neapoli 1877).

excommunicationis R. Pontifici reservata. Itaque anathemati non subjicitur legens vel retinens libros, qui per literas Apost. quidem prohibiti sunt, sed vel sub nulla censura vel sub censura Papae non reservata. Id quod ex scopo hujus Bullae, scil. *limitandi* censuras, aliisque ex argumentis eruitur.

Legentibus pares sunt, retinentes etc.

3. Anathemati hujus articuli non tantum *legentes* hujusmodi libros subjacent, sed etiam eosdem *retinentes, imprimentes* aut quomodolibet *defendentes.* Sed non subjacent, nisi qui *scienter* legerint, retinuerint etc. et simul peculiarem excommunicationis reservatae censuram inflictam noverint, quae peculiaris censura, si in oblivionem iverit, non incurritur.[8])

Relatio Bullae Pii IX. ad Indicem.

Ex dictis claresci t, quomodo ad invicem se habeant Bulla Pii IX. et Index librorum prohibitorum. Jam dixi, censuram Indicis esse abolitam; aliae autem censurae in hoc capite non amplius subsistunt, quam quae in dicta Bulla sunt expressae. Attamen quoad cetera omnia per Bullam Pii IX. nihil prorsus immutatum est. Proinde a) manet intacta prohibitio ecclesiae in Indice declarata, qua omnes libri sive nominatim in Indicem relati, sive per generales Indicis regulas interdicti, non solum *lege naturali,* sed etiam *vi legis positivae* sine peccato imprimi, legi, retineri etc. non possunt. Similiter b) intactae manent mitigationes prohibitionis, quae forsitan per legitimas consuetudines variis in regionibus fuerint inductae. Quod attinet Germaniam, jam antiquiores, iique graves auctores[9]) (quos etiam conc. prov. Vindobonense ceu patronos suae sententiae citare videtur p. 58) censuerunt, libros *profanos* ab *haereticis* conscriptos, scil. juridicos, medicos, philosophicos, historicos, politicos, cet., licet haereses — unam vel plures — hinc inde inspersas et obiter tantum probatas contineant, sub prohibitione ecclesiae non contineri. Idem sentiunt de illis *catholicorum* auctorum libris alias optimis, qui continent unam vel plures doctrinas cum Theologia, ss. canonibus, Pontificum constitutionibus non satis consonas, vel qui in certa materia excedunt, scribendo vel glossando super materia, de qua non licet. Et haec moderatio etiam *ad regulas Indicis* extenditur, quae in tota sua amplitudine vix alicubi receptae sunt, tantoque minus hac nostra aetate in exitum dari ex integro possunt. Denique in Germania etiam illorum *acatholicorum* scripta passim sine

---

[8]) *Avanzini* l. c. not. 4. et Append. III. *Formasino* l. p. p. 32. — Vide quae sapientissime constituta sunt in synodo dioec. Papiensi a. 1878. p. 69.

[9]) *Engel,* jus can. V. tit. 7. n. 9. 10; *Schmalzgr.* eod. n. 52. 59; *Pichler,* eod. 7—19. Cfr. *Pirhing,* lib. 5. tit. 7. n. 21; *Fessler,* das kirchl. Bücherverbot. Wien 1860. — Notat *Pichler* l. c. n. 10, retentionem librorum haereticorum, etiam de religione tractantium et haeresiarcharum citra piaculum continuari in monasteriis in loco separato et clauso.

scrupulo a catholicis legi consueverunt, qui de rebus religiosis plane conformiter ad sacrosanctae ecclesiae doctrinam disputant, praesertim eorum, qui conversioni ad religionem catholicam se accingunt. Minime vero hoc idem dicendum de illis scriptis, quae tractant de *rebus obscoenis,* de superstitionibus, de rebus magicis, de incantationibus etc. Haec enim, etiamsi catholicum habeant auctorem, etiam in Germania pro vetitis habentur et pro talibus haberi debent. — Quoad hujusmodi consuetudines nihil novi inductum est per Bullam.

Episcoporum officium.

Demum notandum est, etiam episcopos posse ac debere per positivum praeceptum, imo etiam per censuras lectionem tum librorum, tum ephemeridum prohibere, si periculum perversionis ex ea immineat, vel saltem declarare, vetitam esse hanc lectionem ipso jure naturae.[10]) Ejus rei potestas etiam episcopis Austriacis articulo IX. Concord. asserta, quin et gubernii cooperatio in reprimendis libris perversis (in lit. «Ecclesia» n. 6) appromissa fuit![11])

SECTIO II.

De administrando s. ministerio.

SUBSECTIO I.

De Sacramentis.

TRACTATUS I.

De sex prioribus Sacramentis (Remissive).*)

TRACTATUS II.

De matrimonio.

§ 152. Praemonenda.

1. Doctrinae momentum.

1. Matrimonii atque eorum, quae in hoc tractatu exponuntur, cognitio omnibus omnino summe necessaria est; «quandoquidem non modo in publicis consistoriis, verum etiam in secreto et sacro

[10]) Quia prorsus impossibile est omnes libros noxios in Indicem referrre, Leo XII. 26. Mart. 1825 praecepit Ordinariis, ut propria auctoritate eos e manibus fidelium evellere studeant. Hoc mandatum Pius IX. in epistola circulari d. 24. Aug. 1864 renovavit, adjiciens, ut episcopi in hac re possint procedere non solum jure proprio, sed *etiam tanquam Sedis* Apostolicae delegati.

[11]) Hoc non obstante e. gr. opus impii Renan (Vita Jesu) in metropoli imperii nostri pluries impune excusum et venditum est.

*) Cum praescriptiones ecclesiasticae, quae ad Sacramentorum administrationem pertinent, in aliis disciplinis, in Theologia Dogmatica, Morali et Liturgica tradi soleant; ne eadem bis occurant, lectores ad praedictas disciplinas remittimus.

poenitentiae tribunali causae matrimoniales, eaeque saepius admodum difficiles et intricatae, identidem occurrunt. Ubi quisquis imperite judicaverit, in maxima incommoda et gravissimum aeternae quoque salutis et se et alios conjiciet discrimen.»[1])

2. Fontes ex quibus canones matrimonium concernentes potissimum desumi debent, sunt praeter C. J. C.: Constitutiones Pontificiae ac praesertim Benedicti XIV.,[2]) statuta dioecesana, denique consuetudines legitimae, quibus ab ipso Concilio Tridentino[3]) haud parum defertur. Tanquam fons remotior etiam jus Romanum considerari potest, ex quo ecclesia complures determinationes deprompsit ad illas conditiones accuratius definiendas, quae ex jure naturae pro matrimonio recte ineundo requiruntur. 2. Fontes.

Praescriptiones potestatis civilis pro ditionibus Austriacis extra Hungariam novissima lege d. 25. Maji 1868, nec non in cap. II. Codicis Austr. civilis continentur. Has leges ignorare haud licet ex causis infra dicendis.

3. Materia hujus tractatus commode ita dispescenda esse videtur, ut Cap. I. de notionibus generalibus de matrimonio; Cap. II. de matrimonio contrahendo; Cap. III. de matrimonio contracto sermo instituatur. 3. Partitio.

---

[1]) *Pichler,* Candid. jur. can. prooem. in lib. 4. decretal.

[2]) Bullar. Bened. XIV. tom. 1. Const. 33. «Dei miseratione» 3. Nov. 1741; Constit. 48. «Ad militantis ecclesiae» 30. Mart. 1742; Constit. 57. «Etsi pastoralis» 26. Maj. 1742; Constit. 85. «Nimiam licentiam» 18. Maj. 1743; tom. 3. Constit. 2. «Singulari nobis» 9. Febr. 1749; Constit. 69. «Redditae sunt» 17. Sept. 1746 (Bullar. ed. Luxemb. tom. 18. p. 313); tom. 4. Pontif. decretum 51. «Etsi matrimonialis» 27. Sept. 1755 etc.

[3]) Sess. XXIV. c. 1. vers. fin. de ref. matr. Cfr. Syllab. n. 65—74 et Literas Apost. Pii IX. ibi allegatas. Notatu dignissima est epistola Encyclica Leonis XIII. d. 10. Febr. 1880 de sacramento matrimonii.

[4]) Jus matrimoniale sequentes canonistae excolere sibi proposuerunt: *Ex antiquioribus* prae ceteris commemorandi sunt: *Basil. Pontius* de matrimonio. Salmant. 1624. *Pyrrhus Corradus* praxis dispensationum. *Thom. Sanchez,* de s. matrimonii Sacramento. tom. 3. fol. *Joann. Clericatus,* Decisiones sacram. theol., canonicae et legales. Venet. 1708. *Ex recentioribus: Franc. Stapf,* Pastoral-Unterricht über die Ehe. 7. Aug. 1847. *De Roscovany* de matrimonio in eccles. catholica. Aug. Vind. 1850. *Nicol. Knopp,* vollst. kath. Eherecht. 2. Aufl. Regensb. 1854. *Mich. Haringer,* das Sacram. der Ehe. Regensb. 1854. *Adam J. Uhrig,* System des Eherechts. Dillingen 1854. *Schulte,* Handbuch des kath. Eherechtes etc. Giessen 1855. *Kutschker,* das Eherecht der kath. Kirche etc. Wien 1856. 57. tom. 5. *Loberschiner,* praktische Anleitung etc. Budweis. 4. Aufl. 1860. *Binder,* praktisches Handbuch des kath. Eherechtes für Seelsorger im Kaiserthum Oesterreich. St. Pölten 1857. *Bangen,* Instructio practica de sponsalibus et matrimonio. Monasterii 1858. *J. H. Feije,* de imped. et dispensationibus matr. ed. 2. Lovanii 1874. *Heiss,* de matrimonio. Monacchi 1861. *Jos. Kartner,* Eherecht. Füssen 1865. *Vecchiotti,* tractatus canon. de matrimonio etc. Taurini 1868. *Weber,* die kanon. Ehehindernisse sammt Ehescheidung u. Eheprozess. Freiburg. 1886 ed. 4.

CAPUT I.

Notiones generales de matrimonio.

§ 153. Principia dogmatica de matrimonio.

Matrimonii definitio,

Juvat ex theologia dogmatica haec lemmata transscribere, quibus sequens pertractio veluti suo fundamento inaedificatur.

1. Matrimonium, prout est officium naturae, definitur *viri ac mulieris maritalis conjunctio, ad propagationem humani generis ceterosque fines obtinendos a Deo ordinata, inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.* Prout vero est Sacramentum, addi praeterea illi definitioni debet: *Et a Christo ad dignitatem Sacramenii elevata.*

essentia,

2. Haec definitio tria complectitur: matrimonii essentiam, proprietates et conditiones. *a)* Essentia significatur per voces *conjunctio maritalis,* quae innuunt, vim et naturam matrimonii in vinculo perdurante seu in statu permanente consistere, qui ex illo matrimoniali contractu exsurgit, quo contrahentes dominium corporum sibi invicem transferunt in ordine ad generationem. Igitur essentiam matrimonii constituit tam conjunctio *in fieri,* seu consensus mutuus in contrahendo, quam conjunctio *in esse* seu vinculum perdurans ex consensu ortum, minime vero etiam usus hujus juris seu conjunctio carnalis, ex regula in utroque jure re-

proprietates,

cepta: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit. b)* Proprietates matrimonii sunt ejusdem *unitas,* quae et polyandriam et polygamiam excludit, nec non ejusdem *indissolubilitas;* quae (exceptis quibusdam casibus rarioribus) maritale consortium usque ad mortem continuari inexorabiliter praecipit: atque hae duae proprietates per illa verba significantur *viri et mulieris maritalis conjunctio* et per illa: *inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem*

conditiones,

retinens. c) Per verba *legitimas personas* conditio innuitur, sub qua conjugium iniri potest, scilicet, ut legibus in hac re latis consentaneum sit.[1])

Ejusd. Das in Deutschl., der Schweiz und Oesterr. geltende Eherecht. 1877. *Allegre,* Imped. matrim. Synopsis Paris. *Zitelli* de dispens. matrim. Romae 1884. *Mansella,* de impedim. matr. Romae 1881. — Pro imperio Austr. *Rauscher,* Instructio etc. Ejusd. Die Ehe und das 2. Hauptst. des allgem. bürg. Gesetzbl. 2. Aufl. Wien 1868. *Dolliner,* ausführl. Erläuterung des 2. Hauptst. des allgem. bürg. Gesetzbl. Wien 1835. *Rittner,* österr. Eherecht. Leipzig 1876. *Stepischnegg,* de matrimonio. Marburgi 1882. Scripta, quae remotius studio juris matrimonialis inserviunt, sunt: *S. Augustin.,* de bono conjugali. *S. Thomas Aq.,* Summa Suppl. ad III. part. *S. Bonaventura,* commentar. in lib. 4. Sentent. *Moy,* von der Ehe und der Stellung der kath. Kirche in Deutschland rücksichtlich dieses Punktes. Landshut 1830.

[1]) *Perrone,* praelectiones dogm. de Sacram. matrimonii ejusdemque Compendium de eod.

3. Ultima definitionis verba dignitatem sacramentalem matrimonii indicant. Siquidem Christus Dominus non modo ut *doctor* ideae matrimonii erroribus hominum obnubilatae primitivum splendorem restituit, atque ut *legislator* hanc ideam suis fidelibus executioni demandandam proposuit,[2]) verum etiam, ut *gratiae largitor* humanae fragilitati opitulaturus, contractum matrimonialem inter fideles initum signum esse voluit suae conjunctionis cum ecclesia[3]) et quidem *signum practicum*, ut theologi dicunt, quod nempe praeter significationem habet adnexam promissionem gratiae.[4]) Et haec quidem gratia non tantum naturalem conjugum amorem perficit eosdemque sanctificat, sed et indissolubilem unitatem confirmat. «Quamvis enim matrimonio, quatenus est naturae officium, conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est Sacramentum.»[5]) character sacramentalis,

4. Cum matrimonii essentia ejusdem etiam fines quodammodo cohaerent, qui sunt tres sequentes: *Propagatio generis humani*, (Gen. 1, 28) vel potius (apud christianos) nova semper acquisitio verae religionis cultorum et haeredum Dei educatio;[6]) *mutuum adjutorium* ab utroque conjuge invicem praestandum, non solum relate ad rem domesticam, sed longe magis quoad salutis negotium et prolis educationem;[7]) *remedium contra libidinem* peccati concupiscentia inductam. Nimirum status matrimonialis portum iis praebet, qui tentationum fluctibus agitantur.[8]) Sufficit, ut unam vel alteram causam contrahentes sibi proponant. fines,

5. De ministro, item de materia et forma hujus Sacramenti duae adsunt seu potius fuerunt doctorum sententiae. Nonnulli cum Melchiore Cano[9]) putarunt, matrimonii contractum seu sponsorum consensum esse Sacramenti materiam, verba vero benedicentis sacerdotis formam, et consequenter hunc ipsum esse ministrum. Hi theologi supponunt, matrimonii contractum a ratione Sacramenti separari posse, ita quidem, ut contractus validus sit minister, materia et forma.

---

[2]) Math. XIX. 8. 9. «Conjugii forma, tam excellens et praestans sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit, et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari et obscurari visa» Leo XIII. Encycl. cit. Christus «matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem» l. c.

[3]) Ephes. V. 32. — Praeterea matrimonium fuit (ait Leo XIII. l. c.) «vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio.

[4]) Conc. Trid. Sess. XXIV. can. 1. de matrim. Doctrina de matrim. eod. — Syll. n. 65.

[5]) Catechism. Rom. de Sacr. matrim. q. 11. Cfr. Leo XIII. l. c. sub voce «Neque.»

[6]) Tob. VI. 22.

[7]) Genes. II. 18; Tertullian. ad uxor. lib. 2.

[8]) I. Cor. VII. 2.

[9]) De locis theolog. lib. 8. c. 5.

verum et legitimum matrimonium idque indissolubile; at, inquiunt, ut Sacramenti naturam induat, sacerdotis benedictio accedat oportet. Alii cum s. Thoma ceterisque Scholasticis atque majore Patrum Tridentinorum parte[10]) censent, contractum matrimonii a ratione Sacramenti separari non posse, adeo, ut quodvis matrimonium inter baptizatos legitime contractum pro Sacramento haberi debeat, et e converso quoties character sacramentalis in matrimonio deficiat inter christianos, nec verum matrimonium subsistere possit. Consequens est, sponsos ipsos esse Sacramenti *ministros, materiam remotam* esse corpora contrahentium mutuo tradenda sive jus mutuum in corpus alterius; *materiam proximam* esse ipsam traditionem juris in corpora factam per verba consensum exprimentia, *formam* vero esse mutuam acceptationem verbis aut signis expressam.[11]) — Haec secunda sententia tam gravibus nititur rationibus atque etiam legibus et praxi ecclesiae confirmatur, ut s. Liguorius non dubitet eam aestimare moraliter certam. Imo hodie oppositam sententiam amplecti nemini amplius licet (ait Vecchiotti de matrim.); siquidem s. Sedes loqui coepit disertius, et praesertim Pius IX. aperte declaravit: «inter fideles matrimonium esse non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum.» Ad rem clar. Perrone (de matr. christ. Rom. 1858): «Doctrina, ait, quae de contractu et Sacramento unam eandemque rem efficit, est doctrina vera, certa et catholica, et opinio contraria est falsa, doctrinae apost. Sedis adversans, non proinde satis catholica, imo nullo modo catholica est.»[12])

§ 154. Jus legislationis respectu matrimonii ecclesiae competens.

Matrimonium triplici legum genere regitur.

Praemonendum est, juxta s. Thomam triplicem respectum inesse matrimonio. «Generatio humana, ait, *(ideoque etiam matrimonium)* ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei et ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civi-

---

[10]) Vid. *Uhrig,* System des Eherechtes p. 228 et 229.

[11]) S. Alphons. de Lig. lib. 6. de matr. c. 2. n. 880. *Klee,* Dogm. III. p. 377. Alii (e. gr. *Vecchiotti*) dicunt, materiam proximam esse traditionem juris in corpora, mutuam vero acceptationem, seu consensum exterius expressum, formam constituere. Nimirum hujus sententiae propugnatores in determinanda materia et forma matrimonii in diversas abeunt sententias. Videatur *Uhrig* l. c. p. 237, qui novem doctorum opiniones recenset.

[12]) Nonnulli utramque sententiam repugnantem ita conciliare studuerunt, ut dicerent, sacramentalis gratiae minorem quasi mensuram ab ipsis contrahentibus ministrari, gratiae vero plenitudinem nonnisi sacerdotis benedictione conferri. Ita Gulielm. Paris. de baptismo c. 1; de 7 sacram. c. 26; de matrim. c. 9.

tate: ordinatur etiam ad perpetuitatem ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit. Unde oportet, ut hujusmodi generatio a diversis dirigatur.»[1]) Scilicet ex hac triplici relatione triplex legum genus resultat, quibus matrimonium dirigitur: naturalium, civilium et ecclesiasticarum. Consequenter nonnisi illud matrimonium vere *legitimum* erit, quod conformiter ad hoc triplex legum genus contractum fuit. Verum gravissima hic exoritur quaestio, cuinam *a potiori* competat potestas tum *legislativa* tum *judicialis* circa matrimonium fidelium, seu cui competat 1. potestas statuendi modum et conditiones illud ineundi etc.; 2. cui competat dubia dirimere quoad matrimonium exorta, puta, utrum validum sit, an invalidum, utrum separatio a toro et mensa licita sit nec ne. Praecipue vero lis in eo vertitur, utrum ecclesia an civitas leges condere possit, quae ipsum vinculum internamque conjugii validitatem afficiunt vel quod idem est: quisnam jure polleat *statuendi impedimenta matrimonium dirimentia?* Etenim jus istud est pars praecipua illius legislationis, quae pertinet ad jus matrimoniale. Proin illius potestatis, quae hoc jure gaudet, partes potiores erunt in legislatione matrimoniali. Porro quia ad eum, qui leges tulit etiam spectat de legum executione judicare; consequens est, juri leges ferendi etiam jurisdictionem in matrimonialibus adjunctam esse.

Jus ecclesiae statuendi impedimenta dirimentia probatur:

Hisce praemonitis sequentem propositionem statuimus: *Ecclesia jure proprio et intrinseco potest statuere impedimenta dirimentia matrimonium fidelium.*[2]) Id probari potest:

1. Ex s. scriptura.

1. *Ex s. scriptura.* Divinus Servator, dum contra morem apud judaeos inductum matrimonii nexum absolute indissolubilem esse declaravit, hoc ipso impedimentum ligaminis eo modo, quo in ecclesia exstat, constituit, suaque agendi ratione ecclesiae indicavit, ut et ipsa, quae ad matrimonii valorem pertinent, ordinaret et contractum conjugalem suae potestati clavium subjiceret. Idem concludere licet ex B. Pauli agendi modo, qui regulas dedit pro matrimoniis, quorum alteruter conjux fidem christianam amplexus est, docens, quando ejusmodi matrimonia solvi possint, et quando non possint.[3])

[1]) Contra gentes lib. 4. c. 78.

[2]) Circa matrimonia *infidelium* communior sententia cum *Sanchez* (de s. matrimonii Sacramento lib. 7 disp. 3. n. 5—9) et aliis praesertim antiquioribus jus statuendi matrimonia impedimenta dirimentia asserit principibus, ita quidem, ut subditi coram Deo quoque ligentur, eorumque matrimonia, quibus obsunt ejusmodi impedimenta irritantia a lege civili statuta, non solum illicita, sed omnino invalida sint. Alii tamen, praesertim recentiores e. gr. *Perrone, Muzarelli, Martin, Heuser, Feije* (p. 48) etc. sat solide tuentur, populorum rectores, sive infideles, sive haereticos nullam unquam habuisse potestatem in matrimonium etiam infidelium, nisi ratione effectuum mere civilium. Cfr. *Scavini,* Theol. mor. tom. 3. n. 775.

[3]) I. Cor. VII. 13—15.

2. Ex Tridentino.

2. *Ex definitione dogmatica Concilii Tridentini:* «Si quis dixerit, ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.»[4]) Hoc canone jus ecclesiae ad liquidum exprimitur, adeo, ut pro homine catholico res decisa esse debeat. Si qui fuerunt, qui vim hujus canonis infringere volentes dicerent, eum non esse dogmaticum sed mere disciplinarem, vel eum sic intelligendum esse, quasi jus istud ex concilii declaratione ecclesiae nonnisi ex conniventia vel licentia principum competat; quivis cordatus libenter dabit, hujusmodi argutias potius ad risum movendum quam ad solidam persuasionem generandam comparatas esse, ab ipsisque earum auctoribus vix serio sustineri. Idque tanto magis, postquam doctrina synodi Pistoriensis asserens, *ad civilem potestatem dumtaxat originarie spectare* contractui matrimonii *apponere impedimenta .... dirimentia,* et *ecclesiam nonnisi supposito consensu vel conniventia principum potuisse juste constituere hujusmodi impedimenta,* tanquam haeretica confixa est.[5]) Idem prorsus elucet ex his duabus sententiis in Syllab. reprobatis: «Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt (n. 68).» Et: «Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat (n. 69).»

3. Ex natura matrim. christiani.

3. *Ex natura matrimonii christiani.* Matrimonium inter christianos Sacramentum est, adeo quidem, ut ratio Sacramenti a contractu separari nequeat. Si vero quodvis fidelium conjugium rationem habet Sacramenti, solius ecclesiae est impedimenta dirimentia statuere. *Antecedens* sic probatur. Contractum et Sacramentum ab invicem scindi non posse, infertur inprimis *a)* ex eo,

---

[4]) Sess. XXIV. can. 4. Cfr. can. 3.

[5]) Const. «Auctorem fidei» Propos. 59. — Leo XIII. (l. c. s. v. «Attamen»): «Illud enim, ait, quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone.» Cfr. Litt Pii IX. ad Vict. Emmanuelem 19. Sept. 1852. Videatur *Perrone,* Compendium Propos. II. et III. p. 476, ubi auctor ineptias Launoji tam copiose refutat, ut homini tam obscuro honorem longe majorem, quam par est, deferre videatur. Launojum presso pede sequitur *Dolliner,* qui (Handbuch des in Oesterreich geltenden Eherechts I. p. 41. seq.) has propositiones defendit. 1. Sola civitas potest statuere impedimenta matrimonium dirimentia. 2. Ecclesia jure proprio eadem statuere nequit. 3. Sed solum ex conniventia principum. 4. At impedimenta, ab ecclesia taliter constituta, a civitate abrogari possunt, ita ut omni valore excidant! Cfr. *Feije,* de imped. et dispens. matrimonialibus p. 2. seq.

quod Christus matrimonium inter fideles initum symbolum suae conjunctionis cum ecclesia esse voluit, et quidem symbolum gratiam habens adnexam (seu quod idem est), voluit per se jam esse Sacramentum, quin definiret, hanc gratiam sacerdotis demum benedictione ad contractum accedere. Imo, ait Leo XIII. l. c., nihil magis abhorret a veritate, «quam esse Sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitrio queat.» Etenim sicut in ceteris Sacramentis, ut signum visibile et gratia significata eodem instanti apparent, idem plane in Sacramento matrimonii intervenire debet. Jam vero in matrimonio illud signum externum gratiam significans et efficiens est perdurans vinculum, quod ex valido contractu oritur. Igitur eodem momento, quo hoc signum externum ponitur, nempe quo consensus matrimonialis perficitur, etiam sacramentum ponatur necesse est, prout in reliquis Sacramentis id obtinet. Ergo vis Sacramenti simul ac contractus perficitur, exordium sumit, ideoque ab eo separari non potest. *b)* Similiter ecclesia in concilio tam Florentino quam Tridentino absque ulteriori distinctione docuit, matrimonium inter fideles vere et proprie esse Sacramentum. Ergo jure divino ac publico contractui matrimonii adnexa est significatio sacra et promissio gratiae sacramentalis, et proinde ubi lex divina et publica non distinguit, nec nos distinguere debemus, sed dicere: «Quemadmodum matrimonium iniri non potest mere ut Sacramentum, quin fiat contractus, ita nec contractus conjugalis inter christianos fieri potest, quin adsit Sacramentum.» *c)* Idem confirmatur usu loquendi in lege canonica recepto. Secundum canones[6]) matrimonia fidelium non tantum dicuntur *legitima,* ut infidelium, sed *rata,* i. e. undequaque confirmata seu perfecta, quod idem est ac sacramentalia.[7]) — Quodsi vero quivis legitimus christianorum contractus matrimonialis hoc ipso est Sacramentum, *consequens* inde est, ipsum contractum jurisdictioni ecclesiasticae subjectum esse quoad ea, quae pertinent ad substantiam sacramenti, et quae proinde jure divino non sunt determinata, quia absurdum esset, jus aliquod legislativum spectans ad valorem Sacramentorum principibus asserere. Igitur solius ecclesiae est determinare, quandonam matrimonium sit validum et quando invalidum. Quod idem est, ac impedimenta dirimentia constituere.[8])

[6]) c. 7. de divort. X. (IV. 19), ubi matrimonia fidelium ideo rata esse dicuntur, *quia Sacramentum fidei ratum efficit conjugii Sacramentum.* Quibus verbis Innocent. III. declarat, rationem Sacramenti, quae matrimonio inest, a baptismo, minime vero a benedictione sacerdotis derivari.

[7]) *Zallinger,* Instit. juris eccles. lib. 4. p. 14. seq.

[8]) Hanc conclusionem, ait cl. *Perrone* (de matrim. n. 169. Praelection. dogmat.), agnovit ipse Calvinus, qui propterea scripsit: «Ubi enim semel

4. Ex historia et traditione.

4. *Ex historia et traditione.* Ecclesia jam prima suae fundationis aetate matrimonium legibus dirigere aggressa est. Sed dici vix potest, quanto certamine adversus ethnicorum leges et inveteratas pravitatum consuetudines opus fuerit, donec praesules matrimonium ad eam, quae decet sanctos, honestatem conformarent. Nec sub ipsis christianis imperatoribus ethnicas leges prorsus eliminare potuerunt, sed populis demum Germanicis in ecclesiam ingressis, leges ecclesiae legibus saeculi praevalere coeperunt et deinceps in magno ubique honore sunt habitae, multisque aetatibus cultae. Sicque mille annorum spatio ecclesia fidelium matrimonia suis legibus regulavit, atque impedimenta matrimonii, nemine contradicente, constituit. — Sic v. gr. concilium Neocaesariense (314) constituit impedimentum *affinitatis,* perinde ac conc. Illiberitanum. Impedimentum *publicae honestatis* constitutum fuit a Siricio,[9]) impedimentum voti a concilio Illiberitano, Carthagin. IV., Chalcedonensi, item a Siricio et Innocentio I. De impedimento raptus egit synodus Ancyrana (314), nec non synodus Chalcedonensis et Symmachus Papa. De impedimento criminis ab ecclesia instituto certum est ex concilio Altheimensi.[10]) Eandem auctoritatem in statuendis et rejiciendis matrimonii impedimentis etiam concilium Tridentinum manifestavit, et quidem etiam contra leges politicas. Seculo demum 17. nonnulli assentatores principum, et quidem n Galliis primum, illud jus ab ecclesia praesulibus tamdiu possessum impugnarunt, vestigiis reformatorum saeculi 16. ingressi, qui matrimonii sanctitatem procaciter conculcarunt, illudque mere ut contractum civilem et politicum legibus saeculi subjecerunt.

§ 155. Potestas legislativa civitati quoad matrimonium competens.

Jus praedictum non etiam statui civili competit.

1. Non pauci tam ex Gallia quam ex Germania theologi contendunt, jus constituendi impedimenta, quae ipsum matrimonii vinculum afficiunt, aeque principibus competere, ac id competit ecclesiae. Ac falsum hoc esse evincitur:

Probatur: a. Ex antecedentibus.

a) ex antecedentibus. Etenim matrimonium est Sacramentum, ita quidem ut contractus et Sacramentum identificentur per unum eundemque actum. Atqui solius ecclesiae munus est declarare,

---

obtinuere (catholici), matrimonium esse Sacramentum, conjugalium causarum cognitionem ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attrectanda.» Instit. lib. 4. c. 10. § 37.

[9]) In epist. ad Himerium Tarracon. c. 4. apud *Coustant,* col. 628; Cfr. Encycl. Leonis VIII. s. voce «Attamen.»

[10]) *Perrone* l. c. n. 215. Cfr. c. 20. C. XXXV. qu. 2. et 3; c. 8. 10. — c. 1. 5. X. (IV. 19).

quaenam legitima Sacramentorum materia sit. Quis crediderit, Christum materiam proximam Sacramenti matrimonii principibus determinandam reliquisse, cum leges civiles sint difformes, variabiles et quandoque etiam honestati matrimonii repugnantes! Denique absurdum esset, statuere *duo suprema* in eodem genere, quae unum eundemque hominem in oppositas partes agerent, quod sanae rationi repugnat.

b. Ex ecclesiae praxi.

b) Ex constanti ecclesiae praxi. Enimvero ecclesia hujusmodi jus civitatis nunquam agnovit, sed semper sibi soli vindicavit. Siquidem conjugia suis legibus conformia nunquam non pro validis declaravit, etsi forsitan juxta leges civiles irrita essent, et a codice etiam christianorum principum rejicerentur. Sic e. gr. matrimonia servorum ab ipsa pro veris et validis probata sunt contra leges politicas, quae inter servos non matrimonium, sed contubernium potestati dominorum subjectum agnoscebant.[1]) Item matrimonia cum alienigena, quae apud Saxones et Francos omni valore carebant, a synodo Triburiensi tanquam valida declarata sunt.[2]) Concilium Trident. contra leges civiles et principum petitiones matrimonia clandestina ante idem concilium inita sub anathematis poena valida habenda esse declaravit idemque de matrimoniis minorennium absque parentum consensu contractis enuntiavit.[3]) Pontifices e. gr. Benedictus XIV., Pius VI., Gregorius XVI. constanter edixerunt, ex legum canonicarum executione omnem connubiis vim et robur pendere.[4]) Quapropter cum s. Thoma concludendum est: «Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdixit.»[5])

c. Diluuntur argumenta in contrarium.

c) Ex falsitate totius adversariorum ratiocinii. Duo axiomata sunt, quibus adversarii conclusiunculas suas inaedificare solent. Primum est, contractum a Sacramento in matrimoniis fidelium separari posse. Sed hoc principium omni fundamento destitui, ex antecedentibus ad liquidum apparet. Secundum est, materiam hujus Sacramenti esse contractum civilem, hunc vero adinstar reliquorum contractuum potestati politicae subjectum esse. Christum, ajunt, licet huic contractui dignitatem Sacramenti addiderit, nihil tamen de principum potestate detraxisse, et proin ecclesiam

---

[1]) c. 1. X. (IV. 9). *Perrone* l. c. n. 230. seq.

[2]) *Adam Bremens.*, hist. eccles. lib. 1. c. 5.

[3]) Sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim.

[4]) S. Congr. Conc. in Instruct. ad ēppum Brixinens. data declaravit (1804), matrimonia fidelium, quibus nullum obstat impedimentum, valida permanere, qualiacunque impedimenta a saeculari potestate perperam ac nulliter constituta essent.

[5]) Dist. 42. qu. 2. a. 2.

circa illum haud posse aliquam exercere jurisdictionem. Ad haec sic respondere licet:

α) Hallucinantur, qui in matrimonio christiano nihil fere, nisi contractum conspiciunt, et momentum duntaxat juridicum commemorant, cum proprie matrimonii vis non in contractu consistat, sed plurima alia sint, quae matrimonium constituunt. Qui ad sublimiorem ideam matrimonii, quam solius contractus non assurgunt, ex ipso jure Romano pleniorem cognitionem haurire possunt, quod matrimonium concipit tanquam *omnis vitae, omnis humani divinique juris consortium.*

β) Matrimonium, etsi dicatur contractus, tamen toto caelo a ceteris contractibus differt. Scil. distingui potest matrimonium *in fieri* et *matrimonium in facto,* seu relatio perdurans, quae provenit ex matrimonio contracto. Dum matrimonium *fit* seu initur, ex una parte utique fit per contractum sponsorum, quia hi in unum idemque consentiunt, ut scilicet jus mutuum in corpora invicem sibi tradant, sicque matrimonium vere *contrahant.* Ex altera parte tamen sic matrimonium ineundo non faciunt contractum more ceterorum contractuum. Nam in ceteris contractibus ipsi contrahentes statuunt leges et conditiones contractus, in contrahendo vero matrimonio non possunt determinare contractum, quia quae in matrimonio promittuntur, non ut in reliquis pactis, contrahentium arbitrio subjecta, sed jure naturali et ecclesiastico jam exacte determinata sunt. Rectius ergo fors dicendum esset, matrimonium *per contractum* iniri, quam esse contractum. Quod attinet matrimonium *in facto,* istud non constituit meram juridicam relationem, sed habet rationem instituti moralis cum certis et immutabilibus obligationibus et oneribus, quae immutari aut declinari a conjugibus nequeunt. Dum nimirum in ceteris contractibus valet regula: «Mutuo dissensu solvi posse, quae mutuo consensu sunt conclusa,» matrimonii obligationes ac leges et praesertim vinculum illius perpetuum, nullatenus a voluntate contrahentium pendent, ergo non existunt vi legis contractus, sed vi legis divinae et ecclesiasticae. Haec omnia probant, matrimonium, si dicatur contractus, longe sublimioris ordinis esse, quam sunt ceteri contractus mere temporales. Denique obligationes ex hoc contractu resultantes talis sunt indolis, ut earum complementum vi physica extorqueri nequeat, sed totum fere a libera conjugum voluntate pendeat. Idcirco necesse est, ut hujusmodi contractus illi potestati subjaceat, quae in ipsam hominum conscientiam vim suam protendit, mediisque spiritualibus contractus impletionem procurare valet.

γ) Christus non contractum *civilem* pro materia Sacramenti constituit, quia sic materia Sacramenti variabilis, difformis et haud

raro iniquis legibus depravata esset; neque etiam, ut alii volunt, contractum *naturalem* seu illum, qui juri naturae ex asse conveniens est, sed illum contractum, qui legibus ecclesiae quoad omnia respondet, seu qualem ecclesia quoad solemnitates et personarum habilitatem praescribit. Talis contractus, utpote ad dignitatem Sacramenti evectus, hoc ipso e sphaera rerum naturalium ad altiorem ordinem translatus atque juris divini et ecclesiastici ultro factus est. Immerito tamen querimoniae jactantur, principum juribus in hac re derogatum esse. Etenim Christus, dum vinculum ipsum matrimonii principum juribus subtraxit, principes longe compensavit per suam divinam religionem, ex qua principatuum firmitas pendet et per sanctitatem, quam conjugiis subditorum impertivit.

Ex quibus illucescit, potestatem saecularem nihil omnino valere quoad matrimonia fidelium sive quatenus sunt Sacramentum, sive quatenus habent rationem contractus; nam materia contractus ex indole et natura sua subducta est imperio principum. Potest ergo *privative* ecclesia ordinare, quae ad vinculum et ad substantiam matrimonii pertinent. — Et quidem in ecclesia tum Papa tum concilia oecumenica constituere valent impedimenta tum dirimentia tum prohibentia; episcopis vero et conciliis particularibus fas quidem *per se* esse dicunt, ut statuant impedimenta impedientia; attamen haec potestas ex eo non practicabilis esse censetur, quod in impedimento prohibente pro subditis generaliter constituendo periculum possit[6]) esse impingendi in jus commune (§ 118. 2).

Potestati saeculari competit statuere impedim. prohibentia.

2. *Auctoritas saecularis potest ratione matrimonii ea statuere, quae ordinem politicum respiciunt, et proinde etiam statueve impedimenta mere prohibentia.*

Ratio petitur ex nexu matrimonii cum re politica. Siquidem matrimonium fundamentum est societatis civilis idemque permultas relationes juridicas annexas et implicatas habet, atque haud paucae res externae et temporales inde pendent. Pendent legitimi aut illegitimi natales prolium, earundem jura, successiones et haereditates, causae dotis et donationis propter nuptias, imo et ordo succedendi in ativa majorum regna et jura. Hae res omnes pro natura sua legibus civilibus subjacent, earumque potestatem intactam principibus Christus reliquit, ita, ut ipsis circa conjugia ea statuere fas sit, quae ad bonum reipublicae et tranquillitatem familiarum conducere possint, quaeque respiciant effectus civiles

---

[6]) *Feije* n. 73. 74; *De Angelis* tit. 1. p. 49. dicit, Ordinarios non posse proponere talia impedimenta *per modum regulae* propter rationem uniformitatis, bene vero *ad modum praecepti* in casu particulari (cfr. § 181. 3), quia hoc modo potius impediunt infractionem legis ecclesiasticae. Bened. XIV. lib. 8. c. 14. n. 5.

et externos.[7]) Hanc ob causam potest auctoritas civilis, quoties bonum publicum id exigat, quasdam conditiones in matrimonio apponere etiam in forma impedimentorum impedientium, ita, ut quaedam matrimonia e. gr. minorennium, militarium, quorundam officialium, prohibeat, et hanc prohibitionem etiam aliqua sanctione poenali communiat e. gr. mulctis pecuniariis, carcere, amissione jurium vel subtractione quorundam effectuum civilium, qui alias ex lege matrimonia comitantur. Et hujusmodi impedimenta a lege civili statuta *generatim* etiam obligant in conscientia. Etiam tunc, ubi lex civilis sibi arrogavit statuere impedimenta *dirimentia,* obligant subditos (ubi sine conflictu legis divinae et ecclesiasticae servari possunt) scil. tanquam prohibentia et quidem vel ex eo, ut damna avertantur a conjugibus eorumque filiis.

Eadem debet ratihabere matrimonia coram ecclesia valida.

3. *Potestas saecularis christiana matrimonii valorem ad legum ecclesiasticarum normas dijudicare easque omnino agnoscere debet.* Corollarium est ex praecedentibus. Nam si sola ecclesia ea potest decernere, quae vinculum matrimonii respiciunt, civitas vero tantummodo effectus connubii civiles moderari; exinde colligitur, ea matrimonia a civitate tanquam valida habenda esse, quae ab ecclesia rata habentur, illa vero ut invalida rejicienda, quae ab ecclesia rejiciuntur. Jus quippe moderandi civiles matrimonii effectus non eousque extendere licet, quasi gubernio saeculari fas esset certo cuidam connubio *omnes* prorsus effectus civiles subtrahere, illudque in suo foro hoc solo obtentu ceu irritum declarare, quod idem contra legum civilium praescriptiones contractum sit. Si enim hoc jus civitati competeret tunc *indirecte* statueret de validitate matrimonii, duplex valor matrimonii distingueretur, alter in foro ecclesiae, alter in foro civili; hoc vero absurdum esset, perturbationes et continuas lites inter sacerdotium et imperium generaret, imo et morum honestatem periclitaretur. Ergo quoties agitur de valore matrimonii, alias normas civitas de jure non potest sequi, nisi quas sequitur et servat ecclesia.[8])

---

[7]) Non solum medio aevo sed et longo tempore post recensitos civiles effectus ecclesia moderata est. Id tantum ex conniventia et concessione principum fieri potuisse, per se intelligitur, videlicet juxta principium: «Accessorium sequitur suum principale.»

[8]) Minus recte loquuntur, qui dicunt, ecclesiam posse statuere impedimenta, civitati vero fas esse connubiis a se prohibitis civiles effectus subtrahere. Id certe non de *omnibus* effectibus civilibus intelligi debet. Quid enim si civitas matrimonium ab ecclesia agnitum pro concubinatu declararet, illud solvi juberet, sobolem inde procreatam tanquam illegitimam haberet? An hoc aliud esset, quam statuere impedimenta dirimentia in foro civili? — In tali suppositione eadem res sub eodem respectu ad duos diversos dominos absolutos pertineret, quod absonum imo et *practice* impossibile est. Conveniunt haec cum iis, quae Pius IX. in lit. ad regem Sardiniae datis (19. Sept.

§ 156. Jurisdictio in causis matrimonialibus.

Cujus quis legibus ligatur, ejus etiam sortitur forum.

1. *Causae matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectant.* Hoc 1. sequitur ex antecedentibus. Est enim axioma apud omnes receptum: ejus, qui legem tulit, esse etiam judicare res litigiosas hanc legem concernentes, vel: illum qui habet potestatem legislativam in certa re, habere etiam potestatem judiciariam in eadem re. Jam vero, cum competat ecclesiae quoad substantialia matrimonii leges condere, eidem etiam jus competere debet dirimendi dubia circa applicationem legum suarum exorta. 2. Id expresse definitum est in Concilio Tridentino:[1] «Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.» Per causas matrimoniales concilium illas solas intelligit, quae vinculum matrimonii seu Sacramentum concernunt, minime vero eas, quae huic vinculo extrinsecae sunt et circa effectus civiles versantur. Illae causae *omnes* ad *solos* judices ecclesiasticos spectant, uti Pius VI. in Brevi ad episcopum Motulensem dato (16. Sept. 1788) declaravit.[2] Causae civiles (§ praeced. n. 2) ad judicem saecularem pertinent.[3]

Ad causas matrim. etiam sponsalia pertinent.

2. *Ad causas matrimoniales* inprimis illae *pertinent, quae immediate matrimonium concernunt,* scilicet quaestiones de judicando valore matrimonii, de separatione conjugum a toro et mensa, denique de declaratione nullitatis matrimonii ejusque solutione. Praeterea vi connexionis ad has causas etiam sponsalia pertinent. Probatur 1. ex eorum natura. Sunt enim praeviae praeparationes, quae ad Sacramentum disponunt, tum vero ex iis etiam impedimenta ecclesiastica enascuntur. 2. Ex definitione ecclesiae; siquidem Pius VI. in Constit. «Auctorem fidei» declaravit: «Propositio (scil. Synodi Pistoriensis), quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri ecclesiae, *falsa, juris ecclesiae quoad effectus*

1852) scripsit: «Lex civilis proficiscatur a validitate vel invaliditate matrimonii, *ut fuerit determinata* ab ecclesia, et ab hoc facto, quod constituere extra illius ordinem est, profecta, deinde disponat de civilibus effectibus.» *Bellarmin.*, de matrim. c. 21. n. 44. *Perrone*, Praelect. dogmat. de matrim. n. 233 et 244. *Schulte*, Erläuterungen des Gesetzes über die Ehen der Katholiken in Oesterreich. Prag 1856. p. 2. seq.

[1]) Sess. XXIV. can. 12. de matrim.

[2]) Apud *Perrone* l. c. n. 259; cfr. Breve Pii VII. ad Carol. de Dalberg 8. Oct. 1803.

[3]) Econtrario art. 3 novae legis d. 25. Maj. 1868 causae matrimoniales *omnes* foro saeculari addicuntur. — In Hungaria usque ad a. 1868 causae matrimoniales *omnes*, etiam mere civiles foro ecclesiastico attributae erant.

etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans» n. 58. Similiter Pius IX. sequentem propositionem damnavit: «Causae matrimoniales et sponsaliae suapte natura ad forum civile pertinent.» Syll. n. 74.

§ 157. Quales hodie sint leges civiles respectu matrimonii.

1. Matrimonia catholica.

1. In nonnullis regionibus hactenus quidem potestas ecclesiae tum legislativa tum judiciaria intuitu matrimonii recognita est, sed tamen non sine quibusdam exceptionibus et limitationibus a civili auctoritate positis. Hic rerum status invenitur in regno Hungariae, Bavariae, Saxoniae, aliisque ditionibus Germaniae. In regno Borussiae ex anno 1850 jurisdictio episcoporum in causis matrimonialibus pro foro ecclesiastico tantum agnoscebatur. Ad hanc vero eccles. jurisdictionem exequendam publici officiales jussi erant promtis animis operam et juvamen praestare.

Matrim. quod dicitur civile,

2. Sed hodie ubique omnia tendunt ad inductionem matrimonii, quod dicitur *civile,* quod legibus Galliae (in codice Napoleonis I.), item in statibus confoederatis Americae, in Anglia, in Batavia, in Belgio, in regno Italiae, in tota Germania etc. introductum est. Est vero matrimonium civile[1]) illud, quod mere juxta leges civiles coram magistratu civili contrahitur et ex sola forma servata in foro civili omne robur, omnemque valorem accipit, quin ulla ecclesiae actio requiratur. Interventio ecclesiae contrahentibus ad summum *conceditur,* sed tamen utplurimum non licet actum sacramentalem coram parocho peragere, nisi *post* factam declarationem coram praetore. Distinguitur vero triplex genus matrimonii civilis; *facultativum, obligatorium,* denique illud quod ad quosdam casus *necessitatis* (e. g. quando parochus ob legem ecclesiasticam contrariam recusat assistere) adstrictum est (Noth-Civilehe). *Facultativum,* si arbitrio contrahentium relinquitur *vel* coram parocho, *vel* coram praetore consensum declarare; *obligatorium,* si contractio matrimonii coram praetore pro valore matrimonii in foro civili exclusive exigitur; *tertium* denique *genus* tunc solummodo a potestate civili permittitur validumque habetur, ubi ministri ecclesiae vi legis ecclesiasticae intervenire prohibentur ideoque copulationem detrectant. Hoc genus invectum est in plures ditiones Germaniae (sc. olim in regnum Württembergae, in ducatum Oldenburg. etc.) et a. 1868 etiam in imperium Austriacum.

Notio.

Triplex genus.

[1]) Distingui potest matrimonium *civile,* quatenus legibus civilibus conveniens est, vel etiam quatenus contractum est coram praetore sed postea cohonestatum ab ecclesia, et matrimonium *mere* civile, quod sine omni ecclesiae interventione contractum est.

Institutum matrimonii civilis reprobari debet, quia 1. ille actus coram praetore, *in se* consideratus in locis, ubi decretum Tridentinum *Tametsi* viget, propter impedimentum clandestinatis (§ 192) nullus prorsus et irritus est. Propterea ejusmodi matrimonium civile nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractus ullo modo haberi potest; quin potius illud non aliud esse quam civile contubernium, imo (prout Pius IX. in Alloc. d. 17. Dec. 1860 declaravit) «legalem concubinatum cum extremo animarum detrimento», proinde filios ex eo natos illegitimos reputandos esse, tum ex antea deductis tum ex repetitis summi Pontificis oraculis[2]) luculenter patet. Satis est ad confirmationem doctrinae supra propositae §§ 150. 151) adducere, quae Pius IX. in sua Alloc. d. 27. Sept. 1851 solemniter exposuit, scil.: *Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo institutum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri ac mulieris praeter sacramentum conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, aliud non esse, nisi turpem et exitialem concubinatum ab ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.* Idem prorsus elucet ex propositione damnata (Syll. n. 73): *Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.* 2. Ex matrimonio civili multa proveniunt mala,[3]) quae non ex lege tantum, sed etiam ex perversa nupturientium voluntate oriuntur, si v. gr. hi contractu civili contenti Sacramentum ipsum negligere audent, vel si legitimi conjuges, soluto (a regimine saeculari) contractu civili, nulla vinculi matrimonialis ratione habita, novum contractum coram civili gubernio ineunt. Aliud incommodum oritur, si (uti in Gallia, Italia etc.) parochi matrimonio assistere vetantur, nisi prius testimonio scripto probatum sit, contractum civilem coram praetore jam initum esse. Ex hac lege, qua susceptio Sacramenti actui mere civili subjicitur, ulterius haud raro fieri solet, ut propter aliquod impedimentum mere *civile* contractus coram magistratu impossibilis evadat, ac propterea Sacramentum denegari debeat sponsis, qui deinceps, a matrimonio repulsi, non raro in turpissimo concubinatu vivunt. Porro quia impedimenta civilia in multis

---

[2]) Lit. apost. (contra Joann. Nuytz) 22. Aug. 1851; Lettera d. s. s. Pio IX. al Re di Sardegna 19. Settembre 1852; Alloc. 27. Sept. 1852 (contra gubern. Subalpin.); Alloc. 17. Dec. 1860. Cfr. *Schrader*, der Papst etc. fasc. 1. et 2; Encycl. Leonis XIII. cit.

[3]) Cfr. *Moy*, Archiv. t. 2. p. 8, 464, 486; t. 24. p. 8.

divergunt a lege ecclesiastica, saepissime fit, ut matrimonium aliud validum habeatur in foro civili, aliud in foro ecclesiastico; ex qua repugnantia frequenter enascuntur vulnera conscientiae et canonum praevaricationes in ruinam animarum. Denique (ut nihil dicam, matrimonia mere civilia saepissime infelices exitus habere, ac christianam filiorum educationem sperari ab iis nunquam posse) illud praeteriri non potest, quod potestas civilis, legislatione matrimoniali semel usurpata, ulterius semper progredi solet, imo usque ad theoriam de matrimonii dissolubilitate, i. e. usque ad ipsam juris naturalis infractionem, id quod hodie in Italia attentari cum horrore conspicimus! En ergo effectus, si sententia illa: «Ecclesia libera in statu libero» applicatur ad causas matrimoniales![4])

3. Legislatio Austriaca.

3. In Imperio Austriaco intuitu legislationis et jurisdictionis circa causas matrimoniales tres diversae epochae commode distingui possunt:

Legislatio Jos. II.

a. Legislatio Josephina et postea sequens (ab a. 1781—1856)[5]) hoc summum principium tenuit, matrimonium tanquam contractum civilem adinstar aliorum contractuum auctoritati civili omnino subjici, ideoque illam solam posse tum impedimenta dirimentia statuere in iisque dispensare,[6]) tum judicare in omnibus causis matrimonialibus. Sacerdotio nihil fere relinquebatur, nisi contractum matrimonialem per benedictionem (uti putabatur) ad dignitatem Sacramenti elevare. Accedit, quod haec legislatio, *materialiter* spectata, legi cononicae in compluribus capitibus contraria erat, unde haud leves perturbationes sunt exortae.

---

[4]) Pro praxi notanda est instructio s. Poenitentiariae apost. circa matrimonium civile de 15. Jan. 1866 emissa, in qua hae potissimum normae continentur: 1. Si quis in civili matrimonio esse persistit, absolutione indignus est, usquedum praescriptionibus ecclesiae se subjiciens ad poenitentiam convertatur. 2. Etsi solum matrimonium in facie ecclesiae contractum sit validum, tamen ad vexationes vitandas, et ad consequendos effectus civiles, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut fideles postquam matrimonium legitime contraxerint coram ecclesia, se sistant coram magistratu, actum lege civili decretum exequuturi, ea tamen intentione (uti loquitur Bened. XIV. [in Brevi «Redditae nobis» d. 17. Sept. 1746]), ut sistendo se gubernii officiali, nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur. 3. Qui aliquo impedimento civili detinentur, non promiscue, sed nonnisi multa cum cautela et prudentia ad matrimonium ecclesiasticum admittendi sunt. 4. Si sponsi lege coacti *prius* actum *civilem* peragere debeant, quam matrimonium coram ecclesia celebraverunt, tunc omni diligentia utendum est, ut matrimonium coram ecclesia quam primum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant. Acta I. 508. Cfr. *Vecchiotti* op. cit. Append. I, P. II. p. 479.

[5]) Litterae patentes Josephi II. d. 16. Jan. 1783 translatae sunt in codicem civilem Austr. (Cap. II.), qui 1. Jan. 1812 valere coepit.

[6]) Et hoc etiam (quis credat!) pro foro interno. Ceterum systema dispensationem matrimonialium intra 40 annos plures mutationes subiit. Vid. *Dolliner* (op. cit. II. p. 12 seq.), qui *octo* mutationum epochas recenset.

b. Haec legislatio per Concordatum (art. X.) et deinceps per legem caesar. d. 8. Octobr. 1856 abrogata est, aliaeque leges s. canonibus omnino conformes sunt sancitae hujus fere tenoris: Inter catholicos nullum aliud matrimonium pro legitimo reputari nisi quod in foro ecclesiae sit validum, et servatis omnibus praescriptionibus ecclesiasticis contractum. Item judicis ecclesiastici esse, de causis matrimonialibus juxta canones et Tridentini cumprimis decreta judicium ferre, *civilibus* tantum effectibus ad judicem saecularem remissis. Ad auctoritatem ecclesiasticam etiam spectare judicium de sponsalium tum existentia tum de eorum quoad matrimonium impediendum effectibus. Itemque vi harum legum integrum erat episcopis privative de causis matrimonialibus ecclesiasticis judicare, adeo, ut officiales civiles, quotiescunque eos de causis matrimonialibus *civilibus* (§ 155. 2.) cognoscere oportebat, non potuerint ipsimet judicare de valore matrimonii, de divortio faciendo, de existentia sponsalium, sed simpliciter acquiescere debuerint judicis ecclesiasticis sententiae. Exarata est a Card. Rauscher ad usum cleri et judicum ecclesiasticorum «Instructio pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci,» Romae (4. Maj. 1855) adprobata, et etiam pro foro civili tanquam valida declarata in lege civili matrimoniali d. 8. Octbr. 1856. Per concordatum statuta.

c. Novissima lex matrim. d. 25. Maji 1868 duabus partibus constat. Etenim 1. leges ad Concordati normam editae (scil. tum lex cit. d. 8. Octbr. 1856 tum quam maxime etiam «Instructio pro judiciis ecclesiasticis», abolentur, et in pristinum vigorem restituuntur veteres Austriacae leges (scil. tum quae continentur in Cod. civ. Austr. Cap. II, tum etiam quae deinceps sancitae sunt).[7]) 2. Matrimonium, quod dicunt civile inducitur, quando cujusque cultus auctoritas deneget proclamationem, respective matrimonii celebrationem ob causam, quae in legislatione civili non fundatur, aut non agnoscitur. Atque hac lege gubernium Austr. omnem ecclesiae auctoritatem et jurisdictionem circa matrimoniales causas, omniaque tribunalia de medio sustulit. Imo nec pro foro ecclesiastico externo, in hisce causis jus dicere, sed pro foro tantum *interno* disponere (seu potius responsa aut arbitria partibus dare) episcopis a publicis administris concessum est.[8]) Contra has novas Legislatio moderna.

---

[7]) Cfr. Die Ehe und das II. Hauptstück des bürg. Gesetzbuches v. Card. *Rauscher*. Wien 1868.

[8]) Publici administri hanc conclusionem ex lege fundamentali circa auctoritatem judicialem fluere asserebant, quae art. 1. dicit: «Omnis jurisdictio *in Statu* nomine imperatoris exercetur.» Cfr. Lit. episcoporum Austr. ad Ministr. praesidentem 30. Mart. 1868. Archiv. t. 19. p. 461 itemque Circulare Ministri pro rebus internis ad provinciarum praefectos 19. Febr. 1869 ibid. t. 21. p. 349. Per praedictam conclusionem omnem ecclesiae potestatem

leges episcopi uno quasi ore reclamarunt, aptaque monita et instructiones ad clerum populumque dirigere non omiserunt.[9]) Ipse denique summus Pontifex easdem in sua Alloc. d. 22. Junii 1868 reprobavit. — Rebus sic stantibus ministri catholici non possunt quidem aliud matrimonium coram Deo et ecclesia validum agnoscere, nisi quod coram ecclesia et juxta ss. canones est contractum; sed tamen eos etiam leges civiles et nosse et attendere oportet. Etenim sponsi, ut cum prole nascitura effectibus potiantur civilibus, certe se submittere debent et possunt legi civili. Hinc (ait Vecchiotti) «nemo est, qui non videat plurimum interesse, ut parochi praesertim ac confessarii praecipuas matrimonii civilis formas ac impedimenta nota apprime ac perspecta habeant.»[10]) Ceterum pro usu ecclesiastico «Instructio pro judiciis eccles.» non debetur abrogata censeri.

externam, imo et visibilis societatis characterem abjudicari, nemo non intelligit. Juxta leg. d. 25. Maj. 1868 nupturientes, a parocho repulsi, adire debent praefectum districtus politici (Kreishauptmann), vel in urbibus, quae propria habent statuta, praefectum communitatis (Bürgermeister). Afferre debent testimonium repulsae a parocho; secus a dicto praefecto parochus interpellari debet. Quodsi hic infra 8 dies vel omnino non responderit, vel negative, tunc praefectus documentum proclamationis in tabula defigit, per 3 hebdomades in ea mansurum, hisce expletis, consensum nuptialem excipit, in protocollum redigit, in matricula copulatorum notat. Parochus notificatione accepta, debet actum civilem in librum matrimoniorum referre. Ordin. minist. d. 1. Jul. 1868. § 23. *Vering*, Archiv. t. 20. p. 329 seq. — Defectus dispensationis super impedimento canonico non valet retardare contractionem matrimonii civilem. Decis. minist. pro rebus intern. 25. Mart. 1883 (*Riehl* Suppl. p. 38).

[9]) Cfr. Kathol. Stimmen aus Oesterreich. tom. II. Episcopi provinciae Bohemiae ob litteras de hac re emissas criminis perturbatae publicae quictis accusati atque rei declarati sunt. Cfr. Der Episcopat von Böhmen etc. Regensb. 1869. Brixn. Dioec.-Blatt 1868 p. 41 seq. — Ceterum episcoporum Austr. instructiones ad clerum datae in his consonant: 1. Coram ecclesia nonnisi ecclesiastica matrimonia valida sunt, quae proinde de eorum valore judicare pergit, etsi sententia desuper lata civiles effectus haud consequatur. 2. Bonum contrahentium exposcit, ut etiam praescripta civilia observentur, huncque in finem parochus nupturientes opera et consilio e. gr. in petendis dispensationibus civilibus adjuvare debet. 3. Parocho omni nisu adlaborandum est, ut contractionem cujuslibet matrimonii impediat, quod sive a civili, sive ab ecclesiastica auctoritate validum non reputetur. 4. Parochus, si contrahatur matrim. civile, omnia debet omittere, quae formalem cooperationem ad hunc actum illicitum involvant. 5. Perseverantes in tali matrimonio tractandi sunt ut publici peccatores, et absolutione sacramentali indigni habendi. 6. Mater prolem ex civili matrimonio edens ritu legitime parturientium haud est benedicenda. 7. In libro baptizatorum adnotandum est, partum esse ex matrimonio civili. 8. Separationem a thoro et mensa legitime fieri non posse nisi interveniente ecclesiae auctoritate.

[10]) Non desunt theologi, qui contrahentes, si ceremoniam civilem omittant, culpa minime vacare doceant, ob perniciosos effectus, qui exinde consequi possunt. Acta s. Sedis tom. 12. p. 168 seq.

§ 158. Variae matrimonii species et nomina.

Matrim.

1. Secundum tres gradus, per quos matrimonium ad dignitatem Sacramenti ascendit, distinguitur matrimonium verum, legitimum et ratum. *Verum* illud dicitur, quod solum legibus naturalibus conforme est (matrimonium infidelium); *legitimum,* quod secundum leges civiles (et secundum leges naturae) contrahitur ab infidelibus caretque ecclesiae auctoritate; *ratum,* quod inter fideles obtinet rationemque Sacramenti habet. Porro *ratum* dicitur, quatenus opponitur irrito. Sed matrimonium *ratum* (seu *ratum tantum)* aliam insuper significationem prae se fert opponiturque matrimonio *consummato* seu illi, quod copula carnali cosummatum et perfectum est. Matrimonium demum consummatum fidelium illam conjunctionem seu illud conjugium designat, quod inter Christum et ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum.

verum,

legitimum,

ratum,

consummatum.

Matrim. clandestinum.

2. Matrimonium *clandestinum* improprie est illud, quod non fuit promulgatum; proprie tale, quod sine parocho et duobus testibus est contractum (§ 192). Illud illicitum, hoc invalidum est.

Matrim. putativum.

3. Matrimonium *putativum* est, quod re quidem est irritum propter latens impedimentum, sed specie valet, quia coram ecclesia contractum est, alterutro saltem conjugum impedimentum bona fide ignorante. Haec ignorantia efficit, ut proles ex tali matrimonio suscepta legitima habeatur et conjuges putativi facilius dispensationem obtineant.

Matrim. conscientiae.

4. Matrimonium *in sensu ecclesiastico minus perfectum,* nempe quoad modum contrahendi est illud, quod *matrimonium conscientiae* dicitur. Hoc conjungitur quidem coram parocho ac duobus testibus confidentibus, sed ea lege, ut semper occultum maneat, ideoque tum tres proclamationes omittuntur, tum descriptio in libro consueto.[1]) Bened. XIV., qui haec matrimonia peculiari constitutione regulavit,[2]) eadem non permittit, nisi post diligentem inquisitionem ab episcopo factam, et ex urgentissimis causis, quarum unam eamque praecipuam ipse expressit: quando videlicet «vir sive femina in figura matrimonii publice degentes et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent.»[3])

---

[1]) Describendi modus is est, ut celebrato ejusmodi matrimonio indilate a sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur episcopo illius scriptum documentum cum nota loci et temporis testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Dein episcopus idem documentum transscribere debet in libro secreto sigillis munito.

[2]) Const. «Satis vobis» 17. Nov. 1741 in Bullar. Bened. XIV. tom. 1. p. 40. n. 35.

[3]) Instruct. § 84. Sed leges civiles Austr. hodiernae tale matrim. non admittunt.

Matrim. disparagium, morganaticum.

5. Matrimonium *in sensu civili imperfectum* est illud, quod dicitur *disparagium,* quod contrahitur inter personas disparis conditionis et fortunae. Hujus species est, quod *morganaticum, salicum,* sive, ut ajunt, *ad manum sinistram* contractum nuncupatur in eoque consistit, ut vir *insigni nobilitate* conspicuus uxorem minus nobilem aut nobilitate carentem ducat ea lege, ut tam uxor quam filii ex ea suscipiendi a viri ac patris dignitate juribusque status excludantur, et de bonis ejusdem non plus percipiant, quam is per gratuitam donationem in pactis nuptialibus stipulatam (Morgengabe) appromisit.[4]) Inter personas, quae *vi legis* non sunt disparis conditionis, proprio arbitratu non potest contrahi «ad manum sinistram», quia mulieri non licet cum damno filiorum cedere jure suo haereditario (Cfr. C. C. A. § 92).

CAPUT II.

De matrimonio contrahendo.

Articulus I.

De sponsalibus.

§ 159. Sponsalium notio et requisita ad valorem.

Ut matrimonium maturiore consilio debitaque deliberatione et praeparatione ineatur, sponsalia praemitti solent, quae proinde sunt quasi via et praeparatio ad nuptias.

Sponsalium notio.

Sunt vero sponsalia *promissio vera ac mutua futuri matrimonii, deliberate ac libere facta, signoque sensibili expressa inter personas determinatas et de jure habiles.* Vel brevius: sunt promissio futuri matrimonii. Sponsalia itaque conficiuntur per *contractum*, qui respicit matrimonium *futurum;* unde vocantur sponsalia *de futuro,* ut discernantur a *sponsalibus de praesenti,* quae aliud non sunt, quam contractus matrimonii ipsius, per verba consensum exprimentia de praesenti, declaratus; et haec praesertim ante Concil. Trid. in usu erant. Ex sponsalium contractu nascitur *fides* seu *obligatio sponsalitia,* quae tam quoad gravitatem quam ratione effectuum a sola *obligatione morali* haud parum differt.

Requiritur

Ad valorem sponsalium nonnulla requiruntur tum ex parte personarum contrahentium tum ex parte ipsius promissionis.

1. habilitas personarum.

1. *Personae* sponsalia contrahentes de jure habiles ad matrimonium valide ac licite ineundum esse debent. Inhabiles censendi

Inhabiles sunt

sunt, qui contrahere nequeunt aut valide aut licite. Quod quidem dupliciter esse potest, nempe vel quia generatim inhabiles sunt ad actum humanum, sive ex defectu aetatis, sive ex inopia judicii,

[4]) *Uhrig,* System p. 188 et 284. *Devoti,* Instit. II. p. 118.

vel quia inhabiles sunt ad hanc specialem promissionem, quando nempe intercedit impedimentum aut *dirimens,* aut etiam mere *impediens*. Horum omnium siquidem consensus vertitur circa rem aut impossibilem aut illicitam, ad quam nemo obligari potest. Itaque

a. Generatim ex defectu judicii,

a. *Generatim* ad actum humanum, ac propterea etiam ad sponsalia inhabiles et quidem 1. *ex inopia judicii* censentur: insani vel mente capti, adeo ut lethaliter peccare non possint; furiosi, nisi habeant lucida intervalla; itemque ebrii tempore ebrietatis contrahentes, nec non illi, qui a nativitate simul surdi et muti et coeci sunt. 2. *Ex defectu aetatis* sponsalia valida contrahi non possunt ante perfectum rationis usum, i. e. regulariter et per se loquendo ante completum septennium. Sponsalia vero post septennium completum ex dispositione ecclesiae usque ad annos pubertatis sustineri debent, quo termino elapso pro lubitu aut servari, aut dissolvi possunt.

ex defectu aetatis.

b. In specie ob impedimenta.

b. Si sponsalia contrahantur obstante aliquo *impedimento,* sic distinguendum est: 1. Si impedimentum, quo matrimonium redditur invalidum aut illicitum, non sit *perpetuum*, sed per se ipso temporis tractu cesset, v. gr. tempus vetitum, temporaneum castitatis votum, aetas impubes etc., tum procul dubio *valide* contrahuntur sponsalia, si spondentes promiserint, se illo tempore matrimonium contrahere velle, quo impedimentum istud certo cessaverit. 2. Si impedimentum nonnisi via dispensationis possit removeri, Papa autem in eo impedimento non soleat dispensare, vel spondentes causam dispensandi non habeant, tunc sponsalia sunt nulla et irrita. 3. Si vero impedimentum sit dispensabile, sufficientesque dispensandi adsint causae, et sponsalia ineantur sub expressa vel implicita[1]) conditione. *Si Papa dispensaverit,* in hoc casu, inquam, vetus et gravis est hac de re controversia ac duae sunt potissimum sententiae: affirmativa et negativa. Patroni sententiae *affirmativae* qui sc. affirmant, valida esse hujusmodi sponsalia, eadem tanquam *conditionate* valida considerant et dicunt: Quemadmodum valet contractus initus sub conditione, quae non sit turpis et impossibilis, ita licet sponsalia inire sub quavis conditione, dummodo impossibilis non sit aut turpis. Atqui illa conditio: *Si Papa dispensaverit,* tum *possibilis* est, quia supponitur, Papam posse dispensare, tum etiam *honesta;* nam licet sit contra legem, actum ponere, *cui leges obsistunt,* in nostro tamen casu actus ponitur sub conditione, *si leges sinant.* (Conf. s. Alphonsum, Moral. l. 4. n. 650.) Tales igitur spondentes (sic concludunt) obligantur ad exspectandum eventum conditionis, ad petendam dispensationem, eâque impetrâta, ad matrimonium contrahendum.

Controversia.

Sententia affirmativa.

[1]) «Conditio illa de dispensatione impetranda semper in tali promissione subintelligitur tacite apposita.» S. Alph. Theol. Mor. l. 4. n. 650.

Sententia negativa.

Adhaerentes vero sententiae *negativae* dicunt, «sponsalia inter impeditos contracta, sive sub spe sive sub conditione obtinendi dispensationem, esse semper et absolute nulla, adeo, ut obtenta dispensatione, debeant sponsi renovare consensum, quo renovato, obligatio tunc oritur sponsalium.» Probatur 1. ex ratione intrinseca. Illi enim, qui inhabiles sunt ad matrimonium, censentur etiam inhabiles ad contrahenda sponsalia, sive absolute, sive conditionate haec contrahantur. Si enim hujusmodi sponsalia conditionate contracta valerent, statim ab initio, dum contrahuntur, valida et obligatoria esse deberent. Nam dispensatio deinceps re ipsa obtenta hanc tantummodo vim habet, ut personae ex tempore obtentae et ipsis communicatae dispensationis, fiant habiles ad valida sponsalia contrahenda, non vero ut firmetur actus ante obtentam dispensationem inter personas perpetuo jure inhabiles gestus. Nam «non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit» (Reg. juris 18. in VI.) et «Vitiosum est itaque obligationis initium, ideoque concidat necesse est obligatio.»[2]) Porro dicunt, sponsalia, obstante impedimento contracta, referuntur ad rem illicitam et impossibilem, ac propterea nulla et irrita sunt. 2. Provocant ad quaedam principia juris Romani: «contractum vires accipere *ex praesenti*»; «non secundum futuri temporis jus, sed secundum praesentis aestimare debere stipulationem»; denique inferunt, merito, impossibilia dici, quae a voluntate principis pendent etc.[3]) 3. Allegantur plures tum s. Rotae tum s. C. C. decisiones,[4]) praesertim in causa Brugnat. 26. Jan. 1709; Januen. 12. Dec. 1733, in quibus s. C. C. propositio ejusmodi dubio: an sponsalia *sustineantur,* respondit *„negative“*. Et hoc quidem licet in citata causa Januen. sponsalia essent juramento confirmata et post dispensationem obtentam, sed nondum executioni demandatam, novo consensu contracta! — Argumenta favore hujus sententiae tanta sunt, ut ei adhaerendum esse censeam.[5]) Atque tam parum valent ejusmodi sponsalia, ut ne obligatio quidem eventum exspectandi adsit.[6])

[2]) Acta s. Sedis I. p. 121; *Zallinger* l. 4. § 89 seq. Cfr. Brixn. Kirchenblatt 1872 p. 193 et 217 seq., ubi sententia negativa solide defenditur.

[3]) Cfr. L. 137. Dig. 45. 1; l. 26. Dig. de stipul. serv. 45. 3.

[4]) Item recentiores; s. C. C. 27. Nov. 1858; 2. Maj. 1857; 22. Febr. 1862 (Acta s. Sed. I. p. 78. 81; ib. p. 121); s. Rot. decis. 603 part. 5. recent.; decis. 107 part. 8. recent.

[5]) *Feije* n. 394. — Stant pro sententia affirmativa (s. valere hujusmodi sponsalia): *Sanchez, Engel, Pirhing, Reiffenstuel, s. Alph.* (l. 4. n. 650, l. 6. n. 859), *Ballerini, Vecchiotti, De Angelis* etc. — Sententiam negativam amplexantur: Card. *de Luca, Berardi, Giraldi, Zallinger, Feije, Knopp, Schulte, Bangen, Phillips,* auctor op. «Acta s. S.» l. c. etc. (Cfr. Brixn. Kirchenbl. 1872 n. 10. 11.)

[6]) Idem dicendum de sponsalibus cum persona acatholica contractis. Generatim et in abstracto loquendo ejusmodi sponsalia etiam si praestentur

2. Ratione *promissionis sponsalitiae* requiritur: 2. Ut promissio sponsalitia sit seria et vera,

a) Ut sit promissio *seria et vera* i. e. non ficte vel joci causa data, sed cum consensu interno et animo se obligandi. Promissio simulate tantum aut jocandi causa facta pro foro interno, ubi fides habenda est confitenti, non inducit obligationem sponsalitiam; atvero sic promittens pro foro externo, nisi fictionem probaverit,[7]) compelli potest, ut vel matrimonium cum persona decepta contrahat, vel damnum, si quod inde redundet, compenset. Si autem virgo (vel honesta vidua) sub ficta matrimonii promissione defiorata fuerit, juxta omnes doctores ficte promittens *regulariter*[8]) tenetur eam ducere, quando nempe damnum resarciri alio modo haud potest.

b) Ut promissio sit *libera et deliberata. Libera*, quia defectus libertatis consensum ideoque contractum quemcumque excludit. Ex hoc capite 1. ea sponsalia invalida sunt, quae tali vi et metu sunt exorta, quali libertas consensus impeditur, ita, ut ejusmodi metu subsistente etiam matrimonium invalidum esset. Etenim sponsalia maxime fundantur in conjunctione animorum, seu in consensu; atqui consensus non habet locum, ubi metus et coactio interfuit. Metum alicui inferens jus adversus ipsum non habet, et vicissim vim passus nulla obligatione devincitur.[9]) 2. Si error *substantialis* in contractu sponsalitio obfuit et generatim talis error, quo etiam matrimonium dirimitur. (§§ 167. 169.) Si vero error libera et deliberata,

solitae cautiones, quae ab ecclesia exiguntur, *ob impedimentum juris ecclesiastici* pro foro externo non valent tanquam vera sponsalia, nisi remoto impedimento per dispensationem et consensus renovationem. Valere tamen possunt ex accidenti in foro interno e. gr. propter sponsae defiorationem non quidem proprie sub fide sponsalitia, sed tantum ex titulo restitutionis facienda ita, ut quis moraliter teneatur dispensationem petere, qua denegata plenam recipit libertatem. *Bangen* I. p. 42. III. p. 9; *Petra,* Comment. in Const. apost. IV. p. 42. n. 6. — Sed juxta aliquos DD. (*Kutschker* II. p. 35. *Schulte,* Eher. p. 282) omnimode valida sunt ejusmodi sponsalia saltem in regionibus, in quibus catholici permixti vivunt cum haereticis et familiariter ac pacifice agunt, scil. ex quadam ecclesiae conniventia et tolerantia. Cfr. tamen *Roscovány* (de matr. mixt. tom. 1. § 35) apud *Kutschker* l. c.

[7]) In foro externo haec axiomata attendi debent: «Verba valent sicut nummi,» et: «In foro externo censentur verba menti conformia.»

[8]) Exceptiones videantur apud moralistas. Eoque magis ad hoc tenetur deflorans sub certa, seria et deliberata matrimonii promissione. Deflorans autem vel sine matrimonii promissione vel cum vaga matrim. promissione tenetur defloratam *aut* ducere *aut* dotare. Cfr. Acta I. 342. not. 2. ib. III. 304.

[9]) *Zallinger* lib. IV. § 46. — Quidam auctores *(Schmalzgrueber* lib. IV. tit. 1. n. 427; *Santi* Lib. IV. p. 7; *De Angelis* lib. I. tit. 40. p. 385) contendunt, sponsalia etiam *gravi* metu extorta *valida* esse, sed tamen rescindi posse. Econtra *Ballerini* (n. 724. not. 1) probabile esse censet sponsalia ex metu quoque *levi* inita prorsus nulla et irrita esse. Quem tamen refutant *Vindiciae Alphons.* p. 789 seq.

committitur *accidentalis,* sponsalia dissolvi possunt juxta inferius (§ 161) dicenda. Sed etiam justa cum *deliberatione* fieri debent sponsalia. Requirunt vero talem deliberationem, quae alias ad contractuum valorem sufficit, seu ut nonnulli id exprimunt, quae sufficit ad constituendum peccatum mortale.[10])

mutua,

c) Promissio reciproca i. e. non sufficit, ut promissio unius acceptetur ab altera parte, sed etiam repromissio fieri debet, seu talis responsio aut verbis aut signis expressa, ex qua consensus sponsalitius clare elucet. Sponsalia enim in jure accensentur inter contractus bilaterales. «Sola promissio ex una parte, etiamsi fuerit admissa ab altera, ante repromissionem quidem obligare potest promittentem, non tamen obligat sub *fide sponsalitia,* nisi ante revocationem accesserit repromissio. At repromissio solet esse implicita in acceptatione.»[11]) Notandum etiam est, acceptationem sive repromissionem convenire debere cum promissione *eodem temporis momento,* alias sponsalia non conficiuntur, quia videlicet non adest consensus.[12])

cum persona determinata,

d) Promissio cum persona determinata, quia sponsalia sunt incerta, si persona non est determinata. Hinc promissio unam ex tribus sororibus ducendi, etiam si istae vicissim polliceantur, quod illa, quam elegerit, sit ipsi nuptura, obligationem sponsalitiam non efficit, licet ipse moraliter obligetur.

signo sensibili expressa.

e) Promissio signo sensibili expressa i. e. vel verbis vel aliis signis concludentibus, quae nimirum vel ex se vel ex usu communi consensum sponsalitium clare indicant. Quivis namque contractus humanus per aliquod signum externum celebratur.

---

[10]) Quoad hanc tamen posteriorem regulam recte advertunt *(Ballerini* I. ad n. 320), majorem postulari judicii discretionem ad assumendam sponsalium (aut voti) obligationem, quam quae sufficiat ad peccandum mortaliter, propterea quod ad grave peccatum satis est confuse nosse gravitatem reatus, sed requiritur perfectior cognitio ejusmodi gravis oneris, nempe talis, ut deliberantis menti obversentur adjuncta ad prudentem deliberationem scitu necessaria.

[11]) *Bangen* l. c. p. 1. 37. Homo Apost. tr. 18. n. 4. In theoria quidem dici potest cum *Schmalzgrueber* (De sponsal. n. 41 seqq.) acceptationem in se fieri posse sine repromissione. Sed in praxi saepe valida judicanda sunt sponsalia, si una pars matrimonium promittit, altera eam promissionem acceptat, licet expresse et formaliter non repromittat, e. gr. si mulier honesta post acceptationem promissionis ad deflorationem se patiatur induci (Acta I. 78) et generatim, quoties rerum adjuncta eam acceptationem sic intelligi debere cogant, ut aequivaleat explicitae repromissioni (Acta III. 40).

[12]) Unde Titius, qui heri matrimonium promisit Berthae, quae tunc tacuit, hodie non ligatur, si Bertha indicat, se promissionem pridie factam acceptare. Intellige nisi Titius expresse promiserit, se exspectare velle, usque dum ipsa, facta deliberatione, mentem suam declaraverit. Stante hoc deliberationis tempore Titius alia sponsalia valide quidem, sed non licite contraheret.

Quotiescumque requisita modo exposita in contractu sponsalitio reperiuntur, sponsalia de jure canonico semper valida sunt. Hinc ad *validitatem contractus non* requiritur

Non requivitur 1. consensus parentum.

1. *consensus parentum.* Nam «nec de jure canonico antiquo nec de novo ad valorem matrimoniorum sive *sponsalium* exigitur consensus parentum.»[13]) Sed licet sponsalia, consensu parentum non rogato, valida per se ac de jure censeri debeant, eadem tamen illicita sunt, eoquod pietati parentibus debitae adversantur, atque ex matrimonio, sine parentum consensu inito, magna incommoda evenire solent, ut sunt familiarum discordiae, damna temporalia et spiritualia tam conjugum quam prolis. Unde parentes ex causa justa (Instr. § 10) tali matrimonio sese opponere atque in judicio ecclesiast. petere possunt, ut sponsalia, sine ipsorum consensu inita, dissolvantur.[14]) Et hoc eo magis valet, si filii sint minorennes, vel alias potestati paternae subjecti. Hinc nostra Instructio (§ 5) habet: «Sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicunt.»[15]) Ex quibus elucet, qualem vim habeant sponsalia a parentibus *primo* pro absentibus et ignorantibus filiis et *secundo* pro filiis praesentibus contracta. Prioris generis sponsalia per se nulla sunt et tantum convalescunt ex filiorum consensu accedente. Alterius vero generis sponsalia pro *foro externo* valida sunt, dummodo filii consentiant, vel non contradicant, quia qui tacet, consentire videtur. Sed *quoad conscientiam* filius non ligatur sponsalibus, si interne dis-

---

[13]) Cherub. *Mayr* lib. 4. tit. n. 134. — Homo Apost. tract. 18. n. 10: «Notandum, sponsalia inita a filiis, insciis parentibus, certe esse valida.»

[14]) *Heiss,* de matrim. p. 76. *Binder,* Eher. p. 222. Sed si parentes *injuste* consensum recusent, filii impediri non possunt, quominus matrimonium ineant. Sic *Reiffenstuel, Schmier, Schmalzgrueber, Sanchez, Laimann, Allegre* Impedimentorum matrim. Synopsis p. 6 (Paris. ed. 2). Acta s. Sed. XIII. 40; XIV. 455; XVII. 583. *Gury. S. Alph.* Mor. l. 6. n. 849: «Si parente injuste impediant, tunc filius nec tenetur obedire; secus si parentes juste impediant; nempe si ex tali matrimonio oriatur dedecus aut scandalum familiae; tunc enim filius graviter peccat, si non obedit et matrimonium contrahit.» — Aliquando, ait *Ballerini* (n. 732), etiam injustus parentum dissensus sufficientem causam praebere potest recedendi a sponsalibus . . . quia hic dissensus multis de causis tam gravia secum ferre potest consectaria, incommoda molestiasque, quae ab obligatione implenda merito excusent. — Quandonam dissensus parentum censeri debeat *justus,* explicat *Binder* p. 240. (Cfr. *s. Alphons.* Mor. l. 6. n. 849.)

[15]) Nota, quaestionem de valore sponsalium contrahendorum cum dissensu parentum non esse confundendam cum alia: an peccent filii spondentes insciis aut invitis parentibus. Possunt enim filii qui ita agunt, peccare in multis casibus, et nihilominus valida esse possunt sponsalia, quia firmiter tenendum est, ad sponsalium validitatem nedum consensum, sed ne scientiam quidem parentum per se necessariam esse. Cfr. Acta s. Sedis tom. 13. p. 444.

sentit, unde tunc praesumtio cedere debet veritati.[16]) Si vero parentes sponsalia contrahant pro filiis annos pubertatis nondum adeptis, ipsique tacite vel expresse consentiant, eandem vim habent, ac si ipsi impuberes contraxissent.

Neque forma externa.

2. Non requiritur praeter formam naturalem cujuslibet contractus ulla alia forma, sed sufficit, ut constet de consensu vicissim dato. Verumtamen notandum est, sponsalia *clandestina,* i. e. quae sine testibus specialiter ad hoc rogatis solo contrahentium consensu ineuntur, in genere improbanda esse, eoquod pericula familiaris conversationis afferunt, fomentaque sunt jurgiorum atque rixarum inter spondentes. Hinc in multis dioecesibus praescribitur, ut sponsalia legitime in scripturam redigantur, aut coram parocho et testibus contrahantur, ex quo dein eorum existentia plene probata esse censentur. Sed tamen hodie sponsalia valent, quacunque forma inita fuerint, modo probari possint.[17])

Poena conventionalis.

Accedere nonnunquam ad sponsalia solet *poena conventionalis,* quae ita constituitur, ut pars resiliens in poenam infidelitatis certam pecuniae summam exsolvere teneatur. Utrum talis poenae solutio urgeri possit, nec ne, inter doctores controvertitur. Sunt, qui adjectionem poenae in sponsalibus prorsus reprobent, eoquod per eam libertas matrimonii violetur,[18]) alii vero censent ejus generis contractum accessorium sponsalibus recte adjici posse. Nonnulli denique distinguunt, utrum sponsus *injuste* resiliat, an vero *juste.* Dicunt poenam conventionalem a recedente *sine justa causa* exsolvi oportere; si vero ita adjecta sit, ut solvi etiam debeat a *juste* resiliente, ejus adjectionem, ceu libertati matrimonii contrariam, nullam et irritam esse. Attamen nostra Instructio indiscriminatim sic statuit: «Omnis pactio de poena conventionali, si a sponsalibus resiliretur, persolvenda non tantum illicita sed etiam invalida est.»[19]) Ex quo fluit, solutionem talis poenae non solum in foro civili extorqueri non posse, sed nec etiam in foro eccle-

---

[16]) *Kutschker* tom. 2. p. 42. *Bangen* p. 34. Nonnulli cap. un. § 2. in VI. (IV. 2) ita interpretantur, ut discrimen ullum haud faciant inter sponsalia a parentibus inita pro filiis absentibus, et inita pro praesentibus. Cfr. *Ballerini* n. 722. not. 1.

[17]) Cfr. Compend. des kath. Eher. v. J. M. S. p. 11. Cum episcoporum potestas non sit supra jus commune, iidem per se non possunt statuere aliquam solemnitatem uti necessariam ad valide contrahenda sponsalia (*Santi* l. c. p. 9). Possunt tamen sponsalia invalida esse in regione aliqua, in qua *ex consuetudine* ad validitatem eorum praescribitur, ut cum scriptura publica contrahantur. Ita decisum est a. s. C. C. d. 31. Jan. 1880 scil. sponsalia in Hispania, absque publica scriptura inita, esse invalida. *De Angelis* l. IV. tit. 1. p. 10; Acta XIII. 191.

[18]) Hi provocant ad cap. 29. «Gemma» X. (IV. 1).

[19]) § 109. Etiam lex civilis Austr. poenae conventionali sponsalibus adjectae nullam prorsus vim attribuit. (Cfr. § 45. Cod. civ. Austr.)

siastico, imo in foro interno quoque eam sententiam esse adoptandam.[20]) A poena vero conventionali distinguitur *arrha,* quae ab una parte spondentium ea lege tanquam donum alteri traditur, ut injuste resiliens id quod dedit amittat et vicissim, quod accepit, restituat. Differt arrha a poena in eo, quod arrha in *minori quantitate* et *statim* traditur ceu donum, poena autem per modum contractus specialis promittitur. Arrhae juri naturali non adversantur, cum tribuantur, ut firmior evadat contractus.[21]) *Ex jure canonico* arrhae, contracto matrimonio, redeunt ad tradentem, eoquod solum ad firmandum matrimonium datae sint. In hoc differunt a muneribus a sponsis fieri solitis (seu a largitione sponsalitia). Munera enim ista inducunt naturam donationis ideoque, nuptiis secutis, repeti nequeunt. Si vero, qui arrhas dedit, juste resiliat, eas juste recuperat. Si vero injuste resiliat, qui arrhas accepit, reddere debet quantum accepit, imo duplum vel plus juxta locorum consuetudinem. (Cfr. § 910. C. C. A.) At *ex lege civili* sponsalia nullam praebent actionem pro exigenda arrha, qua sponsalibus omnino non tribuitur vis contractus et proinde obligatio aliqua juridica inde derivari non potest.[22]) Arrha.

§ 160. De sponsalium effectibus.

1. Primus sponsalium effectus est *obligatio sponsalitia* inde exorta, per quam uterque sponsus *ex justitia* tenetur *a)* fidem sponsalitiam invicem datam servare illibatam, ita, ut sponsi aut sponsae carnale commercium cum tertio non solum contra pudicitiam, verum etiam contra justitiam foret; *b)* sponsalia per contractionem matrimonii promissi adimplere. Et quidem si tempus 1. Obligatio sponsalitia.

---

[20]) *Kutschker* l. c. p. 157.

[21]) *Scavini* n. 750 l. III. Sed excipe casum, quo simul cum arrha etiam datur facultas resiliendi a sponsalibus, seu quando spondentes resultum sibi liberum reliquerunt stipulantes alternative: *aut* nubere debes, aut arrham amittere; tunc enim arrhas poenae conventionali aequivalet. (Cfr. C. C. A. § 910). Cfr. *Sanchez* de matrim. l. I. disp. 35. «Convenit inter omnes doctores, licitum esse arrhas apponere amittendas per sponsalium fidei violatorem. Rationes autem, cur poena interdicatur, non autem arrha, variae assignantur; sed frequentior ea est, quia cum poena non statim tradatur, sed promittatur in futurum, facile et incaute in magna quantitate promittitur; arrha autem cum reipsa tradi debeat in contractu sponsalium, in minore quantitate et maturiori consilio tradetur, nec tantus suberit timor amittendi arrhas jam traditas, quantus solvendi poenam promissam; multo enim faciliores sunt homines ad promittendum, quam ad tradendum.» Cfr. Homo apostol. tr. 18. n. 11. De largitate sponsalitia agit § 1247. Cod. civ. Austr. *Kutschker* l. c. p. 160.

[22]) *Helfert,* K. R. p. 422. *Rittner,* Oesterr. Eher. p. 361. *Kartner,* Das bürg. Eheges. f. Oesterr. diesseits der Leitha. Füssen 1879, p. 5. (Libellus utilissimus pro animarum curatoribus.)

pro ineundo matrimonio a sponsis determinatum est, terminum praefixum exacte servari oportet. Sin minus, utraque pars tenetur, a die quo contracta sunt sponsalia, serio et positive ad nuptias se parare easque quamprimum inire, nisi forsan causa aliqua rationabilis excuset dilationem tamdiu tolerandam, quamdiu alter spondens nuptias non postulet. «Monendi sunt sponsi, ut factis sponsalibus quamprimum contrahant matrimonium per verba de praesenti coram parocho et testibus.»[1]) Obligantur vero sponsi *sub gravi* ad impletionem promissi sponsalitii in foro tam externo quam interno eoquod sponsalia sint contractus inducens obligationem mutuam et onerosam in materia gravi,[2]) non ex sola virtute fidelitatis, sed ut aliqui doctores sentiunt, ex justitia commutativa derivantem. Neque vero huic sententiae quidquam officit, quod legibus civilibus desponsatis permissum sit poenitere et alteri nubere; hae enim leges nonnisi actionem denegant, minime vero etiam conscientiam attingunt. Unde si unus sponsorum exigat contractionem matrimonii, altera pars renuens ad eam a judice ecclesiastico compelli potest per competentia juris media et per ipsam censurarum comminationem.[3]) Attamen *quia coactiones* solent *difficiles exitus frequenter habere,* admonitione potius, quam coactione contra detrectantes procedendum est.[4])

2. Impedimentum impediens.

2. Sponsalia inducunt impedimentum *impediens* matrimonium cum tertia persona, quod *licite* contrahi nequit, nisi priora sponsalia legitime fuerint dissoluta. Imo sponsalia, quae post alia jam valide contracta ineuntur, *ipso jure* sunt nulla. Unde etiam per ejusmodi tentata nova sponsalia in foro interno cum gravi peccato violatur fides sponsalitia primitus data, in foro autem externo nascitur *actio judicialis,* qua una pars spondens alteram compellere potest ad complenda priora sponsalia.

3. Impedimentum dirimens.

3. Inducunt vero sponsalia nonnunquam etiam impedimentum dirimens, scilicet impedimentum publicae honestatis. (§ 180. 1.)

4. Aliquando spons. transeunt in matrimonium.

4. Quartus sponsalium effectus valet in locis, in quibus Concil. Trid. non est promulgatum. Nempe si sponsi in dictis locis copulam carnalem perfectam secum habuerunt, tunc eos sponsalia de praesenti seu matrimonium contrahere ab ecclesia praesumitur.

---

[1]) Congreg. conc. Trid. apud *Gullemart declarationes* in cap. I. de reform. matrim. Sess. XXIV. Num. 3.

[2]) Homo Apostol. l. c. n. 8. «Sponsalia obligant certe sub gravi ad contrahendum matrimonium.»

[3]) c. ex literis 10. X. (IV. 1). *Knopp* II. p. 62.

[4]) c. 17 eod. Instr. § 109. Quoties judex videt, nuptias coacto consensu contrahendas infelices fore, semper abstinendum est a censuris. Porro semper mitius tractanda est sponsa, si ipsa sit pars renitens, quia sponsus a sponsa derelictus facilius alias nuptias inire posse praesumitur, dum e contra sponsa derelicta alium virum non tam facile inveniet.

Haec autem praesumtio est *juris et de jure,* quae sc. probationes in contrarium non admittit.[5])

§ 161. De sponsalium dissolutione.

Solvuntur sponsalia:

Modi, quibus sponsalia valide contracta rursus solvuntur, sunt in duplici classe. Nam (praeterquam per mortem unius) saepe dissolvuntur *vel* ipso jure ex utraque parte, *vel* per rescissionem, recessum et voluntatem unius, cui datur justa causa resiliendi, quamvis posset non resilire.

1. Ipso jure et ex utraque parte

1. *Ipso jure et ex utraque parte* dissolvuntur:

a) Mutuo consensu.

a) Mutuo utriusque consensu vi regulae: «Per quascunque causas unaquaeque res nascitur, per easdem etiam dissolvitur.» Atqui contractus sponsalitius nascitur mutuo consensu, ergo etiam mutuo consensu seu potius dissensu rescindi potest. Et hoc etiam tunc currit, quando sponsalia juramento firmata sunt. Nam sublato principali, cessat etiam accessorium.[1])

b) Per impedimentum superveniens

b) Per impedimentum post contracta sponsalia superveniens sive dirimens sive impediens. Hoc respectu sponsalia solvuntur per professionem religiosam, per susceptionem ordinum majorum[2]), imo juxta sententiam probabiliorem etiam per votum simplex castitatis aut religionis ab una parte emissum, nec non per matrimonium, quod cum alia persona contrahitur. Sed si impedimentum superveniens culpa unius partis fuerit adductum, altera pars indemnis habeatur oportet. Insuper sequens distinctio notanda est: Si impedimentum est *absolutum* quod dispensatione tolli nequeat (e. g. impotentia perpetua, ligamen, votum solemne et ordinis s. susceptio), tum sponsalia ex utraque parte desinunt. Si vero impedimentum *non est absolutum,* solvuntur sponsalia quoad

---

[5]) Cfr. c. 30. X. (IV. 1.) *De Angelis* p. 21—23. *Schmalzgrueber* de despons. impub. n. 12. — Lex Austriaca (C. A. C. §§ 45. 46) sponsalibus effectum *juridicum* non atrribuit, nisi propter *damnum* alteri sponso ex recessu illatum (cfr. § seq. n. 8).

[1]) c. 2. X. (IV. 1) Instr. Austr. § 4. — Juramentum sponsalium naturam haud mutat; solum ex eo sanctior evadit obligatio.

[2]) «Sponsi obligatione contracta non impediuntur, quin religionem ingrediantur aut Deo in statu clericali militent. Professione religiosa aut ordinis s. susceptione sponsalia dissolvuntur.» Instr. § 7. Imo per solum ingressum in religionem pars in saeculo manens liberatur ab obligatione sponsalium. *Santi* l. c. n. 46. 47. — Citabo deinceps Instructionem juxta textum in concilio prov. Vindob. positum.

[3]) Sponsalia votum simplex subsequentia, cum sint de re illicita, irrita sunt. Sed notandum est, eum, qui istud votum in contrahendis sponsalibus celaverit, ad plenam restitutionem teneri. Qui vero post sponsalia primum novit, se ad religionem vel sacerdotium esse vocatum, ex convenientia saltem et aequitate reficere debet damnum positivum, quod altera pars absque culpa patitur. *Bangen* I. p. 88.

partem innocentem tantum, nocente probabilius obstricta manente, quia nemo ex suo delicto commodum reportare debet. Unde si quis ex copula illicita cum consanguinea sponsae habita impedimentum adduxit, sponsa quidem libera efficitur, sed sponsus ligatus manet et regulariter[4]) dispensationem petere tenetur, dummodo id maluerit sponsa.

c) Impleta conditione resolutiva.

c) Quodsi sponsalia sub conditione aliqua *resolutiva* (cfr. § 169 n. 1) inita fuerint i. e. si sponsi stipulati sunt, suum contractum tunc solutum iri, cum hoc aut illud acciderit;[5]) sponsalia eo momento dissoluta censeri debent, quo eventus ille a sponsis significatus revera intrat. Si vero conditiones *suspensivae de futuro* non verificentur, utraque pars libera est; in hoc enim casu conditione adhuc pendente sponsalia vera et perfecta nondum aderant.[6]) Cum vero conditio verificata est, vim habent et fiunt absoluta et utrumque producunt effectum nempe impedimenti impedientis et dirimentis (§ 160). Conditiones *de praeterito* aut *de praesenti* sponsalia non relinquunt in suspenso, sed haec statim valida sunt vel non, prout conditio impleta jam sit, vel non. (Cfr. § 169. 2.)

2. Jus resiliendi alteri tantum competens:

3. Dantur vero etiam rationes graves, quae *alteri parti* jus praebent, si velit, a sponsalibus resiliendi, altera manente obligata. Id in sequentibus casibus locum habet:

a) Ob fidem sponsalitiam violatam.

a) Si una pars fidem sponsalitiam violaverit i. e. 1. si illicitum consortium habeat cum tertia aliqua persona et a fortiori si fornicationem commiserit;[7]) 2. si cum tertia persona sponsalia

[4]) Ab obligatione dispensationem petendi pars nocens liberatur: a) si non adest causa dispensandi; b) si damnum ex copula oriturum aliter refici non potest, quam per matrimonium cum deflorata.

[5]) Talis conditio e. gr. esset, si quis diceret: Ego matrimonium tibi promitto, nisi ditiorem te invenero.

[6]) Attamen *antequam* conditio fuerit impleta, impedimentum publicae honestatis non oritur, sed tamen sponsalia sub conditione inita inducunt obligationem exspectandi eventum, quae adeo urget, ut posteriora quaevis sponsalia reddat invalida, si ineantur primis adhuc non resolutis. *De Angelis* l. 4. tit. 5. p. 144; *Schmalzgrueber* h. t. n. 54 et auctores ab eo allegati.

[7]) Si *sponsus* tactus impudicos cum tertia commiserit et quidem non tantum occasionaliter, sed ita, ut censeri debeat impudicus, etiam sponsae resilire licet, eoque magis id sponso conceditur, si sponsa tale quid admiserit. Quid vero, si fornicatio alterutrius cum tertio peracta fuerit *ante* sponsalia, sed post sponsalia demum sit comperta ab altera parte? Omnes concedunt ob sponsae fornicationem in tali casu desciscere posse sponsum. Sed quoad fornicationem sponsi non omnes consentiunt. Sunt enim, qui putent, fornicationem sponsi, quae sponsalia antecedat, justam resiliendi causam sponsae haud praebere; sed certe etiam haec videtur esse notabilis circumstantia 1. si fornicatio frequens fuerit, adeo ut sponsa merito dubitet de inconstantia viri in thalami fide servanda; 2. si sponsus prolem ex praecedenti fornicatione susceperit; 3. si sponsa, quae sit virgo valde honesta, nunquam consensura fuisset, si sponsum fornicarium novisset. *Ballerini* n. 733.

contraxerit; 3. si tempore, quod finiendae obligationi praefixum est, matrimonium non contrahatur vel si, nullo termino constituto, nimis protrahatur; 4. si sponsus inscia vel invita sponsa in terras remotas discesserit, nec spes sit, eum brevi rediturum. Idem procedit, si sponsa taliter discedat. (§ 6 Instr.)

b) Ob notabiles mutationes vel detectas vel supervenientes.

b) Cum quaedam *notabiles mutationes* superverint aut primum ex posthac detectae fuerint,[8]) et quidem tantae, ut si ab initio tale quid adfuisset aut cognitum esset, sponsalia non fuissent contracta. Conventio siquidem sponsalitia majorem, quam alii contractus libertatem ac resiliendi facultatem exigit, ac semper hanc conditionem imbibitam habere censetur: «Nisi notabilis mutatio intervenerit.» (Instr. § cit.) Dicta mutatio evenire potest 1. intuitu *corporis* et *valetudinis;* cujus generis sunt: epilepsia, morbus difficulter curabilis, deformitas magna, phrenesis, melancholia, morbus gallicus etc. alterius personae. 2. Intuitu *moralitatis* et *religionis,* si sponsus deprehenditur esse prodigus, ebriosus, aleator, durus et crudus, si crimen grande admiserit, ex quo infamia contrahitur, si lapsus sit in fornicationem spiritualem i. e. haeresin aut apostasiam. 3. Intuitu bonorum fortunae, si sponsorum unus in magnam paupertatem aut debita inciderit, notabilem bonorum partem amiserit, aut possidere falso et dolose contenderit, vel si justus et probabilis timor adsit exhaeredationis.[9]) 4. «Obligatio standi promissis per contractum sponsalitium datis tunc quoque cessat, quando omnibus perpensis circumstantiis supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore. Quodsi autem circumstantiae, quibus suppositio ista innititur, culpa unius partis exortae sint, haec alteri damnum, quod ipsi frustratis justis ejus exspectationibus illatum est, pro viribus resarcire tenetur.»[10])

Limitationes.

Quoad hunc recessum unilateralem hae tres regulae sunt adjungendae: 1. Si persona innocens cognita tali causa et jure resiliendi nihilominus ratificet sponsalia vel verbis vel factis, ac praesertim copula carnali, resilire ipsi non amplius licet, eoquod

---

[8]) Nota: in jure paria sunt: non esse, et non apparere. Paria etiam sunt in jure: supervenire, et praecedere sed ignorari.

[9]) Nec desunt, qui dicant, sponsalia posse dissolvi, si vir *longe* ditiorem invenerit. s. Alph. L. 6. n. 876.

[10]) Instr. § 10. Nulla promissio ita est *absoluta,* ut etiam tunc obliget ad rem promissam, quando eadem utrique parti damnosa et periculosa fore praevidetur. Ergo sponsi non tenentur ad conjugium, quod infelix et damnosum ipsis futurum esse praevidetur. Remanet tamen pro parte culpabili obligatio resarciendi damnum. *Schmalzgrueber* de spons. n. 191. — Nonnunquam ad instantiam partis renuentis sponsalia per dispensationem Sedis Apost. solvi contingit, imposita tamen aliqua compensatione favore alterius partis. Acta s. Sedis X. 195. 319, XV. 343; XVI. 388.

juri suo renuntiasse censenda est. 2. Praedictae mutationes illam tantummodo partem deobligant, in qua ejusmodi mutatio haud contigit.[11]) 3. Ubi simul adest *certitudo tam juris quam facti,* absque omni judicis auctoritate a parte innocente libere solvuntur sponsalia; secus vero, ubi desideratur certitudo vel juris vel facti, judicis ecclesiastici auctoritas intervenire debet, ut eadem juste solvantur.

§ 162. Reclamatio contra nuptias ob sponsalia priora, restitutio ob resultum a sponsalibus.

In sponsorum dissensu (sc. quando una pars contractus sponsalitii impletionem exigit, altera vero id facere renuit), duplex casus accidere potest. Siquidem pars renuens vel solummodo matrimonium cum altero spondente recusat, vel nova sponsalia et nuptias cum tertio inire tentat. Verum sat erit, posteriorem casum aliquantisper dilucidare, eoquod prior per eundem sufficienter illustratur.

1. Quid agat parochus, si pars reclamet contra nuptias cum tertio.

1. Itaque ejusmodi reclamatio institui potest apud parochum, vel immediate apud tribunal matrimoniale; sed hoc, nisi invaliditas sponsalium in propatulo sit, rem semper ad parochum remittit, ut commonitiones et consilia paterne adhibeat.[1]) Parochus vero distinguere debet, ex quo titulo vel praetextu nolit reus adimplere sponsalia ab actore praetensa.

a) Si recusans neget valorem sponsalium.

Si *a)* ex eo, quod *negat priorum sponsalium valorem,* tunc sic ulterius distingui oportet. Si sponsalia certo invalida sint, *partes ea de re edoceat, si autem valida censeat, litem amice componere conetur.* Si vero frustra adlaboraverit, sistendae sunt proclamationes et nuptiae, usque dum causa legitime sit decisa atque composita. Et hoc etiam obtinet, si priora sponsalia sint *dubia.* Nam tunc, quia agitur de jure tertii, parochus operam praestare tenetur, ut res ad liquidum deducatur, et consequenter proclamationes et copulationem debet sistere.[2]) Quodsi tamen in ulteriori inquisitione sive a parocho sive a judice facta sponsalia priora

---

[11]) Putant tamen aliqui, sponsum resilire posse, cui pinguis haereditas advenerit, eoquod inter utramque partem non amplius eadem existat rerum conditio. Et haec sententia tam probabilis saltem est, ut confessarius ejusmodi sponsum ad matrimonium obligare non possit.

[1]) Instr. § 107. — Cfr. Das Verfahren bei Sponsalienklagen in *Binder* Eherecht p. 656 seq. II. Aufl.

[2]) Si nupturientes ob hoc graventur, applicandum venit, quod habetur in nostra instr. § 105. «Parocho copulationem differente vel denegante contracturis liberum est, curiam episcopalem adire, quae pro rei conditione aut obstacula removere sataget, aut negotium tribunali matrimoniali perpendendum definiendumque transmittet.»

non plene probentur, tunc regula tenenda est: «Praesumtio stat pro libertate in conjugis electione; unde contra sponsalia pronuntiandum est, quoties de eorundem validitate plene non constet.»[3]) «Si *vero* judicium matrimoniale sponsalia irrita esse censet, necessaria disponat, ut matrimonii celebratio ulterius haud retardetur.»[4])

b) Si jus resiliendi sibi vindicet.

Quando vero *b)* pars renitens contendit, *sibi jus competere, a sponsalibus valide initis desciscendi,* pariter distinguendum est, utrum eadem causas resiliendi de facto et jure evidenter certas proponat, nec ne. Si prius, pars opponens edoceatur, nihil profuturam esse protestationem, neque sistendae sunt proclamationes, nisi opponens impetret literas inhibitorias a judice ecclesiastico. Si vero causae resultus aut de facto non certae exsistant vel de jure non sint sufficientes, res diligenti inquisitione ad liquidum deducatur oportet. Sed etiam tunc in favorem libertatis matrimonii regula sequenda est: Probationes pro existentia causae etiam minus concludentes sufficiunt, ne ex coactione nuptiae infelices concilientur, imprimis ubi pars resiliens bona fide jam nuptias parat cum tertio ineundas.

Notant vero auctores, nullam dilationem esse dandam, *a)* si opponens evidenter cum intentione majora scandala parandi post tres demum proclamationes peractas coram parocho protestetur; *b)* si opponens declaret, se non intendere nuptias cum altera parte, sed solam compensationem petere, verum majorem exigat, quam quae aequa videtur et ab altera parte proposita est.[5]) Idem tenendum, si dicat, se *aut* nuptias velle *aut* compensationem.

Quodsi declarata sponsalium validitate actor nuptiis instare pergit, «tribunal matrimoniale commissarii ope partes ad amicam perducere compositionem conabitur. Damni compensationem quod attinet, id agatur, ut in aequas transigant conditiones. Pecunia quoque compensationis loco danda statui potest. Actori, qui non acquiescat, liberum quidem est, de damni compensatione judicem saecularem interpellare, verum reclamationis ab eo matrimonio oppositae ratio non amplius habeatur.»[6])

2. Restitutio ob resultum a sponsalibus.

Quando?

2. Ex quibus patet, resilientem a sponsalibus nonnunquam ad restitutionem alteri parti praestandam teneri, idque procedit (juxta § 10. Instr.) *a)* in eo, qui injuste a sponsalibus resilit,

---

[3]) Instr. § 108. Cfr. casum Acta s. S. V. 77, ex quo patet, obligationem sponsalium luculentissime esse probandam.

[4]) Instr. § 110.

[5]) Aliud obtinet, si aequa compensatio nequeat obtineri a resiliente, nisi desistatur a proclamationibus.

[6]) Instr. § 111.

i. e. qui causam non habet canonicam.[7]) *b)* in eo, qui justam quidem resiliendi causam habet, sed eandem suapte culpa adduxit e. g. si quis ex vesana libidine impotentiam perpetuam sibi attraxit; *c)* in eo, qui justam resiliendi causam dolose celavit e. g. si sponsa in contractu sponsalitio reticuit, se, jam antea ab alio cognitam, edidisse partum. Obligatio restitutionis, in hisce casibus a nocente faciendae, nonnunquam (saltem in foro conscientiae) etiam post matrimonium, ab eodem nocente cum tertio contractum, in vigore suo perstat. Si vero quaeritur, *quid restituendum sit* (juxta § 1323 C. A. C.), distinguendum est inter *plenam restitutionem* et *simplicem restitutionem damni.* Per hanc posteriorem reficitur solum *damnum emergens* seu *positivum* quod ex sponsalibus advenit parti innocenti, si nempe eadem e. g. propter expensas pro futuris nuptiis *prudenter* factas in bonis possessis verum damnum passa est. Et hujusmodi damni compensationem etiam jus civile Austriacum exigit ad instantiam partis laesae.[8]) Verum ab obligatione restitutionis excipiendus est casus, quo vel rescissio sponsalium ex culpa actoris a reo facta est, vel damnum nonnisi casu fortuito accidit.[9]) Quod ad *plenam restitutionem* attinet, haec praeter damnum emergens comprehendit etiam *lucrum cessans,* seu illud, quod pars innocens ex futuris nuptiis exspectare merito potuit. Et hoc tunc compensandum erit in utroque foro, si tum certum sit, tum plene cesset, ita, ut aliis nuptiis de facili non possit comparari; alias enim non esset lucrum vere cessans. Hoc autem locum habebit: 1. si quis virginem honestam defloravit; 2. si sponsa propter resultum sponsi injustum diffamata remanet; 3. si eadem ob alia adjuncta (e. g. ob aetatem superadultam) aliarum nuptiarum spem non habet. In hisce casibus etiam pro foro externo (ecclesiastico) quandoque plena restitutio reo imponenda erit.[10]) Verum ex variis causis lucri cessantis compensatio in praxi raro in foro externo decerni poterit.[11])

Quid?

Denique monitio Instruct. § 112. venit notanda: «Quando conventio de solvendis sponsalibus vel aequa compensatione praestanda obtineri non posset, nuptiarum, adversus quas reclamatio instituta est, celebrationem admittere, minus reputari deberet malum.»

[7]) Sed merito hic distinguitur inter forum internum et externum. Nam interdum justam causam resiliendi quis *juridice* probare non poterit, et proin in conscientia a servandis sponsalibus excusatur. *Bangen* l. c. p. 83.

[8]) § 46. C. A. C. Sed ut recte intelligatur § 46. cit., in subsidium interpretationis § 1295. C. A. C. adhibeatur necesse est. *Kutschker* l. c. p. 167.

[9]) § 1306. C. A. C. — Ceterum vel ipsa pars resiliens compensationem petere potest, si juste resiliat et quidem ex culpa alterius partis. *Rittner* l. c., *Kartner* l. c.

[10]) § 10. Instr.

[11]) Ideo nimirum, quia raro constat de culpa resultus, de cessatione lucri, de summa actori ex hoc titulo debita. *Kutschker* l. c. p. 166.

Articulus II.

De proclamationibus et de examine sponsorum.

§ 163. Necessitas proclamationum et dispensatio ab iisdem.

1. Ad detegenda impedimenta matrimonio forte obstantia jam pridem praeviae nuptiarum proclamationes (banni nuptiales) institui consueverant. Ast in concilio generali Lateranensi IV. (1215) hujusmodi denuntiationes ab Innocentio III. *pro universa ecclesia* praescriptae sunt, quam constitutionem synodus Tridentina denuo inculcavit atque explicavit, praecipiens: «ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, *ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntientur*, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur.»[1] 1. Lex proclamationum.

Et haec ecclesiae lex, non quidem ad valide, sed tamen ad licite contrahendum ad amussim *sub gravi* observari debet. Omissioni proclamationum hae poenae adnexae sunt:[2] *a)* Si post tale matrimonium contractum impedimentum aliquod dirimens detegatur, proles ex eo procreatae illegitimae habentur, licet contrahentes dicant, se impedimentum ignorasse. — *b)* Sic contrahentes juxta synodi Tridentinae praeceptum *separentur et spe dispensationis consequendae careant.*[3] — *c)* Idem condigna poena arbitrio Ordinarii determinanda afficiendi sunt, idque etiam testes attingit, qui scienter ejusmodi nuptiis intersunt.[4] — *d)* Parochi, qui ejusmodi matrimonio assistere praesumunt, per triennium ab officio suspenduntur. Quae tamen censura non est latae, sed ferendae sententiae. Poenae.

2. Potest tamen super proclamationibus ex causa legitima dispensari et quidem 2. Dispensatio.

a) jus dispensandi pertinet ad Ordinarium juxta locum citatum (not. 1.) concilii Tridentini: «Nisi *Ordinarius* ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et judicio s. synodus relinquit.» Si nupturientes ex diversa sunt dioecesi, juxta decisionem s. C. C.[5] vel dispensatio concedi debet ab utroque Ordinario, vel saltem requiritur, ut Ordinarius alterius contrahentis testetur, in ipsius dioecesi quoad Quis.

---

[1]) Sess. XXIV. de ref. matr. c. 1. Cfr. c. 3. X. (IV, 3) Later. IV.
[2]) *Ferraris* sub voce denuntiation. matrim. n. 4. Cfr. Instr. § 65.
[3]) Sess. XXIV. c. 5. de ref matrim.
[4]) *Moy*, Arch. I. p. 265.
[5]) In una Visen. 20. Apr. 1606 apud *Giraldi* II. 990. Vid. *Kutschker* IV. 49. 50.

contrahentem non adesse impedimenta. Quodsi ejusmodi testimonia absque gravi incommodo haberi nequeant, de cetero tamen alias constare videatur de statu libero alterius contrahentis, dispensatio Ordinarii loci, in quo celebrabitur copulatio, sufficiens esse censetur.[6]) Tanto magis id locum habebit, si inter Ordinarios (prout in Germania usuvenit) inita fuerit conventio, ex qua Ordinarius loci copulationis dispensationem concedere valeat pro parte etiam extranea.

Quibus ex causis.

b) Causas legitimas dispensationis quod attinet, distinguendum est. Namque «dispensatio a tribus proclamationibus nonnisi, ubi summa urget necessitas, a secunda vero et tertia proclamatione nonnisi ex causis consideratu dignis et sufficienter probatis concedenda est.» (Instr. § 82.) Itaque *ab omnibus bannis* dispensari potest juxta nostram Instructionem in duobus praesertim casibus: 1. si sponsi (v. gr. ad prolem legitimandam) contrahunt in articulo mortis. Tunc, ubi res morae impatiens est, «episcopi in quovis districtu pro ratione locorum unum pluresve sacerdotes delegabunt, qui tali eveniente casu ipsorum nomine ab omnibus tribus proclamationibus dispensent.»[7]) 2. «Si duae personae, quae conjugio se junctas esse falso asserunt, et in loco domicilii passim pro conjugibus habentur, matrimonium inter se contrahere optant, dispensatio ab omnibus tribus proclamationibus ipsis absque gravissima causa deneganda non est. Sedulo tamen examinetur, an eas peraeque pro conjugibus haberi veritate undequaque nitatur.» (Instr. §§ 83, 84.) His causis 3. adjungi solet: Verecundia vel infamia contrahentium e. gr. si sponsi, quibus ob causas morales suadendum est matrimonium, conditione vel aetate ita sint impares, ut propterea proclamationes ipsis verterenter in opprobrium. 4. «Si probabilis fuerit suspicio, matrimonium *malitiose* impediri posse, si tot praecesserint denunciationes.»[8]) 5. Si inter magnates contrahantur nuptiae, eoquod eorundem matrimonia magna deliberatione tractari soleant. «Nupturientes, quibus proclamationes penitus indulgentur, nunquam non tenentur, coram parocho, cui copulationem peragere competit, jurejurando firmare, quod nullum eis notum sit impedimentum, ne conjungantur, obstans.»[9]) — Causae vero

Ab unâ alterâve.

ad *unam* vel *alteram* proclamationem remittendam sufficientes sunt: *Periculum animae,* si ex dilatione exoriatur periculum forni-

---

[6]) *Bangen* l. c. II. p. 55. Nempe juxta axioma: «Locus regit actum.»

[7]) Vi decis. ministri pro rebus int. d. 9. Jan. 1885 n. 614 in ejusmodi casu, quoties circumstantiae id permittunt, dispensatio politica expetenda est.

[8]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. matr.

[9]) Instr. § 85. — *Omnino* dispensare episcopos vetat Bened. XIV. («Nimiam licentiam» 18. Maj. 1743), nisi «urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa.»

cationis; *periculum quoad bonum temporale* imminens, si nuptiae differantur; *infamia sponsorum* e. gr. partus propinquus sponsae defloratae; *scandalum aliorum*, e. gr. si magna inter contrahentes exsistat conditionis, fortunae vel aetatis disparitas, quae si denuntietur, in sponsorum derisionem vergit. Quodsi hi casus sint urgentiores, binae proclamationes[10]) remitti possunt.[11])

§ 164. De circumstantiis proclamationum.

Adjuncta proclamationem tum locum, tum tempus, tum modum, quo instituendae sunt, concernunt.

1. *Circumstantiae loci* seu *a quo* et *ubinam* praevia nuptiarum denuntiatio fieri debeat? Ex praecepto Tridentini (not. 1. § praec.) proclamationes institui debent *a proprio contrahentium parocho* et quidem *in ecclesia*.[1]) Ubi notandum est, matrimonia sponsorum, qui habitant apud ecclesias, quae dicuntur filiales vel expositurae, etiam in ecclesia matrice denuntiari oportere.[2]) Parochus vero proprius, quem Concilium Tridentinum indigitat, est is, in cujus tractu parochiali nupturientes aut domicilium verum aut quasi

1. Circumstantiae loci. Proclamationes faciendae

in loco domicilii

---

[10]) In dioecesi Brixinensi decanis commissa est facultas, nomine Ordinarii infra suum districtum dispensandi a tertia proclamatione ex causis consideratu dignis, ex causis vero valde gravibus etiam a secunda. Quodsi sponsi in diverso decanatu habitent, dispensatio vel ab utroque decano vel ab ipso Ordinario petenda est. Circulare Vicarii capitularis 23. Dec. 1856. n. VIII. Vi hujus circularis animarum curatores etiam facultatem habent in mortis periculo ab omnibus proclamationibus dispensandi (supra b. 1).

[11]) Vi Cod. A. C. §§ 69. 74. omnium trium proclamationum omissio matrimonium invalidum reddit; ob omissionem vero unius aut duarnm proclamationum, vel ob defectum quoad formam tum parochi tum nupturientes poenam committunt. Dispensatio (§§ 85. 86. 87) ad instantias politicas pertinet, et quidem vi legis d. 4. Jul. 1872 1. super 2. et 3. proclamatione caes. praefectura circuli, in iis vero urbibus, quae propria statuta habent, magistratus civitatis dispensare potest. 2. In casibus urgentibus per eosdem etiam super omnibus proclamationibus potest dispensari, edito tamen partium juramento de statu libero (sed cfr. not. 7). 3. Penes easdem instantias stat etiam decisio, utrum in periculo mortis matrimonii contractio concedenda sit, quando testimonium baptismale seu nativitatis afferri non potest. — In casibus non urgentibus ex ordin. minist. d. 1. Jul. 1868 omnes proclamationes remittere nonnisi gubernium provinciae valet. Ceterum gubernium seu magistratus loci nonnisi in suo respectivo districtu dispensare potest; hinc si intuitu alterius sponsi etiam in alio districtu proclamationes fieri debent, dispensatio etiam ab illius districtus magistratu impetranda est. Denique causae dispensandi eaedem fere sunt, quae in foro eccles. attendi solent. — Utrum officiales politici etiam extraneos, in Austria matrimonium contracturos super proclamationibus valeant dispensare? vid. *Vering* Arch. t. 53. p. 221.

[1]) Intelligitur ecclesia parochialis; sed potest esse etiam alia, si illuc generaliter conveniant parochiani et missa parochialis ibi celebretur. *Bangen* l. c. p. 45.

[2]) Prout e. gr. in dioecesi Brixinensi expresse cautum est.

domicilium habent. Quaeritur itaque (et haec quaestio est gravissimi momenti) quid nomine tum veri domicilii tum illius, quod dicitur quasi-domicilium, intelligatur. Igitur «*domicilium verum* ibi
Notio. locorum est, ubi quis habitationem suam vel unice vel principaliter figit, ita, ut peregrinari dicatur, quando ibi non commoretur.» Quamdiu hoc in loco habitationem sibi vel familiae suae destinatam retinet, absentia longior licet, per se sumpta non sufficit ad efficiendam domicilii veri translationem.[3]) Itaque ad comparandum in aliquo loco domicilium duo requiruntur, et quidem copulative: *a) animus* seu voluntas in eo loco constituendi habitationem perpetuam et stabilem: *b) factum,* quo quis reipsa habitationem in tali loco constituit.[4]) Sed quaeritur, undenam animus manendi in eo loco, cum intus lateat, cognoscatur? *Primo* nonnunquam lex animum supplet vel exprimit prout in nostra Instr. statuitur.[5]) Tales itaque ex legis determinatione verum domicilium possident, etiamsi cum animo illuc venerint, operam dandi, ut cito citius in alium locum transferantur.[6]) Quare hoc genus
Domicil. legale, domicilii mere dicitur *legale* vel *necessarium. Secundo* quando lex animum manendi non supplet, is ex hisce signis cognoscitur: *vel* ex assidua et frequenti ac praesertim decennali habitatione in loco; *vel* ex translatione majoris partis bonorum in istum locum; *vel* ex acquisitione bonorum immobilium in eodem loco; *vel* ex indubitata assertione praesertim juramento firmata, qua quis contestatur, se ibidem perpetuo habitaturum esse; *vel* denique ex obtentis facultatibus sive juribus habitationem in isto loco exigen-
arbitrarium, tibus. Atque tale domicilium, utpote libere electum, dicitur *arbitrarium*[7]) vel *naturale.*

aut quasi-domicilii. *Quasi-domicilium* ille locus est, «ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad quem assequendum longior commoratio requiritur.» (Instr.

---

[3]) Instr. § 40. Haec domicilii definitio desumpta est ex jure Romano, quo (Const. cives 7. Cod. de incolis X. 39) singuli in eo loco domicilium habere dicuntur, «ubi quis larum rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur; quo si redit, peregrinari jam destitit.» Cfr. *Dr. Laurin (Vering,* Archiv. tom. 26. p. 165. seq.).

[4]) *Schmalzgr.* tom. 2. tit. 2. § 8. p. 36.

[5]) «Uxor, ubi maritus; minorennes, ubi parentes; nutritii, ubi tutor verum habent domicilium. — Officiales publici, nec non ii, qui ad servitia quaecunque publica in dies vitae assumti sunt, domicilium verum eo habent in loco, ubi ad muneris servitiive sui ordinarii partes explendas habitant.» §§ 41. 42.

[6]) Vid. Casuum conferentialium solutionem in Brixner Diözesanblatt 1860 p. 120.

[7]) Vid. l. c. et *Moy,* Archiv. II. p. 546. seq.

§ 40.) Quoad hujus acquisitionem ex responso s. C. Inquis. d. 2. Maj. 1877 ad interrogationem synodi Maynooth. constat: Ad quasi-domicilium duo haec simul requiri, *habitationem* nempe in eo loco, ubi matrimonium contrahitur, atque *animum ibi permanendi per majorem anni partem;* ex primo autem die, quo haec duo simul concurrant, acquisitum esse quasi-domicilium. Quodsi de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum esse, quae moralem certitudinem pariant; inter haec autem unum e praecipuis esse illud, quod Bened. XIV. Const. *Paucis abhinc*[9]) indicet, menstruam nempe habitationem; ex hac enim haberi praesumtionem juris pro intentione manendi per majorem anni partem. Contrarium tamen ferri debere judicium, si aliunde certe constet, animum illum non exstitisse. Praeterea actualem habitationem non parere quasi-domicilium, si quis in loco commoretur more vagi intinerantis, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum solent ceteri in eodem loco domicilium habentes. Id etiam de iis valet, qui relaxationis aut negotiorum causa per aliquot tempus in loco quodam commorantur.[10]) Itaque «locus, ubi e. gr. uxor servitia praestat, aut minorennis studiorum causa commoratur, vel persona militaris stativa habet, ipsorum quasi-domicilium reputandus est» (Instr. § 41). Similiter officiales publici «quando *alio in loco* ad extraordinarium deputantur ministerium, quod pro sua natura longiorem postulat moram, ibi quasi-domicilium acquirunt (§ 42).» «Qui hominis privati, societatis et instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi-domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud

---

[8]) *Feije,* De impedimentis et dispens. matrim. Lovanii 1872. p. 145. ed. 2. Vide istud responsum in *Vering,* Archiv. tom. 46. p. 415. Cfr. Archiv. tom. 28. p. 179; *Laurin* l. c. p. 192.

[9]) ddto. 19. Mart. 1758. Ad quaestionem Archiepiscepi Goënsis, quidnam requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum, reposuit Pontifex: «Verum in hac re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium ineatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur.»

[10]) Idem dicendum de artificibus scenicis, de laborantibus in opificio etc. — Commoratio per unum mensem jam facta apud Curiam Romanam tantam vim habet, ut per eam acquisitio quasi-domicilii evicta esse videatur, nisi argumenta contraria, animum manendi defuisse, manifeste probent. Ratio est, quia animus manendi majorem anni partem, utpotê ab intrinseco procedens, fere semper nonnisi conjecturis et signis externis probari potest. Ejusmodi vero signum inter alia est habitatio per unum mensem jam protracta, per quam praesumtio fundatur, animum manendi revera adesse. Quodsi hicce animus manendi ex variis adjunctis, quae novam habitationem concomitantur, possit evinci, tum quasi domicilium contractum censetur, tametsi ad mensis spatium habitatio non fuerit protacta. Acta I. 138.

ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant (§ 43).»[11])

Dimissio domicilii.

Restat, ut de dimissione utriusque domicilii quaedam subjungantur. Igitur tam verum quam quasi-domicilium tum dimittitur, cum haec duo copulative concurrunt: actualis derelictio domicilii *et* animus se alio transferendi. *Derelictio domicilii* hactenus possessi, inquam; nam ex eo, quod solummodo *titulus* prioris domicilii cessat, non necessario sequitur, *ipsum* etiam *domicilium* amissum esse. Potest enim domicilium *legale* transire in *arbitrarium*, quoties nempe aliquis continuare intendit domicilium lege sibi hucusque assignatum, etiamsi *titulus* legalis cessaverit. Hinc e. gr. uxor defuncto marito non statim admittit domicilium, nisi illud actu dimittat. Idem dicendum de filia in urbe famulante, quae majorennis facta est. Nam haec retinet domicilium apud parentes in loco natali, quamdiu paternae domui non omnino valedixerit. Et hoc etiam procedit, si eadem mortuis parentibus jus habitationis in domo paterna, vel dispositione illorum pel pacto obtentum, sibi expresse reservet. — Item ex eo, quod quis alio se transtulerit, ibique domicilium constituerit, haud necessario sequitur, dimissum fuisse ab ipso domicilium hactenus possessum, quia discedens res ita potuit disponere, ut habeat vel duo quasi domicilia (sine domicilio vero) vel duo domicilia vera.[12]) — Quoad vero *animum se alio transferendi*, ad amittendum domicilium prius habitum haud requiritur, ut novum domicilium jam sit constitutum, sed sufficit, ut quis tale quaerat vel saltem prius plene dimiserit. Interim, i. e. donec novum adeptus sit, vagus seu sine domicilio esse censendus est.

Regulae speciales.

His praemissis jam regulas indicare juvat, juxta quas proclamationes vi nostrae Instruct. sunt instituendae: 1. Si sponsus

[11]) Ex praedictis elucet, domicilium tum verum tum quod dicitur quasi, non confundendum esse a) cum loco nativitatis; b) cum loco habitationis fortuitae; c) cum loco indigenatus (l. d. 3. Dec. 1863), ubi quis jure civitatis fruitur. Cfr. *Laurin* l. c. p. 236. Hinc domicilium suppleri non potest per nudam adscriptionem inter loci municipes, etiamsi ita statuatur per leges civiles. Acta l. c.

[12]) Casus posterior utique raro occurret; occurrit vero ex jure Romano (L. 6. Assumtio 6. Dig. Ad munic.). — Cfr. c. 2. (III. 12. in VI.), si quis «duobus locis ita se instruxit, ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur.» — Quomodo quis ex eo quod se pluribus locis instruxit, in uno eorum quasi-domicilium acquirat, id § 44. Instr. sic enuntiatur: «Si quis extra locum domicilii veri in aliis adhuc parochiis domus ipsius usibus destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum locorum quasi domicilium habet, ubi vel quovis anno per notabile tempus commorari solet, vel tempore, quo locum sibi domicilium asserit, per sex ad minimum septimanas habitat.» E. gr. si quis in villa instructa quotannis per tempus considerabile habitare solet.

vel sponsa habent tantummodo *verum* domicilium, eorum matrimonium in domicilio tam sponsi quam sponsae denuntiandum venit. — 2. «Si sponsus vel sponsa *non tantum verum sed etiam quasi-domicilium* habet, trina proclamatio tam a parocho veri, quam a parocho quasi-domicilii eorum instituenda est. Quando autem contingat, ut persona quaedam praeter domicilium verum plus quam unum habeat quasi-domicilium, sufficit, ut matrimonium a parocho veri ejusdem domicilii ac ab uno parochorum, in quorum territorio quasi domicilium habet, rite denuntietur» (§ 61). Sed quandoque etiam *alibi* proclamationes fieri debent. Videlicet «si sponsus vel sponsa in nulla parochiarum, ubi secundum regulas antefatas proclamatio fieri debet, per sex saltem septimanas habitet, proclamatio instituatur praeterea in ecclesia parochiali ejus loci, ubi persona, de qua agitur, *ultimo per sex saltem hebdomadas habitaverit.* Peculiaribus rerum adjunctis, ne id commode fiat, obstantibus, ea de re ad episcopum referendum est» (§ 62). — 3. Eos *qui solum quasi-domicilium* habent, si saltem per annum ibi commorati fuerint, in loco quasi-domicilii dumtaxat proclamari opus est. Verum «quantum ad eos, qui neque verum habent domicilium, neque in loco quasi-domicilii per anni ad minimum tempus commorantur, proclamationes etiam, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium eis competunt, et quando ejusmodi jura nullibi eis competant, si fieri possit, etiam in parochia loci eorum natalis instituendae sunt» (§ 63). — 4. «*Nupturiente non tantum vero, sed etiam quasi-domicilio carente,* proclamatio fiat tam in parochia, ubi tunc temporis commoratur, quam in loco, ubi jura indigenatum in communitate civili habentium ei competunt, aut si nullibi iisdem gaudeat, quantum fieri possit, in parochia loci natalis.»[13])

Si quis habet tantum 1. domic. verum

2. domic. verum et quasi-dom.

3. Solum quasi-domicilium.

4. Neque verum neque quasi-domicilium.

---

[13]) Instr. §§ 61—63. Hae regulae instructionis multa particularia continent, et praxi apud nos per leges Josephinas inductae accomodata. — Codex C. A. (§§ 71—73) praescribit, ut proclamationes fiant in illa parochia, in cujus districtu nupturientes habitant, ergo respective in utriusque sponsi parochia. Quodsi vero sponsi (vel unus eorum) in tractu parochiae, in qua matrim. contrahendum est, nondum per sex septimanas commorati sint; tum proclamatio etiam in eo loco, in quo ultimo ultra 6 hebdomadas habitarunt, instituenda est, nisi forsitan sponsi in ea parochia, in qua nunc morantur, habitationem per sex hebdomadas continuare malint, ut denuntiatio matrimonii ibidem sufficiat. Qua ratione illud sex hebdomadarum spatium computari debeat, nimirum an retro a prima proclamatione, an retro a copulatione, inter doctores controvertitur. Omnibus tamen perpensis posterior sententia longe praeferenda, imo certa est, scil. computationem temporis sex hebdomadarum vi § 72 C. C. A. faciendam esse *retro a copulatione,* eodemque prorsus modo § 62 nostrae Instr. pro jud. matr. esse intelligendum. Hoc clare demonstravit *Schindler* in *Vering* Archiv. t. 52. p. 300—327. — Nuptiae eorum, qui ad militiam vagam pertinent, tantum a parocho vel capellano

2. Circumstantiae temporis.

2. *Circumstantiae temporis.* Juxta textum Concilii Trid. (Sess. XXIV. c. 1. de ref. matr.) proclamationes fieri debent *tribus diebus festivis continuis in ecclesia inter missarum solemnia.* Ad hunc textum sequentia sunt notanda:

Diebus festivis

a) Pro *diebus festivis* intelligendae sunt dominicae et alia festa fori, quae de praecepto vel totius ecclesiae vel propriae dioecesis, non autem quae mere ex devotione celebrantur, prout e. gr. est in festo ecclesiae patroni. Neque sat est, si peragatur in diebus ferialibus, licet hisce diebus maximus foret populi concursus. Etenim in re gravissima, de qua hic agitur, stricte tenendum est praeceptum Concilii Trid., neque sola *ratio* legis, sed et *litera* legis respici debet. Quoad dies festos pro foro externo suppressos s. C. C. iterato episcopis facultatem dedit, ut proclamationes in singulis casibus his quoque festis fieri possint, supposito tamen, quod iis frequens adhuc perseveret populi ad ecclesiam concursus, et existente causa aliqua gravi, qualis maxime est difficultas exspectandi tres dies festivos pro matrimonii denuntiatione. Imo dicunt (Feije p. 157), generatim satisfieri legi Tridentini, si iis diebus denuntiationes peragantur duplici suppositione modo dicta subsistente.[14])

continuis

b) Pro *diebus continuis* intelligendi sunt dies festi immediate sibi invicem succedentes, ita, ut ex una parte nulla dominica, nulloque festo coeptae proclamationes omittantur, ex altera parte vero unus alterve dies ferialis inter singulas proclamationes intersit,[15]) quo ad mentem Tridentini facilius impedimenta detegantur.

---

militari proclamari debent. Ordin. minist. d. 19. Aug. 1858. — Ex dictis colligitur per adimpletionem legis eccles. etiam legi civili in hac re satisfieri. Etenim domicilium juris Austriaci cum sanctionibus canonicis omnino concordat; imo etiam quasi-domicilium in re admittitur, etsi nomen non occurrat. *Laurin* l. c. p. 232. Proclamatio *matrimonii civilis* a magistratu politico per affixionem in tabula publica, nec non oretenus quoque diebus publicis judicialibus (Amtstage), si iidem celebrari soleant, institui debet. Attamen proclamatio oretenus facta non est de essentia. Lex nova matr. §§ 2—5. Cfr. legem d. 28. Maj. 1868.

[14]) Praedicta facultas concessa est in causa *Brunen.* (1780) et in causa *Tudertina* d. 19. Apr. 1823. In causa Pinaroliensi (7. Apr. 1862) generalius declaratur, denuntiationes pro matrimoniis ac promotionibus ad s. ordines fieri posse in populi concursu festis abrogatis. Sed adverte, non *aliis* diebus (etiam in concursu populi), nec sine licentia episcopi proclamationes fieri posse. *Feije* p. 153—159.

[15]) Dicit *Bangen* cum aliis: si proclamatio fieret die paschatis, alteram non posse fieri secunda die paschatis. Verum hoc apud nos non servatur et sat esse creditur, si *vel* inter 1. et 2. *vel* inter 2. et 3. proclamationem aliqui dies feriales interjaceant. Juxta *Feije* p. 159 literae legis stricte quidem sufficiunt, si tres dies festivi immediate sibi succedant, consulendum tamen (ait), ut unus alterve dies interponantur, potissime inter secundam et tertiam proclamationem.

Omnibus vero proclamationibus rite factis, matrimonium quamprimum contrahatur necesse est. «Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractos menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem episcopus imperet.»[16])

inter missarum solemnia.

c) Per *inter missarum solemnia* intelligitur missa parochialis, ita, ut denuntiatio etiam cum concione conjungi queat, id quod in plurimis dioecesibus moris est. De cetero s. C. C. statuit,[17]) «Ordinarium posse ex causa dispensare, ut, dum cantatur Vesper, possint fieri denuntiationes, diebus tamen festivis.»

3. Forma.

3. *Forma* proclamationum talis sit oportet, ut ex ipsa illucescat: *a)* Quinam sint nupturientes: quocirca personae «nupturientium expresso utriusque nomine baptismali, cognomine, loco nativitatis, aetate, conditione ac domicilio accurate determinentur.»[18]) *b)* Quanam vice proclamatio fiat i. e. exprimendum est, hanc proclamationem esse secundam vel cum dispensatione secundam simul et tertiam. *c)* In rituali Romano adjici jubetur monitio, ut omnes et singuli, quibus aliquod impedimentum hisce nuptiis obstans innotuerit, illud quamprimum denuntient. Ad hanc siquidem manifestationem quoscunque sub peccato mortali teneri, omnes docent auctores.[19]) Quodsi vero durante tempore proclamationum impedimentum *aliqua verisimilitudine* denuntiatum est, etsi per unius tantum *testis gravis* depositionem id factum sit, *cessandum est a proclamationibus,* licet certissima adesset spes impetrandae dispensationis. Alias enim parochus certe suae jurisdictionis limites transgrederetur.[20]) Si facta pro viribus inquisitione parochus removere non valet suspicionem impedimenti, de re tota episcopus certior faciendus, ejusque judicio acquiescendum est.

Denique notandum, secundum plurimorum ritualium statuta, post ultimam proclamationem per *unum saltem* diem exspectandum esse, priusquam ad copulationem procedatur, ut nimirum intersit sufficiens tempus ad indicanda impedimenta.[21])

---

[16]) Instr. § 64. C. c. A. (§ 73). Rituale Romanum (tit. 7. c. 1. n. 11) dicit: «Si infra *duos menses*» etc. Et hoc idem spatium statuunt auctores, si de proclamationum interruptione agatur.

[17]) In Avenionen. 25. Oct. 1586.

[18]) Instr. § 60. C. c. A. § 70. ubi tamen aetas exprimi non praecipitur.

[19]) Manifestari debet etiam mera sublatentis impedimenti suspicio, si probabilis sit. Excusantur vero: 1. qui ex officio vel munere suo tenentur ad secretum. 2. Quibus grave ex ejus manifestatione damnum aut corporis aut animae imminet.

[20]) Praeterea, ait *Bangen,* ubi continuantur proclamationes, parochiani de facili inducuntur, ut impedimenta vilipendant.

[21]) «Haec praxis videtur esse universalis. Unde etiam parochus proclamans, si ipse copulationem non habet, sed testimoniales literas de factis

§ 165. De examine sponsorum.

Examen sponsorum.

Antequam proclamationes fiant, duplex sponsorum examen a parocho instituendum est: aliud generale, aliud speciale.

1. Generale.

1. *Generale* illud est, quo parochus ex ipsis sponsis exquirere tenetur, an omnia adsint requisita, ut matrimonium valide et licite contrahere possint. Hanc inquisitionem *sub gravi* instituere tenetur animarum curator tam ratione officii sui, quam ex lege positiva.[1]) Vertitur autem examen circa impedimenta nuptiis fors obstantia consistitque in eo, ut «ipse tum sponsum tum sponsam seorsim caute et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter, et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim conjungantur; nec non ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullumne et cujus generis impedimentum inter contrahentes intercedat; aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit, de consensune parentum filii filiaeque familias contrahant.»[2]) Notandum tamen est, non sufficere solam inquisitionem et assertionem sponsorum, sed debet praeterea parochus, proclamationes et copulationem peracturus, authentica et scriptis redacta testimonia ab illo spondente exigere, qui non est ex ipsius parochia.[3])

2. Speciale.

2. Examen sponsorum *speciale* est illud, quo inquiritur, utrum sponsi in fide catholica sufficienter instructi sint. Siquidem Rituale Romanum (tit. 7. c. 1. n. 1) cum omnibus fere ritualibus monet, ut «uterque sponsus sciat rudimenta fidei, quum ea deinde filios suos docere debeat.» Item in congregatione (Inquisitionis) habita coram Innocentio XII. a. 1697 decretum est, non esse a parochis matrimonium in ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in christianae religionis rudimentis sufficienter instructos, quod decretum confirmatum fuit a Clemente XI. et a Benedicto XIV.[4]) Quoad scientiam sponsis absolute necessariam requiritur, ut quisque saltem ea sciat, quae necessaria sunt ad salutem tam necessitate medii quam necessitate praecepti, «quum nemo ad matrimonium admitti possit, qui ignorat orationem Do-

---

proclamationibus ac non repertis impedimentis emittere debet, stricte tenetur ejusmodi literas ante 24 horas post ultimam proclamationem elapsas non concedere.» *Bangen* l. c. p. 74. Hoc tamen non stricte servatur, nec servari potest.

[1]) Cap. 3. X. de clandest. despons. (IV. 3). Bened. XIV. «Nimiam licentiam» a. 1743.

[2]) «Nimiam licentiam» § 10. Quia ritualia dioecesana formam examinis accurratius exhibent, non est, cur heic singulis immoremur. Vid. Manuale Brixin. (ed. 1886. p. 388 seq.).

[3]) De his testimoniis infra sermo recurret (§ 191. 3).

[4]) Const. «Etsi minime» 7. Febr. 1742. § 11.

minicam, salutationem angelicam, symbolum Apostolicum, praecepta Dei et ecclesiae, actus fidei, spei, charitatis et contritionis et ea praesertim, quae sciri debent necessitate medii.»[5]) Consonat Instructio (§ 74): «Qui elementa fidei christianae ignorant, ad nuptias admitti nequeunt; imo antequam de Deo ejusque mandatis saltem scitu maxime necessaria didicerint, nec ad proclamanda eorum matrimonia parochus procedat.» Observat autem Benedictus XIV.,[6]) eos, qui hebetis sunt ingenii et exilis memoriae si tamen praecipua fidei nostrae mysteria sciant et credant, cetera vero, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperint, idcirco non oportere perpetuo arceri a matrimonio, sed curandum, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.

3. Adjuncta temporis

3. *Adjuncta* binorum examinum quod attinet, leges praecipiunt: *a)* ut utrumque habeatur *ante* promulgationes. Id quidem per se intelligitur de examine generali;[7]) verum etiam de speciali idem prorsus sentiendum esse, ex natura rei simul atque ex lege positiva colligitur. Quodsi nimirum praemissa una vel altera proclamatione sponsi circa doctrinam religionis examinentur, et in hoc examine non sat instructi reperiantur, partim tempus deficit,

[5]) Synod. Leod. 1851. p. 162. Cfr. Manuale Brixin. p. 262, ubi provide monetur, ut examen tum matrimoniale tum religionis fiat etiam cum honestae vitae aut status honoratioris personis. Mitius agere licet cum viduo vel vidua ad alias nuptias transeunte.

[6]) De syn. dioec. l. 8. c. 14. n. 6. Defectus scientiae religionis non est impedimentum matrimonium proprie tale, ut quidam statuerunt. Sed (ut advertit Bened. XIV. l. c. n. 5) parochus non licite assistit matrimonio, qui illud inire vult in statu peccati mortalis. Atqui in tali statu versatur, qui ignorat fidei rudimenta, quae ex gravi praecepto scire tenetur, quamdiu illa non addiscit. Tale matrimonium etiam parochus ad tempus impedire tenetur. Cfr. infra § 181. n. 3. — Olim etiam in foro civili examen sponsorum et eorum instructio in religione stricte praescribebantur per decret. cancell. aul. d. 16. Jan. 1807 et per decretum Commiss. studiorum d. 18. Jun. 1813. *Helfert*, K.-R. p. 488; *Rittner*, Oesterr. Eherecht p. 240. Sed post legem matrimon. d. 25. Maj. 1868 sancitam *in foro civili* citatae antiquiores praescriptiones hanc materiam concernentes non amplius validae censentur. Etenim minister pro rebus internis una cum ministro pro cultu d. 3. Aug. 1869 declaravit propter defectum scientiae religiosae neminem hodie repelli posse a matrimonio (eoquod juxta § 14 legis imperii fundam. nemo cogi possit ad functionem ecclesiasticam ideoque matrimonium civile iniri posse ab ejusmodi ignorantibus, si parochus copulationem detrectet. Cfr. *Rittner* l. c. *Gassner*, Pastoral (1881) p. 1173.

[7]) Imo nullatenus convenit, ut examen matrimoniale pridie ante primam proclamationem, nempe Sabbato vel in Vigilia alicujus festi habeatur. Id quod in nostra dioecesi expresse prohibetur, ne scilicet animarum curatores, qui hisce diebus aliis detinentur laboribus, negotium istud gravissimum negligenter pertractent. Brixn. Dioec.-Blatt p. 15. Circul. 23. Mart. 1858.

ut cetera addiscant, partim sine incommodo et jurgiis differri non possunt nuptiae jam paratae. Hinc etiam plurimae leges dioecesanae examen istud ante proclamationes praemitti jubent, idque etiam de illo sponso obtinet, qui alterius est parochiae.[8])

et loci.

b) Ubinam et a quo saepe dicta duo examina institui debeant, si sponsi sunt ex diversis parochiis, neque lege scripta neque usu uniformi determinatum est. Communius id receptum esse videtur, ut coram eo parocho examen utrumque habeatur, qui praeter proclamationem etiam copulationem peracturus est; alibi vero principium viget (prout e. g. in archidioecesi Monacensi id cautum est): «ubi futura sponsorum habitatio, ibi sponsalium inscriptio et copulatio.» Ast in hoc casu pars extranea parocho alterius partis testimonia magis necessaria plerumque jam ante afferre tenebitur, quam ad proclamationes procedatur, idemque parochus omnia procurare debet, quae pro matrimonio et valide et licite ineundo requiruntur. In aliis vero dioecesibus axioma antiquitus receptum servatur: «Ubi sponsa, ibi sponsalia» i. e. ibi sponsorum inscriptio et examen saltem generale. Nam quoad examen de doctrina religionis ambo sponsi a suo quisque parocho examinari solent, testimoniumque de sufficienti instructione alteri parocho exhibendum est. In hac re servandae sunt regionum leges particulares, in earumque defectu consuetudines, ab Ordinariis saltem non reprobatae. Denique attentionem meretur monitio synodi Leodiensis (1851): «Matrimonio jungere officium est parochiale, unde curam examinandi nupturientes in se suscipere debent parochi, neque unquam ob leves causas aliis committere.»[9])

Articulus III.

De impedimentis matrimonii.

§ 166. Generalia.

Progredimur nunc ad materiam, in cujus intelligentia non solum parochi versati esse debent, sed omnes sacerdotes in cura animarum laborantes tum pro bona directione animarum tum pro instructione fidelium, ne matrimonia invalida ab iis ex inscitia et incuria, aut quod pejus est, mala cum fide ineantur vel continuentur.

1. Impedimenti notio et varia partitio.

1. Impedimentum est *defectus alicujus conditionis a competenti lege aut pro validitate aut pro liccitate matrimonii requisitae.* Possunt ergo impedimenta multifariam distingui. Nimirum:

---

[8]) Circul. Consist. Brix. 21. Juli 1837 et 16. Nov. 1816. Idipsum injunctum est per Circul. aul. 24. Mart. 1818.

[9]) *Kutschker* III. p. 739. Formulare tum examinis tum instructionis apud *Bangen* IV. p. 123. In omnibus fere dioecesibus praescribitur, ut parochi habeant propria protocolla, in quibus consignari oportet singula sponsorum examina cum quaestionibus et responsis.

a) Impedimenta, quibus obstantibus matrimonium nulliter contrahitur vel contractum invalidum existit, *dirimentia* vel *irritantia* vocantur; ea vero, quae matrimonium illicitum dumtaxat efficiunt, *prohibentia* vel *impedientia* sunt. Siquidem «multa prohibentur, quae, si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.»

b) Impedimenta *naturalia* sunt, ubi quis ex lege naturali matrimonio interdicitur; *positiva,* si quis per leges ecclesiae vel civilis reipublicae a matrimonio arcetur. Positiva proin sunt vel ecclesiastica vel civilia.

c) Item alia impedimenta sunt *publica,* alia *occulta. Publica* dicuntur, quae vel sua natura vel per rerum circumstantias notoria sunt, aut saltem in foro externo probari possunt. *Occulta,* quae vel nemini vel paucis cognita sunt, ita ut de facili celari posse judicentur, et in foro externo nequeunt probari (§ 189).

d) Impedimenta dirimentia alia sunt *juris publici,* alia *juris privati.* Illa in bonum salutis publicae et ad servandam publice matrimonii sanctitatem constituta sunt, ita, ut societatis humanae intersit, eadem sarta tecta servari. Quapropter judex ecclesiasticus vel etiam parochus ad ea detegenda vi officii sui procedere tenetur. Atvero illa, quae sunt juris privati, ob privatam magis utilitatem contrahentium connubium irritum faciunt, ideoque superiores ecclesiastici regulariter nonnisi ad instantiam partium ad agendum, quae muneris sui sunt, provocantur.

e) Rursus dispescuntur in *dispensabilia* et *indispensabilia,* prout super iisdem ab auctoritate legitima dispensari potest aut juxta usum receptum dispensari solet, nec ne.

f) Iterum alia impedimenta sunt *absoluta,* quibus obstantibus quis cum quacumque persona matrimonium inire prohibetur, alia *relativa,* quae nonnisi matrimonio cum certa persona contrahendo obstant.

g) Denique impedimenta *antecedentia* priusquam matrimonium contrahitur, exstant; *supervenientia* contracto jam matrimonio suboriuntur idque sibi peculiare habent, ut matrimonium non dissolvant, sed solummodo ejus statum perturbent.

2. Impedimenta dirimentia.

2. Jam primo de impedimentis dirimentibus, et dein de impedientibus agendum est. Dirimentium septemdecim omnino enumerantur et memoriae gratia his versiculis comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio,[1]) crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

[1]) Triplex nimirum cognatio matrimonium dirimit.

Partitio.

Legitimi ordinis causa impedimenta dirimentia varie ab auctoribus dividi solent. Nos praesentem materiam ita ordinabimus, ut primo de impedimentis, quae sunt *privati juris,* deinceps vero de iis, quae sunt *publici juris,* acturi simus, quia haec divisio saltem aliquam praestat in praxi utilitatem. Quia nempe, ubi agitur de remotione impedimentorum, in utrisque diversus est modus, utraque in ipsa tractatione distinguere expedire videtur.[2])

PUNCTUM I.

De impedimentis dirimentibus.

A. De iis, quae sunt juris privati.

§ 167. Error.

Distinguendum est, utrum error cadat *in personam* an vero in *personae qualitatem.*

1. Error in persona.

1. *Error circa personam* seu *substantialis* semper irritat matrimonium. Est vero error in persona, quum quis intendit contrahere eum una certa et in mente sua determinata persona, sed per errorem (vel etiam per aliorum fraudem et dolum) contrahit cum alia. Tale matrimonium irritum est, quia per errorem vel dolum tollitur consensus juxta axioma: *Errantis nulla est voluntas, nullus consensus.*[1]) Videlicet errans non in eam personam, quae ipsi offertur, sed in aliam consentit et proin ex ipso jure naturali contractus non perficitur. Error enim *substantialis* seu, ut dicitur, *in corpore* quemvis contractum irritum reddit. Hac de causa e. g. tamdiu irritum fuit conjugium Jacobi Patriarchae cum Lia, quae per fraudem pro Rachele, quam intendebat ducere, ipsi substituta est, usquedum, errore detecto, novus consensus accessit. Attamen error circa *solum* nomen non irritat matrimonium, quia nihilominus sufficiens consensus in personam adesse potest et error nominum non obstat, dum de corpore constat.[2])

2. Error qualitatis.

2. Error in qualitate, quae est *accidentalis,* regulariter non irritat matrimonium, ut si quis putat, eam esse pulchram, nobilem, virginem, bonam, dum est deformis, ignobilis, deflorata, mala. Ratio est, quia error in qualitate non est nisi error in *accidenti,*

---

[2]) C. C. A. quatuor impedimenta canonica rejicit (§ 180. not 6), et e converso alia quatuor ab ecclesia non recepta substituit (§ 179), quoad decem alia vero, quae utrique potestati communia sunt, a lege canonica plus minusve recedit, prout suo loco indicabitur.

[1]) Dict. *Gratiani* ad C. 29. qu. 1. § 1. 2: Non enim consensit in hunc, sed in eum, quem putabat esse. — L. 15. D. II. 1: Quum non consentiant, qui errent; quid enim tam contrarium est consensui, quam error?

[2]) Rot. Rom. 13. Mart. 1615; Ulpian in L. 11. Alioquin Dig. 18. 1.

qui *per se* non impedit, quominus contractus *quoad substantiam* sit validus, more ceterorum contractuum, qui propter errorem in qualitate rescindi non possunt. Error simplicis qualitatis ne tunc quidem irritat matrimonium, cum ex gravissimis rationibus affirmari possit, partem errantem nequaquam voluisse matrimonium inire, si qualitatem illam (e. gr. sponsae graviditatem ex alio) cognovisset. — Attamen error qualitatis irritat matrimonium in triplici casu: *a)* Si qualitas, in qua erratur, est proprie dictae *conditionis servilis*. Equidem ecclesia tractu temporis matrimonia servorum christianorum, invitis dominis inita (contra leges Romanas), pro validis declaravit. Attamen si quis liber per errorem cum persona servili quam putat esse liberam, contrahit matrimonium, tunc illud ob puram servorum conditionem, inter christianos, irritum est, nisi, cognita dein servitute, facto aut verbo consensum renovet.[3]) *b)* «Si qualitas fuit *praecise* posita tanquam conditio consensus, quo casu adest impedimentum juris naturae, sed non ex errore, verum ex non impleta conditione posita in matrimonio conditionate inito» (de quo infra § 169. Acta s. S. I. 266). *c)* Si est error in qualitate, quae *in personam redundat*. Hic adest, quando erratur in tali qualitate, ob cujus defectum persona oblata non amplius eadem est, in cujus matrimonium consentitur. Hujusmodi error ipsam personam tangit, ideoque, quia et ipse consensum evacuat, matrimonium irritum reddit. Ut vero error in personam redundans ab errore simplicis qualitatis discernatur, regula inservire poterit in nostra Instructione (§ 14) sic enunciata: «In personam redundat error in ea tantum qualitate, qua sola futuri conjugis persona determinatur.» Haec regula sic intelligenda est: Si quis contrahit cum persona, quam prius *ex visu, auditu, colloquiis* non cognovit, sed tantum ex certa qualitate ipsi proposita, quae non est communis aliis, sed *individualis* alicujus certae et determinatae personae, tunc error hujus qualitatis refunditur in errorem personae, et matrimonium dirimit. Ratio est, quia errans de illa persona, quacum contraxit, nullam animo informaverat ideam, nisi ex illa qualitate, per quam persona futuri conjugis unice designata animoque apprehensa est.

Tres exceptiones

a) error circa conditionem servilem,

b) ex non impleta conditione,

a) in qualitate in personam redundante.

[3]) c. 4. X. de conjug. serv. (IV. 9); c. 2. ib. Duo tamen notanda sunt: 1. Sermo est de servis proprie talibus, non de colonis glebae adscriptis. 2. Requiritur, ut alter nupturiens sit liber et insuper alterius conditionem ignoret, dum contrahitur. — Cum juxta § 16. C. C. A. quilibet *servus* per accessum in imperium Austriacum eo ipso liber evadat, hoc impedimentum apud nos raro occurret. Contingere tamen e. g. posset, ut mulier Austriaca in illa parte Americae meridionalis, quae ad confoederatos status pertinet, servo fugitivo, quem putat esse liberum, nubat et tandem revertatur in patriam et denuo velit nubere. Eher. v. J. M. S. p. 24.

Jam vero, quia qualitas ista deest, deest etiam fundamentum, cui consensus inititur, et objectum substantiale consensus, ideoque deficit ipse consensus. Ex quibus elucet, duo requiri, ut error qualitatis in personam redundet: *a)* ut persona, circa quam erratur, prius ex visu, auditu, colloquiis cognita non fuerit, quod contingit, ubi per literas vel per procuratorem de matrimonio praevie tractatum est, vel ubi matrimonium mediante procuratore contrahitur; *b)* ut eadem persona tanquam individuum unice ex certa quadam qualitate (quae tamen non adest) denotetur e. g. si quis consentiat contrahere cum filia primogenita comitis N., offeratur autem postea secundogenita aut alia, quae primogenitam se simulat.[4]) An haec duo requisita adsint, quaestio facti est, quae pro foro externo semper rigorose probari debet. — Econtra *error simplicis qualitatis* est, quoties futurus conjux non *unice* per qualitatem, in qua alter errat, designatur. Hinc si quis alterum sponsum *visu optime cognoscit,* quilibet error circa ejusdem vitae genus, fortunam, etc. non est, nisi error simplicis qualitatis, qui etiamsi maximi momenti vel dolo alterius partis adductus sit, vel contractui causam dederit, tamen matrimonium non dirimit. Itaque valet matrimonium cum femina *bene nota,* quae se fingit primogenitam comitis N. Ratio est, quia in hoc casu fertur consensus in praesentem sponsam, ex ejus praesentia ac notis in sensus cadentibus, bene cognitam: ideo credens, illam *etiam* ista qualitate praeditam esse, non erravit in ejusdem *persona,* sed tantum in *qualitate* personae sibi bene cognitae. Proin error talis non cadit in objectum contractus (quod est ipsa persona, non ejus qualitas vel fortuna) ideoque matrimonium non dirimit, quia error contractum irritare nequit, nisi cadat in ipsius objectum.[5])

---

[4]) Aliter esset, si quis putaret contrahere cum filia comitis N. (non determinando qualem, si plures sint comitis N. filiae); quia cum qualitas filiae sit communis aliis filiabus comitis N., qualitas illa non est individualis, ideoque non redundat in personam.

[5]) »Si aliter esset, quot numero conjugia evaderent dubia et litibus exposita!» *Scavini,* Theol. Mor. tom. III. p. 580. — Differt ergo (juxta Clericat. Decis. Sacram. lib. 6. de matrim. dec. 19. n. 30) error simplex qualitatis ab errore in personam redundante, quomodo differunt propositiones: «Petrus *contrahit* cum hac Antonia praesente, quam putat esse primogenitam comitis N. N.» — et «Petrus *contrahere vult* cum primogenita comitis N. N., putans eam esse Antoniam hic praesentem.» Accurate etiam videtur rem determinare *P. Illsung* (tract. 6. dist. 9. n. 68) hisce verbis; «Error qualitatis redundat in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sistatur secundogenita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam, et tua intentio non fertur in illam, quatenus est primogenita, non fuit error *(redundans)* in personam.» — Putant nonnulli e. g. *Laymann, Reiffenstuel, S. Liguorius, Gobat* etc. errorem qualitatis etiam tunc redundare in substantiam, «quando

— Igitur omnino falsa est aliquorum recentiorum canonistarum assertio, matrimonium semper irritum esse, quod ex errore invincibili et antecedente contractum est cum persona aut gravi melancholia morbove insanabili laborante, aut ob crimen aliquod publice castigata. Nec etiam matrimonii valor afficitur, quando sponsa a tertio impraegnata fuit sponsoque haec circumstantia in contrahendo non erat cognita. Id quod etiam ex decisionibus s. C. C. ac Rotae Romanae abunde colligitur.[6])

§ 168. Vis et metus.

Subsistente vi et metu haud contrahitur matrim.

Praenotandum, *vim* et *metum* esse correlativa; *vis* enim consistit in agente seu in inferente metum; *metus* vero est in persona, quae vim patitur: unde virtute correlationis quidquid docent D. D. de metu, intelligendum est etiam de vi. Dirimitur vero matrimonium non tantum per vim absolutam seu coactionem physicam, qua nempe voluntarium omnino tollitur, sed etiam per ejusmodi vim et metum, quo libertas valde afficitur seu rationabilis determinatio imminuitur. Nimirum ex actu injustae vis alicui illatae nullum oritur jus petendi, ut violentiam passus promissis stet, ideoque nec obligatio juri respondens. Insuper consensus coacte et a reluctante emissus proportionem non habet cum ligamine perpetuo ceterisque matrimonialibus obligationibus, quae a contrahentibus vi praestiti consensus sustineri debent. Docent communiter, cum agitur de matrimonio, majus et perfectius voluntarium requiri, quam ad alios contractus. Unde In-

---

consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, ut si quis diceret: «volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam, volo ducere divitem et ideo duco Titiam.» Aliter est, si dicat: «volo ducere Luciam, quam puto esse nobilem.» Tunc enim error non redundaret in substantiam. Ita *Scavini* l. c. p. 581, subjungens tamen: «Ceterum in foro externo, nisi apertissime constat, personae qualitatem fuisse principaliter intentam, locus non datur solutioni matrimonii.» — Et sane in hac controversia vi declarationum s. C. C. ea sententia auctorum praeferenda esse videtur, quae docet, in foro saltem externo standum esse pro validitate talis matrimonii, nisi conditio expressa fuerit in ipsa matrimonii celebratione. Quin etiam in foro interno non videtur tam facile judicandum pro matrimonii nullitate in his adjunctis. Acta I. 257. 371. IV. 75. — *Balth. Daller*, Der Irrthum als trenn. Ehehinderniss. Landshut 1862. p. 19.

[6]) In C. C. A. § 58 sic statuitur: «Si vir uxorem post contractum matrimonium ab alio impraegnatam esse invenerit, extra casum § 121 determinatum, petere potest, ut matrim. nullum declaretur.» Ut hoc petere possit, requiritur: 1. Ut mulier, de qua agitur non sit vidua, aut a priori conjuge legitime separata atque ducta ante elapsos sex menses post mortem viri etc. 2. Ut praegnans sit tempore contracti matrimonii. 3. Impraegnata *ab alio*, non ab ipso viro. 4. Ut tempore copulationis nondum cognoverit. 5. Ut vir accepta hac notitia a copula abstinuerit. *Kartner* l. c. 17—19. — De cetero C. A. C. quoad hoc impedimentum consonat cum jure canonico.

structio nostra de vi et metu haec habet: «Consensus, ad quem exprimendum quis a quocunque per malum magnum et inevitabile injuste ipsi vel illatum vel intentatum compellitur, ad matrimonii vinculum nectendum haud sufficit.»[1]) Quibus verbis conditiones, ut metus sit dirimens, succincte exprimuntur. Hae nimirum sunt sequentes:

Conditiones:

1. Metus gravis.

1. *Metus* incussus debet esse *gravis et cadens in constantem virum* i. e. qui vel *absolute* vel *relative* seu *consideratis circumstantiis*[2]) cujusque casus talis sit, ut movere etiam possit virum vel feminam prudentem. *Absolute* autem gravis esse censetur metus, si quis malum aliquod comminatur *magnum* ratione sive corporis, sive honoris, sive animae, probabiliter *imminens* et *indeclinabile*. Leve autem malum, aut minus probabile vel quod potest absque magna difficultate evitari, non est dirimens, quia ille libere agere censetur, qui ad ejusmodi malum declinandum matrimonium contrahit.

2. Metus injuste incussus.

2. Metus debet esse *injuste incussus*. Et talis est, cum quis illi grave malum minatur, qui ad ineundum matrimonium non erat obligatus, vel si erat obligatus, eidem modo illegitimo (i. e. non per judicem, sed via actionis privatae) coactionem adhibuit. Et e converso metus justus incutitur, cum quis illi gravem poenam minatur, qui vel ex titulo promissionis vel ex delicto ad contrahendum praecise et stricte tenetur.[3]) Metus justus non est dirimens, quia is cui infertur, aliunde ad contrahendum tenetur. Etenim «juris executio non habet injuriam.»

3. ab extrinseco,

3. *Metus incussus ab extrinseco* i. e. excitatus per tertii alicujus (sive ipsius nupturientis sive alterius) liberam actionem. Metus *ab intrinseco* incussus, seu ab interno metuentis motivo procedens, licet gravissimus sit et unice per nuptias auferri possit, non invalidat matrimonium, quia injustus non est; v. gr. si quis sperat, fore ut contracto matrimonio a morbo pernicioso liberetur. Hic injuriam non patitur, sed sponte eligit nuptias.

4. ad extorquendum matrim.

4. Metus excitatus esse debet *in ordine ad matrimonium* i. e. eo fine, ut quis per metum ad contrahendas nuptias inducatur. Is siquidem nexus causalis sit oportet inter vim illatam et finem, cujus causa illata est, ut malum inflictum vel intentatum fuerit

[1]) Instr. § 18.

[2]) E. gr. si sponsa debilitate quadam nervosa laboret. «Dum dicitur metus cadens in virum constantem, intelligitur nomine viri animi robur pro cujusque conditione.» *Sanchez* de matr. l. 4. dis. 3. n. 4.

[3]) Hinc, ait *Sanchez*, si judex praecise cogat stupratorem, ut ducat virginem a se vitiatam *absque fide matrimonii*, non valet matrimonium, quia injuste et per injuriam extorquet, cum tantum possit cogere: ducere *vel* dotare. Ergo metus a judice incussus non semper est justus. Vid. *Moy*, Archiv. III. p. 56. seq. Acta III. 227.

ad consensum nuptialem extorquendum. Unde metus non in relatione ad matrimonium, sed *alia de causa*[4]) incussus non est dirimens, licet is, qui metum patitur, per eundem ex accidenti moveatur ad nuptias.[5])

Metus reverentialis.

Matrimonium ex metu reverentiali i. e. ex reverentia erga parentes vel superiores contractum validum est, quia talis metus per se non inducit coactionem. Si vero parentes, vel qui eorum locum tenent, suasionibus suis minas, objurgia, verberationes etc. adjunxerint, ad dijudicandum valorem matrimonii taliter adducti, regulae modo relatae applicari debent.[6]) — Etiamsi plures theologi negent, de *jure naturali* metum invalidare conjugium, tamen alii cum s. Thoma probabilius affirmant, quia matrimonium est vinculum perpetui amoris; at repugnat, ut amor a metu producatur. Hinc jus canon. statuens hoc impedimentum, non videtur nisi jus naturale promulgare (Scavini). Hoc vero certum est, matrimonium sic contractum *ipso facto* esse nullum, indiget tamen in foro externo judicis ministerio, non quidem ad matrimonium irritandum, sed ad illud irritum declarandum.[7])

§ 169. Defectus conditionis appositae.

Vox *conditio* hinc inde quidem sumitur pro *ignorantia conditionis servilis* (§ 162. 2): sed nobis hic denotat circumstantiam contractui matrimoniali adjectam, ita, ut contractus sit nullus, si non verificetur talis circumstantia.

1. Varii generis conditiones.

1. Ejusmodi conditiones sunt: *a) de praeterito, de praesenti, de futuro,* prout inter se conveniunt contrahentes, circumstantiam illam, a qua valor matrimonii pendet, vel jam contigisse, vel modo

---

[4]) Sic si pater inveniat stupratorem filiae suae, et minas injiciat ad ulciscendam *tantum* injuriam sibi irrogatam; et stuprator ad ejus iram sedandam, atque ad se liberandum, nuptias offerat easque celebret, valebit utique conjugium. *Scavini* l. c.

[5]) Ejus rei exemplum affertur in literis Eminent. Cardin. de *Rauscher:* Puellam, novercae verberibus haud infrequenter contusam, ducere vult vir dives sed aetate provectus, quem non amat. Puella diu haesitans inter duo mala, tandem contrahit cum sene, ut sic novercae contumeliis liberetur. Et tale quidem matrimonium pleno valore constabit. — Alii supra dictum nexum causalem non ita stricte urgent. *Philipps,* Lehrbuch p. 1013.

[6]) Decretum Concilii Trid. (Sess. 24. c. 9. de matrim.) quo anathematis poena iis intentatur, qui subditos quovis modo ad matrimonium cogunt, non parentes, sed publicos dumtaxat magistratus respicit. *Knopp* l. c. p. 92.

[7]) De hoc impedimento vid. Acta II. 19. III. 227. VI. 107. Casus notatu maxime dignus et a s. C. C. a. 1880. resolutus habetur ibid. tom. 13. p. 455 seq. — C. C. A. requirit ad inducendum hoc impedimentnm metum fundatum mali *probabilis* et *gravis* considerata subjectiva habitudine personae metum patientis. Sed non distinguit, utrum metus ab alia parte, an vero a tertio incussus fuerit, neque an justus injustusne censeatur.

adesse, vel aliquando esse futuram.[1]) *b)* Conditiones *possibiles,* quae evenire possunt vel certo evenient et *impossibiles,* quae physice aut moraliter impleri non possunt. Ad impossibiles referuntur etiam conditiones inhonestae seu turpes, quae, quia legibus moralitatis repugnant, impossibiles sunt de jure. Quod enim non licet, censemur non posse. Porro *c)* inter conditiones sunt quaedam (sive honestae sive turpes), quae dicuntur *contra substantiam matrimonii* i. e., quae sua natura matrimonii fini et essentiae adversantur. Et tales quidem conditiones sunt, quae tribus matrimonii bonis contrariae sunt, nempe bono prolis, bono fidei, bono sacramenti.[2]) *d)* Conditiones *suspensivae,* quae contractus matrimonialis effectum et valorem usque ad eventum aliquem suspendunt, et *resolutivae,* quae matrimonii quidem valorem non suspendunt, faciunt tamen, ut possit resolvi.[3])

2. Regulae: a) Non facile conditiones apponendae sunt.

2. *Principia. a)* Prohibetur regulariter sub gravi, ne matrimonium sub conditione ineatur, et differendae sunt nuptiae, donec conditio impleatur. Quando tamen necessitas urget, prius petenda est episcopi licentia. Nam «ut consensus sub conditione

---

[1]) Exempla sint: Duco te, si crimen illud non commisisti; si es virgo; si pater tuus consentiet.

[2]) E. gr. *contra bonum prolis* essent conditiones: si generationem prolis evites; potionem sterilitatis sumas; prolem natam interimas etc. *Contra bonum fidei* (conjugalis): Si pro quaestu ad adulterandum te tradas; si excludatur *radicaliter ac de jure* mutua corporis traditio, quia haec ad matrimonium essentialiter pertinet; ut una pars ante matrimonii consummationem religionem ingredi *debeat.* (Cfr. causam celebrem Ulissiponen. d. 8 Jul. 1724, quam refert. Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. c. 22. n. 10.) Quodsi ergo sponsi contrahant cum proposito servandi perpetuam castitatem, distinguendum est, utrum iidem in antecessum a se abdicent potestatem in corpus alterius per modum stipulationis respect., conditionis adpositae, nec ne. Si prius, invalidum est matrimonium, quia hoc necessario importat istam potestatem et *sine* ea concipi nequit. Si posterius, omnino validum est. Hinc matrimonium B. Mariae Virg. cum s. Joseph pro vero et perfecto matrimonio habetur. *Scavini* n. 724 ed. II. Etenim non obstabat votum absolutum castitatis a Virgine emissum, quia voti objectum erat usus, non potestas copulae, quam quidem potestatem absolute Virgo tradere potuit, licet haberet propositum castitatis, quia, ut ait s. Thomas (in 4. sent. disp. 30. qu. 2. a. 1), *illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum. Scavini* III. n. 866. Bened. XIV. l. c. n. 13. *De Angelis* lib. 4. p. 150. seq. (Si matrimonium contrahatur cum pacto servandi perpetuam castitatem, videndum est, quid intendant contrahentes, an denegare jus radicale utendi matrimonio an vero dumtaxat usum ligare. In primo casu matrimonium est nullum, in secundo valet. Eo magis valet, si illud votum seu propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum). *Contra bonum sacramenti* seu matrimonii perpetuitatem: Duco te, donec aliam, ditiorem te invenero etc.

[3]) Utriusque exemplum esset: 1. Duco te, si dotem afferas mille florenos. 2. Duco te, donec adulterium non committas.

detur, nonnisi de expressa episcopi licentia admitti potest.»[4]) *b)* Conditio vel in ipsa copulatione coram parocho et testibus exprimi, vel saltem, si paulo ante apposita sit, parocho et testibus communicari debet, ita, ut hi, consensum sub conditione praestitum esse, clare intelligant.[5]) Imo nostra Instructio modum priorem stricte sic exigit: «Conditiones, quae in consensus declaratione haud exprimuntur, pro non appositis habendae sunt.» (§ 55.) *c)* Quantum ad conditiones haec distinctio notanda est: *α)* «Irritus esset consensus, qui alligaretur conditioni *substantiae matrimonii* repugnanti.» (§ 53.) Ratio est, quia iisdem, etiamsi honestae sint, destruitur consensus in id, quod proprie matrimonium constituit; sed consensus potius circa alia quaedam versatur, quam circa matrimonium. Neque refert, utrum conditio sit de futuro, an de praeterito, vel de praesenti. *β)* «Conditiones *impossibile* quidpiam aut *inhonestum*, quod matrimonii substantiae haud repugnat, continentes pro non adjectis habendae sunt.» (§ 53.) E. gr. duco te, si victum furto compares. Et hoc quidem constitutum est ob matrimonii favorem et ex praesumtione, tales conditiones a contrahentibus non serio appositas esse. Sed haec juris praesumtio probationem in contrarium non excludit; proinde ubi solide probatum est, conditiones impossibiles serio appositas esse, matrimonium irritum est ex regula: *Praesumtio cedit veritati.* *γ)* «Quando consensus alligatur conditioni de *praesenti* vel de *praeterito*, matrimonium validum est vel non, prout conditio impleta jam est vel non.» (§ 52.) Hae namque conditiones matrimonii valorem non suspendunt, sed tantum incertum reddunt. Ideo contrahentes ab usu matrimonii abstinere debent, donec de conditione impleta vel non impleta constet. *δ)* Conditiones *resolutivae*, quia matrimonium ab initio validum dissolvere intendunt, semper sunt contra matrimonii substantiam nimirum contra bonum sacramenti, ideoque contractum irritum faciunt. Econtra *ε)* conditiones *suspensivae* et possibiles, quae versantur circa futurum contingens vel non contingens, matrimonium suspendunt, «usquedum conditio impleatur. Quodsi non impleatur, consensus dati effectus cessat.» (§ 52.) Nimirum *pendente conditione* contrahentes

b) Semper in forma legitima.

Quam vim habeant conditiones contra substant. matrim.

Impossibiles et inhonestae.

de praesenti et de praeterito.

resolutivae,

suspensivae.

[4]) Instr. § 55. Licentia haec non ad valorem requiritur, sed ad liceitatem. Omnino vero non requiritur, si periculum in mora sit, ut si agatur de contrahendo cum moribundo, ad legitimandam prolem.

[5]) Ideo videndum est, an non tantum temporis inter conditionis positionem et matrimonii celebrationem fors defluxerit, ut contrahentes conditioni renuntiare censeri debeant. In locis, quibus decretum Conc. Trid. de Clandest. non est promulgatum, quoties conditio apposita fuit sponsalibus de futuro, ac pendente conditione accedit copula, sponsalia conditionata in matrimonium absolutum seu purum transeunt. *Schulte*, Eher. p. 150.

de jure tenentur, ut adjectae conditionis impletionem exspectent. Si vero quis ante eandem impletionem resiliat et cum alia persona nuptias ineat, hae omnino sunt validae, quia matrimonium primo contractum (scil. ratum tantum), utpote pendente conditione, nondum reapse subsistebat. Attamen «qui ante conditionem impletam matrimonium consummat, eo ipso conditioni renuntiat.»[6]) § 54.) *Impleta* seu *existente conditione* matrimonium statim perficitur, quia consensus conditionatus transit in absolutum (modo ille praevie non fuerit revocatus), idque probabilius sine ulteriori novo consensu.[7]) Denique *deficiente* conditione matrimonium non subsistit, perinde ac si nunquam initum esset.

§ 170. Impotentia.

1. Notio impotentiae.

1. Impotentia vitium est naturale vel accidentale impediens, quominus copula carnalis ad generationem sufficiens modo naturali exerceri et perfici queat.[1]) Distingui autem oportet impotentia coëundi ab impotentia generandi seu *sterilitate,* quae impedit, quominus ex copula carnali perfecta sequatur generatio prolis. Haec posterior matrimonium non dirimit et proin ad rem nostram nihil pertinet. Idem dicendum est de aetate senili, *per se* loquendo, nisi vera impotentia simul accedat.

2. Variae ejusd. genera.

2. Impotentia varie dividitur: *a)* Alia enim est *antecedens,* quae licet ignorata, contractum praecessit; alia *consequens,* quae matrimonio contracto sive rato sive consummato, supervenit. *b)* Distinguitur *naturalis,* quae ex naturae defectu oritur, ab *accidentali,* quae ex actu violento vel diuturno morbo etc. provenit. *c)* Utraque est *perpetua,* si nullo remedio naturali absque mortis periculo, vel absque peccato tolli possit, secus vero *temporalis* dicitur. *d)* Denique *absoluta* est, quae copulam respectu omnium

[6]) Illi quoque conjuges conditioni renuntiasse censentur, qui matrimonium consummant, ante verificationem conditionis de praesenti vel de praeterito.

[7]) *Fagnani* (ad tit. 5. c. 5. n. 3) dicit: *est receptissima canonistarum sententia* (scil. quae negat, verificata conditione novum consensum requiri), *quae in curia servatur.* Cfr. *Scavini* III. n. 864. *De Angelis* l. c. p. 145. C. C. A. § 59. omnes conditiones appositas pro non adjectis habet.

[1]) Adest impotentia 1. Si ob defectum sive in viro sive in muliere existentem penetratio vasis foeminei perfici nequeat. 2. Si impossibilis sit effusio seminis ad generationem sufficiens in idem vas muliebre. Quoddam genus impotentiae ex parte viri est *frigiditas* (tit. de frigidis X. [IV. 15]). Hermaphroditi, i. e. qui utroque sexu pollent (si qui reperiantur) plerumque sunt impotentes ideoque regulariter a matrimonio repellendi. Ceterum de vitio impotentiae, quod haud raro occurrit, consulendi sunt moralistae. Scite ac copiose de hac re etiam disserit *Bangen,* Instructio etc. II. p. 109 seq. Cfr. Acta s. Sedis tom. 14. p. 68.

impossibilem reddit,[2]) *relativa,* quae id efficit respectu certae dumtaxat personae.

3. Ex his sola impotentia *antecedens* et *perpetua* seu insanabilis, matrimonium jure naturae et ecclesiastico dirimit. Impotentia *subsequens* matrimonium non irritat, sed solummodo ejusdem usum, si certa sit, facit illicitum. Nihil tamen *per se* refert, utrum impotentia contrahentibus matrimonium innotuerit, vel utrum sit relativa an absoluta. Dixi *per se;* nam quoad 1. potest interdum permitti, ut qui *bona fide* impotentiam ignorantes matrimonium contraxerunt, tanquam soror et frater cohabitent;[3]) quoad 2. in impotentia *absoluta* sola pars potens ad alias nuptias convolare potest (§ 198. Instr.); in impotentia *relativa* utrique parti hoc licitum est, sed hodie parti impotenti (scil. in impotentia relativa) hoc non permittitur, nisi venia a s. C. C. obtenta.[4]) Ex quibus colligitur, haud permitti posse (e. gr. a confessario), ut quis cum *dubia impotentia* matrimonium contrahat, quia contrahenti certo constare debet, actus, quorum suscipit necessitatem, conjugales esse, non fornicarios. Eo magis id obtinet de impotentia certa. 3. Qualis impot. matrim. irritet.

4. Impotentia (tum absoluta tum relativa) est impedimentum nunc *publici,* nunc *privati* juris (§ 161. 1. d.). *Publici* juris est, quando est notorium (sicuti e. gr. est in eunuchis), aut publico actu de ipso constat. In hoc casu judex ecclesiasticus, nec non parochus *ex officio* procedere tenentur. *Privati* juris est, ubi solis conjugibus (sicuti generatim esse solet) innotescit, et tunc in arbitrio eorum positum est, utrum ob matrimonii nullitatem litem movere velint, nec ne. In tali casu judex non procedit nisi ad instantiam partium. Hinc Instr. (§ 118) habet: «Propter impotentiam matrimonium consummandi, *nisi notoria sit,* conjuges tantum matrimonium accusare possunt.» 4. Impot. juris publici aut privati.

5. Modus procedendi in hoc impedimento apud *Curiam Romanam* non idem semper erat. Nam Processus apud curiam Rom.

a) Usque ad finem saeculi circiter 12. Pontifices querelas partis potentis non admittebant, sed potius cohabitationem con-

[2]) Impotentia absoluta est in eunuchis, a quibus differunt spadones; nam hi (ait *Schmalzgr.* h. t. n. 32) potentes sunt ad coëundam et generandum, eo quod vis et virtus, alias in duobus testibus sita, uniatur in uno. Sic intelligi oportere literas Sixti V. (22. Junii 1587) probat *Schulte,* Eher. p. 83.

[3]) Qui vero cum scientia hujus impotentiae contraxerunt, a Sixto V. (not. praec.) omnino separari jubentur. Intellige hoc dici, si ex officio procedatur contra hoc impedimentum. Nam pro *foro interno* cohabitatio adinstar fratris et sororis saepe suaderi, imo urgeri oportet, quoties nimirum impotentia difficulter in foro externo probari potest, vel si ex separatione turbae et scandala enascerentur, et supposito, quod in hac cohabitatione absit periculum incontinentiae. Cfr. *Knopp,* Eher. I. p. 119. ed. 1.

[4]) Cfr. Acta s. S. IV. 198. VI. 518.

jugum tanquam inter fratrem et sororem praescribebant.[5]) Et haec quidem praxis ideo potissimum introducta est, quia pro natura hujus impedimenti probationes incertae sunt et incertum ecclesiae judicium de illis, et propterea minus videbatur periculum matrimonium retinere sub ea forma, quam per errorem solvere.

b) Sed haec disciplina, cum nimis rigida esset et ad scandala atque peccata perduceret, per subsequentes Pontifices immutata fuit.[6]) Exinde enim distinctio invaluit, num probationes pro existentia impotentiae *antecedentis* et *perpetuae* essent invictae seu omni exceptione majores nec ne. Ubi prius, judex ecclesiasticus matrimonium statim invalidum declaravit. In casu negativo autem recursus habebatur ad antiquam dispositionem legis Justiniani, scil. ad experimentum triennalis cohabitationis, quo termino inutiliter praeterlapso, praestito utriusque partis et septimae manus propinquorum juramento,[7]) matrimonium declarabatur invalidum.

c) Sed simplex haec procedendi ratio cursu temporis in desuetudinem paulatim abiit, et aetate nostra triennale illud experimentum ab aula, uti dici solet, recessit, atque alia procedendi methodus eaque prolixior et implexior, introduci coepit. Ratio erat, quia ejusmodi conjuges, dissociatis jam animis, universim ad tale experimentum vix impelli possunt, nec ipsae censurae propter temporum circumstantias ad hunc finem proficuae videntur. Itaque praxis moderna curiae Romanae est haec: 1. Si per probationes omni exceptione majores *plene* constet de impotentia antecedente et perpetua, tunc statim matrimonium declaratur nullum aut irritum. An vero *plene* de dicta impotentia constet, eruitur ex signis sive *physice,* sive *moraliter* certis. Signa *physice* certa sunt, per quae impotentia necessario et evidenter e. gr. ex organica dispositione conjugis unanimi peritorum sententia concluditur. Signa *moraliter* tantum certa adsunt, ubi impotentia ex rationibus *internis* certo concluditur. Quoties adsunt signa physice certa, statim deveniri potest ad matrimonii dissolutionem.

---

[5]) «Rom. tamen ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.» c. 4. X. (IV. 15, Lucius III. a. 1181).

[6]) A Coelestino III. c. 5. X. (IV. 15) a. 1195; ab Honorio III. c. 7. l. c. a. 1220. etc.

[7]) Testimonium juratum septimae manus (juramentum credulitatis) proprie in eo consistit, ut juramento attestentur septem testes ex utroque latere, scil. propinquorum vel vicinorum, qui conjuges optime norunt, eosdem in judicio veritatem dicere. Sed notandum, hodie universim quidem testimonium septimae manus a s. C. C. requiri, sed non praecise requiri septem testes, neque ex utraque parte semper, sed sufficere aliquem numerum testium, qui rem, de qua agitur, melius cognoscere praesumantur. Acta s. S. VI. p. 515.

Si vero signa moraliter tantum sunt certa, tunc nonnisi accedente conjugum juramento (scil. se non posse coire) cum septima propinquorum manu, ac etiam adstipulante concordi peritorum judicio, sine mora itidem dissolvi potest matrimonium. 2. Si vero *non plene* constet de dicta impotentia, tunc ad tramites juris requiritur *continua triennalis cohabitatio* conjugum vacantium copulae; si elapso triennio adhuc veritas cognosci nequeat, regulariter standum est pro valore matrimonii. Sed hodie vix unquam locus est experimento triennali, sed potius in casu quo matrimonium non est consummatum, deciditur, consulendum esse Ss^mo^ pro dispensatione super matrimonio rato non consummato (§ 173 2. *b.*), pro qua obtinenda duo evidenter demonstrari debent: nimirum matrimonium permansisse ratum, causasque graves concurrere, ut illud dissolvatur. Dispensatione Apostolica obtenta omne dubium remotum, et conscientiarum tranquillitati optime consultum est.[8])

Juxta Instr. Austriacam.

Modus procedendi in nostra Instructione praescriptus est sequens:

Instructio, quin distinguat inter signa physice et moraliter certa (§ 174), nil aliud requirit, quam unanimen declarationem duorum et respective trium peritorum, qui omnimode fide digni sint, impotentiam esse antecedentem et simul insanabilem. Haec declaratio plenam probationem efficit, quin existentia impotentiae a conjugibus asseratur, aut eorum juramento confirmetur. Quodsi autem dubium remaneat, an impotentia insanabilis existat et matrimonium antecessit, rejicienda est declarandae invaliditatis petitio (§ 174). Experimentum tamen triennale (§ 175) tunc decernitur, quando 1. probatum est, matrimonium nondum esse consummatum, *aut* (si hoc probari non possit) nullitatis declarandae petitio intra tres a matrimonio contracto annos proponitur; 2. quando simul existentia impotentiae ab utroque conjuge asseritur; 3. ac praeterea a duobus rei peritis fide dignis ut valde veresimilis astruitur. Si triennio elapso conjuges denuo instant pro nullitatis declaratione, tunc oculari inspectione iterum inquirendum est, quoad facta nihil esse immutatum; si constet nil immutatum esse, conjugibus permitti potest, ut existentiam impotentiae juramento confirment, et istud plenam probationem efficit.[9]) (§ 175.)

---

[8]) Acta s. Sed. I. 420; VI. 517. In ejusmodi processu ad amussim servanda est Const. Bened. XIV. «Dei miseratione»; edita est etiam (22. Aug. 1840 Acta s. S. I. 439) a s. C. C. «Instructio pro confectione processus in causis matrimonialibus,» ubi impedimentum impotentiae singulariter respicitur. Cfr. etiam *Masella* de impedimentis matr. p. 25 seq. — Adhibendi sunt in hoc processu periti jurati pro inspectione corporum (unius aut utriusque), scil. medici et chirurgi intuitu viri, et obstetrices respectu mulieris. Cfr. Acta s. S. I. 412. 439. IV. 190. 374. 198.

[9]) Hae normae procul dubio observari debent in locis, ubi Instructio ceu lex particularis introducta fuit, id quod e. gr. in provincia Vindobonensi

Pars ceu *absolute* impotens declarata, si postea potentem se quomodocumque ostenderit, ad prius matrimonium redire tenetur (Instr. § 198). Idem dicendum de conjuge, qui ut *relative* impotens declaratus fuit, si postea cum conjuge priore copulam revera perficiat.

Pro coronide quantum ad quatuor supra recensita impedimenta notandum est: 1. partem errantem, errore cognito, partem vi et metu ductam, restituta libertate, denique partem, quae conditionem apposuerit, dimissa conditione, juri suo matrimonium invalidandi renuntiare posse, ita, ut tunc per consensum ejusdem partis accedentem matrimonium convalescat; [10]) 2. impotentiae vero impedimentum partium renuntiatione tolli non posse, eoquod eo obstante contractus matrimonialis insanabiliter nullus est.

B. De impedimentis dirimentibus, quae sunt publici juris.

§ 171. Impubertas, defectus aptitudinis ad consentiendum et de simulato consensu.

Duplex ratio hujus impedim.

1. *Impedimentum aetatis* seu *impubertas*. «Quum pueri, qui decimum quartum et puellae, quae duodecimum aetatis annum nondum absolverint, de regula neque physice ad matrimonium apti, neque ii sint, qui matrimonii contrahendi vim, prout decet, intelligant, de jure ad matrimonium inhabiles censentur.» (Instr. § 17.) Fundatur igitur haec impuberum inhabilitas in duplici praesumptione, eos nempe tam discretione animi ad contrahendum requisita, quam physica potentia ad actus conjugales destitui. Sed potest quandoque evenire, ut jam *ante* aetatem legitimam tum aptitudo ad consensum conjugalem tum maturitas physica adsit, seu prout dicitur, ut *malitia suppleat aetatem*.[1]) In tali casu praesumptio cedit veritati, matrimoniumque, licet in aetate impuberi contractum, valet. Ex quo colligitur, per impedimentum aetatis

per concilium provinciale (1858) revera factum est. Sed adverte generatim, quod dispensatio super matrim. rato collidatur cum lege nostra civili, quae solvi non sinit matrim. etiam ratum tantum. Praeterea notandum est, apud nos hodie vix, aut ne vix quidem possibile esse, casum impotentiae *juridice* pertractare in judicio ecclesiastico, propter leges civiles obstantes. — Vide casum relatum in Act. s. Sed. tom. 12. p. 624. seq.

[10]) Id quod nostra Instructio etiam in casu adjectae conditionis statuere videtur § 54. Cfr. not. 7. § praec. Instr. § 116 etiam dicit, conjugem illum jure impugnandi matrimonium suum excidere, qui aut cognito errore aut liberatus a metu debitum conjugale voluntarie ac scienter praestiterit, vel, quin haec circumstantia probari possit, conjugale vitae consortium per 6 menses voluntarie continuaverit. Cfr. infra de convalidatione matrim. § 196.

[1]) S. Cogregatio censuit .... malitiam ... in duobus consistere: et in discretione ad conjugalem consensum et in potentia ad copulam. Apud *Fagnan.* lib. 4. decret. ad cap. De illis. de desponsat. impub. n. 47.

non absolute dirimi matrimonium, sed sub conditione tantum, scil. nisi malitia suppleat aetatem. «Quodsi autem unquam eveniret, ut haec aetate minores et physica et morali ad matrimonium aptitudine pollerent, nihilominus, nisi desuper ab episcopo dioecesano vel ab ipsa Apostolica sede sententiam declaratoriam obtinuerint, matrimonio jungi non possent.»[2]) Ceterum haec differentia notanda est: Aptitudo ad consensum requiritur de jure naturali et divino; actualis vero ad copulam conjugalem potentia de jure positivo canonico.[3]) Unde super praedicta aptitudine dispensatio nequit obtineri, bene vero, licet rarissime, dispensatur, si impotentia dumtaxat physica adsit in impubere, quia, ut dictum est, actualis potentia ad copulam ex jure dumtaxat canonico requiritur.[4]) Obtenta dispensatione matrimonium quidem contrahi poterit; at matrimonii usus non permittitur, sed conjuges separandi sunt usque ad pubertatem.

Est conditionatum.

Ex parte est juris divini.

ex parte juris eccles.

Verum attendi etiam debet monitio Instructionis: «Procurandum est, ut avertantur matrimonia eorum, qui annum quidem decimum quartum et respective duodecimum absolverunt, ast nondum attigerunt aetatem, qua pro terrae gentisque ratione aptitudo ad matrimonium debita cum deliberatione incundum et maturitas physica adesse solet.» (Instr. § 72.)

Avertenda matrimonia puberum.

2. Praeter impuberes etiam alii sunt consensus matrimonialis praestandi prorsus incapaces. «Amentes, furiosi, infantes et quicunque talem, qualem rei natura exigit, consensum praestando impares habentur, matrimonium contrahere nequeunt.» (Instr. § 13.) Igitur ex defectu aptitudinis ad consentiendum a matrimonio arcentur: 1. Qui *habituali* amentia, insania, mentis hebetudine in eo gradu laborant, ut consensum rite praestare nequeant. Si tamen amentes aut furiosi *lucida habeant intervalla* (de quo tamen certo constare debet, quoniam «in furentibus semper praesumitur furor») per se non sunt incapaces matrimonii contrahendi, sed parochus non poterit eos admittere, nisi episcopus ejus rei licentiam dederit.[5]) 2. Qui in *actu* copulationis consensus praestandi

Alii consensus praestandi incapaces.

---

[2]) Instr. l. c. «Declaratoria haec potius dicenda, quam dispensatio.» Bened. XIV. not. seq. Dispensatio competit sedi Apostolicae.

[3]) Bened. XIV. Constit. 51. «Magnae nobis» 29. Junii 1748. Bullar. II. p. 187.

[4]) Hinc matrimonia infidelium ante aetatem canonicam inita valida sunt, dummodo adfuerit discretio rationis. — Matrimonia impuberum, juxta formam Concilii Trid. contracta, habent vim sponsalium, (c. 14. X. IV. 2.) juxta principium: «Actus valet, ut potest valere, non sicut agitur.» Instr. past. Eystett. p. 283. Cfr. *De Angelis* lib. 4. tit. 2. p. 83.

[5]) c. 24. X. (IV. 1). Illi quibus ob ingenii hebetudinem curator publice constitutus est, nonnisi, hoc decreto sublato, ad copulationem remitti possunt. *Binder* l. c. p. 10. 11.

non sunt capaces, veluti dormientes, delirantes, ebrii, abrepti vehementi passione, quae rationis usum penitus intercipiat etc.

De consensu simulato.

3. Quia «consensus facit nuptias,» matrimonium invalidum est, quod cum simulato consensu contractum est. Scilicet qui ex malitia simulavit consentire et contrahere, vere tamen et ex animo non consensit, is in ea re deficit, quae essentiam matrimonialis contractus constituit, quae est voluntas sese obligandi, sive verus consensus internus. Nemo autem dubitat, quin talis gravissime peccaverit, atque in utroque foro teneatur praestare consensum. Interim ecclesia consensum hunc, externe rite praestitum, tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium evidenter non probetur, neque credit contrahenti, quamvis juramento confirmet, se ficte consensisse.[6])

§ 172. Disparitas cultus.

Notio hujus imped. Historia.

Disparitas cultus hic loci denotat eam diversitatem religionis, quae inter *baptizatum* et *non baptizatum* intercedit. Quod quidem impedimentum non ex jure naturali neque ex jure divino positivo, sed solum de jure ecclesiastico, et quidem vi legitimae consuetudinis introductum est.[1]) Ex antiquorum enim patrum eloquiis constat, matrimonia fidelium cum infidelibus maxime quidem dissuadenda esse: at eadem non absolute prohibita, sed potius quandoque tolerata fuisse, ex eo solo adparet, quod praeclarae sanctitatis christiani cum paganis foedera nuptialia inire haud raro consueverint.[2]) Quia vero ista religionis diversitas ideam matrimonii valde deturpat, porro haud levia pericula parti christianae exinde imminent, et temporum conditione mutata, ratio istiusmodi conniventia generatim ex integro cessavit; primum

[6]) Cfr. *Vecchiotti* p. 105. seq. et casum decisum a S. C. C. 29. Aug. 1868 in Acta IV. 65. Si uxor recens nupta matrimonium consummare renuat, dicens, se ignorasse debitum conjugale, eoque cognito non fuisse matrimonium inituram: tale matrimonium quidem valet, quia in contractibus non exigitur, ut singulas obligationes cognoscant contrahentes, dummodo contrahentium voluntas feratur in contractum universim sumtum. Attamen manente ejusmodi matrimonio tantum *rato* ob pertinacem mulieris renuentiam, ex causis valde gravibus implorari potest dispensatio Apostolica (§ 173. 2). — C. C. A. § 48 quantum ad praedicta impedimenta in seq. a lege eccles. recedit: 1. Aetas pubertatis etiam in femina completo demum anno 14. incipit. 2. Impedimentum impubertatis est absolutum, nullo respectu habito ad conditionem: «nisi malitia suppleat aetatem.» Similiter amentes et furiosi matrimonium contrahere absolute non possunt.

[1]) «Omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse non quidem jure s. canonum, sed generali ecclesiae more, qui pluribus abhinc seculis viget ac vim legis obtinet» Bened. XIV. «Singulari nobis» 9. Febr. 1749.

[2]) Nupsit e. gr. s. Monica Patritio gentili, s. Clotildis Clodovaeo, s. Edelburga Edwino etlnico regi Anglo-Saxonum etc.

per concilia provincialia [3]) contra easdem nuptias canones conditi sunt, tandemque totius ecclesiae consensu cultus disparitas inter impedimenta dirimentia recenseri coepta est. Ex quibus etiam liquet, super hoc impedimento, utpote ex sola lege ecclesiastica inducto, dispensari posse a summo Pontifice, uti revera Gregorius XIII. missionariis in regionibus Sinarum et Tunkini ejusmodi dispensandi facultatem concessit. Subsistit vero hoc impedimentum quoties quis baptizatus, sive catholicus sive acatholicus, cum quacunque persona non baptizata conjungitur. Quodsi baptizatus cum persona conjungitur, quae sectae a fide christiana alienae adscripta est (e. gr. Rongeanismo), tunc distinguendum est, utrum pars sectaria valide baptizata sit, nec ne. Si ita sit, ob indelebilem baptismi charecterem matrimonium etiam tum pleno valore constat, quando miser conjux omnis religionis expertem se declaravit. Secus vero matrimonium irritum est.[4])

Dispensabile est.

Inter quos subsistat.

§ 173. Ligamen.

Triplex in sensu latiori datur ligamen matrimonium irritans: ligamen cum homine *(validum matrimonium)*, ligamen cum ecclesia

Ligamen triplex.

[3]) Conc. Aurel. II. c. 19; conc. Arvernen. c. 17. C. XXVIII. qu. 1; item c. 15. l. c. (s. Ambros.).

[4]) Ad dubium ab episcopo Sangallensi propositum quid sentiendum sit de matrimonio eorum, qui valide baptizati non sunt, vel de iis, quorum una dumtaxat conjugum pars valide baptizata dignoscitur; quid denique in casu, quo dubium de validê suscepto baptismo tolli nequit? — s. C. Inquis. d. 3. April. 1878 respondit: «Matrimonium eorum, de quibus certe constat, quod valide baptizati non sunt, habendum esse tanquam matrimonium duorum infidelium: matrimonium vero eorum, quorum una dumtaxat pars valide baptizata dignoscitur, altera vero invalide, habendum esse tanquam matrimonium affectum impedimento dirimente cultus disparitatis, ac proinde nullum: denique si post diligens et accuratum examen dubium de valide suscepto baptismate tolli nequeat, et constet de facto suscepti baptismatis, hujusmodi baptisma validum censendum esse in ordine ad validitatem matrimonii juxta decretum d. 17. Nov. 1830 *(vide hoc decretum p. 181 not. 2, quod continet regulas pro dijudicando valore baptismi, a sectariis collati)*. Si autem certo cognoscatur, nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.» *Vering*, Archiv. tom. 41. p. 182. *Hirschel* in Archiv. tom. 40. p. 252. — Anno 1876 camera deputatorum Austriaca impedimentum disparitatis cultus, sicut et alia quaedam impedimenta *ex sua parte* abrogavit. *Vering*, Archiv. tom. 36. p. 126. seq. Sed hoc conclusum non fuit probatum. Hinc hodiedum subsistit hoc impedimentum etiam in foro civili. Sed potest vis legis eludi, si persona baptizata se omnis religionis expertem formaliter jam antea declaravit. L. d. 9. Apr. 1870. Nr. 51. Reichsgesetzblatt. Cfr. decisionem summi tribunalis d. 6. Mart. 1879 (Archiv. tom. 40. p. 477) nec non d. 18. Mart. 1884 Nr. 1005. Hoc consentaneum est § 64 cod. C. A., vi cujus impedimentum disparitatis cultus intercedit inter profitentes christianam religionem et non profitentes. His ultimis (abstrahendo a charactere baptismi) pares habentur qui *nullius* prorsus religionis esse declarant. — In imperio Germanico per legem imper. d. 6. Febr. 1875 sublatum est impedimentum cultus disparitatis. Cfr. *Hirschel* l. c.

(ordo sacer), et ligamen cum Christo *(votum solemne).* Nam qui hujusmodi vinculis constricti sunt, a matrimonio contrahendo omnino arcentur. Proprie tamen loquendo nomine impedimenti *ligaminis* intelligitur *matrimonii vinculum,* quod *eodem junctos ad aliud matrimonium contrahendum inhabiles reddit.*[1]) Fundatur hoc impedimentum tum in unitate matrimonii, qua omnis polygamia[2]) et tanto magis polyandria excluditur, tum in ejusdem insolubilitate, qua *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* (I. Cor. 7, 39.) Constituitur ergo hoc impedimentum, ubi matrimonium 1. cum alio *valide* contractum est et 2. adhucdum *perdurat.* Tanta vero ligaminis prioris est *vis,* ut is, qui eo subsistente alteras nuptias jungere attentavit, ad priores, quae unice validae sunt, redire cogatur, imo si mala fide secundas nuptias iniit, statim poenas de jure canonico contra bigamos statutas incurrat.[3]) Oritur vero impedimentum ligaminis

Ligamen in sensu proprio.

Oritur:

1. Ex matrim. christianorum rato et consummato, et quidem absolute.

1. *Ex matrimonio christianorum valido et consummato,* et oritur quidem *absolute* seu sine ulla exceptione aut dispensatione. *Absolute* enim valet regula: *Matrimonium a christianis contractum, postquam consummatum fuerit, nonnisi morte solvi potest.*[4]) Hinc matrimonium, inter baptizatos, seu *christianos* valide contractum et *consummatum* absolute prohibet, quominus unus eorum, vivo altero, cum tertia persona matrimonium contrahat. Et quia protestantium conjugia propter baptismi characterem ipsis inhaerentem ab ecclesia juxta eadem plane principia dijudicantur, quae obtinent pro catholicis, etiam protestantes tenentur impedimento ligaminis ideoque ad alias nuptias convolare non possunt, nisi matrimonium prius contractum vel ob defectum formae vel ob subsistens impedimentum fuerit invalidum. Ex quo porro sequens regula fluit: «Inter catholicum et christianum non catholicum, qui conjugem superstitem habet, matrimonium consistere nequit, licet tribunal, apud quod causae matrimoniales Christianorum non catholicorum tractari solent, separationem quoad vinculum pro-

[1]) Instr. § 20.

[2]) Conc. Trid. Sess. XXIV. doctr. de sacr. matr. et can. 2: «Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.»

[3]) Scilicet: 1. Proceditur contra eum tanquam de haeresi suspectum. 2. Incurrit etiam criminis impedimentum. 3. Ipso jure infamis est et irregularis. 4. Nolens separari excommunicandus est. 5. Liberi sunt illegitimi. 6. Bigami, donec resipiscant, excludendi sunt a benedictionibus ecclesiae et a Sacramentis, imo etiam a sepultura eccles., si absque poenitentia decedant. *Knopp* II. 171.

[4]) Instr. § 21. Non datur formula, qua matrimonii insolubilitas aptius determinatur, quam haec.

nuntiaverit.»[5]) Puta nisi nullitas prioris matrimonii inter protestantes contracti rite probata sit. Etenim tunc nihil obstat, quominus pars catholica cum tali acatholico valide conjungatur.

2. Ex matrimonio solum *rato*, sed *nondum consummato*, verum non *absolute*, sed cum duabus exceptionibus. Nam matrimonium *ratum tantum* quidem efficit, ut nuptiae cum tertio contractae plane sint irritae, etiam tum, cum hae posteriores jam per copulam fuerint consummatae, sed tamen non est *absolute* indissolubile, sed duas habet exceptiones. Nimirum: «Vinculum matrimonii valide contracti, sed nondum consummati *a)* per solemnem religionis professionem alterius conjugis vel *b)* summi Pontificis dispensatione dirimitur.»[6]) Igitur *a)* conjugibus post contractum matrimonium spatium duorum mensium ab ecclesia conceditur, intra quod quilibet conjux, etiam invito altero, ante matrimonii consummationem religionem ingredi potest, ita, ut conjugi in seculo relicto liceat suo lubitu alias nuptias conciliare. Verum vinculum matrimonii durat, usquedum professio, et haec *solemnis*, fuerit emissa.[7]) *b)* Insuper Romanus Pontifex, ex potestate divi- 2. Ex matrim. rato tantum cum exceptionibus.

[5]) Instr. § 22. Adduci hic debet impedimentum, quod dicitur *catholicismi*, et convenienter ad leges eccles. a potestate civili (Decret. aulic. d. 4. Aug. 1814 et 26. Aug. 1814. Cfr. *Helfert*, K.-R. § 297; *Rittner*, österr. Eher. p. 82. seq. 342) apud nos est constitutum. Hoc impedimentum in eo consistit, ut, quando matrimonium acatholicorum ex causis in lege probatis (Cfr. §§ 111. 115. 116. et 119. C. C. A.) est solutum, pars acatholica non possit matrimonium inire cum persona *catholica*, eoquod haec persona catholica juxta principia ecclesiae debeat vinculum istius matrimonii tanquam *non solutum* considerare ac propterea in conscientia prohibeatur matrimonium inire cum tali conjuge. Similiter, si duorum conjugum acatholicorum alteruter sive ante sive post separationem, ad ecclesiam catholicam conversus est, hic idem separationem factam nonnisi tanquam a toro et mensa factam considerare debet ac propterea, quoadusque vivat pars separata, nullum omnino matrimonium contrahere valet (Decr. aul. cit. d. 4. Aug. 1814 et edict. Minist. d. 14. Jul. 1854). Matrimonium mixtum pariter etiam vi legis civilis est indissolubile (§ 111. C. C. A.); sed tunc dissolvi potest, ubi ex acatholicis alter catholicus factus est *post* contractum matrimonium, ritu catholico initum. Cfr. *Vering*, Archiv. cit. tom. 36. p. 123. seq., ubi leges conclusae a camera deputatorum referuntur pro immutandis §§ 63. 64. 111. 116. 125—136, 44—122. C. C. A. Si alter conjugum catholicorum, quoad thorum et mensam separatorum transiit ad sacra acatholica et postea in Hungaria matrimonium contrahit, tale matrimonium in Cisleithania est invalidum, etiamsi vi juris Hungarici impugnari non possit. Sic decis. est a summo tribunali d. 8. Maji 1877. *Vering*, Archiv. t. 40. p. 93.

[6]) Instr. § 21. «Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, a. s.» Conc. Trid. sess. cit. can. 6.

[7]) Haec praxis ecclesiae a s. Thoma sic explicatur: «Duplex vinculum intercedit inter conjugatos, unum spirituale, alterum carnale post consummationem matrimonii. Atqui ut carnale hoc vinculum per mortem dissolvitur, ita spirituale per religiosam professionem, quae est mors quaedam

nitus ipsi concessa, super matrimonio rato et non consummato dispensare potest. Sed ut hoc fiat, causa urgentissima (e. g. ob simultates inter familias et inter conjuges ipsos, ob impotentiam supervenientem etc.) requiritur, ac praeterea matrimonium non esse consummatum, rigidissime examinari et comprobari debet.[8]) Utplurimum haec dispensatio *ad cautelam* occurrit cohaerenter cum aliquo impedimento dirimente (e. g. impotentiae, vis et metus etc.), quod a petente asseritur, sed ab ipso plene probari non potest.

3. Ex matrim. infidelium, pariter cum exceptione,

3. Ex matrimonio *infidelium*, sed pariter *cum exceptione,* et supposito, quod tale matrimonium alias valide fuerit contractum, i. e. quod impedimentum juris divini seu naturalis non obstiterit. Nam impedimentis mere ecclesiasticis non ligantur infideles. Consequens est, infideles non posse proprio consensu matrimonia sua dissolvere. Neque generatim tunc id licet, quando unus eorum vel ambo ad fidem convertuntur, «quum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.»[9]) Verum etiam in hoc capite datur *exceptio*. Si nempe alter conjugum ad fidem convertatur, istud conjugium juxta verba Apostoli: *Quodsi infidelis discedit, discedat* etc.[10]) dissolvi potest et quidem ex praxi ecclesiae atque juxta s. C. C. decisiones non tantum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum.[11]) Verum ratione modi et temporis, quo tale conjugium separatur, haec sunt notanda: Pars fidelis conjugem *infidelem interpellare* debet (et hoc rigorose praescribitur), an velit deinceps cohabitare secum et quidem sine injuria in Christum et absque sollicitatione ad peccatum? Quodsi hic renuat cohabitare, aut si consentiat quidem, sed cohabitare nolit *absque contumelia creatoris* h. e. si pars infidelis christianum conjugem ad defectionem a fide aut ad peccatum mortale pertrahere studeat, vel christiani nominis despicientiam manifestet, vel etiam si per aliquod tempus pacifice cohabitaverit, sed postea mutata voluntate id amplius implere nolit: tum fideli conjugi, si

---

spiritualis.» (Summa th. III. q. 61. 2.) Alii autem dicunt, cuivis matrimonio quod est ratum tantum, ex dispositione ecclesiae conditionem suspensivam inhaerere: «Nisi religionem adiero.» — Vota simplicia ejusmodi vim non habere, sequitur etiam ex decreto s. C. super statu regularium d. 25. Jan. 1861. *Moy,* Arch. t. 9. p. 443.

[8]) Benedict. XIV. Const. 33. «Dei miserationе» 3. Nov. 1741. *Kutschker* I. 318. Vide casus in ephem. «Acta» I. 411. IV. 190. VI. 517. XII. 186. XIV. 155 (in hoc casu denegata est dispensatio). — Juxta C. C. A. solutio matrimonii etiam rati tantum non habet locum.

[9]) c. 8. Gaudeamus X. (IV. 19).

[10]) I. Cor. 7, 15.

[11]) «Tale connubium separabitur» s. Aug. lib. de fid. et op. n. 28. — *De Angelis* l. IV. p. 321. 322.

petat, novae nuptiae concedendae sunt. His demum cum persona christiana contractis, non vero per solum discessum, matrimonium anterius plene solutum est juxta veriorem sententiam et in praxi acceptatam.[12]) Haec omnia strictim et distincte in nostra Instructione exprimuntur.[13])

§ 174. Ordo sacer et votum solemne.

Praeter vinculum matrimonii datur duplex ligamen, idque spirituale, quod impedit, quin eodem constrictus matrimonium licite ac valide contrahat. Nam *„si quis dixerit, clericos in s. ordinibus constitutos vel regulares solemniter professos castitatem posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.“* [1]) Igitur

Ordo sacer.

1. *Ordinis sacri* i. e. subdiaconatus aliorumque majorum ordinum susceptio obest, quominus ordinatus nuptias validas contrahat; at eadem matrimonium ante ordinationem valide contractum nullatenus dissolvit:[2]) Hinc *a)* qui *sponte* s. ordinibus initiatus est, vel ex lege ecclesiastica vel ex voto s. ordini annexo, ad coelibatum servandum strictissime tenetur. *Sponte,* inquam; nam si quis vi aut metu gravi injuste incusso ad s. ordines suscipiendos compulsus est, ad continentiam servandam ab ecclesia non adstringitur, nisi aut expresse aut tacite per s. ordinum exercitium consensum posthac suppleat (supra § 64. 1). Nihil vero refert, si quis ordinem s. suscipiens expressam habuerit intentionem non servandi castitatem vel coelibatum ordinibus annexum. Qui enim vult antecedens, etiam consequens velle censetur. *b)* Qui obstante impedimento ordinis nuptias de facto inire praesumserit, poenas ab ecclesia statutas incurrit[3]) et ab illegitima uxore statim separandus est. *c)* Qui post contractum matrimonium invita uxore

---

[12]) Cfr. cit. cap. Gaudemus. Bened. XIV. «Apostolici» II. p. 150. Si interpellatio conjugis infidelis impossibilis est, dispensatio a sede Apost. desuper expeti potest. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 6. c. 4. n. 3. et l. 13. c. 22. n. 3.

[13]) § 23. S. C. Inquis. d. 1. Aug. 1759. Cfr. Die interpellatio conjugis infidelis etc. *H. Lämmer* in *Moy,* Arch. t. 11. 245.

[1]) Conc. Trid. l. c. can. 9.

[2]) Vid. supra § 75. 2.

[3]) Poenae sunt 1. amissio beneficii (supra p. 254), 2. excommunicatio latae sententiae et episcopo reservatae, cui vi Constit. Apostolicae Sedis (1869) subjacent «clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.» Et hac quidem censura comprehenduntur etiam illi, qui matrimonium civile contrahunt ex declar. C. s. Officii d. 22. Dec. 1880. *Vering,* Arch. 46. p. 26.

s. ordinem recepit, adigendus est, ut ab executione ordinum abstineat et uxori, si exigat, debitum reddat.[4])

Votum solemne.

2. *Votum solemne* castitatis *valide* emissum pariter matrimonium *contrahendum* invalidat.[5]) Ad quod tamen duae conditiones requiruntur: *a)* Ut votum sit *solemne* seu emissum in ordine, qui tamquam verus ordo a sede Apostolica sit adprobatus. *b)* Ut professio religiosa quoad omnia fuerit *valide* emissa.[6]) «In quantum vota simplicia in congregatione regulari emissa eum per exceptionem sortiantur effectum, ut matrimonium irritent, secundum statuta ordinum a S. sede adprobata dijudicandum est.»[7]) Notandum denique est, hoc loco sermonem esse de influxu voti in matrimonium *contrahendum;* nam de vi voti solemnis in matrimonium *contractum* sed ratum tantum, jam in § praeced. dictum est. Matrimonium vero *consummatum* per votum non dirimitur; imo professio religiosa, invito altero conjuge ab uno emissa, prorsus invalida foret.[8])

§ 175. Crimen.

Datur triplex crimen, quo matrimonium dirimitur: adulterium sine conjugicidio, conjugicidium sine adulterio, adulterium cum conjugicidio.[1])

[4]) Verum petere non potest, neque mortua uxore ad alias nuptias convolare. Instr. Eyst. p. 284. — Nonnisi in casibus urgentissimis super hoc impedimento a sede Apost. dispensatur, sed nunquam quoad constitutos in ordine episcopatus. A. 1801 Pius VII. dispensationem generalem impertivit quoad matrimonia, a sacerdotibus tempore rebellionis in Gallia contracta.

[5]) Ita distincte et clare primum definitum est a Bonifacio VIII. in cap. unic. *Quod votum* in VI. (III. 15.)

[6]) Supra § 138. 2. a.

[7]) Instr. § 24. Exceptio ejusmodi viget quoad societatem Jesu, in qua vota, post secundum novitiatus annum emissa, simplicia quidem sunt, sed, ex constit. Gregorii XIII. «Ascendente Domino» (1584) matrimonium reddunt invalidum. Cessant vero per legitimam dimissionem datam a Praeposito Generali S. J. vi ejusdem Const.

[8]) Quaeritur, an uxor talis viri, qui ea consentiente ad ordines promotus fuit, si emiserit simplex votum castitatis, valide contrahat matrimonium post mortem viri? Negat *Schmalzgrueber* citans plures juris can. textus et auctores (l. IV. tit. 6. n. 40); *Zitelli* de dispensationibus matr. p. 57; can. *Feriatim* D. 32; Bened. XIV. Quaest. can. 391; sed. s. Alph. (Moral. l. VI. n. 812. dub. 2), etsi hanc sententiam communiorem et valde probabilem dicat, etiam affirmativam putat esse satis probabilem. — Duo recensita impedimenta etiam in foro civili subsistunt (§ 63. C. A. C.) et hodiedum valent, non obstante insultu camerae deputatorum, quae a. 1876 (Arch. t. 36. p. 124) decrevit, duo isthaec impedimenta cessare oportere sive per apostasiam clerici in sacris constituti, sive per egressum religiosi ex ordine. Neutrum statuendum esse a supremo tribunali decisum est 8. Jun. 1881 (Arch. t. 47. p. 306 seq.).

[1]) c. 6. 7. X. de eo, qui duxit, quam polluit (IV. 7.)

1. *Adulterium sine conjugicidio* est dirimens, quando adulterium conjungitur vel cum *promissione matrimonii* vel *cum matrimonii attentatione*. Scilicet «inter eos, qui adulterium secum invicem commisere, matrimonium valide contrahi nequit, quando, altero adhuc vivente conjuge, matrimonii ineundi fidem sibi dederint vel matrimonium de facto inire attentaverint.»[2]) Requiritur vero ad incurrendum hoc impedimentum: *a)* Ut *adulterium* commissum sit *materiale* seu *verum* i. e. ut matrimonium, cujus fides violata est, sit validum; *b)* ut sit *formale ex utraque parte* i. e. ut uterque complex sciat, existere illud matrimonium, siquidem ab ignorante non committitur adulterium formaliter; *c)* ut sit *perfectum* i. e. intercedente copula carnali perfecta consummatum; *d)* ut sit *promissio* matrimonii sufficienter *data et acceptata* ab altera parte, sive haec promissio praecedat aut comitetur aut sequatur adulterium, modo ante adulterium retracta non fuerit; *e)* ut tum *promissio* tum *copula nefaria* eveniant stante *priore matrimonio* seu vivente priore conjuge;[3]) *f)* idem impedimentum tanto magis inducitur, si priori et eodem conjugio durante, matrimonium novum inter complices *attentatum* est, supposito, quod prius matrimonium utrique parti innotuerit et cetera requisita adsint, supra (a—c incl.) enumerata. 1. Adulterium sine conjugicidio.

2. *Conjugicidium sine adulterio.* «Conjugicidium inter conjugem ejusdem reum et personam, quacum ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una tantum pars facinus ea intentione perpetraverit, ut cum altera matrimonium inire possit.»[4]) Requiritur ergo ex hoc capite: *a)* Mutua in necem *conspiratio* seu, ut ambo *mutuo consilio* mortem machinentur. Sufficit tamen, si una dumtaxat pars necem exequatur vel procuret. Sola vero ratihabitio necis subsecuta non sufficit ad impedimentum inducendum.[5]) *b) Intentio* hoc facinore viam ad matrimonium sibi parandi. Nam finis legis est, ne quis spe matrimonii conjugem occidat. Juxta sententiam probabiliorem sat est, si haec intentio, quae pro foro externo adfuisse semper praesumitur, ab alterutra tantum parte fuerit habita. Requirunt tamen plures, ut intentio illa aliquo modo fuerit alteri manifestata. *c) Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis, non vero ex imperitia medici vel alia de causa. 2. Conjugicidium sine adulterio.

3. *Adulterium cum conjugicidio* tum dirimit nuptias, «quando vel una tantum pars ea intentione, ut cum altera matrimonio 3. Adulterium cum conjugicidio.

---

[2]) Instr. § 36.

[3]) Item requiritur, ut promissio et adulterium durante *eodem* matrimonio commissa sint.

[4]) Instr. § 37. — c. 1. X. (IV. 19.)

[5]) *Bangen* l. c. p. 142. *Clericat.* decis. 25. n. 12. *De Angelis* l. IV. p. 185.

jungi queat, in mortem conjugis, cujus jura adulterio violavit, machinata fuerit effectu secuto.» (Instr. § 36.) Ergo ex hoc titulo hoc impedimentum tunc subest, quando adulter vel adultera conjugi innocenti *necem minatur morsque exinde sequatur,* siquidem id fiat cum *intentione* saltem ab uno habita matrimonium contrahendi. Id vero notandum, hic conspirationem utriusque partis ad necem haud requiri, sed sufficere, si alteruter caedem physice aut moraliter, etiam inscio altero, perpetraverit.

Introductum est hoc impedimentum ab ecclesia, ne conjuges per crimina adulterii et conjugicidii viam ad nuptias sibi sternant. Unde cum illud publici sit juris, parochi vi muneris sui in vidui vel viduae nuptiis tenentur inquirere, quoties rationabilis suspicio de ipsius existentia insurgit.[6])

§ 176. Raptus.

I. Notio et tenor hujus imped.

1. Raptus definitur *violenta feminae abductio de loco ad locum eo animo facta, ut raptor cum ea matrimonium contrahat.* Non eadem semper viguit circa raptum disciplina. Innocentius III. statuerat, ut rapta cum raptore contrahere posset, «si prior dissensio postmodum transeat in consensum.»[1]) Id tamen concilium Tridentinum non sufficere decrevit definiendo: «inter raptorem et raptam, *quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit,* nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat» (Sess. XXIV. c. 6. de ref. matr.), quin tamen is poenas in raptores statutas effugiat.

2. Requisita.

2. Requiritur ergo, ut hoc impedimentum invehatur: *a)* Abductio *mulieris* (quaecunque illa sit) a viro, quia decretum Tridentinum probabilius solos feminarum raptores comprehendit; *b)* abductio *de uno loco ad alium.* Hinc raptus non est, si persona de

[6]) Quaestio olim multum inter doctores disputata fuit, an criminis impedimentum incurratur etiam ab ignorante, sc. ab ignorante poenam? Sed sententia longe probabilior, imo hodie *certa,* tenet, ab ignorantibus quoque hoc impedimentum attrahi. Consonat praxis Poenitentiariae et Datariae Apostolicae. *De Angelis* l. IV. p. 187; *Feije* n. 456; *Schmalzgr.* h. t. n. 59; *Zallinger* h. t. § 113. — In C. C. A. statuitur: 1. Matrimonio valide connecti non possunt duae personae, quarum adulterium inter ipsas patratum jam antequam matrimonium contraherent, evictum est (§ 67). (Scilicet evictum *judicialiter,* vel etiam coram instantia politica ex partis nocentis confessione vi decr. cancell. aul. d. 6. Dec. 1833.) 2. Promissio matrimonii, etiam sine praecedente adulterio, et machinatio in necem conjugis, qui obsit matrimonio, etiam ab una tantum parte facta cum intentione tali modo finem propositum assequendi, matrimonium inter ejusmodi personas convalescere non sinit, etiamsi mors reipsa secuta non fuerit (§ 68).

[1]) Cap. 7. X. de raptor. (V. 17).

cubiculo in cubiculum ejusdem domus vel in domum vicinam, aut reperta in agro per aliquot passus abducatur, sed intelligitur traductio a loco tuto in locum remotiorem moraliter diversum;[2] *c)* abductio *violenta;* qua voce intelligitur: *α.* violentia in actu illata, sive physica per manuum injectionem sive moralis per gravem vim et metum; *β.* detentio mulieris in loco alieno, in quem dolo, blanditiis, amatoriis artibus etc. allecta est. Sed nostra Instructio[3] praeter raptum in sensu strictiori etiam *raptum seductionis* tanquam impedimentum dirimens agnoscit. Et hoc quidem nomine juxta Instr. intelligitur abductio puellae consentientis, invitis seu ignaris parentibus vel tutoribus,[4] supposito, ipsam raptori antea non fuisse desponsatam. Nam si quis suam sponsam consentientem invitus parentibus abducit, cessat raptus esse impedimentum dirimens. *d)* Raptus patratus esse debet ad effectum contrahendi matrimonium, non vero vindictae vel explendae libidinis causa.[5] *e)* Durat impedimentum, quamdiu rapta in potestate raptoris existit nec loco *tuto* et *libero* est reddita. Locus vero *tutus* non recensetur, qui est publicus, neque *liber,* in quo nonnulli tantum actus libere exerceri posse videntur. Etsi

Raptus violentiae.

Raptus seductionis.

[2]) Instr. past. Eyst. p. 300. — Homo apost. s. Lig. tr. 18. n. 76.

[3]) § 19. «Rapta censenda est mulier, quae violentia ipsi illata vel abducitur, vel in loco, ad quem dolo allecta est, detinetur; nec non ea, quae a viro, cui ante facinus rite desponsata haud fuit, ipsa licet consentiente, insciis tamen vel invitis parentibus seu tutoribus abducitur.»

[4]) Verum non est extra controversiam an raptus qui dicitur *seductionis,* matrimonium dirimat. Auctores graves e. g. *Knopp, Devoti, Schenkl, Walter, Permaneder, Scavini, Bangen* etc. id negant, dicentes violentam abductionem a Trid. conc. requiri. Sed bene advertit *Kutschker* III. p. 469, a tribunalibus Romanis etiam raptum *seductionis* in cit. decr. concilii Trid. comprehendi. Sic e. g. s. C. C. 24. Jan. 1608 censuit, «Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis.» In jure vero civili Rom. tanquam raptus matrimonium dirimens considerata est abductio puellae consentientis, invitis vel ignaris parentibus aut aliis, sub quorum potestate et tutela maneret. (Cod. 9. 13. l. un. § 2. 3.) Cfr. Acta s. Sedis I. p. 21. et *Moy,* Archiv. t. 7. p. 109, ubi simile decretum refertur a *Dr. Fessler* in quo animadvertitur, in raptu requiri *aliquam violentiam,* adeo ut raptus non tollatur, cum adest violentia et abductio per consensum mulieris; secus si violentia non intercederet, et mulier esset sui juris, i. e. neque in potestate parentum, neque tutoris, neque similium, neque promissionibus vel aliis artibus esset seducta. Ex quibus jam satis elucet tribunalium Roman. praxis. Cfr. Archiv. III. 215 seq.

[5]) Attendi hic debet § 173. Instr.: «De rapta, quae cum raptore, dum in ejus potestate permaneret, matrimonium contraxit, praesumendum est, quod matrimonii ineundi causa rapta sit. Contrario plene probato, consistit nihilominus praesumtio, eam violentia injusta ad consentiendum adactam esse. Haec ipsa praesumtio adversus omne matrimonium militat, quod a quacunque persona quacunque ex causa rapta, antequam libertatem penitus recuperaverit, contractum fuerit.»

hoc spatio durante mulier consensum praestet, nihilominus nuptiae sunt irritae. In hoc siquidem impedimentum raptus ab impedimento vis et metus discrepat. Etenim illud *publici* juris est, hoc vero *privati.*

Quoad jus impugnandi matrimonium ex titulo raptus monet Instr. § 120: «Propter impedimentum raptus raptor adversus matrimonium reclamare nequit. Rapta, quae raptui consensit, suo matrimonium accusandi jure in exordio libertatis plene recuperatae utatur; alias non amplius audiatur.»[6])

§ 177. Cognatio naturalis.

Distinguitur triplex cognatio: naturalis, spiritualis et legalis (civilis).

1. Cognatio naturalis.

1. Cognatio *naturalis* est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite communi per generationem descendentium. Igitur ad propius definiendam cognationem tres notiones explicandae sunt:

a) Stipes communis.

a) Stipes communis, seu ille homo aut uterque conjux, a quo procedunt ii, de quorum cognatione agitur. Sicut enim arboris rami in stipite coadunantur, ita omnes descendentes in suo progenitore, a quo originem ducunt, unum censentur. Stipes et proinde etiam consanguinitas est *bilateralis* vel *unilateralis,* prout descendentes unum eundemque patrem *et* unam eandemque matrem *(germani)* vel solum eundem patrem *(consanguinei)* aut tantum matrem *(uterini)* habent. Sed stipes communis propinquus sit oportet. Si enim stipitis remoti ratio haberetur, omnes homines essent consanguinei.

b) Linea.

b) Linea, quae est series personarum non interrupta, in qua quaelibet subsequens ab antecedente generata est. Linea alia dicitur *recta,* quae scilicet genitores et genitos continet. Et haec est vel *ascendentium* vel *descendentium,* prout membrorum successio vel ascendendo a genitis ad genitores vel vice versa consideratur. Personae in linea ascendentium positae dicuntur *majores,* in linea descendentium, *posteri.* Alia linea dicitur *transversa* seu *collateralis,* i. e. series personarum, quarum una quidem non descendit ab altera, quae tamen omnes ab eodem stipite descendunt, e. g. frater et soror. Cum personae in lineis transversis collocatae pari gradu distant, linea collateralis *aequalis* est; cum distant gradu dispari, nimirum alter altero remotior est, *inaequalis* dicitur.

---

[6]) Juxta C. C. A. § 56. «consensus irritus est, qui a persona rapta et in libertatem nondum restituta praestitus fuit.» Vi hujus § persona rapta neque cum tertio valide potest contrahere. Cfr. not. praeced.

c) Gradus.

c) Scilicet propinquitas cognationis per *gradus* definienda et numeranda est. Est vero gradus mensura distantiae unius personae ab altera. Per singula enim membra intermedia gradiendum est, usque dum ad personam, de qua agitur, perveniatur. Quaelibet persona intermedia, seu quod idem est, quaelibet generatio gradum efficit, et omnes gradus quasi puncta totius lineae considerari possunt. Gradus numerandi modus duplex est: vel ecclesiasticus vel civilis. Sed diversitas nonnisi lineas collaterales concernit; in numerandis enim gradibus lineae rectae computatio ecclesiastica a civili non discrepat, sed in utraque valet regula: «Tot sunt gradus, quot sunt generationes;» i. e. quot generationes inter duos interjacent, tot gradibus ab invicem distant. Regulae enuntiatae aequivalet haec: «Tot sunt gradus, quot personae una demta.» Atvero in numerandis gradibus *lineae transversae* alia est juris civilis et alia canonici juris ratio. Jus *civile* etiam in determinanda lineae collateralis cognatione regulam applicat: «Quot sunt generationes, tot sunt gradus» vel aequivalentem: «Tot sunt gradus, quot personae, una demta.» et ideo lateris utriusque generationes vel personas, demto tamen stipite communi, numerat. At *canones,* quodsi personae in linea aequali consanguineae sunt, tot gradus constituunt, quot generationes in uno tantum latere reperiuntur, nimirum ad stipitem ascendendo, unde collaterales originem ducunt. Quodsi vero duae personae in linea inaequali consistant, eo gradu conjunctae sunt, quo pars a stipite remotior distat. Sed claritatis causa non solum remotioris, sed propioris quoque gradus exprimi solet, et ubi agitur de obtinenda dispensatione, etiam exprimi *debet,* dicendo e. g. eos in tertio gradu ad secundum seu in gradu tertio tangente secundum, conjunctos esse.[1]) Relatio personae stantis in aliquo gradu remotiore lineae collateralis ad personam in primo gradu positae dicitur *respectus parentelae.*

[1]) En sequens schema ad rem clarius explicandam hic appositum:



Observationes: 1. *a* (mas.) et *b* (femina) duplex matrimonium inierunt, scil. *a* cum *b* et *i; b* vero cum *a* et *k*. — 2. *a, b,* est stipes communis, a quo duae lineae *rectae: c, d, e,* et *f, g, h,* descendunt. Lineae *c, d, e* et *f, g, h,* ad invicem comparatae, sunt *collaterales; e* et *h* consistunt in linea *aequali,* et juxta computationem canonicam in tertio gradu conjuncti sunt, in sexto juxta computationem civilem. Porro *d* et *h* collocati apparent in linea inaequali atque in 3^{tio} gradu tangente 2^{dum} consanguinei sunt, si vero civiliter numeretur, in 5to gradu. — 3. Quia *l* et *m* stipitem communem non habent, hae duae personae sanguine conjunctae non sunt.

Notandum est (praesertim pro petendis dispensationibus) consanguinitatem inter easdem personas ex duplici vel etiam ex multiplici capite oriri posse. Id potissimum evenit cum *a)* duae personae consanguineae liberos procreant. Nam tunc eorum descendentes non unum tantum stipitem communem cum suis propinquis habent, sed duos; — *b)* cum quis cum duabus personis inter se consanguineis liberos procreat; — *c)* cum personae inter se consanguineae cum personis item inter se consanguineis liberos generant, e. g. si duo fratres duas feminas, quae sunt sorores, ducunt.[2])

2. Rationes hujus imped.

2. *Causae,* ob quas ecclesia conjugia inter consanguineos prohibuit, sunt: *a) Bonum morale,* ne sc. inter personas consanguineas sub spe futuri matrimonii nimia familiaritas et exinde illicita conversatio oriatur. *b) Bonum sociale,* ut diversae familiae per matrimonia connectantur, et charitas ex una familia ad plures sese exporrigat.[3]) *c) Bonum naturale,* quia natura ipsa saltem in propinquioribus gradibus ejusmodi matrimonia adversatur, quam aversionem horrorem sanguinis dicunt. Addunt, per conjunctiones frequentes ex eadem cognatione quoad corpus et animam familias enervari.[4])

3. Tenor et ambitus.

3. *Latitudo* hujus impedimenti est sequens: *a)* Nunquam valet matrimonium in linea recta neque in remotissimo gradu, seu in infinitum. *b)* In linea collaterali cognationis impedimentum olim ad septimum usque gradum producebatur. Sed Innocentius III. in Concilio Lateran. IV. illud coërcuit ad *quartum* gradum,[5]) eoque jure nunc utimur. Proinde regula tenenda est: Quodvis

---

[2]) Vide seqq. schemata juxta *Knopp:*



Nota, in schemate 1mo personam *g* cum omnibus ibidem positis dupliciter esse conjunctam. Item personae *e* et *f* tum in 2do tum in 3tio schematae positae, dupliciter consanguineae sibi sunt.

[3]) S. August. de civit. Dei l. 15. c. 16. Cfr. c. un. C. 35. qu. 1.

[4]) Cfr. *Weber,* die kanon. Ehehind. p. 65. seq., ubi auctor ex testimoniis medicorum et physicorum probat, ex hujusmodi matrimoniis tristissimas sequelas provenire scil. carentiam liberorum, abortus, filios deformes, mutos et surdos, aegritudine affectos et permulta alia parentum infortunia.

[5]) c. 8. X. (IV. 14). Cfr. *Feije* p. 239.

matrimonium inter consanguineos usque ad quartum gradum irritum est: sin autem alterutra pars gradu quinto a stipite distat, matrimonium et validum et licitum est. *c)* Eadem regula respicit 1. eos, quorum propinquitas ex thoro illegitimo descendit, nec non 2. eos, qui ex parte patris tantum vel ex parte matris solum cognationem suam deducunt. Nam diversitas alterius parentis non impedit, quin carnalis consanguinitas inter eos intercedat. (Cfr. supra 1. a.)

4. Exploratio cognationis.

4. Sedulo inquirendum est, an matrimonium contracturis impedimentum cognationis obsit. Hunc in finem sponsos pastor interroget: An non ipsorum parentes fuerint fratres aut fratrueles? Casu, quo eorum responsione dubium non abstergitur, libros canonicos scrutetur, et schema seu arborem consanguinitatis conficiat.

Hunc in finem scribat in inferiori parte chartae nomen sponsi ad unum latus nomenque sponsae ad alterum; dein adnotet supra nomen tum sponsi tum sponsae nomine eorum progenitorum, per quos forte propinquitas inter sponsos intercedere posset, reliquis omnibus, qui ad rem non faciunt, omissis. Qua facta adnotatione adparebit, num in stipite aliquo communi uterque sponsus conveniat, et in quonam gradu id contingat. Quo vero nomina avorum et proavorum facilius inveniantur, etiam libri matrimonioles inspiciendi sunt. Simul in ista indagatione affinitatis quoque ratio haberi debet, et attendi, an forte cognatio multiplex intercedat. Singularis vero cautio requiritur, ut cognatio ex thoro illegitimo proveniens detegatur, quia libri baptismales raro exhibent patrem illegitimum. In hoc defectu caute et prudenter in sponsos et testes est inquirendum, nec non dubium, quod fama publice obmovet, solerter discutiendum vel etiam episcopo denuntiandum.[6])

§ 178. Cognatio spiritualis et legalis.

1. Cognatio spiritualis.

1. *Cognatio spiritualis* est propinquitas personarum, orta ex collatione et susceptione Sacramenti tum baptismi tum confirmationis. Quia baptismus est generatio spiritualis, congruum fuit statuere, ut illius tum mediator tum sponsores seu compatres

[6]) *Finis et modus* tabulam consanguinitatis delineandi supra indicatus non est unicus, sed datur multiplex. Sc. arbor consanguinitatis in sensu proprio dicitur ea delineatio, qua cujusdam hominis, qui scire vellet, cum quibus personis et in quonam gradu conjunctus sit, consanguinei omnes tum ascendentes, tum descendentes conspectui exhibentur. Porro haud raro e. g. ubi de participatione stipendii alicujus a proavis fundati agitur, integrae familiae per longam generationem seriem delineandae et schemati inserendae veniunt, quem in finem in summitate chartae stipes communis consignari et infra nomina descendentium referri debent. Cfr. *Müller*, Geschäftsstyl t. I. p. 456.

(prout dicuntur) cognationem spiritualem attrahant matrimonium irritantem cum personis hoc vinculo ad invicem conjunctis. Idem etiam circa confirmationem, quae est baptismi complementum constituere decuit. Ambitus hujus impedimenti, a jure ecclesiastico inducti, olim latius patuit, sed arctius circumscriptus est a concilio Tridentino.[1]) Nimirum juxta versiculos claudicantes:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes,
Levans, levatus, levatique parentes;
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Levans, levatus etc.

hoc impedimentum nunc subsistit: 1. inter ministrum sacramenti et subjectum ejusdemque parentes; 2. inter patrinum (matrinam) et infantem ejusque genitores.

Regulae practicae.

Pro praxi haec advertenda veniunt: *a)* Cognatio spiritualis non contrahitur, nisi ex baptismo valido, quia secus paternitas et filiatio spiritualis nequit oriri.

b) Privatim baptizans cognationem spiritualem cum baptizato ejusdemque parentibus omnino certe contrahit; sed num etiam patrini per hoc spiritualiter evadant cognati controvertitur. Multi negant eoquod in baptismo privato patrini non requirantur, imo in pluribus ritualibus ne quidem admittantur. Sed tamen sententiam *affirmantem* sc. ex baptismo etiam privato contrahi cognationem ac proinde etiam impedimentum quaedam s. C. C. declarationes e. g. d. 17. April. 1603 et 5. Mart. 1678 extra dubium ponunt.[2]) Porro neque qui in supplendis ceremoniis baptismi adinstar patrinorum operam praestant, neque qui nomine patrini infantem de sacro fonte suscipiunt (s. C. C. 11. Jun. 1881, Acta s. Sed. t. 14. p. 417), cognationem contrahunt. In baptismo *conditionato* generatim praesumitur fieri Sacramentum, ideoque et cognationem contrahi. Sed excipe, si nulla urgeat ratio contra validitatem prioris baptismi; nam tunc praesumtio stat pro valore actus, ideoque in secundo nulla contrahitur cognatio.

c) Ex parte patrini ad contrahendam hanc cognationem requiritur: ut sit baptizatus, ille vero qui in confirmatione fungitur, etiam confirmatus; — ut habeat intentionem sustinendi munus patrini et proin sit liber ab errore et metu; — ut physice in actu sacro infantem tangat et teneat vel ipse vel per procuratorem.

---

[1]) Sess. XXIV. c. 2. de ref. matr. Cfr. c. 1. in VI. (IV. 3).

[2]) Vide has resolutiones una cum arbitrio theologorum apud *Mühlbauer*, Thesaurus Resol. t. IV. p. 6—19. Item *Laurin*, Die geistl. Verwandsch. etc. Archiv t. 15. 269 et opusculum: Die geistl. Verwandsch. und die Privattaufe. Mainz 1886. *Feije* p. 281. Immerito in contrarium alligatur declaratio s. C. C. Tolentinaten. d. 16. Maj. 1711, quia de re nostra non agit, sed tantum probat, non oriri cognationem ex suppletione ceremoniarum.

d) Ex eo, quod baptizans etiam in baptismo privato cognationem spiritualem contrahit, recte inferunt, non licere parentibus suam prolem extra casum necessitatis baptizare. Imo juxta plures D. D. conjux hoc faciens jure petendi debitum privatur. Sed certum est, cognationem spiritualem non contrahi ab eo, qui prolem *suam* legitimam baptizaverit in casu necessitatis, vel ex ignorantia sive juris sive facti; illa siquidem prohibitio habet rationem poenae, quae sine culpa non incurritur. Item certum est, eum, qui infantem suum sine necessitate, vel etiam ex malitia (e. gr. ut a conjugis toro liberetur) baptizaverit, teneri alteri petenti debitum conjugale reddere, ne innocens jure suo privetur. Sed num etiam petere possit sine dispensatione Ordinarii, controvertitur. Multo tamen probabilius neque in hoc casu cognatio spiritualis ullo modo contrahitur.[3])

e) Ne cognatio spiritualis justo frequentius resultet, in Conc. Trid. cautum est, ut unus tantum sive vir, sive mulier, sive ad summum unus et una infantem de baptismo suscipiat. Si nihilominus plures susciperent, omnes cognationem contraherent.

2. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum, quae per fictionem juris ex adoptione legali oritur. Est vero adoptio vel perfecta vel imperfecta. *Perfecta* seu *arrogatio* est, per quam persona *principis auctoritate* seu *rescripto* cum filiis transit in familiam et potestatem adoptantis fitque illius haeres necessarius tam ab intestato, quam testamento. *Imperfecta* vero est, qua quis, magistratus inferioris auctoritate, in filium quidem assumitur, sed non transit in familiam et potestatem adoptantis neque fit haeres necessarius, sed tantum ab intestato. Ambitus hujus impedimenti juxta seq. tres lineas determinatur: 2. Cognatio legalis

a) Prima est quasi linea *recta* ad analogiam cognationis naturalis. Hinc irritum est conjugium «inter adoptantem adoptatumque et ab adoptato descendentes sub paterna ejus potestate adoptionis tempore constitutos» *(paternitas legalis).* a) In linea recta.

b) Secunda linea quasi *collateralis* est, et matrimonium dirimit «inter adoptatum et adoptantis liberos carnales legitimos sub potestate paterna constitutos» *(fraternitas legalis).* b) In linea collaterali.

---

[3]) Homo apost. tr. 14. n. 34. *Gury, Scavini, Laurin* l. c. Cfr. *Kutschker* tom. 3. p. 322 qui sententias doctorum refert. Recte adnotat *Ballerini:* «Cum saltem dubium sit, principium praevalet. in re dubia non posse certum jus conjugi auferri. Negandum ergo est, per hoc usui conjugii opponi impedimentum *(Schmalzgr.* lib. 4. tit. 11. n. 46—49).» Dicunt tamen *(Sanchez, Instructio Eystett.* etc.) illum non eximi ab impedimento cognationis, qui prolem suam illegitimam etiam in necessitate baptizaverit vel levaverit, si agatur de matrimonio contrahendo cum ejus matre.

Affinitas.

c) Tertia linea est quasi *affinitas* et haec nascitur «inter adoptantem adoptatique uxorem, et adoptatum vicissim adoptantisque uxorem *(affinitas legalis)*. (Instr. § 28.) Paternitas et affinitas, etiam adoptione per emancipationem aut obitum soluta, matrimonium dirimunt; fraternitatis autem impedimentum per hanc dissolutionem cessat.

De adoptatione imperfecta et juris hodierni.

Haec indubitanter vim habent de adoptione perfecta, seu de illa, quae juris Romani arrogationi aequiparanda est. Ecclesia enim in statuendo hoc impedimento illiusque ambitu definiendo sanctiones juris Romani amplexa est. Putant quidem auctores graves, etiam ex adoptione imperfecta resultare impedimentum dirimens. Verum probabilius id negandum esse videtur.[4]) Unde cum leges civiles de adoptatione perquam diversae ubique sint, considerandum erit, utrum iisdem adoptio perfecta (saltem quoad essentialia), an vero imperfecta recepta sit, in dubio vero rem judicio s. Sedis submittere oportet.[5]) Jam vero quoad adoptionem secundum leges nostras vigentem sic distinguit Instructio: «Adoptatio juris Austriaci intra praefatos terminos matrimonium dirimit, quoties adoptatus paternae adoptantis potestati subjiciatur, *vel* in ejusdem domum filiorum familias adinstar cohabitaturus recipitur. Quodsi autem neque paternae adoptantis potestati subjiciatur, *neque* in ejusdem domum cohabitaturus recipiatur, adoptatio juris Austriaci imperfectae aequiparanda est et nullum matrimonii impedimentum involvit.»[6]) Videlicet adoptio Austriaca aliquo modo de utraque participat, estque valde similis adoptioni juris Gallici. Unde merito, sicut haec, matrimonium irritare creditur. Sed notandum est, adoptionem juris Austriaci stipulationibus privatis (§ 184. C. C. A.) ad imperfectam reduci posse. Hinc in quovis casu videndum est, utrum ex duobus requisitis, § 29. Instr. expressis, *saltem* alterutrum verificetur, nec ne — scil. num adoptatus (si hic est minorennis), paternae adoptantis potestati subjiciatur, *vel* saltem (si est majorennis) *in ejusdem domum filiorum familias adinstar cohabitaturus recipiatur*. Ubi neutrum verificatur,

[4]) Cfr. adnotationem ad § 28. Instr.; Digest. de rit. nupt. XXIII. 2. l. 14. *Kutschker* l. c. p. 355. Oppositum eruere conatur *H. Lämmer* ex causa Hortana 25. Sept. 1734 in *Moy*, Archiv. tom. 10. p. 363.

[5]) Sic factum est in Galliis declaravitque s. Poenitentiaria 17. Maj. 1826, per adoptionem ibi vigentem, legitime initam, impedimentum induci.

[6]) Instr. § 29. Vide C. C. A. §§ 179—185, ubi leges referuntur adoptionem concernentes. Juxta eas inter alia requiritur 1. ut adoptans nullos alios legitimos filios habeat; 2. ut 50. aetatis annum compleverit, ac saltem 18 annis superet aetatem adoptandi; 3. ut amborum consensus a tribunali primae instantiae (olim a regimine provinciae) confirmetur et tabulis publicis inscribatur. Per haec casus hujus impedimenti apud nos haud parum restringuntur. *Binder*, Eherecht p. 91 seq.

impedimentum cessat. Idque tanto magis valet de solo alumnatu, nec non de prolium unione.[7])

§ 179. Affinitas.

Affinitas undenam oriatur.

1. Affinitas est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis illius personae, quacum sive licite sive illicite habuit copulam *perfectam* et *consummatam*, seu talem, ex qua per se generatio sequi possit. Itaque affinitas oritur tam ex copula licita in matrimonio (non autem ex matrimonio rato tantum), quam ex concubitu illicito extra illud quomodocunque habito, etiam in stupro violento aut sine effectu generationis. Per carnalem siquidem commixtionem una pars propinquitati compartis inseritur, cunctisque illius stemmatis personis in eo gradu efficitur affinis, quo altera pars iisdem est consanguinea. Itaque gradus affinitatis unius coincidunt cum gradibus consanguinitatis alterius. Hoc impedimentum attendi debet, quoties viduus aut vidua, vel persona, quae prolem illegitimam genuit, nuptias inire volunt. Contrahit autem affinitatem *sola mulier* cum viri consanguineis, et *solus vir* cum consanguineis mulieris; at nulla inter utriusque consanguineos affinitas intercedit juxta axioma: «affinitas non parit affinitatem.» Unde licite et valide contrahunt: duo fratres cum duabus sororibus, vel eorum unus cum matre, alter cum filia. Item pater et filius cum matre et filia: privignus cum novercae matre, filia et sorore; privigna cum vitrici patre, filio et fratre. Non minus valide copulantur fratris et sororis demortuorum superstites conjuges: vitricus cum vidua privigni. Rursus valide duo vidui duas filias suas invicem uxores sibi dare possunt etc.

inter quos subsistat.

quorummam matrimonium dirimat.

2. Gradus affinitatis prohibiti, prout consanguinitatis, a concilio Lateranensi IV. (c. 8. X. [IV. 14]) sunt coarctati. Itaque affinitas orta ex *matrimonio consummato valido* matrimonium perpetuo dirimit in linea recta, et usque ad *quartum* gradum inclusive in linea transversa; orta ex *matrimonio consummato, sed invalido probabilius* (§ seq. sub fin.) pariter usque ad quartum gradum. Denique affinitas ortum ducens ex *copula fornicaria primum* tantummodo et *secundum* gradum comprehendit.[1])

---

[7]) Cfr. *Laurin*, Das Ehehind. der bürg. oder gesetzl. Verwandtschaft mit besond. Beziehung auf Oesterreich in Archiv. tom. 19. p. 193—259, ubi auctor impedimentum hoc per adoptionem juris Austriaci adduci inter alia etiam ex eo probat, quod Pius IX. in Brevi d. 17. Mart. 1856 facultatem concedit episcopis Austriacis sanandi in radice illa quoque matrim., quae obstante impedimento cognationis spiritualis et *civilis* contracta fuere sine dispensatione Apostolica.

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 4. de ref. matr.

Affinitas superveniens.

3. Datur etiam affinitas *superveniens* matrimonio jam contracto, quando nimirum alteruter conjux copulam habuit perfectam cum consanguineis alterius in *primo* vel *secundo* gradu. Incestuosum hoc adulterium patrans jure privatur, debitum conjugale petendi, donec ab episcopo vi quinquennalium (Append. III. Facultates s. Poenitent. n. 9) dispensetur; reddere tamen tenetur, quia parti innocenti non debetur poena.[2])

§ 180. Publica honestas.

Publica honestas:

Impedimentum publicae honestatis oritur:

1. Ex sponsalibus.

1. *Ex sponsalibus validis.* «Sponsalia valide et pure inita obstant, ne sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat. Idem operantur sponsalia sub honesta conditione contracta, postquam eadem purificata fuerit.» (Instr. § 35.) Itaque: *a)* impedimentum hoc non oritur nisi ex sponsalibus *validis* seu iis, quae pariunt veram obligationem sponsalitiam. *b)* Ex sponsalibus vel absolute initis, vel saltem conditionis complemento purificatis. *c)* Impedimentum perdurat, etiamsi sponsalia priora et valida sive morte, sive mutuo consensu, sive judicis auctoritate aliove modo fuerint dissoluta. *d)* Hoc impedimentum ante Conc. Trid., sive ex sponsalibus, sive ex matrimonio (n. seq.) oriretur, usque ad quartum incl. gradum extendebatur, nunc autem (si sermo est de sponsalibus) *primum* gradum non excedit; hinc sponsus matrem, filiam et sororem sponsae ducere non potest. Pariter sponsa patri, fratri et filio sponsi nubere vetatur. Ratio hujus impedimenti est, quia sponsalia sunt quaedam inchoatio matrimonii. Unde sicuti ex vero et consummato matrimonio nascitur vera affinitas, ita ex sponsalibus quaedam *quasi affinitas* resultare merito censetur.

2. Ex matr. rato, non consummato.

2. *Ex matrimonio rato, sed nondum consummato* simile impedimentum propter publicam honestatem ex ecclesiae ordinatione provenit. Etiam «matrimonium ratum, non consummatum, conjugem, qui supervixerit, aut in saeculo remanserit, inhabilem

---

[2]) Adverte, incestuosum ab ista poena liberari per ignorantiam non tantum *facti* sed et *juris* i. e. si invincibiliter ignoraverit, legem eccles., quae praeter divinam id prohibet; «et est etiam probabile, ait s. Alphons., non incurri ab eo, qui licet sciat legem ecclesiast., ignorat tamen poenam, quia hoc impedimentum habet verae poenae rationem.» Homo apost. tr. 18. n. 68. — Mendicantes, aliique cum iis communicantes sub moderamine superiorum suorum sc. Provincialis vel superioris localis vi privilegii Apostolici pro foro interno possunt dispensare in impedimento petendi debitum conjugale ex crimine incestus exorto. *S. Alphons.* L. VI. n. 1076; *Feije* n. 639. *Lehmkuhl* II. n. 654.

[1]) c. un. de *spons.* et matr. in VI. et Conc. Trid. l. c. c. 3.

reddit ad matrimonium ineundum cum alterius consanguineis, *quartum* usque inclusive gradum.» (Instr. § 33.)

3. *Ex matrimonio irrito non consummato.* Etenim matrimonium invalide contractum non consummatum, *nisi propter defectum consensus nullum sit,* impedit, ne conjugium subsistat inter unam partem et alterius consanguineos *quartum* usque inclusive gradum.[2]) Unde quoties invalidum est matrimonium non consummatum, modo non sit invalidum ex defectu consensus, toties oritur impedimentum publicae honestatis. Consequenter idem hoc impedimentum *probabilius* oritur etiam ex matrimonio clandestino, seu quod nullum est propter defectum formae Tridentinae. Ratio est, quia impedimentum publicae honestatis juxta jus antiquum inducitur per quodcunque matrimonium, etiam invalidum, modo non sit invalidum ex defectu consensus. Atqui jus antiquum per Concilium Tridentinum non est correctum, nisi quoad sponsalia de futuro (not. 3).[3]) Quidquid tamen sit de hac quaestione admodum controversa, hoc ex novissima s. C. C. decisione plenissime constat, ex matrimonio civili in locis contracto, in quibus viget decretum *Tametsi* Concilii Trid., non provenire impedimentum publicae honestatis. Etenim re mature in plenariis s. C. comitiis discussa ad quaestionem propositam: *an actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis:* d. 13. Mart. 1879 responsum est: *Negative.* Et haec resolutio d. 17. ejusdem mensis adprobata est ab ipso summo Pontifice.[4]) — Peculiare est huic impedimento, quod non agat

3. Ex matr. irrito, non consummato.

---

[2]) Instr. § 34. Sequitur hoc ex Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 3. de ref. matr., quod vi declarat. Pii V. Constit. «Ad Romanum» 1. Jul. 1568 *(Feije* n. 387) circa hoc nihil immutavit, sed solummodo jus antiquum quoad sponsalia de futuro coarctavit.

[3]) Cfr. *Feije,* qui circiter 30 auctores allegat pro sententia *affirmativa.* Cfr. *Vering,* Archiv. tom. 41. p. 360. seq. Porro etiam juxta Bened. XIV. (Quaest. canon. qu. 291, ubi variae allegantur s. C. C. decisiones) et juxta s. Alph. (Homo apost. tr. 18. n. 65. Cfr. *Kutschker* III.) sententia *affirmativa* receptior et communior esse videtur, scil. oriri impedimentum publicae honestatis ex matrimonio clandestino non consummato. Sed etiam pro sententia negativa multi et graves stant auctores. (Cfr. *Feije* l. c. et *Bullerini* in adnot. ad n. 730. tom. 2. *Gury.*

[4]) Cfr. Archiv. 42. p. 431. seq. Haec resolutio non tangit controversiam modo dictam (not. praec.), sed solummodo respicit matrimonia civilia in iis locis, in quibus lex Concilii Trid. viget; nam in ceteris locis etiam matrimonia civilia, tanquam clandestina sunt valida. Ratio hujus distinctionis est haec: Matrimonium *civile* in locis, ubi viget Tridentinum, toleratur quidem ut ceremonia mere civilis, qua catholici, vel jam legitime matrimonio conjuncti, vel mox conjungendi tum suae tum prolis saluti consulere student (§ 157. in fine). Haec tamen ceremonia non potest producere effectum aliquem ecclesiasticum; nam saltem regulariter a catholicis non potest praesumi, eos contrahere velle tanquam matrimonium ecclesiasticum, neque ut matri-

retro, i. e. quod per illud non dissolvantur sponsalia absoluta ac valida, quae quis jam antea cum persona, secundae sponsae consanguinea, contraxerat (puta, nisi haec dissoluta fuerint). Hinc Cajus si initis sponsalibus cum Livia, deinde invalide Bertham dūcat, in quarto gradu Liviae consanguineam, contrahit impedimentum honestatis cum omnibus Berthae consanguineis usque ad quartum gradum, Livia tantum excepta, priore sponsa.[5])

Quodsi deinceps matrimonium invalidum consummetur (quod communiter fieri solet atque praesumitur) notandum est, *remanere* unacum affinitate etiam impedimentum publicae honestatis. Itaque in tali casu duplex occurrit impedimentum: affinitatis et publicae honestatis. Unde in petenda dispensatione super hoc impedimento non solum affinitas ex copula, sed etiam publica honestas, ex matrimonio orta, explicari debet.[6])

NB. Impedimentum *clandestinitatis* infra (§ 192) exponetur ubi sermo instituetur de celebratione matrimonii.[7])

---

monium clandestinum, quia hoc indubitanter est prohibitum (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. matr.) et gravibus poenis subjectum, sed credendum est, ipsos generatim intendere actum mere civilem. Ex quo sequitur, hunc actum considerari non posse neque uti sponsalia, neque uti matrimonium in sensu ecclesiae. Cfr. «Acta s. Sedis» tom. 12. p. 147—176.

[5]) *Kutschker* III. p. 404. Homo apost. tr. 18. n. 65. Ceterum talis affinitas similitudinaria etiam ex cognatione legali (§ 178. 2. c.) et spirituali provenit. Sed quia haec a Conc. Trid. (Sess. XXIV. c. 2. de ref. matrim.) sublata est, *conjux patrini* sive cum baptizato, sive cum ejusdem parentibus recte contrahit.

[6]) *Pyrrh. Corrad.* Praxis disp. l. VIII. c. 7. n. 24, ubi auctor plures affert casus, in quibus impedimentum affinitatis et publicae honestatis conjunctim occurrunt, atque bene distinguit, in quibusnam casibus *utrumque* impedimentum in supplicatione exprimi *expresse* debeat, et in quibus hoc non sit necessarium, eoquod unum in altero *implicite* jam continetur. — Quae in textu dicta sunt de matrimonio invalido consummato, valent etiam eadem certitudine de matrimoniis clandestinis, qua evictum est (not. 4), per ipsa induci impedimentum publicae honestatis. — Ceterum pro sententia: semper ad incl. quartum gradum extendi impedimentum affinitatis ex matrimonio consummato invalido, decisum est in Brixien. 3. Dec. 1667 apud *Feije* p. 249.

[7]) C. C. A. quantum ad impedimenta, quae supra in §§ 172—175 exposuimus, haec peculiaria continet: 1. Impedimentum cognationis naturalis coarctatur in linea collaterali ad gradum secundum sine discrimine, num cognatio ex legitimis vel illegitimis natalibus ortum ducat (§ 65. C. C. A.). 2. Impedimentum cognationis spiritualis non statuitur. 3. Nec expresse nominatur imped. cognationis legalis. Sunt tamen jurisconsulti, qui ex § 183. codicis C. A. inferant, in linea recta (supra § 178. 2. a. et c.) hoc impedimentum subsistere (vid. *Rauscher* l. c. p. 90). 4. Quoniam in jure Austriaco sponsalibus nulla pro foro externo tribuitur vis, et praeterea causa affinitatis non copula perfecta, sed matrimonium ratum agnoscitur; ideo neque affinitas ex copula illicita, neque affinitas ex matrimonio invalido sed consummato agnoscitur, neque locus datur impedimento sive ex sponsalibus sive ex matrimonio invalido sed non consummato provenienti. 5. Viget vero impedim. affinitatis ex matrimonio rato, et quidem usque ad 2. inclusive gradum (§ 66. C. C. A.).

PUNCTUM II.

De impedimentis impedientibus.

§ 181. Proclamationum omissio, sponsalia, tempus sacratum, ecclesiae vetitum.

Impedimenta impedientia, seu, quae matrimonium reddunt tantum illicitum, ex praesenti ecclesiae disciplina quinque enumerantur, quibus matrimonium mixtum recte tanquam sextum adjungitur. Videlicet:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Mixtaque religio, si proclamatio desit.

1. Omissio proclamationum.

1. Nuptias celebrare, quae non sint *proclamatae,* illicitum esse, supra dictum est. Pariter ex praecedentibus constat, matrimonio obstare *sponsalia* cum alia persona prius contracta, nec dissoluta nec condonata. Siquidem nefas est uni tradere, quod jam alteri promissum est. Hinc parochus *ex officio* obsistere debet matrimonio, cui valida sponsalia obstant, etiam antequam pars repudiata reclamet. Restat ergo, ut reliqua impedimenta impedientia cursim pertractentur.

2. Sponsalia prius contracta.

3. Tempus clausum.

2. *Tempus sacratum seu clausum* est illud, cujus termini a Concilio Trid. sic definiuntur: «Ab adventu D. N. J. Chr. usque in diem Epiphaniae; et a feria quarta cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive antiquas *solemnium* nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari, s. Synodus praecipit, in aliis vero temporibus nuptias *solemniter* celebrari permittit.»[1]) Inter *solemnitates* nuptiales numerantur: solemnis sponsae benedictio infra Missam fieri solita, festiva et publica ejusdem traductio in domum et ecclesiam, convivia splendidoria et alia laetitiae profanae indicia.[2]) Ipsa vero matrimonii contractio atque consummatio, aut denuntiatio, aut privata sponsae ad domum sponsi deductio non est interdicta,[3]) cum ex ecclesiae more quocunque tempore matrimonium contrahi possit. Attamen ex consuetudine omnibus ferme dioecesibus communi observatio temporis clausi multo rigidior est effecta, in tantum, ut infra illud non modo solemnitates, sed etiam simplices nuptiae prohibeantur, nisi Ordinarii habeatur dispensatio. Quae consuetudo etiam in jure fundamentum habet. Quia nimi-

---

[1]) Sess. XXIV. c. 10. de ref. matr.

[2]) Cfr. Rituale Rom. c. 1. n. 18. de matr.; Instr. Eyst. p. 267. Cfr. quoad Missam pro sponsis et benedictionem nuptialem *Feije* p. 420. not. 6. Quoad traductionem et usum matrimonii p. 423. Episcopus non potest dispensare super quibuscumque solemnitatibus tempore vetito, nec etiam circa solemnem benedictionem nuptialem. *Zitelli* p. 62.

[3]) Bened. XIV. Inst. 80. sub voce *Sed* jam; s. C. C. 10. Jun. 1684.

rum sponsos ante benedictionem sacerdotalem cohabitare haud decet,[4]) benedictio vero hoc tempore non conceditur; hinc merito venia episcopi pro talibus nuptiis requiritur.[5]) Alia ratio provenit ex congruentia, qua tempore vetito promulgationes saltem ex parte omittere decet, id quod pariter absque episcopi venia fieri nequit.

4. Vetitum ecclesiae.

3. *Vetitum* seu *interdictum ecclesiae speciale de causa procedens.* Non intelligimus hic generalia interdicta, puta de voto, de tempore clauso etc., sed *causas speciales,* quae superiores ecclesiasticos movere possunt, ut vel perpetuo vel ad tempus quoddam matrimonium prohibeant. Et hoc quidem jus competit: *a)* Summo Pontifici, qui etiam cum clausula irritante seu sub poena nullitatis matrimonium interdicere valet. *b)* Episcopo ex rationibus in nostra Instructione expressis: «Quando fundata habetur suspicio, nupturientibus impedimentum quoddam obstare, sive in metu est, ne nuptiae magnis litibus vel scandalis aliisve malis ansam praebiturae sint, sacrorum antistiti jus competit et respective obligatio incumbit, matrimonii celebrationem interdicere. Quamdiu interdictum ab eodem sublatum non fuerit, matrimonium contrahere illicitum est.»[6]) *c)* Contrahentium parocho, qui tum ex dictis rationibns, tum ex multis aliis proclamationes et copulationem suspendere quandoque tenetur. Quod procedit, si impedimentum opponatur; si documenta desint ecclesiae lege requisita; si sufficiens catechismi scientia in sponsis non reperiatur; si iidem indigne hoc Sacramentum suscepturi cognoscantur, si quis matrimonium inire vult cum nominatim excommunicato etc.[7]) Verum talis casus, ac praesertim dubius, nunquam non ad episcopum deferri debet, sponsique semper contra parochi decretum ad episcopum recurrere possunt.

§ 182. Votum simplex.

1. Quaenam vota prohibeant matrimonium.

1. Votum simplex duplici respectu matrimonium impedit: *a)* Si quis consueta tria vota simplicia in congregatione religiosa emittit, vel in ordine formali ceu praeambula ad vota solemnia.[1])

---

[4]) Conc. Trid. l. c. c. 1; Bened. XIV. Inst. cit.

[5]) In Mexicana s. C. R. d. 25. Sept. 1875 (Acta s. Sedis tom. 12. p. 603 resolvit: 1. Non licere absque Ordinarii venia tempore clauso assistere matrimonio; 2. Solemnem benedictionem elapso tempore vetito dari posse, dummodo sponsi non cohabitaverint in eadem domo. (Sed de hoc ultimo vid. § 193. not. 6.)

[6]) Instr. § 67.

[7]) Ejusmodi matrimonium validum quidem, sed illicitum est adeo, ut parochus eidem gravi urgente causa assistentiam mere passivam praebere possit. *Kohn* in *Vering,* Archiv. tom. 44. p. 423. seq.

[1]) Vi edicti Consistorii Pragen. d. 15. Nov. 1876, a s. Sede adprobati, illi qui, emissis votis simplicibus in ordine ad solemnia, proprio motu sine

b) Si quis privatim votum *vel* perpetuae castitatis, *vel* sacri ordinis, *vel* ingrediendi ordinem religiosum *vel* non nubendi seu coelibatus edidit. Votis hisce praemissis matrimonium licite non contrahitur, nisi dispensatio (et quidem quoad votum perpetuae castitatis et ingrediendi religionem ab ipso summo Pontifice) legitime impetretur.[2])

2. Qui cum ejusmodi voto nuptias contrahit, graviter peccat; et quia de suo scelere nemo commodum reportare debet, etiam contracto matrimonio voti obligatio plerumque non penitus cessat. Nimirum: *a)* Qui emisso *castitatis voto* sine dispensatione matrimonium contraxit; castitatem servare tenetur, sine praejudicio tamen alterius conjugis. Hinc petere non potest debitum conjugale, reddere tamen debet;[3]) si tamen *prima* vice jam petiit, vel aliter virginitatem amiserit, reddere aut petere debitum potest;[4]) neque mortuo conjuge ipsi ad alias nuptias transire licet, etiam in casu, quo dispensationem pro priori matrimonio impetrasset. *b)* Qui vero obstante *voto non nubendi* matrimonium contraxit, votum quidem violavit, sed talis neque ab usu conjugii neque juxta plures[5]) a secundis nuptiis interdicitur, quia jam impossibilis est facta voti observatio. Plerique tamen quoad alteras nuptias contrarium tenent.[6]) *c)* Qui votum *ingrediendi religionem emisit*, ante matrimonii consummationem, ex privilegio supra exposito (§ 173. 2) religionem ingredi et ab usu matrimonii omnino abstinere tenetur. Sed semel consummato matrimonio, tum reddere tum petere debitum ipsi licet; quin etiam, consummato matrimonio, tenetur religionem ingredi per se, quoties id potest, illaeso compartis jure.[7])

2. Quid, si iis obstantibus quis contraxit?

---

dispensatione discedunt, sine dispensatione Apost. Sedis matrimonium inire vetantur (Archiv. tom. 39. p. 367. Quo confirmatur mea sententia in fine notae 11. § 138. prolata).

[2]) Cfr. Instr. § 58. Haec quatuor vota, quae sub. b. recensita sunt, licet coincidere videantur, tamen quoad objectum inter se distinguuntur. Siquidem respici debet, quid vovens *praecise* et *principaliter* intendat: an directe castitatem voveat, an abstinentiam solummodo a licitis connubiis, an principaliter reflectat ad religionem, in qua utique etiam castitas suo tempore erit vovenda. Exinde clarescit, num votum sit castitatis, an non nubendi, an denique religionis.

[3]) «Contracto matrim., nec petere nec reddere potest debitum labente primo bimestri.» Ait *Gury* n. 780. Sed non sine fundamento contradicit *Feije*, quia medium tam arduum scil. ingressus in religionem est ultra intentionem voventis et valde dubia est vocatio. Hinc regulariter dispensatio est petenda.

[4]) *Lacroix* Theol. mor. VI. p. 3, n. 358.

[5]) *Gury* n. 781.

[6]) Cfr. Instruct. *Eystett.* p. 269. *Schmalzgr.* l. IV. 6. n. III. *Pichler* IV. b, n. 15. *Feije* n. 562.

[7]) Quaerunt, quae sit vis talis voti circa sponsalia *praeterita?* Resp. 1. Per votum simplex *ingrediendi religionem* solvi sponsalia, nisi sint jurata;

d) Qui votum emisit *suscipiendi ordines,* tenetur ordines suscipere, si possit, e. gr. obtinendo uxoris consensum. Si vero non possit, matrimonii consummatio non est illicita. Ex his patet, haec duo vota *(c.* et *d.)* etiam, matrimonio per obitum soluto, reviviscere.

§ 183. Impedimentum mixtae religionis.

1. Causae hujus impedimenti.

1. Impedimentum mixtae religionis est prohibitio ecclesiae,[1]) ne fideles cum acatholicis matrimonia contrahant, licet contracta pro validis sint habenda. Vetitum hoc triplici potissimum de causa subsistit: *a)* Prima est *periculum perversionis partis catholicae.* Siquidem haec, utpote in individuo matrimonii consortio cum heterodoxo conjuge vivens, manifesto se periculo exponit, religionem suam unice veram et salutiferam vel negligendi vel omnino ab ea deficiendi. *b)* Altera est *prava nasciturae prolis institutio.* Nam etiamsi sobolis secuturae institutio in catholica religione in antecessum appromittatur, tamen educatio religiosa everti assolet tum parentis acatholici exemplo tum partis catholicae indifferentismo. *c)* Tertia est *flagitiosa communio in rebus sacris.* Etenim matrimonium contrahere cum acatholico idem est, ac unum idemque Sacramentum cum eodem vel conficere vel percipere. Utrumque autem illicitum et sacrilegum esse, quivis intelligit. Ex quibus infertur, ejusmodi nuptias non solum jure ecclesiastico, sed ipso etiam jure divino et naturali generatim prohiberi, propterea quod non tantum peccata, sed et pericula ad peccatum proxime inducentia vitare jubemur.

Quid agendum in casu.

2. Idcirco tum episcopi tum parochi fideles ab hisce detestabilibus conjunctionibus omni, quo fieri potest, modo avocare tenentur. Quodsi vero in casu singulari id minus obtineri possit, perpendendum est: *a)* num in eo casu rationes, quibus ex jure divino istae nuptiae illicitae fiunt, sublatae fuerint, aut de facili tolli queant. Secus enim dispensari nequit, nec dispensatio, forsitan obtenta, quidquam prodest. *b)* Quodsi in casu singulari rationabiliter exspectari potest, periculum proximum tum conjugi catholico tum proli exspectandae imminens vel cessare, vel saltem posse mutari in remotum; a sponsis praestari debent *opportunae cautelae,* quae sequentes tres sponsiones ab iisdem faciendas com-

Opportunae cautelae praestandae.

---

2. Facto voto simplici alteram partem esse solutam ab implendis sponsalibus; 3. Per votum simplex *castitatis* in saeculo servandae probabilius non dissolvi sponsalia praecedentia, quia una pars non potest quaesito juri alteris partis praejudicare, fieri tamen rescindibilia ex parte non voventis. *De Angelis* lib. 4. p. 178. 179. Cfr. *Feije* n. 563.

[1]) Conc. Illiberit. can. 16. a. 305 vel 306 juxta *Hefele,* Conc. Geschichte I. p. 128. 134 Conc. Chalced. c. 14; Conc. Laodicens. c. 10. 31 *(Hefele* l. c. p 731 et 742).

prehendunt. Nimirum pars haeretica scriptam assecurationem edere tenetur, qua promittit, se permissurum comparti *usum liberum religionis catholicae* et *educaturum in eadem omnes liberos utriusque sexus.* Contrahens vero catholicus insuper polliceri debet, fore, ut *efficaciter procuret conversionem contrahentis acatholici.* Forma vero, qua triplex haec declaratio exprimitur, haud eadem ubique reperitur. In quibusdam regionibus nonnisi pars acatholica literas reversales quoad duo priora puncta edere tenetur, in aliis vero etiam catholica sive separatim sive in eodem folio religiosam prolis educationem appromittere debet. Porro dicta promissio nonnunquam *loco* juramenti datur, nonnunquam sub formali etiam juramento.[2]) Et quidem hoc ultimum tunc erit necessarium, ubi religionis gubernium ejusmodi reversales non attendit vel ubi nupturientes in locum acatholicum se transferunt, in quo promissionis impletio difficillima futura est. Servanda sunt in hac re statuta dioecesana nec non declaratio s. Congr. Inquisit. (30. Junii 1842), quae ad quaestionem: «Quid significet cautio *opportuna?*» respondit: cautionem opportunam esse talem promissionem, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita, *ut prudenter ejusmodi executio exspectari possit.*» Et talis quidem cautio hodie quam maxime requiritur, cum leges civiles ecclesiae catholicae praescriptionibus nullum prorsus executionis juvamen praestent. In imperio Austriaco nova lege, interconfessionali dicta (supra § 58. not. 6.), jus anno 1841 cum Sede Apost. conventum penitus est abrogatum.[3]) Nihilominus tamen parochi omni modo, ut opportunae cautelae legitime praestentur, curare tenentur. Unde episcopi Austriaci recte praescripsere, ut in posterum, quoties pro dispensatione ab impedimento mixtae religionis supplicatur, semper adjiciatur contractus, quo sponsi se obligent, ut omnes proles in catholica religione educentur, addito etiam parochi arbitrio, an sperandum sit, nec ne, sponsos hanc promissionem esse impleturos. Quin praeterea consuetas quoque literas reversales nonnulli episcopi majoris securitatis causa tradi praeceperunt.[4]) *c)* His cautionibus praemissis,

[2]) In nonnullis regionibus insuper promitti debet scriptis: a) quod sponsi penitus renuncient copulationi vel ante vel post coram ministro protestante faciendae; b) quod sponsi, quantum in ipsis est, curaturi sint, ut semper habitent in loco, ubi adest ecclesia et schola catholica; c) quod, si fors eventurum sit, ut pars catholica deficiat ad religionem acatholicam, nihilominus omnes liberi, instituendi sint in religione catholica.

[3]) Scil. a Gregorio XV. data est peculiaris in hanc rem instructio d. 22. Maji 1841 ad episcopos Austr. provinciarum germanicarum (et altera ad Hungariae episcopos d. 30. April. 1841), quae veluti imperii lex recepta et publicata fuit.

[4]) Vide instructiones episcoporum Austr. ad clerum suum dioecesanum post editas novas leges d. 25. Maj. 1868 in «Kathol. Stimmen aus Oester-

Semper dispensatio a Sede apost. impetranda.

si graves causae[5]) adsint, summo Pontifici supplicandum est, ut super impedimento mixtae religionis gratiose dispenset. Etenim «facili negotio perspicere est, hujuscemodi conjugia licite aliter evadere non posse, praeterquam in vim dispensationis a Romano Pontifice obtentae, exclusis episcopis, nisi a Pontifice facultatem acceperint, ut super iisdem dispensare possint.»[6]) Ast talis facultas nonnisi restricte pro paucis tantum iisque urgentioribus casibus dari solet.[7]) *d)* Quoad celebrationem matrimonii mixti, quod adhibitis cautionibus et cum Pontificis venia contrahitur, duplex praxis reperitur. Ex praxi strictiore ejusmodi nuptiae nullo prorsus ritu religioso cohonestantur, sed parochus extra ecclesiam, absque stola et cotta, omissa tum benedictione nuptiali, tum benedictione annulli, neque ritibus et precibus adhibitis, solummodo contrahentium consensum excipit et tanquam testis qualificatus in librum matrimonialem refert. Et haec quidem praxis in literis Pontificiis dispensatoriis haud raro expresse adhiberi praecepta est, et in nonnullis regionibus adhucdum observatur. Sed in

Celebratio talis matrimonii.

---

reich» tom. 2. *Contractum* quoad prolis educationem etiam in *foro civili* firmum et validum esse, alibi (§ 58. not. 6) diximus: Quoad formam reversalium adverti debet, eis a duobus testibus subscribi oportere ac praeterea parochi nomen sub voce *Vidi* apponendum esse. S. Offic. literis d. 21. Jul. 1880 ad Cardin. Simor datis postulavit: 1. ut superior eccles. moralem certitudinem habeat sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earum adimplemento pro futuro. 2. Ut cautionum exhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum. *(Vering,* Archiv. tom. 47 p. 448.) Porro s. Offic. praecipit, ut in Hungaria, licet obstet nova lex interconfessionalis, exigant parochi cautiones, ipsa poena non attenta, quae lege civili statuta est contra ipsos, si reversales postulent. — Propter speciales et graves angustias a lege civili Hungarica adductas Card. Simor petierat, ut s. Sedes Hungariae episcopis facultates dispensandi super quibusdam matrimoniis mixtis, eisque, licet non praestitis opportunis cautelis (obstante scil. lege civili) benedictionem nuptialem impertiendi. Sed non annuendum censuit Sedes Apostolica, adjiciens: «Tota difficultas se habet ex parte parochorum, contra quos revera poena statuta fuit; sed pro spectata eorum religione dubitandum non est, quin poenas potius sustinere parati sint, quam proprio officio et ministerio deesse.»

[5]) Non sufficiunt cautiones, sed requiruntur etiam causae et quidem graves, prout e. gr. sunt: spes lucrandi familiam acatholicam pro fide, evitatio scandalorum alias orientium ex diffamatione, gravidatione vel alio modo etc. *Bangen* IV. 20.

[6]) Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 9. c. 3. n. 2. et lib. 6. c. 5. n. 3. Si quandoque episcopi obtinuerint indultum speciale dispensandi super matrimoniis mixtis, semper exclusi manent Itali, quos non constat italicum domicilium non omnino deseruisse. S. C. de Propag. 30. Aug. 1865 ap. *Acta s. Sedis* t. II. p. 672.

[7]) Ex declaratione s. C. Inquisit. d. 12. Sept. 1866 facultas specialis dispensandi super imped. mixtae religionis non potest adhiberi cum facultatibus quinquennalibus, quando nempe alia etiam impedimenta concurrunt. Archiv. tom. 17. p. 175.

nostro Imperio ubique fere (non tamen in nostra provincia) usus benignior obtinuit, quo ejusmodi matrimonia cum rituum sacrorum administratione benedicuntur. Verum adverti debet, 1. *semper* omittendam esse benedictionem *solemnem* (sc. quae occurrit in Missa pro sponsis) tantoque magis Missam pro sponsis (cfr. Instr. Eystett. p. 372). Sed unusquisque ad amussim observet Rituale suum dioecesanum; 2. assistentiam activam concedi non posse, si nuptiae aut antea aut postea ritu protestantico initae vel incundae essent, praeterquam in casibus, quibus minister haereticus lege civili postulante personam agit mere magistratus civilis, nec ulla habetur ritus haeretici professio.[8]) Et haec quidem praxis benignior a summis Pontificibus in suis decretalibus ad episcopos Austriae, Borussiae et Bavariae editis tacite toleratur, talemque morem tolerari posse, literae Gregorii XVI. ad archiep. Friburgensem datae (23. Maj. 1846) sat clare enuntiant. Sed, hoc non obstante, parochus quisque sui Ordinarii statuta diligenter servare tenetur, utpote cui incumbit, ut «ad tuendum ecclesiae decorem

[8]) In hac hypothesi Instructio data d. 17. Febr. 1864 episcopis regni Hannoveriani permittit, ut pars cath. cum acatholica se sistat, ante vel post catholice contractum matrimonium, etiam coram ministro haeretico ad actum civilem dumtaxat implendum. Verum juxta eandem instructionem hoc idem minime licitum est parti catholicae, quotiescunque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens. In hoc casu parochi monere debent sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris in quas incurrunt. Attamen ad gravia mala praecavenda si parochus in aliquo particulari casu non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum haereticum, praevideat vero, eos forsan hoc facturos esse, monitionem autem certo non profecturam; tunc, ne vertat peccatum materiale in formale, silere poterit, modo cetera requisita non deficiant. Quodsi tandem consensus coram parocho renovari velit, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel parocho notificetur a sponsis, parocho huic matrimonio interesse non licet, nisi (ceteris omnibus rite servandis) pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Archiv. tom. 15. p. 332. Eadem fere clero suo injunxit Cardin. archiep. Prag. d. 15. Jan. 1869 (Archiv. tom. 21. p. 351), adjecta insuper instructione, quomodo parochus sese gerere debeat, si ejusmodi sponsi unice ministrum acatholicum adire praesumant. Scil. eos monendos esse, tale matrimonium eo non obstante quod coram lege civili valeat, in facie ecclesiae (scil. propter impedimentum clandestinitatis § 187. 2) prorsus irritum esse. Unde parochum talibus nuptiis haud cooperari ullo modo licite posse e. gr. denuntiando ejusmodi matrimonium. Similis Instructio prodiit d. 22. Mart. 1879 *(Vering,* Arch. tom. 45. p. 315). — Quodsi tamen (quod lege d. 31. Dec. 1868 supra cit. conceditur) matrimonium *mixtum* coram parocho *utriusque* partis initum fuerit, illud adposito numero decurrente a parocho immatriculandum venit, qui *prior* copulavit; alter parochus hoc conjugium potest nonnisi inserere matriculae sine additione numeri currentis. Edict. minist. d. 14. Oct. 1882. Contractio matrimonii eccles., antea civiliter initi, in matricula parochi simpliciter addi debet. ib. (Archiv. tom. 49. p. 129).

ritus in eorundem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat.»[9]) Ceterum assecuratio scripta diligenter inter acta matrimonialia reponenda ejusdemque, tum in libro matrimoniali tum in testimoniis matricularibus mentio facienda est.

Quid si cautelae non praestentur?

Quodsi vero ejusmodi nupturientes, contemptis catholici parochi suasionibus, in sua sententia contrahendi nuptias citra cautiones praescriptas persistant, quando ecclesiae et bono communi magis conducibile videtur, «si hujusmodi nuptiae, quantumvis illicitae et vetitae coram parocho catholico potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, celebrentur: tunc parochus catholicus *aliusve sacerdos* ejus vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia,[10]) excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde, ac si partes unice ageret meri testis, ut ajunt, *qualificati* seu auctorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.»[11]) Praeterea toleratur, a parocho catholico etiam proclamationes fieri,[12]) omni tamen praetermissa mentione religionis sponsorum. Verum, uti monet Instructio Eystett., nullae unquam literae dimissoriales (quibus fit facultas, ut coram alio sacerdote

---

[9]) Bened. XIV. de synod. dioec. lib. 6. c. 5. n. 4. Vult etiam Pius IX. (in instructione ad episcopos data 15. Nov. 1858), ut haec mixta conjugia semper extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, ulloque alio ritu eccl. celebrentur. Ritus eccles. solitos adhibere in hoc unico casu, ex prudenti episcoporum arbitrio, conceditur, quando ex eorum omissione graviora damna ac mala oritura praevidenter.

[10]) Per se et ex regula generali parochus matrimoniis mixtis absque cautelis et dispensatione contrahendis nullo modo assistere deberet. Congr. Conc. 2. Febr. 1590; 22. Jul. 1624. *Kutschker* l. c. p. 783. Passiva assistentia licita tantum est ex conniventia s. Sedis vel expresse declarata vel saltem tacita, ut scil. per eam matrim. evadat validum.

[11]) Instr. cit. ad epp. Austr. 22. Maj. 1841. Verum etiam in hoc tristi casu saluti tum conjugum tum sperandae sobolis omni meliori modo prospiciendum esse, commonere pergit Pontifex in eodem sermonis contextu. — Qui contracto matrimonio mixto *sine dispensatione* postea facti poenitentes cum ecclesia reconciliari desiderant, eidem satisfacere ac propterea cautiones de periculo salutis aeternae a se et sua prole amovendo praestare tenentur atque hoc fine ad episcopum recurrere debent. S. Inquis. 12. Mart. 1881. Acta s. Sed. XVI. p. 235.

[12]) Ex rigore legis matrimonia mixta proclamari non deberent; toleratur tamen etiam praxis opposita. Lege Austr. d. 31. Dec. 1868 statuitur (derogando § 71. C. A. C.) ut proclamatio mixtorum connubiorum nonnisi in parochiali utriusque partis ecclesia fiat. In cit. circulari Card. archiep. Pragensis parochi jubentur hoc observare, eoquod legibus tam ecclesiae quam status civilis tali modo fiat satis. In praedicta lege civili sponsis mixtae religionis libere permittitur, coram alterutrius parocho matrim. contrahere, vel etiam utrumque successive parochum in hunc finem adire. Vid. not. 8. *(Vering,* Archiv. tom. 21. p. 170.)

rite contrahere possint) concedendae sunt, sed mere testimoniales, in quibus de peractis proclamationibus certitudo fiat, simulque exprimatur, nullum adesse canonicum impedimentum praeter vetitum ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis, omissis verbis, quae aliquam etiam demonstrare valeant hujusmodi conjunctionis adprobationem. Si aliud obstet impedimentum, nullae omnino literae expediendae sunt. Formam immatriculationis quod attinet, in rubricam «Copulans» inserenda sunt verba haec vel similia: «Mutuum in matrimonium consensum declararunt coram me parocho N. N. et duobus testibus in aedibus parochiae N.» Huic formae etiam *extractus matriculares* de initis hujusmodi matrimoniis respondere debent.[18])

Appendix de impedimentis politicis.

§ 184. Impedimenta politica irritantia.

Recte nostra Instructio monet (§ 69), potestati civili obedientiam esse praestandam, maxime quoad illas constitutiones, quae ad ordinem moralem conservandum accurrate concurrunt. Dein subjungitur: «Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen Austriaco haud licet negligere praescriptiones, quas lex Austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.» Lex civilis pariter inter impedimenta irritantia et mere prohibentia distinguit. Irritantia, legi civili privative peculiaria, apud nos sunt: 1. Minorennitas; 2. conditio militaris; 3. participatio in causando separationem matrimonii; 4. defectus proclamationum. Poena mortis vel carceris gravioris nuper (l. d. 15. Nov. 1867. § 5) quoad personas civiles ex numero impedimentorum exemta est, et nonnisi quantum ad illos est in vigore, qui condemnati sunt a judicio militari. Quia de proclamationibus jam res nobis fuit, superest, ut de ceteris breviter disseramus.

1. Minorennitas.

1. Primum est *impedimentum minorennitatis,* quo minorennes eisque aequiparandi a matrimonio arcentur, nisi legitimum patris vel tutoris consensum impetraverint. In hac materia sequentes quaestiones suboriuntur. *a) Pro quo* et *a quo* ejusmodi consensus impetrari debeat? Respondet C. A. C. (§ 49—51): «Minorennes (i. e. qui annum 24. nondum compleverunt) vel etiam illi majorennes, qui per se ipsos obligationem juridicam contrahere nequeunt (e. g. amentes et prodigi a judice qua tales declarati)[1]) abs-

[18]) Cfr. Manuale Brixin. p. 195. Ceterum in casu assistentiae mere passivae ab exigenda *obventione stolari* convenit abstinere. Cfr. Instr. epporum Hungar. 16. Nov. 1840 apud *Kutschker,* Eherecht IV. p. 791.

[1]) Cfr. §§ 172. 173. 251. 269 et 273. C. C. A. Hac lege etiam *viduae* minorennes obstrictae sunt § 175. C. C. A.

que *legitimi* patris consensu ad matrimonium contrahendum sunt incapaces. Si pater aut mortuus aut ad defensionem inhabilis est, pro iisdem tum declaratio ordinarii defensoris (sc. *tutoris* vel *curatoris)* tum consensus instantiae judicialis requiritur. Minorennes *illegitimi* indigent declaratione tutoris et consensu judicis; pro *exteris* minorennibus, qui hunc consensum afferre non possunt, curator constituitur, qui in judicio consensum suum ad matrimonium, vel improbationem declaret.» Advertendum tamen est, liberos etiam ante annum 24. transactum e potestate patria egredi posse e. g. quando pater consentiente magistratu eos expresse dimittit, aut filio 20 annos nato propriam oeconomiam concedit.[2]) Et hi quidem quoad matrimonium ineundum, ut in reliquis omnibus, majorennibus pares sunt. *b)* «Si, consensu a patre vel tutore *denegato,* nupturientes se gravatos sentiant, judicis ordinarii auxilium implorare possunt. Causae legitimae, ob quas praedictus consensus denegari potest, sunt: Perversitas morum comprobata aut notoria, nec non morbi contagiosi, vel defectus corporis fini matrimonii repugnantes ex parte illius, quocum minorennis vult contrahere, denique defectus facultatum, quae ad honestam sustentationem sufficiant.»[3]) *c)* Quomodo consensus impetratus coram parocho *legitimari* debeat? Quodsi *pater ipse* consensum praestare debet et potest, talis consensus aut coram parocho et duobus testibus *personaliter* a patre declarandus in matricula notandus manuque propria confirmandus est,[4]) aut *absente patre* per documentum omnimode validum[5]) a patre testibusque datum et juxta documenta matrimonialia asservandum consignari debet. Quando consensus non a patre ipso praestatur sed a tutore et ab instantia judiciali, a foro judiciario documentum conficiendum est, in quo consensus tutoris declaratus et consensus ipsius fori judiciarii expresse continetur, et quod pariter asservandum est inter documenta matrimonialia. Ex quibus clarescit, non sufficere, si parochus ipse de consensu praestito certus sit, sed ipsum etiam procurare oportere, ut haec certitudo legitime probari possit.[6])

Qui sint minorennes.

Si negetur consensus.

Forma consensus paterni.

---

[2]) C. C. A. § 174.

[3]) C. C. A. §§ 52. 53.

[4]) Forma sequens esse poterit: «Quod ego N. consentiam in matrimonium filii (filiae) minorennis N., mea ac duorum testium subscriptio testatum facit.» Hanc declarationem tum in protocollo examinis matrimonialis, tum in libro copulatorum consignari convenit.

[5]) Documentum a praetura districtus, in quo pater domicilium habet, legitimari oportet.

[6]) Si filii vel filiae etiam majorennes insciis aut invitis parentibus matrim. ineant, hi, etiamsi postea consentiant, non tenentur filiae dotem, aut filio contradotem constituere, in casu, quo judex causam improbationis justam fuisse repererit. C. C. A. §§ 1222. 1231.

2. *Conditio et obligatio militaris.* Juxta leges militares[7]) tum illi qui conscriptioni obnoxii sunt tum personae militiae sive terrestri sive navali adscriptae generatim matrimonium civiliter validum, respective licitum inire nequeunt, nisi prius facultatem superioris via officiali et scriptis obtentam exhibeant. Quaeritur *a) Quinam* indigeant praedicta licentia? Distinguendum est inter eos, qui actu apud militiam inserviunt vel saltem arcte cum corpore militari conjuncti sunt et inter eos, qui conscriptioni militari adhucdum subjiciuntur.

2. Conditio militaris.

a) Quinam venia militari indigeant et cujus?

I. Qui actu apud militiam inserviunt, vel corpori militari sunt inserti, matrimonium inire non possunt sine licentia superiorum militarium, quam praefectis superiorum ordinum ipse Imperator, praefectis minorum graduum minister pro bello, inferioribus vero militibus dux legionis aut cohortis impertiunt. — Attamen hac licentia *non indigent: α) Militiae terrestri* adscripti sed stabiliter dimissi (dauernd Beurlaubten), postquam tertiam[8]) aetatis classem egressi sunt. *β)* Ad ulteriora belli servitia reservati (Reservemänner und Ersatz-Reservisten), nec non pertinentes ad militiam subsidiariam (Landwehr), licet tertiam aetatis classem non sint egressi,[9]) puta *si non sint in actuali servitio. γ)* Praefecti (Offiziere) et officiales militiae sive terrestris, sive navalis, sive subsidiariae pensione donati, quando retinent gradum et honorem militarem. *ε)* Invalidi, qui dicuntur patentales, si extra invalidorum domum degant. *ζ)* Qui, utpote immunes a militia, taxam, uti dicunt, militarem solvere tenentur.[10])

Actu servientes.

---

[7]) § 54 C. C. A.; lex de 14. Sept. 1861 et 1. Jul. 1863. Sed nunc maxime notandae sunt: l. d. 5. Dec. 1868, l. novella d. 2. Oct. 1832 una cum ordinatione ministeriali executoria d. 1. Nov. 1882.

[8]) Scil. l. novella d. 2. Oct. 1882 tribus aetatis classibus eorum, qui conscriptioni militari sunt obnoxii, quartam superaddidit. Nimirum ad *primam* classem illi pertinent, qui eo labente anno solari, quo prima vice conscriptioni fiunt obnoxii, annum aetatis 20. complent; qui secunda vice conscribendi sunt, sunt in secunda classe etc. Per se intelligitur, his legibus etiam illos subjici, qui *ante* annos conscriptionis e. g. annos 18 nati. uxorem ducere volunt.

[9]) L. novella d. 1882 § 52 et ordin. executoria n. XXII.

[10]) *Linzer* Quart.-Schr. 1884 p. 413. — Juxta edict. ministr. pro defens. d. 4. Jun. 1879 nonnisi pertinentes ad militiam subsidiariam (Landwehrmänner), si forte matrimonium contraxerint, testimonium factae copulationis (Trauungsbuch-Extract) ostendere seu afferre debent occasione annuae convocationis. Cfr. Wiener Dioec.-Bl. 1880. Nr. 11. p. 131. not. 1. — Ceterum distinguuntur connubia militaria *primi generis* et *secundi generis*. *Priora* sunt illa, quorum certus ac determinatus numerus in quavis legione ex lege permittitur. In his uxores et liberi jurisdictioni militari omnino subsunt et commoda personarum militarium ex integro participant. Conjugia militaria *secundi generis* sunt, quae ultra numerum in quavis legione determinatum conceduntur, cum peculiaribus tamen restrictionibus. Sic e. g. sponsae ita

Ad conscriptionem obligati.

II. Vi legis d. 5. Dec. 1868 (§ 44) et novellae d. 2. Oct. 1882 matrimonium inire *prohibentur* omnes, qui vel aetatem conscriptionis nondum sunt assecuti vel ex tertia classe nondum ita sunt egressi, ut satisfecerint conscriptionis obligationi. (Intellige, nisi quis perpetuo inhabilis fuerit declaratus ad belli servitia et exsolutus ab omni obligatione militari.) Prohibitio matrimonii quoad eos, qui in tertia classe constituti pro tempore a militia immunes declarati sunt (zeitweilig Beurlaubten) et eorum, qorum servitium actuale ad tempus posterius procrastinatum est, tamdiu perdurat, quamdiu obligationi conscriptionis non est satisfactum. Quin etiam pertinentes ad quartam classem prohibitioni subjacent, quoties haec quoque classis ad exercitum complendum conscriptioni subjicitur, quamdiu huic obligationi non est satisfactum. Ubi autem evocatio quartae classis ad redintegrandum exercitum necessaria videtur, hoc ipsum ex officio publicari debet, sive per ephemerides, sive per praefectum districtus vel communitatis. Hac publicatione facta seu pendente, etiam quarta classis adstricta manet. Generatim omnes a matrimonio arcentur, quamdiu obligationem conscriptionis non impleverunt. — Veniam pro modo dictis, ut licite contrahant, nonnisi axceptionis causa concedendam impertit minister pro imperii defensione, coque delegante politicum provinciae gubernium. Attamen obtenta hac licentia nemo eximitur ab officio sequendi militiam sive ordinariam, sive eam quae dicitur subsidiaria (Landwehr).

b) Poena in contravenientes.

b) Poenae his legibus connexae sunt: 1. ut illi, qui ad corpus militiae pertinentes, sine debita licentia matrimonium inierunt *(praeterquam quod hoc matrimonium in certis casibus est invalidum),* si serviant, quin ad militiam obligentur, ab ea dimittantur, servientes autem cum obligatione, arctae custodiae usque ad tres menses duraturae traduntur, praefecti autem inferiores degradatione puniantur.[11]) Sacerdos copulans, non exhibitâ licentia, gravi poenae subjicitur (§ 78 C. C. A.). — 2. Matrimonium eorum, qui tanquam conscriptioni adhuc obnoxii illud inierunt, *validum quidem est;* sed hi ex officio militiae inseruntur, in casu inhabilitatis vero mulcta 1000 fl. aut poena carceris per sex menses luenda puniuntur. Cooperantes autem ejusmodi matrimonio contrahendo, aut 500 fl. mulctam, aut carceris poenam per tres menses sustinere debent.[12])

---

contrahentium polliceri debent, sese nunquam ad legionem, cui sponsus adscriptus est, velle accedere, neque ipsum ad servitia militaria sequi, si forte ad illa revocetur. Porro tum uxor tum proles ejusmodi jurisdictioni parochi civilis subjicitur. *Rechberger* II. p. 156. *Binder* p. 294.

[11]) Militär-Strafgesetz d. 15. Jan. 1855 § 780.

[12]) Ex quibus patet, hujusmodi nupturientibus copulationem tamdiu esse differendam, donec exhibeant aut nubendi facultatem a provinciae gubernio

Denique non praetereundum, etiam custodes securitatis et disciplinae, eorumque praefectos (Gendarmerie) venia militarium superiorum (vi legis organ. d. 18. Jan. 1850 et legis d. 14. Sept. 1861), custodes vero pro vectigalibus constituti (Finanzwache) suorum praepositorum licentia indigere pro matrimonio contrahendo (Edict. ministri aerarii d. 27. Nov. 1857).

3. Cooperatio ad separationem matrim.

3. *Cooperatio culpabilis ad perficiendam separationem matrimonii.* Nimirum juxta § 119. C. C. A, separato aliquo matrimonio (pure acatholico vel mixto) neutra pars separata valide potest copulari cum persona, quae adulterio, incitationibus, alliove illicito modo causam separationis dedisse, ex actis separationis judicialibus convinci potest. Hoc impedimentum rarissime attingit catholicos, quippe quorum matrimonium est indissolubile.

§ 185. Impedimenta civilia mere prohibentia.

1. Defectus consensus politici.

1. *Defectus consensus politici.* In aliquibus imperii Austriaci provinciis[1]) usque ad tempus novissimum qui nullas vel tenues facultates haberent, matrimonium inire vetabantur, nisi hunc in finem licentiam communitatis civilis, publici vero officiales inferiores, nec non ludimagistri subsidiarii suorum superiorum consensum obtinuissent. Sed nuperrime (i. e. decurrente a. 1868) in plurimis provinciis leges praescribentes consensum politicum, cum jam diu permultis fuissent exosae,[2]) consentientibus tum comitiis generalibus tum provincialibus, auctoritate suprema abrogatae sunt, ita, ut nunc consensus politicus non amplius requiratur, nisi in provincia Tirolensi,[3]) Vorarlbergensi et in Carniola. In his provinciis

---

datam, aut declarationem praefecturae districtus politicae, ipsos vel ab omni militiae officio ex lege esse immunes, vel prorsus ad militiam ineptos, sive notorie, sive ex declaratione commissionis ad hunc scopum institutae. Addere juvat, juvenes constitutos in prima vel secunda classe nunquam copulari posse, nisi *aut* certificato comprobent, sese inhabiles et ex elencho conscribendorum deletos esse, *aut* licentiam scriptam gubernii provinciae afferant. Cfr. *Linzer Quart.-Schrift* a. 1883. p. 170. seq.; *Wiener Dioec.-Bl.* 1882. p. 206; *Kartner* l. c. Anhang. Ehen der Militärpersonen p. 70. seq. *Symersky,* Die Verehelichung der Stellungspflichtigen und der Militärpersonen 1874.

[1]) Dictus consensus politicus haud praescriptus unquam fuit per Hungariam, terrasque eidem adnexas, neque per Galliciam, Bukowinam, Dalmatiam. In territorio littorali, itemque in Carinthia usu tantum inductus fuit, ac propterea via administrationis utrobique (a. 1867 et 1868) sublatus est.

[2]) Cfr. Historiam hujus instituti: Zur Aufhebung des polit. Eheconsenses in Oesterreich (1868) Archiv. t. 20. p. 448. seq. ibid. t. 21. p. 171. 454.

[3]) Leges generatim (Decr. aul. 26. Jun. 1815) a necessitate impetrandi consensum politicum eximebant nobiles, officiales publicos, publicos professores et magistros, advocatos et agentes, domorum ac praediorum possessores etc. In provincia Tirol. et Vorarlb. consensu politico indigent «personae

necesse est, ut communitas politica nupturientibus praevie consensum suum scriptis exhibeat, si in iis versentur circumstantiis, quibus lex ejusmodi consensum praescribit. Denegato consensu partibus appellare licet, sed ad alteram dumtaxat instantiam, quae est politicae provinciae gubernium.[4])

2. Obligatio ad conscr ptionem militarem.

2. *Obligatio ad conscriptionem militarem,* de qua jam tractavimus § praeced. Est impedimentum mere *prohibens;* sed hoc etiam censendum est hodie de plurimis aliis impedimentis statum militarem concernentibus § praeced., quae matrimonium nunc non *irritare* censentur nisi in lege specialiter expressum sit, certo quodam impedimento obstante conjugium irritum reddi.

3. Tempus luctus pro vidua.

3. *Tempus luctus pro vidua constitutum.* Equidem poenae graves contra viduas intra annum luctus nubentes in jure Romano statutae, inter quas fuit etiam infamia, ubique exoleverunt.[5]) Sed tamen modernae quoque leges civiles novas viduae nuptias prohibere solent, antequam certum temporis spatium post mortem mariti sit elapsum. Idque ex eo potissimum fit, ne incertum evadat, uter nasciturae prolis sit pater, num prior, an secundus maritus. Unde talis cautio etiam ab animarum curatoribus sedulo observanda est, et tempus istud a lege civili statutum ceu impedimentum prohibens considerari debet. Juxta §§ 120. 121 C. C. A. viduae gravidae post matrimonium vel a judice vel morte solutum ad alteras nuptias transire non licet ante partum; quum vero de ejus gravididate subest dubium, non ante elapsum sextum mensem. Si vero eam gravidam esse non sit probabile, elapsis tribus mensibus potest dispensari.[6]) Mulier huic legi contraveniens amittit commoda a priori marito per pacta dotalia, pactum haereditarium, ultimamque voluntatem ipsi addicta; vir vero jure privatur § 58 C. C. A. ipsi concesso (i. e. impugnandi matrimonium ob im-

---

bonis immobilibus carentes, ad classem sive farmulorum, sive operariorum et opificum sociorum pertinentes, nec non sic dicti inquilini.» (Decr. aul. d. 12. Maji 1820 et edict. minist. 3. Apr. 1850.) Igitur ab iis, qui hoc decreto *non* comprehenduntur, consensus politicus non est requirendus. Ad summum (ac praesertim in dubio) animarum curatores possunt scripto praefectum communitatis interrogare, an causa adsit justa contradicendi huic matrimonio. Brixn. Dioec.-Bl. 1858 p. 16. — Consensum politicum in provincia Salisburg. non amplius necessarium esse, decisum est a summo trib. pro admin. d. 12. Apr. 1883. Cui decisioni adhaerendum esse duxit gubernium provinc. Salisburg. (Edict. 22. Mart. 1884 nec non Ordinariatus archiep. [*Linz.* Quart.-Schr. 1883 p. 880 et 1884 p. 717]).

[4]) Ordinat. ministri pro rebus internis d. 27. Oct. 1859.

[5]) *Freisen* in *Vering* Archiv. t. 52. p. 179.

[6]) Dispensatio probabilius etiam necessaria est, quando plene constat, viduam non esse gravidam. *Kutschker* t. 5. p. 674. Ex lege d. 4. Julii 1872 haec dispensatio competit praefecturae districtus politicae.

praegnationem sponsae), ambo denique conjuges poena afficiuntur transgressionis circumstantiis proportionata.[7])

Articulus IV.

De impedimentorum dispensatione.*)

§ 186. Notiones praeviae.

Qua ratione impedim. cessent vel removeri possint.

Expositis jam matrimonii impedimentis, quaestio enascitur, quomodo eadem removeri possunt? Respondendum, pleraque impedimenta, sed non omnia per dispensationem auferri. Etenim

1. Nonnulla impedimenta tractu temporis per se cessant e. g. aetatis, ligaminis.

2. Alia impedimenta dispensationem non admittunt, sed tantummodo per consensum auferri possunt, cujus generis sunt impedimenta erroris, vis et metus, conditionis, raptus et defectus consensus.

3. Alia impedimenta, utpote quae juris *divini* et *naturalis* sunt, *absolute* sunt indispensabilia et nullo modo tolli possunt sc.: impedimenta impotentiae, ligaminis et consanguinitatis in linea recta (saltem in primo gradu)[1]) item ubi requisita deficit animi discretio.

---

[7]) Impedimenta civilia sive irritantia sive prohibentia negligere sub poenis prohiberi, ex dictis satis clarescit. Quibus haec sunt addenda: 1. Juxta § 507 cod. crimin. ille, qui celando impedimentum sibi cognitum nuptias celebravit, vel celebrandi causa in regiones exteras discessit, per tres, imo etiam per sex menses arctae custodiae mancipatur. 2. Quoties matrimonii contractio cum crimine conjungitur, incurritur poena gravior, prouti in cod. crimin. determinatur; id quod e. g. procedit obstante impedimento ligaminis, raptus et in quocunque fere impedimento indispensabili. 3. Hisce poenis non solum contrahentes, sed et socii transgressionis subjiciuntur, in quorum numerum non solum parentes, tutores, testes, aliique illicite cooperantes, sed etiam *parochi* veniunt. Hi § 78. C. C. A., si sponsi testimonium de factis proclamationibus, licentiam, qua fors indigent, propter impedimentum minorennitatis, testimonium baptismale (quoties requiritur), non afferant, *vel* si suspicio impedimenti adsit, sub gravibus poenis copulationem peragere vetantur, donec iidem sponsi testimonia necessaria exhibuerunt, aut omnes dubitationes fuerint remotae.

*) Cfr. *Pyrrhus Corrad.* Praxis dispens. Venet. 1669; *De Justis,* de disp. matrim. Venetiis 1739; *Zitelli,* de disp. matr. Rom. 1884; *Feije,* de imped. et disp. Lovanii 1874; Petr. *Giovine,* de dispens. matr. Napoli 1866.

[1]) Multum disputatur, *quo jure* irritum sit matrimonium inter prohibitos gradus contractum. Certum est, in *linea recta* patrem cum filia, matrem cum filio *jure naturali* contrahere non posse. Ceteros tamen gradus in linea recta plures cum s. Thoma de jure positivo tantum prohibitos esse dicunt. Quod attinet lineam collateralem, irritum esse ipso jure naturae matrim. inter fratrem et sororem, negat s. Thomas cum multis, affirmant alii. Unde tale matrimonium in infidelitate contractum ceu certe invalidum haberi non posset.

4. Super aliis impedimentis ecclesia quidem absolute dispensare posset, sed tamen in praxi nunquam dispensat. Sic Romani Pontifices semper abstinuerunt a dispensatione super impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae (e. g. inter vitricum et privignam), item in primo gradu cognationis naturalis i. e. inter fratrem et sororem, in impedimento clandestinatis in locis, ubi viget decretum «Tametsi» quando agitur de matrimonio contrahendo,[2]) denique in impedimento criminis *publico* effectu secuto, etiam uno dumtaxat machinante.[3])

5. Non facile speranda est dispensatio in voto solemni castitatis, in impedimento ordinis, disparitatis cultus, in matrimonio rato, in impedimento affinitatis in primo gradu[4]) lineae collateris, in impedimento criminis *occulto,* utroque vel altero mortem machinante effectu secuto, in impedimento consanguinitatis secundi gradus tangentis primum (e. g. inter avunculum et neptem), in cognatione spirituali inter levantem et levatum.

6. In reliquis vero impedimentis dispensatio concedi solet, dummodo causae sufficientes adsint.[5])

7. Occurrente impedimento *dubio* distinguendum est, num dubitetur de *existentia* impedimenti, an vero de *dispensatione.* In primo casu, si adest *dubium juris,* consulatur s. Sedes; si vero tempus non suppetat, episcopus casum vel ex auctoribus solvat, aut dispenset, ubi agitur de impedimento dispensabili. In *dubio facti* si constet de facto, sed dubitetur utrum cessaverit (e. gr. utrum prior conjux mortua sit) decidendum est pro existentia impedimenti. Quodsi vero de facto non constet, potest forsitan haberi praesumtio ex communiter contingentibus aut ecclesiae legibus favorabilibus valori matrimonii; si vero non habeatur, episcopus in impedimento juris ecclesiastici dispensare potest, sed sine dis-

Ballerini num. 802. not. 6. de matr. — Quo vero jure dirimat affinitas, solummodo quaestio est quoad primum gradum lineae rectae. Plures et magni nominis theologi et canonistae negant, matrimonium in tali gradu contractum jure naturae esse irritum. Quidquid tamen sit, ecclesia nunquam voluit dispensare, si affinitas oriatur ex matrim. legitimo, dispensavit tamen in hujusmodi affinitate orta ex commercio illicito e. g. si quis ducat matrem illius, quacum fuit fornicatus. Vid. in append. facult. trienn. N. X. Acta s. S. II. p. 126. *De Angelis* tit. 14. p. 236 seq.; *Feije* p. 240 seq.

[2]) Matrimonium clandestinum eo solo convalescit, quod postmodum in legitima forma ratum habeatur.

[3]) Bened. XIV.: «Aetas anni» 1757. § 15.

[4]) Juxta declarationem in litteris ad Card. Prodat. Pacca expressam 22. Nov. 1836. — Sed in praxi haud infrequentes sunt dispensationes in hoc impedimento impertitae.

[5]) Instr. Eystet. p. 308. *Weber,* Ehehind. p. 516.

pensatione contrahere non licet.[6]) — Si constet de impedimento, sed dubitetur, sitne dispensatum, contrahere non licet; si vero dubitetur de *valore* obtentae dispensationis recurratur ad episcopum; si id fieri nequeat, valida censeri potest dispensatio; si constet de episcopi potestate, sed dubitetur circa sufficientem causam, episcopus dispensare potest; si vero ejus potestas dubia est e. g. an persona dispensanda sit ejus subdita, dispensare nequit.[7])

§ 187. Quibus competat facultas dispensandi.

Regulariter ad Papam pertinet dispensare.

Indubia regula est, in legibus ecclesiae universalibus a nullo inferiore, sed tantum a summo Pontifice et a conciliis generalibus dispensari posse. Atqui omnia impedimenta matrimonii tam dirimentia quam impedientia ad leges universales pertinent, omnesque fideles obstringunt. Unde sequitur, episcopis per se nullam competere potestatem dispensandi super ejusmodi impedimentis, sed eam ex integro penes sedem Apostolicam residere. Quia vero difficillimum foret, in singulis casibus ad summam sedem recurrere, in praxi etiam episcopi hujus generis facultatibus instructi sunt, quarum alias exercent ex concessione juris, alias ex delegatione summi Pontificis, alias denique ex licentia Pontificis praesumta. Igitur

Episcopi dispensant:

1. Ex concessione juris.

1. Ex *concessione juris*, seu *ex lege* dispensant episcopi in nonnullis impedimentis *prohibentibus*, sc. in votis non nubendi, non petendi debitum, ss. ordines suscipiendi, in voto castitatis ad tempus dumtaxat emisso; in tempore feriato; in vetito ecclesiae, nisi a Papa sit interpositum. In reliquis impedimentis, etiam prohibentibus, jus dispensandi Papae reservatum est.

2. Ex potestate delegata.

2. *Ex potestate delegata,* nempe vi quinquennalium dispensat episcopus *a)* in foro externo super *quatuor* impedimentis juxta tenorem in Apostolico indulto expressum. Videantur hae quatuor facultates in appendice IV. num. 3—6 inclus.[1]) *b)* vi triennalium (nunc pariter ad quinquennium concessarum) in foro interno episcopus *septem* facultatibus instructus est. Eaedem pariter in appendice III. inspici possunt num. VIII.—XII. Advertendum tamen,

---

[6]) In dubio facti, ubi agitur de matrimonio *contrahendo,* ad illud impediendum etiam levis sufficit probatio (dum vicissim matrimonio contracto plenissima requiritur probatio). Idcirco tale matrimonium absque dispensatione non est permittendum. Varmien. 14. Jun. 1884. Acta s. Sedis XVII. p. 178 seq.

[7]) *Feije* p. 554. n. 636.

[1]) Facultatem n. 3. expressam: *dispensandi in 3. et 4. simplici et mixto* non esse intelligendam de tertio vel quarto gradu, mixto cum secundo, declaravit s. Inquis. 20. Nov. 1670 et hoc etiam Cardin. Viale Préla episcopis Austriacis 16. Jun. 1856 significavit.

harum facultatum tum limites tum conditiones ad amussim observari oportere.[2]) Denique aliqui episcopi specialissime quibusdam dispensandi facultatibus instructos esse constat, plerumque cum certo et fixo numero casuum certi cujusdam impedimenti.

Quoad usum facultatum tum praefatarum tum aliarum, quas praesertim remotiores episcopi nonnunquam in vim specialis privilegii Apostolici acceperunt, haec observanda veniunt: 1. Easdem facultates ab episcopo vicario suo generali committi posse.[3]) 2. Episcopum iisdem valide et licite uti quoad proprios dioecesanos, i. e. qui vel in dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habent, vel sunt vagi etiamsi dioecesani fors tanquam peregrini ad tempus extra dioecesin degant, nisi in facultatibus a Sede Apostolica concessis subjungatur clausula, triennalibus pro foro interno adjici solita: *intra fines tamen dioecesis.*[4]) 3. Sufficere dispensationem ab uno episcopo obtentam in casu, quo nupturientes ad duas dioeceses pertineant, eoquod impedimento per dispensationem sublato, illud in una sola parte consistere nequit.[5]) Sed

---

[2]) Pro praxi notari debet, etiam decanis nonnullas harum facultatum ab episcopis committi. In nostra dioecesi dispensare possunt in casibus vere urgentibus: 1. *pro foro externo:* a) in gradu 3. et 4. consang. vel affinitatis; b) in imped. cognationis spirit. praeterquam inter levantem et levatum; c) in imped. publicae honestatis ex sponsalibus proveniente. 2. *Pro foro interno:* a) In casu num. X. (sub voce *Item)* posito Append. III. b) In casu num. VIII. expresso. c) In casu num. IX. exposito. Hae duae ultimae facultates in casibus singularibus etiam aliis sacerdotibus communicari possunt, sic tamen, ut nonnisi in actu sacramentalis confessionis dispensatio fiat. Vid. facultates nostris decanis concessas in Dioec.-Bl. 1861. p. 77.

[3]) Nempe per mandatum speciale, quo vicario committuntur omnes causae matrimoniales et dispensationes, etiam vi quinquennalium concedendae. § 124. 3. e. *Bangen* II. 163.

[4]) S. C. Inquis. d. 22. Nov. 1865 declaravit: 1. Clausula supradicta non intelligitur, nisi expressa fuerit, prout fieri solet, cum e. gr. conceditur facultas dispensandi super impedimento mixtae religionis. 2. Irretitus impedimento potest liberari ab eo per suum episcopum et dein in alia dioecesi, in qua ad tempus versatur, matrimonium celebrare, sed tamen cum venia episcopi illius loci, in quo contrahit. 3. Tanto magis hoc facere possunt, si sponsus et sponsa post dispensationem obtentam in alia dioecesi contrahere volunt. 4. Si una tantum pars est dispensanda e. gr. in matrimoniis mixtis, eadem dispensari debet ab episcopo sui domicilii vel quasi-domicilii, dummodo in eadem dioecesi actu existat, quando dispensationem recipit; dispensatio vero ita obtenta exequutioni tradi potest, ubicunque matrimonium contrahitur. *Feije* p. 536 seq.

[5]) Ita sentiunt: *Schulte, Knopp, Gousset, Bangen* etc. Confirmatur ex responso s. Poenit. d. 4. Sept. 1839 *(Feije* p. 559) scil. per episcopum, qui vi facultatis a Papa *delegatae* dispensat, non solum sponsum qui suae Dioecesis est, sed et alterum, extraneum, ab impedimento liberari, quia sublato impedimento ex una parte etiam pars altera libera evadit. Idem statui debet, quoties episcopus dispensatione *ordinaria* utitur.

convenit ab episcopo *sponsae* peti dispensationem, quia causae dispensationis ex parte potissimum sponsae desumuntur. Attamen ex usu fere communi dispensatio executioni non mandatur, nisi prius communicatio fuerit facta cum episcopo alterius partis, ut, si quid dispensationi obstet, ab eo possit exponi. 4. Nullam esse dispensationem episcopi, nisi exprimatur, eam ex delegatione fieri.

3. *Ex licentia praesumta. a) Pro matrimonio contrahendo* nunquam potest episcopus dispensare *in foro externo et super publico impedimento dirimente,* etiamsi causa adsit *urgentissima.* Ita nimirum expresse docet Benedictus XIV. et pluries edixit s. Concilii Congregatio.[6]) Verumtamen in casibus *occultis* et in foro interno tantum juxta plurimorum sententiam pro matrimonio etiam contrahendo facultas episcopis vindicatur, dummodo adsint urgentissimae causae nec aditus ad s. sedem pateat. Advertit tamen Benedictus XIV., in praxi vix unquam contingere causam, in qua non possit matrimonium retardari absque scandalo. Notandum etiam est, ejusmodi indigentiis jam in facultatibus triennalibus pro foro interno ex parte provisum esse (num. X. Item). 3. Ex potestatis praesumtione. Distingue inter matrim. contrahendum.

b) Multo facilius *contracto jam matrimonio in foro interno* et super *occulto impedimento* episcopus dispensare potest, dummodo concurrant sex circumstantiae, quas enumerat Benedictus XIV.:[7]) 1. scilicet, ut jam matrimonium fuerit contractum in facie ecclesiae omnibusque adhibitis solemnitatibus; 2. ut contractum fuerit bona fide, ex juris aut facti ignorantia; 3. ut sit consummatum; 4. ut impedimentum sit occultum; 5. ut non possit facile adiri prima sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam aliasque causas; 6. denique quod non possit separatio fieri sine scandalo.»[8]) et contractum.

---

[6]) Propositio asserens, episcopos posse dispensare in publico impedimento matrimonium dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo isve in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint exspectare dispensationem sedis Apostolicae, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa.» Hanc s. Inquis. declarationem confirmavit s. C. C. 19. Jan. 1661. Thesaur. resol. 65. tom. p. 114. — Cfr. causam d. 29. Jan. 1881 a. s. C. C. decisam in Act. s. Sedis t. 14. p. 165.

[7]) De synod. dioec. l. 9. c. 2. n. 3. Cfr. decl. s. C. C. 19. April. 1692 in Aegitannien. apud *Bangen* l. c. p. 154.

[8]) In casibus urgentissimis episcopus potest pro foro interno et in matrimoniis contrahendis quasi ordinaria potestate dispensare seu potius commutare votum perpetuae castitatis occultum, privatim (non in Congregagatione aliqua) emissum. *Feije* p. 506. Hanc potestatem etiam confessariis regularibus ordinum mendicantium, aliorumque, qui cum iis communicant, attribuunt. Praeterea praefati confessarii possunt, sub moderatione suorum superiorum (i. e. cum licentia Provincialis etc.) ex privilegio Apostolico pro foro conscientiae ad petendum debitum dispensare in superveniente affinitate vel cognatione spirituali. Tradunt etiam auctores, eosdem etiam posse ad

§ 188. De causis dispensationum.

Requiruntur causae

Quodsi ad omnem dispensationem justae causae requiruntur, tanto magis in rebus matrimonialibus id locum habebit. Etenim indulgentiori dispensationum elargitione sine causis sufficientibus impetrata, non tantum gravia tam salubri disciplinae vulnera infliguntur, sed etiam conjugiorum valor periculo nullitatis exponitur, praesertim si quis Pontifice inferior dispenset.[1]) Nota sunt gravia concilii Trident. verba: «In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes et ob publicam causam.»[2]) Et licet benigna mater ecclesia hac nostra aetate nonnihil indulgentior sit, tamen tum petentes dispensationem tum iis operam praebentes meminisse oportet, pro ejusmodi gratia ecclesia praesulibus non esse supplicandum, nisi adsint causae *sufficientes, verae* et *proportionatae* impedimento, super quo dispensatio petitur.[3]) Plurimum interest, ut attendatur discrimen, quod in nostra Instructione ita exprimitur: Episcopi, cum canonicae non deficiant rationes, faciles erunt in utendo facultatibus a s. Sede concessis sequentia quoad impedimenta: 1. In tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis ex copula licita. 2. In cognatione spirituali. 3. In affinitate ex copula illicita, nisi timendum sit, ne matrimonium contracturi ex immundis commerciis consanguinitate in linea recta juncti existant. 4. In tertio et quarto gradu justitiae publicae honestatis ex matrimonio rato non consummato. 5. In justitia publicae honestatis provenienti ex matrimonio invalide contracto et non consummato, aut ex sponsalibus. Cetera quod attinet impedimenta dirimentia, unanimi conatu agendum est, ut efficax eorum vigor aut asseratur aut restituatur.»[4])

sufficientes et impedimento proportionatae.

Jam causas dispensandi recensebimus, quae juxta stylum curiae Romanae usu veniunt atque a s. C. C. fuerunt adproba-

---

petendum debitum dispensare pro foro conscientiae in voto castitatis emisso etiam *post contractum* matrimonium, sed cum quibusdam restrictionibus et urgente necessitate. *Feije* p. 563 et not. 2. — Petitio dispensationis super impedimentis politicis ad gubernium provinciae deferenda est, quod deinceps aget, quod pro qualitate adjunctorum agendum est. Ante matrim. ipse petentes suoque nomine supplicare debent. Post matrim. partes etiam tecto nomine mediante parocho dispensationem petere possunt. C. C. A. §§ 83. 84.

[1]) Imo etiam Pontificis dispensatio nulla erit, si causae motivae et finales sunt falsae: nam in literis apostolicis, licet non exprimatur, semper subintelligitur clausula: Si preces veritate nitantur.

[2]) Sess. XXIV. c. 5. de matr.

[3]) Vide regulas, quas Instr. Eystett. inculcat iis, qui literas supplices componunt l. c. p. 316.

[4]) §§ 80. 81.

tae.[5]) Sunt vero causae vel honestae vel infamantes, prout oratorum honorem vel integrum esse sinunt, vel laedunt. Has causas permixte «Instructio s. Congregationis de Prop. fide d. 9. Maj. 1877 super dispensationibus matrimonialibus» hisce verbis refert:

1. «*Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.[6])

2. *Aetas foeminae superadulta,* si scilicet 24[m] aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat. (Sed cfr. n. 5.)

3. *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit, in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.[7])

4. *Lites super successione bonorum jam exortae vel earundem grave aut imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur praeter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis

---

[5]) *Pyrrhus Corradus,* Praxis dispensat. apost. l. 7. c. 3—7.

[6]) Ea vero loca censentur angusta in quibus focorum numerus non excedit 300, vel inhabitantes non sunt ultra 1500 (sic declaravit Pius IX. in epist. circul. 30. Aug. 1847). Ex resol. s. C. C. 8. Jul, et 16. Dec. 1876 angustia loci non est desumenda a *parochia,* sed a *loco* sponsae si hic locus distet ab alio loco ultra milliare. Sed distantia etiam minor esse potest, si viarum asperitas vel rigor hiemis etc. iter impediat. Cfr. declarationem Datariae Apost. in Causa Valven. deductam apud s. C. C. 8. Mart. 1884 (Acta s. Sed. XVI. p. 544). — Paritas conditionis eruenda est ex sponsorum statu, conditione, divitiis, aetate, moribus et religione. Acta s. Sedis IX. p. 579. 631. — Non obstat, si alias nuptias recusaverit, etiam cum proposito numquam nubendi. (Instr. Eystett.),

[7]) Nota tamen dispensationem invalidam esse, si mulier insufficienter dotata *dolose* affirmaverit, se esse sine dote. *Zitelli* p. 64.

succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnatio, ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret.[8]) Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantiae in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa; cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae (c. 7. *de consanguin.*). At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. V. de Reform. matrim.

11. *Periculum matrimonii mixti, vel coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in

---

[8]) «Copula inter oratores habita talis intelligitur, quae vel sit nota vel proxime divulganda. Si copula non sit publice nota nec divulganda praevideatur, dispensatio interdum obtineri potest propter ulteriora pericula incontinentiae» *(Zitelli* p. 65).

Instructione die 17. Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebescensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Feria IV. 14. Augusti 1822 decrevit: «respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire judicaverit.» Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata Instructione anno 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum, quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut ajunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi ac sacrorum canonum interpretes.»

His addere juvat: in votis simplicibus perpetuae castitatis et religionis ceu causa adduci potest passionis vehementia ex nimia carnis fragilitate proveniens; maxima difficultas votum adimplendi, et probabile periculum frequentium transgressionum. — Generatim causa afferri etiam poterit: magnum vitae periculum, imminens oratoribus vel alteri eorum.

Dispensatio sine causa.

Denique notandum, dari etiam dispensationem, quae dicitur *sine causa,* sc. sine aliqua ex causis specificis ordinariis (quam tamen sola Dataria, nunquam vero etiam Poenitentiaria largitur), eoquod certa causa non proponitur, licet semper justa causa moveat Pontificem ad concedendam dispensationem. Potest etiam evenire, ut, si causa canonica (ex superius recensitis) non adsit, aut saltem non sufficiens, ex aliis *certis et rationabilibus causis,* quae utilitatem dispensationis evidenter suadent, licet raro et in remotioribus gradibus tantum, maxime pro illustri familia, dispensatio concedatur. Istiusmodi causae, quae non sunt canonicae, praesertim si urgentiores sint, petitioni utique adjungi possunt; sed quia talis dispensatio ex Papae gratia pendet, auctores ani-

Causae non canonicae.

marum curatis merito inculcant, ut dispensationes non petantur, nisi adsint causae etiam vere canonicae, atque has in precibus semper primo loco ponere decet.[6]) *Causae,* inquam; nam ut monet laudata Instructio, *una* aliquando causa seorsim accepta insufficiens existimatur.

§ 189. Modus et forma dispensationem petendi.

1. Supplicatio dirigenda est ad Datariam Rom. vel Poenitentiariam.

1. Quoties dispensatio oratorum saluti utilis esse videtur et causae sufficientes adsunt, libellus supplex ad legitimum superiorem, scilicet vel ad episcopum vel ad tribunalia Romana dirigi debet, prout natura impedimenti id exigit. Imo mos viget, ut etiam supplicationes Romam mittendae mediante episcopo vel ejus vicario generali dicasteriis Romanis proponantur.[1]) Quoad Romanas dispensationes prae reliquis differentia notanda est inter dispensationes, quae a Dataria Romana conceduntur et inter eas, quae petendae sunt a. s. Poenitentiaria. Scilicet ad Datariam scribendum est, quoties dispensatio petitur pro foro externo et in impedimentis publicis; Poenitentiaria vero dispensat regulariter super impedimentis occultis in foro interno. At ex recentiori Pontificis mandato idem tribunal vice Datariae, dispensat etiam *pro foro externo* in plerisque impedimentis publicis, sed cum pauperibus tantum in extraordinariis quibusdam casibus *(Zitelli* p. 68). Si agatur de impedimentis ortis ex publico delicto (v. gr. polygamiae) Congr. s. Officii adiri debet (l. c. p. 45). Quodsi impedimentum aliquod, super quo apostolica Poenitentiaria dispensavit, vel ab initio non erat occultum vel postmodum publicum evasit, talis dispensatio pro foro externo non valet. — Quaeritur,

prout impedim. publicum est vel occultum.

quaenam impedimenta sint *occulta?* Respondendum, certa impedimenta nunquam esse posse occulta, seu quod idem est, suapte natura esse publica, nimirum illa, quae quovis momento publice possunt probari vel de repente cognosci. Alia vero impedimenta, inprimis, quae ex crimine procedunt, juxta rerum circumstantias vel publica vel occulta esse possunt. Si de ejusmodi impedimentis

---

[6]) Praesertim in foro interno valent etiam causae non tam stricte canonicae; sc. quae salutem animae propius attingunt e. g. conservationem pacis, evitationem scandali vel periculi peccandi etc.

[1]) Modus Romam recurrendi est multiplex. Nam 1. Possunt petentes ipsi libellum supplicem per Agentem curiae proponere. 2. Iidem simul cum testibus ad protocollum audiri possunt, quo in casu protocollum subscriptum a partibus et testibus adjectoque parochi arbitrio ad Ordinariatum mittitur. 3. Apud nos regulariter decani formant examen matrimoniale illudque ad Ordinariatum dirigunt, a quo dein libellus supplex Romam mittendus conficitur. 4. Pro foro interno confessarius quoque dispensationem petere potest vel ipse, vel per Ordinarium. Imo potest quivis, etiam sine Agente, adire s. Poenitentiariam sive personaliter, sive per literas. Acta I. 126.

inter omnes constat, *notoria* dicuntur. Quoties tale impedimentum per sententiam judicis probari potest, licet in tenebris ignorantiae lateat, *publicum* saltem censetur. Idem dicendum, si *rumor* aut *fama* fertur de impedimento, ita, ut ejusmodi opinione neglecta magnum inde in jungendis nuptiis scandalum oriatur. Sentiunt plurimi, tunc posse impedimentum inter *occulta* recenseri, si ad summum quinque personae illud noverint omneque ulterioris divulgationis periculum absit.[2]) Impedimentum, quod nulla ratione probari potest (e. g. in impedimento criminis, saltem plerumque), dicitur *omnino occultum*. Si duplex impedimentum occurrit, publicum unum, alterum occultum, e. g. consanguinitas ex copula licita et simul affinitas ex copula illicita, dispensatio impedimenti publici petenda est a Dataria, occulti vero a Poenitentiaria. Verum in supplicatione ad Poenitentiariam utrumque exprimendum atque notandum est, super impedimento publico a Dataria dispensationem petitam esse. Post contractum matrimonium pro foro interno s. Poenitentiaria dispensat in secundo gradu consanguinitatis et affinitatis occulto *etiam* ex copula *licita*, dummodo impedimentum per decennium duraverit occultum; pariter in tertio et quarto gradu, dummodo sint occulti.

2. Forma petend dispens.

2. Quod attinet modum et *formam*, literae supplices omnia, quae de jure vel consuetudine aut stylo curiae exprimenda sunt, enarrent necesse est; ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec vi Instructionis s. C. de Propag. Fide de 9. Maj. 1877 supra allegatae, quam verbotenus adducimus, sunt haec:

a) «*Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte ac nitide ac sine ulla literarum abbrevatione scribendum.»

b) «*Dioecesis originis vel actualis domicilii.* Quando habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.»[3])

---

[2]) Impedimentum occultum esse potest vel *materialiter* vel *formaliter*. *Materialiter* cum occultum est factum ex quo oritur impedimentum. *Formaliter* cum factum notum est (e. gr. copula), sed ignoratur ex eo impedimentum oriri. Ex communiori doctorum sententia impedimentum materialiter publicum et formaliter occultum adhuc considerari potest ut occultum. Acta s. Sedis t. 14. p. 163—167. (Contrarium tenet Bened. XIV. Inst. 87. § 42). In impedimento, quod modo quidem occultum est, sed pro natura sua evadere potest publicum, jam ab initio recurrendum est ad Datariam, utpote quae de occultis etiam impedimentis dispensare valet pro utroque foro, praesertim, si impedimentum ex delicto infamante non oriatur. Si impedimentum in loco, ubi contractum est, sit publicum, in loco autem ubi sponsi degunt, occultum, haec circumstantia exponenda est s. Poenitentiariae. *Zitelli* p. 90.

[3]) Si ad datariam recurritur, preces ad ipsum summum Pontificem (Beatissime Pater!) diriguntur. Preces pro foro interno ad summum Poeniten-

c) «*Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.»[4])

d) «*Gradus consanguinitatis,* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior,[5]) uti et linea, an sit recta vel transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.»

e) «*Numerus impedimentorum,* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.»

f) «*Variae circumstantiae,* scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus,[6]) et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis seu cum scientia impedimenti.»

---

tiarium (Eminentissime Domine!) diriguntur et reticitis oratorum nominibus alia finguntur (e. g. Cajus, Titia); distincte etiam et clare nomina provinciae, dioecesis et loci sunt exprimenda, ut, quo dirigendum sit responsum, officialibus accurrate innotescat (Acta I. 127). Solet vero Poenitentiaria dispensationem dirigere ab vicarium (officialem) episcopi, qui easdem procuratori oratoris transmittit, — vel ad ipsum procuratorem. Quatenus noceat error nominis oratorum seu dioecesis, vel episcopi, ad quem rescriptum dirigitur etc. vid. ap. *Feije* p. 660 seq.

[4]) In supplicatione, quae dirigitur ad s. Poenitentiariam, exprimenda etiam est qualitas impedimenti affinitatis ex copula illicita orientis, i. e. num sponsus copulam habuerit cum matre, filia, sorore germana, amita, matertera etc. mulieris sibi desponsatae, et vice versa. Ratio patet. Turpitudo enim longe major adhaeret copulae habitae cum matre sponsae, quam quae cum illius sorore fuit commissa (Acta II. 190).

[5]) Propinquior gradus exprimi etiam debet in supplicatione directa ad s. Poenitentiariam et quidem de valore, non solum cum tangitur primus gradus, sed etiam cum agitur de ceteris gradibus. Dum petitur dispensatio in foro externo, reticentia *primi* gradus pariter irritam reddit dispensationem, non ita certe reticentia propinquioris gradus, qui non est primus. *Feije* n. 703. p. 668. seq.

[6]) Circumstantia omissarum denuntiationum ex stylo curiae de valore est. *Pyrrh. Corrad.,* Praxis disp. VIII. c. 4. n. 8. Sed reticentiam sponsalium priorum cum alia persona non involvere subreptionem aut obreptionem, docent auctores (cfr. *de Justis* I. 4. n. 99, *Sanchez* VIII. 23. n. 6) et nuper declaratum est ab officiali Curiae Roman. in aliquo rescripto.

g) «*Copula incestuosa* habita inter sponsos» etc. Sed per decretum ex Cancellaria S. O. d. 25. Jun. 1885 omnia priora decreta de manifestatione copulae incestuosae revocata et abrogata sunt, declaratumque est, «dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras.»[7])

«Haec prae oculis habere debent non modo, qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam, qui ex pontificis delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.»

3. In forma pauperum.

3. Qui in forma pauperum a Dataria dispensari volunt, testimonium paupertatis a suo parocho datum et ab Ordinariatu confirmatum supplicationi adjungere debent.

Nimirum quoad rei familiaris, qua oratores fruuntur, conditionem, triplex datur forma, qua Dataria dispensationem concedit: 1. pro nobilibus i. e. pro principibus et illustribus; 2. forma communis pro aliis divitibus; 3. forma pauperum pro canonice pauperibus. Si dispensatur in forma pro nobilibus vel in forma communi, major taxa (pro diverso gradu nobilitatis vel facultatum[8]) solvenda est. Pauperes vero causa gravi subsistente[9]) gratis dispensantur, quod nempe tum locum habet, si verificentur verba in supplicatione inserenda: «Vere pauperes sunt et mise-

---

[7]) Cum, licet reticita copula, abhinc valida declarantur matrimonia, quaeritur, num de ea in examine matrimoniali sponsi debeant adhuc interrogari nec ne. Inquisitionis necessitatem quidam eruunt ex cit. decreto S. O.; sed non satis concludenter. Quidquid vero sit, si stantibus prioribus decretis parochos summa prudentia oportebat procedere in hac pervestigatione (ut monent auctores), merito credendum est, nunc rarissime sponsos hac de re interrogandos esse, nec aliam ob causam, nisi ad subveniendum conscientiae ipsorum et incutiendi horrorem tanti flagitii.

[8]) Impositio taxae non adversatur Concilio Trid., quod (Sess. 24. c. 5. de ref. matr.) gratis vult dispensari. Nam hujus sensus est dispensari oportere sine lucro concedentium. Atqui hae taxae in pios usus convertuntur et cum reliqua aerarii Apostolici pecunia nullatenus confunduntur. Hincinde mulctae istae in forma eleemosynae in pia opera elargiendae exiguntur; imo in gradibus praesertim primo et secundo consanguinitatis et affinitatis, in quibus major taxa imponitur, ex mente ecclesiae etiam eo inserviunt, ut rariora fiant ejusmodi matrimonia. Ultra dictam componendam levior aliqua taxa exigitur pro officialibus Datariae, quod justissimum est, cum s. Sedes non possit sola expensas ferre pro toto orbe. Si non dispensetur in consanguinitate et affinitate, haec minor taxa sola solvenda est dum dispensatur in forma ordinaria. *Feije* p. 645.

[9]) Proprie non ob aliam causam in forma pauperum ex stylo curiae dispensandum est nisi 1. ob copulam inter oratores habitam; 2. ob infamiam mulieris; 3. ob periculum perversionis a fide. Sed hodie etiam in ceteris precibus paupertas oratorum ratione taxarum allegatur.

rabiles, et de suo labore manuum et industria tantum vivunt.» In qua sententia duo vocabula: *miserabiles* et *tantum* potissimum notanda sunt. «Hinc si oratores labore et industria alias viventes aut bona possideant actu aut pecunias in censum elocatas aut paratam pecuniam habeant, aliunde non gravatam, quam elocare et annuatim ex fructibus per duos vel tres menses victitare possint, id exprimendum est, cum saltem partem taxae solvere valeant.»[10]) Generatim monendum est, in singulis casibus circumstantias rei familiaris oratorum esse bene perpendendas et, prout revera sunt, indicandas, quia hodie earum magis ratio habetur, quam ordinis taxarum, qui non adeo fixe servari solet. Quodsi paupertas oratorum falso allegatur, dispensatio a Dataria impertita ex communissima sententia valida censenda est sive matrimonium jam contractum, sive, tempore urgente contrahendum sit. Sed aliter (juxta plures doctores) sentiendum est, si Poenitentiarius major pro foro *externo* vi concessae sibi potestatis dispenset, et hoc quidem propter defectum facultatis ex parte dispensantis, quia is nonnisi potest dispensare pro pauperibus. Pariter obreptitia censetur in tali casu dispensatio episcopi vi quinquennalium concessa.[11])

---

[10]) Instr. past. Eystett. — Juxta breve Pii VI. (1788) et declarationem Datariae Apost. (1841) ii in *nostris* regionibus reputandi sunt *pauperes*, quorum fortuna in capitali sive in bonis valorem circiter 3000 fr. vel 1200 circ. florenorum (monetae austr.) non excedit; ii vero, quorum bona summam 10,000 fr. vel 4000 flor. austr. non excedunt, dicuntur *fere pauperes*, et hi saltem (in quantum fieri potest) componendam seu eleemosynam 4 florenorum pro quolibet centenario solvere tenentur praeter taxam consuetam pro vere pauperibus. (S. C. C. d. 20. Mart. 1880 edixit, hodiedum valere taxam a Bened. XIV. (d. 26. Sept. 1754) statutam, qua *rere pauperes* censendi sunt, qui in capitali possident bona valoris scutorum 300 monetae Romanae (aliquantulum ultra 1500 fr.) si ipsi citra montes degunt, vel si ultra montes 525 scuta (ultra 3000 fr.). *Vering*, Archiv. tom. 24. p. 4; tom. 46. p. 260. Cfr. *Feije*, n. 691.) Sed in praxi hodie videtur summa duplo major sumenda esse. Imo juxta *Bangen* II. p. 212 canonica paupertas allegatur in precibus, quoties quis ex meris reditibus bonorum suorum decenter pro conditione status sui vivere non potest, nisi adhibeat negotium, industriam vel manuum laborem. Similis mitigatio valet quoad publicos officiales. *Lehmkuhl* Theol. M. II. n. 805. Sed summae computantur *utriusque* partis facultatibus, excepto casu mixtae religionis, in quo fortunae acatholici nulla ratio habetur. *Zitelli* p. 69. Possunt *fere* pauperes etiam commendari (juxta rerum circumstantias) pro expeditione petitionis cum expensis simplicibus, ut ajunt, exercitiorum, aut plane gratis ex officio. *Knopp*, Eher. II. p. 272. *Kutschker* V. p. 196.

[11]) *Feije* p. 654. seq. *Zitelli* p. 70. Acta s. Sed. VII. p. 290. Quae sit praxis s. Poenitentiariae, quando paupertas falso allegatur ib. p. 428. — Sed episcopi Austriaci etiam nobiles et divites super impedimentis dispensare possunt. — Ex speciali concessione facultas facta est s. Poenitentiariae, ut per ipsam dispensationes matrimoniales pro foro quoque externo obtineri possint, dummodo tamen supplicantes pauperes sint. Et hoc ideo factum est,

§ 190. De executione dispensationum.

Executio dispensationum acceptarum

Dispensationis executio (fulminatio) i. e. ejus intimatio et applicatio ad oratores non fit ab ipsis tribunalibus Romanis sed mediante vel Ordinario oratorum (respective sponsae, si diversae sint dioecesis), vel communiter ejus vicario seu officiali. Scil.

1. a Dataria:

1. Dispensationes a Dataria (ad quam revocatur cancellaria et praefectura brevium) concessae per *brevia* ad Ordinarium diriguntur, in forma, ut vocatur, commissoria[1]) vel etiam ad vicarium generalem. Tunc instituenda est *cognitio causae* seu *verificatio,* quae adeo necessario praemitti debet executioni, ut haec, illa omissa, omnino nulla esset. Et quidem is ipse, qui delegatus est (non alius), inquirere seque informare diligenter debet, num narrata in precibus vera sint nulloque obreptionis vel subreptionis vitio subjaceant. Si tale vitium reperiatur, ad executionem literarum deveniri non potest, sed novum rescriptum s. Sedis impetrandum est, quod vocant *Perinde valere.*[2]) Porro dictus commissarius omnes clausulas in brevi contentas (e. gr. oratores separandos esse, ne ipsi in peccato perseverent, vel ipsis poenitentiam imponendam esse) sedulo attendere et implere tenetur. Modus vero in hac sui informatione ab executore adhibendus est duplex: alter est *extrajudicialis,* cum a Dataria praescribitur, ut officialis se diligenter informet, et si per informationem eandem preces veritate niti repererit, ulterius procedat. Haec informatio, quae *simplex* dicitur, et in remotioribus gradibus consanguinitatis vel affinitatis praescribi solet, non requirit formam judicii, neque juramentum testium, sed sufficit informatio ex relatione parochi fide digni, aliorumve pro casus et adjunctorum qualitate. Alter est *judicialis,* et *solemnis,* qui cognitionem judicialem (licet summariam dumtaxat) testiumque jusjurandum requirit. Hic modus indigitatur per clausulam: «per informationem exactam a personis fide dignis rite

Perinde valere.

Verificatio simplex,

judicialis.

---

ut graviores expensae evitentur, quas pauperes sustinere non possent. Quare necesse est, ut Ordinarius proprius semper eorundem petentium veram paupertatem testetur. In hoc casu vero quaedam parva taxa solvenda est, quae a s. tribunali remitti debet ad officium Datariae apostolicae. Imo etiam haec parva taxa non solvi debet a personis valde egenis. Acta I. 382. seq. V. 27. not.

[1]) Concil. Trid. Sess. XXII. c. 5. de ref.

[2]) Tale rescriptum (in quo decernit Pontifex, literas priores valere, *perinde,* ac si vitium non subfuisset) petendum est, quando e. gr. minor gradus expressus, vel impedimentum aliquod matrimonio contracto detectum fuit etc. *Pyrrh. Corrad.* lib. 8. c. 5. n. 46. seq. Cfr. Append. III. n. 12, ubi indicatur, quid episcopus hac in re valeat. Ceterum literae «perinde valere» non semper supponunt nullitatem praecedentium literarum, sed expediuntur ad vitium quoddam tollendum, quod vel dubium est vel non obest validitati. Acta s. S. V. p. 27. not. 1.

et recte examinatis canonice habitam preces veritatis realiter ac omni mendacii et fraudis suspicione prorsus remota niti.»[3]) His peractis, devenitur ad executionem dispensationis per decretum dispensationis commissario concedendum et partibus communicandum. Hoc decretum ad acta parochialia reponendum, et in libro copulatorum annotandum est.[4])

a s. Poenitentiaria.

2. Super dispensationibus a s. Poenitentiaria concessis non expediuntur *brevia* sed simplices literae, quae plerumque ad vicarium generalem et ab hoc ad confessarium transmittuntur, per quem oratores preces suas exponi curaverunt. Confessarius traditas sibi literas aperit, eas attenter perlegit, considerat clausulas in literis appositas, ut deinde in actu sacramentalis confessionis cum oratore interrogatorium rite instituere et pro rerum eventu dispensationem executioni mandare possit. Quia ab executione istarum clausularum ipse valor dispensationis pendet, illas, quae notatu digniores esse videntur, hic subjungere juvat: *a) Si ita esse per diligentem oratoris examinationem inveneris.* Si hoc examen (in confessionali instituendum) omittatur, irrita est dispensatio. Secus est, si clausula sit apposita: *Si ita est, si preces veritate nitantur.* In hoc casu, dummodo verae sint preces, omissio inquisitionis non irritat dispensationem. *b) Audita prius sacramentali confessione* i. e. tanquam *conditio sine qua non* ante executionem praevia confessio sacramentalis electo executori facienda requiritur, ita, ut post absolutionem dispensatio juxta formam Ritualis executioni mandetur.[5]) Quodsi confessarius poenitentem ad absolutionem disponere non valeat, dispensatio una cum absolutione differri debet, nisi forte urgens necessitas suadeat executionem accelerare. *c) Sublata occasione amplius peccandi cum dicta muliere* i. e. prius agendum, ut occasio proxima vel desinat vel in remotam convertatur. *d) Injuncta ei poenitentia salutari* vel *gravi* vel *gravissima,* quae vocabula ex stylo curiae certam significationem habent.[6]) *e) Dummodo impedimentum sit*

---

[3]) Cfr. *Schmitz,* Ueber die Information bei Ausführ. d. Ehedispensen der Datariae. Archiv. tom. 20. 251. seq.

[4]) Quoties episcopus vi facultatum dispensat, simpliciter decretum dispensationis ad parochum mittitur oratoribus publicandum.

[5]) Juxta rescripta s. Poenitentiariae d. 19. Maji 1834 et 4. Jan. 1839 dispensationes super impedimentis occultis in matrimoniis contractis manifestandae sunt *ante* absolutionem, curandumque est, ut poenitens ad absolutionem disponatur, potest tamen confessarius dispensationem concedere, etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat. *Zitelli* p. 88. Item valet dispensatio, etiamsi poenitens sacrilege confiteatur sicque absolutionem percipiat. Ibid. p. 87.

[6]) Poenitentiam *gravem et longam* auctores intelligunt unius anni, *gravem et diuturniam* trium annorum, sub *gravissima* et *diuturna* intelligitur praeterea

occultum vel *ut dispensatio pro foro judiciario non suffragetur*, quae clausula ex praecedentibus jam clara est. *f) Certiorata altera parte de nullitate prioris consensus.* De hac clausula alibi sermo recurret. *g) Praesentibus laceratis, quas sub poena excommunicationis laniare tenearis, ita ut nullum eorum exemplum exstet* i. e. literae a. s. Poenitentiaria datae *statim* sunt lacerandae vel alio modo consumendae; potest tamen confessarius copiam de iis desumere et pro sua instructione asservare.[7]) *h) Gratis ubique* i. e. non licet officialibus Poenitentiariae et executoribus in sui laboris compensationem quidpiam, etiam sponte oblatum, accipere.

Dispensationes ab Ordinario pro foro interno concessae iisdem fere legibus sujacent ac pari modo executioni demandantur.

Articulus V.

De celebratione nuptiarum.

§ 191. Quaenam immediate ante copulationem observanda sint.

1. Post contracta sponsalia, prout habet Concilium Tridentinum,[1]) prohibentur sponsi ante benedictionem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitare, eoquod id esse non potest sine maximo animae periculo. Et quidem non sola nocturna sed etiam diurna cohabitatio intelligenda est. Neque sufficit, quod parochus solum tempore proclamationum eam separationem urgeat, et multo minus sufficit sola nocturna separatio eo tempore, quo supplica Romam transmissa est, in qua regulariter clausula apponitur, quod sponsi separate vivant. Omnium fere dioecesium statuta severissima istam separationem praecipiunt.[2]) 1. Separatio sponsorum ante nuptias.

2. Quoniam matrimonii Sacramentum inter illa pertinet, quae in statu gratiae recipi debent, synodus Trid. (l. c.) conjuges *hor-* 2. Susceptio ss. Sacramentorum.

---

poenitentia gravior quoad materiam. Procedat confessarius solide sed non scrupulose, nisi rescriptum ipsum poenitentiam determinet. *Feije* p. 747. Quid si poenitentia aut non imponatur aut non persolvatur? Vid. *Feije* p. 735. *Zitelli* p. 81. Idem agit de renuntiatione dispensationis obtentae. p. 99.

[7]) In hac prohibitione juxta declar. s. C. C. (Nuntius Rom. 1885 p. 68) non comprehenduntur informationes captae ad preces efformandas et testimonium super dicenda veritate ad dispensationem non exequendam, sed obtinendam.

[1]) Sess. XXIV. de ref. matr. c. 1.

[2]) Bened. XIV. in instr. past.: «Sponsos eorumque parentes admoneant, ne unquam sponsi sine testibus, ac praesertim consanguineis, alloquium simul ineant, si illud aliquando admittendum videtur; indecorum esse vetitumque, eos simul habitare, graviter puniendos, si de hac re certiores facti fuerimus.» In synod. Brixin. (tit. 8. n. 1) parochis pariter inculcatur, ut eorum, quos ante nuptiarum solemnitatem cohabitare cognoverint, disjunctionem, omni, quo fieri potest, modo procurent.

tatur «ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur et ad s. s. Eucharistiae Sacramentum pie accedant.» Quia concilium dicit tantum *hortamur,* parochus per se et absolute non potest exigere confessionem copulandorum vel ejus peractae testimonium, nisi lex aut praeceptum episcopi illud statuat. Ratio est, quia sponsi, quin confiteantur, in statu gratiae esse possunt. Ita decisum est a s. C. C. in Moguntina 28. Aug. 1852,[3]) nimirum in *extremo casu,* quando nempe sponsi pertinaciter insisterent recipere matrimonialem benedictionem non praemissa confessione, parochum, quin conscientiam gravet, matrimonium benedicere posse. Addidit tamen s. C.: «exclusis casibus a jure praevisis,» qui sunt tres sequentes: 1. Si quis est publicus vel notorius peccator; 2. si quis in contemtum ecclesiae confessionem respuit; 3. si ex matrimonio sine praevia confessione administrando scandalum oriatur. Hisce in casibus, etsi *una* pars confessa sit, copulatio deneganda et res ad episcopum deferenda est.

Ubi vero lex particularis, vel etiam consuetudo expresse id praescribit, parochus vel confessionem vel ejus peractae attestationem exigere debet.[4]) Possunt tamen, ait Gury, quandoque occurrere casus, ubi haec lex particularis exceptionem admittere videatur, ut si matrimonium jam sit civiliter contractum et una pars non sit disposita etc.; sed pro hujusmodi rerum adjunctis consultius est, ut parochus ab ipso episcopo loci resciat, quomodo generatim se gerere debeat.[5]) Ut evitentur difficultates, quae possunt oriri ex confessionis dilatione, necessarium vel saltem consultum est, tempore quo incipiunt proclamationes vel etiam prius confessionem generalem praemittere.[6])

---

[3]) Relatio extensa videri potest apud *Bangen* II. 233. seq. Cfr. Archiv· tom. 2. p. 51. seq.

[4]) Manuale Brixin. p. 264. d. et p. 266. n. 5.

[5]) *Gury* n. 774. — Ubi non constat, quae sit ea de re episcopi mens, et casus aliquis ob periculum in mora ad Ordinarium deferri nequit, tum si ex denegata copulatione scandala oriantur nullusque ex tribus praedictis casibus a jure praevisis adsit, parochus non agit perperam, si inprimis in unius partis quae confessa est, favorem matrimonio assistit. *Bangen* l. c. p. 142. — Instructio nostra § 75. loquens de confessione et communione nuptiis praemittenda utitur voce *decet,* et prout ipsum Trid. (l. c.) monet in his et aliis, quae ad matrimonium pie et decore celebrandum pertinent, dioecesium leges et consuetudines esse observandas.

[6]) Quid agendum sit confessario in casu, qui dicitur *casus perplexus,* scil. si impedimentum detegatur, cum omnia ad nuptias sunt parata, nec copulatio ob scandala etc. potest differri, theologiae pastorali discutiendum relinquimus. V. *Bangen* l. c. p. 244. — *Feije* p. 564. seq. Hic auctor ita concludit (p. 585 seq.): 1. In tali casu inprimis curandum est, ut differatur matrimonium. 2. Si hoc fieri nequeat, promittant sponsi abstinentiam ab

3. Testimonia afferenda.

3. Ad copulationem, respective ante proclamationes, nupturientes sequentia documenta afferant necesse est: *a) Testimonium baptismale,* nisi in loco, quo contrahunt, sint nati. «Quodsi nupturiens testimonium baptismale sibi parare plane non valeret, parochus ad episcopum recurret.»[7]) Sed necesse est, ut etiam a gubernio provinciae (in casibus vero urgentibus a circuli praefectura) dispensatio super exhibitione literarum baptismalium impetretur.[8]) *b) Testimonia,* quae circa nuptias *minorennium, extraneorum, viduarum, personarum militarium,* eorumque, quibus vel *licentia politica* vel *venia superiorum* necessaria est, requirit lex civilis. *c)* Etiam fides fieri debet de *obtenta dispensatione,* de *morte prioris conjugis, de statu libero.* Quoad ultimum cautum est in jure,[9]) ut *exteri* i. e. ex aliena dioecesi advenientes coram Ordinario illius dioecesis, ubi matrimonium inire cupiunt, per testes sive etiam per documenta probare debeant statum liberum parochisque severe interdicitur, ne ad proclamationes deveniant, nisi postquam ipsis Ordinarii testimonium de dicta probatione fuerit exhibitum. Per se patet, vi hujus Instructionis statum liberum exterorum etiam ab ipso parochi proprii Ordinario recognitum et legalizatum esse oportere, neque hoc de statu libero negotium inter

---

omni re, non conjugatis illicita. 3. In casibus urgentissimis et difficillimis tres ab auctoribus proponuntur sententiae, quae exitum ex his angustiis ostendunt. Scil. 1. alii (citant potissimum Roncaglia, Pignatellum et s. Alph.) dicunt, in hoc casu prorsus cessare impedimentum, et proinde valide et licite contrahi posse; sed ex reverentia legis vel ad cautelam, petendam esse dispensationem, et quidem si fieri possit, *ante* consummationem matrimonii, renovandumque consensum. 2. Alii (e. gr. Gousset) licere dicunt in hoc casu matrimonium inire quamvis *invalidum* (cum promissione sponsorum supra posita), cum quadam simulatione, et illico recurrendum pro dispensatione. 3. Alii denique suadent, ut matrimonium ineatur conditionatum (§ 169), sub conditione scil. *si s. Sedes dispenset.* Nam (ajunt) in urgentissima necessitate posse apponi conditiones.

[7]) Instr. § 70.

[8]) Linz. Quart.-Schr. 1884 p. 633. — Cfr. Resol. suprema d. 5. Dec. 1826; ordin minist. 14. Dec. 1859. Vi legis d. 4. Jul. 1872 (Reichsgesetzblatt n. 3. *Vering,* Archiv. tom. 28. p. 189) praefectura districtus potest decidere, an imminente mortis periculo, etiam in defectu testimonii baptismalis, matrimonii contractio concedenda sit. Eadem etiam in prima instantia dispensare potest super duabus vel trinis proclamationibus, nec non super tempore luctus juxta § 120. C. C. A. (supra § 163 not. 7. et 11.)

[9]) Instruct. s. Congreg. Inquis. 21. Aug. 1670 confirmata a Clemente X. *(Bangen* II. 10) et a Leone XII. 25. Dec. 1827. — Licet haec Instructio in suo rigore nunquam sit recepta in Germania; tamen eatenus ubique observanda est, ut de statu libero contrahentium plena certitudo procurari debeat. Cfr. Acta VI. 442. Potestas (ait *Zitelli* p. 62) concedendi nupturienti juramentum in defectu legalis probationis uni Apostolicae Sedi reservata, neque nisi in casibus necessitatis adhibenda, comminatis qualibet vice poenis in polygamos inflictis.

diversarum dioecesium parochos sed mediantibus Ordinariis esse agendum. Ex praxi tamen in nostris regionibus usitata, exterus, qui matrimonium vult contrahere, a parocho prioris sui domicilii attestationem afferre debet, in qua plena fit fides, ipsum neque sponsalium vinculo, neque alio matrimonii impedimento irretitum esse.[10])

Recensita documenta jam in examine matrimoniali exhibenda sunt, ut in protocollo examinis notari possint. Quoad aliqua tamen documenta sat erit, si inceptis proclamationibus vel saltem biduo ante copulationem afferantur, dummodo certo supponi possit, fore, ut absque difficultate justo tempore a sponsis comparari queant.[11]) Immediate ante copulationem fides facienda est: *d)* de *proclamationibus* aliis in locis ex legum praescripto factis.[12]) Litterae desuper extradendae vel solum testimoniales vel simul dimissoriales esse possunt. *e)* Si altera pars est ex aliena parochia, etiam testimonium proponere tenetur, ipsam in religione sufficienter instructam et Sacramentis, prout praescribitur, refectam esse.[13]) *f* Litterae dimissoriales tunc afferendae sunt, quando a parocho proprio venia datur, ut alius matrimonio assistat. Nec facilem se praebeat copulans, si unum aut alterum horum documentorum desideretur.[14])

§ 192. Forma essentialis in matrimonio contrahendo.

Ad solemnitates validi matrimonii pertinet:

Haec forma sic exprimitur in nostra Instructione:[1]) «Ad matrimonium valide ineundum requiritur, ut contrahentes coram parocho proprio utriusque vel unius partis aut alio sacerdote de

---

[10]) En formulare testimonii de statu libero: «Ego infra scriptus parochus per praesentes fidem facio atque testor, Josephum N. ex loco N. oriundum, qui per duos annos in hac mea parochia commoratus est, tam de mea notitia, quam ex testium, quos expresse audivi, fide dignorum depositione, nullum hoc in loco, quantum innotuit, impedimentum matrimonio obstans contraxisse.» — Cfr. *Feije* p. 162 seq. Ut stricte et rigorose exploretur status liber, praesertim nostro tempore necessarium est, quia homines ob facilitatem itinerum locum habitationis frequentissime mutare solent. Et sane, ex desidia parochorum haud semel factum est, ut conjunctiones polygamicae aut propter alia impedimenta invalidae sint contractae.

[11]) *Loberschiner* p. 127. 3. Aufl.

[12]) Parochus, qui instituit examen sponsorum, illos parochos de faciendis bannis commonefacere debet, in quorum ecclesiis matrimonium denuntiandum venit.

[13]) Id in attestatione de trinis promulgationibus adnotari poterit, prout pluribus in locis fieri assolet.

[14]) Cautiones legis nostrae civilis adductae sunt § 185 not. 7. — Quantum ad proclamationes non sufficit, ut testes fidem faciant, eas alibi rite esse peractas, quia iidem nequeunt attestari, *nullum* impedimentum esse detectum. *Loberschiner* l. c. p. 180.

[1]) § 38.

ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus consensum declaret» i. e. verbis de praesenti vel saltem signis. Requiritur ergo

1. *Ex jure naturae* consensus utriusque partis, quia consensus facit nuptias, eoque deficiente matrimonium nequit convalescere. Non vero sufficiens est consensus interior, sed etiam verbis vel saltem signis exprimendus est, ut constet matrimonium. Et quidem haec verba tempus praesens, non futurum indicare debent, quia secus sponsalia essent, non matrimonium, quod non est nuda promissio pro futuro sed actualis abalienatio, quo unus alteri se tradit ad obtinendos fines conjugio praestitutos.[2]) Ad hunc consensum declarandum non absolute requiritur utriusque partis contrahentis praesentia, sed «consensus declaratio per procuratorem facta valida est, quando hanc in rem ei mandatum speciale, personam futuri conjugis sufficienter determinans, collatum nec eo tempore, quo mandantis nomine matrimonium contrahitur, revocatum fortasse jam fuerit. Parochus tamen matrimonium per procuratorem ineundum nullatenus admittat, nisi episcopus facultatem expresse concesserit.»[3]) Quin etiam venia regiminis provinciae hunc in finem requiritur.[4])

1. Ex jure naturae: consensus utriusque partis de praesenti.

2. *Ex jure positivo* in locis, ubi promulgatum est decretum Tridentinum *Tametsi* Sess. XXIV. c. 1. de ref. matr., consensus praestari debet coram parocho proprio et duobus testibus. Et haec quidem forma hodie est de essentia matrimonii, ejusdemque defectus peculiare matrimonii impedimentum, quod dicitur *clandestinitatis*, inducit. Matrimonia clandestina i. e. non coram parocho proprio et duobus testibus contracta, ante Concilium Trident. quidem valida erant, sed tamen prohibita ob periculum polygamiae et alia incommoda cum ipsis conjuncta. Sed dictum Concilium clandestinitatem qua impedimentum dirimens l. c. constituit his verbis: «Qui aliter, quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos s. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.» Itaque

2. Ex jure positivo: consensus coram parocho proprio et duobus testibus.

a) Solus parochus nupturientium proprius matrimonio valide assistit i. e. is, in cujus parochia vel uterque vel saltem unus aut verum aut quasi domicilium habet. Etenim quoad valorem nil refert, utrum parochus assistens matrimonio sponsi vel sponsae sit proprius, si sunt diversae parochiae. Nihilominus tamen ad

Quisnam sit parochus proprius a. generatim.

---

[2]) Catech. Rom. de matr. qu. 5. 6; c. 25. X. (IV. 1).
[3]) Instr. § 70. Cfr. Acta s. Sedis XVII. p. 305 seq.
[4]) C. A. C. § 76.

praecavendas lites et aemulationes in singulis fere dioecesibus competentia copulandi vel lege vel usu propius definita est.[5]) Si sponsi tempore nuptiarum domicilium suum mutent, omnia ab eo pendent, utrum ante matrimonium in loco novi domicilii de facto habitare inceperint, nec ne.[6])

b. Vagorum.

b) Eorum, qui neque verum neque quasi domicilium habent (qui vagi dicuntur), parochus proprius est is, in cujus parochia commorantur. Ad avertenda tamen tum pericula polygamiae tum matrimoniorum irritorum vel saltem illicitorum a Concilio Trid. magna cautio parochis injungitur atque cavetur, «ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.» Decretum hoc obligat, sive utraque pars sive una tantum vaga sit, sed probabilius non respicit eos, qui momentanee tantum vagi sunt, dum relicto domicilio ad aliud se transferunt, interim domicilium vel quasi-domicilium non habentes.[7]) Si *una* tantum pars est vaga, matrimonium tum coram parocho vagi, tum coram parocho alterius partis domicilium vel quasi-domicilium habentis contrahi potest. Sed vagis probabilius non quivis parochus, quem elegerint sponsi, sed tantum parochus loci, in quo commorantur, potest assistere. (*Heiss* de matr. p. 182. *Feije* p. 152. *De Angelis* III. p. 91.)

c. Personarum militarium.

c) Proprius personarum ad militiam vagam pertinentium parochus est *parochus militaris* copiarum, quibus adscriptus est nupturiens, vel *curatus militaris,* quodsi nupturiens est in stativis vel stativorum hospitali aut in instituto militari. A parocho seu curato militari fieri debet tum proclamatio tum copulatio, ac propterea eidem etiam exhibenda est nubendi facultas a superioribus militaribus data. Si sponsus ad militiam vagam pertinet, sponsa vero persona civilis est, intuitu hujus etiam parochus civilis est paro-

---

[5]) In dioecesi Brixin. regula viget: «Ubi sponsa, ibi sponsalia, ubi sponsus, ibi nuptiae.» Quoties vero contra hanc regulam nuptiae fiunt in domicilio sponsae etiam parocho sponsi id dandum est, quod jure stolae exigere potest, isque etiam nuptias in libro copulatorum consignare debet. Currend. Consist. 17. Jan. 1828; 20. Jan. 1834.

[6]) Sic e. g. si sponsi in loco a suo domicilio alieno praedium coëmerint, inprimis quaeritur, num ante nuptias alterutra pars in eo loco habitationem inchoaverit. Si ita sit, domicilium vetus dimisit novumpue sibi comparavit. Secus vero est in casu opposito. Recole superius dicta de domicilio et quasi-domicilio § 164. Quis sit parochus proprius in variis casibus, refert Bened. XIV. Instit. eccles. 33. Cfr. *Feije* p. 147 seq.

[7]) Sess. XXIV. de ref. matrim. c. 7. Cfr. Instr. § 73. Vagi non solum sunt, qui per incertas sedes vagantur, sed omnes etiam illi, qui priori parochia relicta, nondum in alia sedem defixerunt, sive sedem alibi inquirant, sive nolint constantem habere sedem. Ille vero non est vagus, qui retento sibi saltem quasi-domicilio, modo in uno, modo in alio loco absque fixo domicilio moratur. Acta I. 138. IV. 250.

chus proprius, ideoque etiam coram eo matrimonium iniri potest, et quidem sine delegatione parochi militaris. Nihilominus tamen cautum est, ut in tali casu parochus militaris unacum testimonio de factis proclamationibus etiam litteras dimissoriales transmittat ad parochum civilem sponsae, qui copulationem peracturus est. Et haec quidem cautela (ad valorem haud necessaria) praescribitur, tum quia parocho militari *principaliter* jus copulandi competit, tum quia parochus civilis difficulter interdum judicare poterit, num omnia documenta ad copulationem hominis militaris necessaria rite adsint. Locum quod attinet, ubi reponi debeant documenta actum copulationis concernentia, refert, a quonam copulatio fuerit peracta. Si copulatio a parocho vel curato militari sit facta, tunc documenta ista apud eundem sunt asservanda. Si vero a parocho civili (ubi sponsa pertinet ad statum civilem) tunc in ejus archivo acta sunt reponenda. Denique si non parochus proprius, sed alius parochus *ex delegatione* matrimonio assistat, parocho deleganti asservatio actuum nuptialium incumbit, ita tamen, ut etiam parochus copulans ista documenta in suis matriculis adnotet.[8]) — Personarum ad *militiam stabilem* pertinentium conjugia ad parochum civilem pertinent. Eidem eos quoque subjici, qui ab officio militiae non penitus absoluti, sed dimissi tantum sunt, alibi (§ 184) jam diximus.[9])

d. Qualis parochi proprii requiratur praesentia.

d) Sed quaenam requiritur parochi praesentia? Consentiunt auctores, matrimonio assistere non esse actum jurisdictionis, sed tantum requiri parochi praesentiam tamquam testis authorizabilis i. e. qui mutui consensus praestationem de jure attestari valeat. Ex quo inferunt, matrimonium validum esse: *α*) Si parochus assistat metu et vi coactus. «Scire enim, non velle debet testis,» ait Luc. Ferraris. *β*) Si fraudulenter vel alio, quam matrimonii obtentu, accersitus fuerit. Sed in utroque casu ulterius duo requiruntur: 1. ut parochus a partibus uti parochus *formiter* adhibitus fuerit et ut advertat earum intentionem nubendi; 2. ut ipse nupturientes non solum audiat, sed simul etiam *videat,* quia secus de hoc actu certam fidem facere nequit. Tunc ergo non valet, si sacerdos non intellexit, *nisi tamen* (ut addit s. C. C. [Bened. XIV. de syn. dioec. XIII. c. 23. n. 9—12]) *affectasset non intelligere.* *γ*) Si parochus sit irregularis, suspensus, excommunicatus (etiam

---

[8]) Circulare minist. pro bello d. 26. Maj. 1869 (*Vering,* Archiv. tom. 25. p. 209) et d. 15. Febr. 1871 (Brixner Dioecesanblatt 1870 p. 75; 1871 p. 54. Archiv. tom. 26. p. 128).

[9]) Parochi civiles actus parochiales intuitu personarum militarium susceptos non amplius mediante Ordinariatu, sed statim immediate ad instantiam militarem perferre jubentur in cit. circ. d. 15. Febr. 1871.

vitandus)[10]) dummodo non sit actualiter depositus. δ) Si parochus sit *putativus* tantum, dummodo communi errore reputetur ut parochus et titulum habeat coloratum. Sed parochus *intrusus* i. e. ab illegitima potestate constitutus non est legitimus, quia is titulum neque verum neque coloratum habet. ε) Si parochus non sit sacerdos. ζ) Si contra episcopi interdictum assistat.

e. Quid quoad testes.

e) Testes qualescunque sufficiunt ad validitatem, sive mares sint, sive foeminae, dummodo usum rationis habeant, et eodem ambo tempore simul cum sacerdote corporali et morali praesentia assistant, atque de contracto matrimonio testari valeant.[11])

f. Praeter parochum propr. quinam valide assistant.

f) Praeter parochum proprium valide matrimonio assistunt: Summus Pontifex, tanquam parochus totius Orbis catholici, episcopus dioecesanus, ejusque vicarius generalis aut sede vacante vicarius capitularis,[12]) denique quivis alius sacerdos *de ipsius parochi proprii seu Ordinarii licentia.* Nimirum si quis absque proprii parochi delegatione alienos parochianos conjungit, non solum prorsus invalide agit, sed etiam suspensionem ipso facto incurrit tamdiu duraturam, quoadusque (etiamsi sacerdos sit regularis exemtus) ab Ordinario, cui subest parochus proprius, auferatur. Ejusmodi licentia 1. debet esse *expressa* i. e. ante copulationem reapse data sive oretenus sive in scriptis. Qualem vim habeat licentia tum *tacita* tum *praesumta*, declarat Instructio: «Quod licentia matrimonio assistendi ab eo, cui competit (§ 38), tacite collata sit, foederis conjugalis valori haud obest; attamen absque urgentissima quadam necessitate copulationem non peragat, cui a parocho vel ab Ordinario ipso facultas expresse haud facta sit.[13]) Licentia mere praesumta haud sufficit; neque juvat, quod delegandi jus habens de ea requisitus reapse eam concessurus fuisset, aut rem postmodum ratam habeat.[14]) 2. Delegatio debet acceptari

Delegatio.

---

[10]) Excipe, si parochus *publice* labatur in haeresim; nam tum ex Constit. Nicolai III. ipso jure privatus est beneficio; id quod etiam s. C. C. confirmavit 19. Maj. 1572.

[11]) Praescribitur ergo tum parochi tum testium praesentia *formalis*, non materialis dumtaxat. Hinc testes propinqui esse debent (sc. ambo simul) atque audire vel saltem videre et advertere ad id quod agitur.

[12]) c. 3. 4. (I. 8); s. C. C. 22. April. 1719. — Edicto ministri pro cultu d. 3. Jan. 1881 recte monetur, ut tales adhibeantur testes, qui *legitimum* testimonium de peracta copulatione, si hoc aliquando opus esset, exhibere possint juxta ordinem pro judiciis praescriptum; excludendas ergo esse personas aetatem 20 annorum nondum adeptas. Archiv. t. 46. p. 156.

[13]) Licentia tacita est, quae ex actibus concludentibus manifeste colligitur e. g. si parochus omnia documenta ad copulationem necessaria transmittat ad alium parochum, non tamen adjecta delegatione copulandi. Ex tali agendi ratione intentio delegandi indubitanter adparet. — Vide decretum Ordinariatus archiep. Vindobon. 21. Dec. 1856 apud *Kutschker* IV. 491.

[14]) § 47.

et a delegante non revocari re adhuc integra. Imo etiamsi res non amplius sit integra, si *jure ordinario* delegatio sit facta (Schmalzgr. I. tit. 29. n. 45). Necessitas vero acceptationis refertur ad non subditum, nam subditus superiori obedire tenetur. 3. Licentia aut determinato sacerdoti aut cuilibet certae parochiae aut cuicunque sacerdoti, quem sponsi elegerint, concedi potest. Hoc tamen ultimum, licet ad valorem sufficiat (si contrahentes nominatim exprimantur), fieri non debet, nisi in casu gravissimae necessitatis. Expedit, ut exprimatur etiam facultas subdelegandi, imo ut pro casu absentiae etc. sacordotis delegati, *quivis* alius sacerdos ejusdem loci tanquam substitutus delegetur. 4. In matrimonio contracto coram *extraneo* sacerdote, supponi non potest facultatem eidem delegatam fuisse, sed ab eo, qui pugnat *pro* matrimonio, per testes, aut documenta, aut saltem per facta concludentia ostendi debet (Acta III. 408). 5. Delegatus nonnisi in duobus casibus alium subdelegare potest: »Qui licentiam matrimonio assistendi *pro universitate casuum* accepit, eam pro singulis casibus alii sacerdoti concedere potest. Qui licentiam istam pro singulo casu accepit, jure subdelegandi caret, nisi *expresse ipsi collatum* sit.»[15]) Quaeritur vero, quinam ii sint, qui *per mandatum generale* seu *ad universitatem causarum* delegati censeri debeant? Inprimis indubium est, in hunc censum venire plurimos ex vicariis illis temporalibus, de quibus supra (§ 129. 1. b.) tractatum est. Verum idem etiam dicendum est de cooperatoribus seu capellanis, quando ii vel ab episcopo cum mandato generali, ut omnes parochi vices suppleant, constituti sunt, vel ab ipso parocho habent commissionem generalem ad omnium Sacramentorum administrationem in parochia. In hoc duplici casu cooperatores possunt tum copulationem ipsimet peragere, quin speciale mandatum ad hoc opus habeant, tum etiam alios subdelegare. Sed certo constet necesse est, quod revera talem delegationem generalem vel ab episcopo in decreto suae missionis vel a parocho sive ab exordio muneris sui, sive posthac obtinuerint. Unde recte monet Gury, hac in re attendenda esse statuta et consuetudinem diversarum dioeceseon.[16])

---

[15]) Instr. § 48. Nec etiam parochus *non* proprius ab episcopo deputatus ad assistendum matrimonio, vi hujus licentiae potest alium subdelegare. Acta IV. 298.

[16]) Teste eodem *Gury* (II. n. 850) in Gallia mos est receptus, ut vicarius seu cooperator absque ulteriori commissione assistere possit matrimonio parochianorum in ipsa paroecia celebrato, quia vices ipsius parochi gerat. In archidioecesi, imo in tota provincia Viennensi praxis est, ut cooperatores generalem facultatem ab Ordinario habeant «administrandi Sacramenta», qualis delegatio juxta *Reiffenstuel* censetur esse «ad universitatem causarum.» (Wiener Dioecesanblatt 1876 p. 72. Linzer Quart.-Schrift 1880 p. 869.) Attamen in nostra

Exceptiones, quas patitur decret. Trid. „Tametsi."

3. Decretum Concilii Trident. de assistentia parochi proprii quasdam exceptiones admittit:

a. In locis, quibus decretum hoc non est promulgatum.

a) Matrimonia clandestina, quamvis semper illicita sint, tamen valent in locis, in quibus praefatum decretum tanquam decretum Concilii Trident. non est promulgatum. Si publicatum esset tantummodo ut lex episcopi, matrimonia clandestine contracta non forent irrita. In dubio, num alicubi promulgatum decretum hoc fuerit, promulgatio praesumitur, «ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia, tamquam decretum Concilii observatum» vi decr. C. C. apud Bened. XIV. (de synod. l. 12. c. 5. n. 6). Ex decreto s. C. C. sub Urbano VIII. 5. Sept. 1626 invalide contrahunt, qui domicilium habent in loco, ubi decretum Tridentinum viget, discedunt autem, ut liberius ineant matrimonium, ad alium locum, ubi non est receptum, *quin ibidem verum vel quasi-domicilium* antea acquisiverint.[17]) Valide autem contrahunt, si ibi domicilium aut quasi-domicilium habeant vel acquirant. Et hoc valet, etiamsi eo fine illuc transierint, ut ibi clandestine contrahant; quia illi in fraudem legis agere censendi non sunt, quibus privilegium

---

dioecesi haec res non est extra dubium posita. *Primo* ex decreto, quo cooperatores in curam animarum mittuntur, ejusmodi deputatio *ad omnia officia* parochialia certo desumi nequit. Sed sensus decreti is potius esse videtur, teneri cooperatorem fideliter auxilia praestare, quoties legitime fuerit requisitus. *Secundo* ipsimet parochi (nisi fors iter agressuri) vix unquam ad universitatem copulationum cooperatoribus delegant. Ergo apud nos non satis constat, cooperatores sine expressa licentia nuptiis assistere vel aliis hoc jus subdelegare posse. Et haec etiam opinio communis totius cleri dioecesani esse videtur. Exceptio tamen statuenda esse videtur quoad illas parochias, in quibus omnes copulationes cum jure stolae inde pendente cooperatoribus sunt commissae. Cfr. s. C. C. decisiones in causa Bosan. 19. Sept. 1789 et Turritana 13. Jun. 1795 apud *Kutschker* IV. p. 476 seq. Bened. XIX. de syn. l. 12. c. 5; l. 13. c. 23. *Lehmkuhl* (II. n. 777) cum *Bangen* ait, adjutores parochi in *Germania* sine dubio per se non habere potestatem matrimonia assistendi, sed *speciali* delegatione indigere.

[17]) Ita pluries s. C. C. decidit (e. g. 22. Febr. 1631) et Bened. XIV. sua auctoritate confirmavit in cit. litt. «Paucis abhinc.» Vide decretum et Breve Urbani VIII. in «Acta» II. 436. — Neque interest, num sponsi bona fide ducti id faciant. Non enim propter fraudem animo intentam irritum est matrimonium, sed propter factum, quod facile frustraneam redderet legem Tridentinam. Decretum siquidem «Tametsi» non solum ligat personas propter locum, sed etiam personas aliquatenus immediate tangit. Acta II. 399. Contrarium tamen in hoc casu sustinet *Ballerini* ad num. 839 not. b. Ceterum non receptum est Tridentini decretum in Anglia, Scotia, Suecia, Dania, Russia, in pluribus Helvetiae et Germaniae locis (puta in Saxonia, Borussia, Hassia, Hannoverano, Pommeria, Württembergo). Cfr. *Feije* n. 320; *Perrone de matrim.* t. 2. p. 265, qui tamen errores admixtos habet; *Heiss de matrim.* p. 170. — Ceterum ad comprobandam publicationem decreti *Tametsi* sufficit diuturna observantia ejusdem decreti conciliaris. Const. Bened. XIV. *Paucis abhinc* d. 19. Mart. 1758. Cfr. *Braun* in *Vering* Archiv. t. 38 p. 161 seq.: Ueber die Publication des Trident. Eheschliessungsdecr. durch dessen observanzmässige Beobachtung.

loci, sicut aliis incolis, favet. Igitur regulae de acquirendo domicilio et quasi-domicilio, in singulis casibus provide applicandae veniunt, attendique oportet, num novum domicilium vel quasi-domicilium ab uno saltem sponsorum sit juxta regulas (§ 164. 1) indubie *ante* nuptias acquisitum. In dubio num acquisitum sit, vel juxta § 49. Instr. ad episcopum recurrendum est, vel dimissoriales a parocho, qui indubitanter proprius est, dandae sunt.

b. In casibus necessitatis.

b) Matrimonia clandestina valida sunt, quoties parochi proprii praesentia haberi plane non postet i. e. si vel non adest parochus proprius catholicus (quia impossibilitas est *generalis in loco),* vel si accessus ad eum absque gravi, communi et diuturno periculo non patet, vel si is ipse publice in haeresin incidit. In hujusmodi autem casibus contrahentes coram duobus saltem testibus consensum matrimonialem enuntient oportet.[18]) Item conveniens est, licet non omnino sit necessarium, ut ab alio sacerdote, ubi fieri potest, *benedictio nuptialis* accipiatur.[19])

c. Quid juris sit quoad matrimonia clandestina mixta,

c) Quaestio difficilis solutionis versatur circa matrimonia clandestina tum mixta tum pure acatholica. Quoad matrimonia *mixta* certum est, ipsa *valida* esse: *α*) In locis, ubi decretum Trident. de clandest. non viget. *β*) In regionibus, pro quibus exstant declarationes pontificiae, quarum vigore ejusmodi matrimonia, non servatâ formâ Concilii Trident. contracta, pro validis habenda sunt.[20])

---

[18]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. c. 5. n. 5. Cfr. responsum Congreg. Cardin. a Pio VI. selectae apud *Bangen* l. c. p. 23.

[19]) S. C. Inquis. 14. Nov. 1883 validam esse declaravit promulgationem decreti *„Tametsi“* in missionibus et quasi parochiis Americae factam, ita tamen, ut in locis, ubi haberi nequeat parochus, validum sit matrimonium celebratum coram duobus testibus et onere imposito contrahentibus, quamprimum fieri possit, benedictionem nuptialem recipiendi. Acta s. Sed. XVII. p. 351.

[20]) Bened. XIV. ad sequestrandas dubitationes circa valorem matrimoniorum tum pure acatholicorum tum mixtorum in Hollandia et in foederatis Belgii provinciis exortas, d. 4. Nov. 1741 edidit declarationem, qua statuit, utriusque generis matrimonia, in dictis regionibus inita vel incunda, esse valida. Ad catholicos tamen hanc declarationem haud spectare, Pontifex expresse declaravit. Juxta aliquos haec declaratio habenda est ceu lex exceptionalis et particularis, qua per modum dispensationis vel privilegii decretum Tridentinum in praefatis locis suspenditur. *(Philipps* Lehrb. p. 1071.) Sed argumentis hic inde diligenter ponderatis iis adstipulandum esse censeo, qui dicti Pontificis decretalem dicunt esse declarationem interpretativam et authenticam, quod hujusmodi matrimonia, scilicet tum pure acatholica tum mixta, eodem decreto non comprehendantur, quin tamen Pontifex quidpiam statuere vellet de valore dictorum matrimoniorum sive generatim sive pro aliis locis. *Feije* p. 194 n. 308. Bened. XIV. de syn. lib. 6. c. 6. *Diendorfer* in ephem.: «Der Katholik» 1870 p. 9 seq. Sed tamen dicta declaratio expresse ad alias quoque regiones auctoritate Apostolica deinceps extensa est (not. 23). Bene vero pro quibusdam aliis regionibus data est lex exceptionalis per modum privilegii, qua decretum «Tametsi» propter peculiares circumstantias quoad matrimonia mixta est abrogatum, licet dictum decretum ibidem promulgatum

γ) Si altera pars non obstringitur dicto decreto Trident. (vel quia in loco sui domicilii decretum istud non est promulgatum, vel quia ex Papae declaratione exemtio ibidem statuta est, vel quia ipsa est persona vaga), tunc exemtio, qua ipsa fruitur, propter individuitatem contractus, alteri parti communicata remanet.[21]) δ) Si in utriusque partis parochia[22]) dictum decretum Trident. vim obligatoriam habet, *per se* loquendo, matrimonium clandestinum mixtae religionis *invalidum* est. Sed quia casus valde dissimiles occurrunt, non confestim de invaliditate decidendum est, sed quoties de hac re agitur, e. g. conjugibus ad sacra catholica redeuntibus, in particulari semper *quaestio facti* juxta circumstantias discutienda est, casusque dubii Ordinario, imo etiam sedi Apostolicae sunt proponendi.

et pure acatholica.

Matrimonia clandestina *haereticorum* certe valida sunt: α) In illis locis, in quibus decretum Concilii Trident. vel nunquam est promulgatum (quod praesumitur, si protestantium parochia jam tempore Concilii Trident. plane ab ecclesia catholica separata fuit), vel nunquam tanquam decretum Tridentinum observatum, vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit, id quod praesertim valet, quando illa parochia catholica, in qua praefatum decretum promulgatum est, destructa est, quo casu etiam promulgatio Tridentini decreti destructa esse

---

et in morem inductum fuerit. Id statutum est e. g. a Pio VIII. pro provincia Coloniensi 1830; pro dioecesi Limburgen. (vi instr. s. Inquis. 15. Mart. 1854 *Vering* K.-R. 864.) — In pago Helvetica Argoviensi matrimonia mixta, etiam ministro acatholico inita, pro validis declaravit s. Sedes speciali rescripto (4. Aug. 1859); a Gregor. XVI. pro Hungaria et Transsylv. 1841. Cfr. Instr. § 38.

[21]) Hoc principium, quod statuit Bened. XIV. (de syn. dioec. l. 6. c. 6, n. 12. loquens de valore matrim. mixtorum in Hollandia), plures rejiciunt, dicentes ejusmodi principium ignotum fuisse ante Benedictum, nec in ullo documento pontificio reperiri, eidemque ipsum Benedictum contradixisse in Bulla *Singulari Nobis* d. 9. Febr. 1749, ubi § 8 matrimonium mulieris protestanticae cum Hebraeo invalidum declarat. Et certe dictum principium non potest applicari, aliis impedimentis e. g. disparitatis cultus, ordinis, voti etc. in quibus e contrario regula valet: *Si una pars ligatur impedimento, etiam altera ligatur.* Sed praefatum principium unice ad formam contractus a Tridentino praescriptam refertur; sub hac vero restrictione sententia: *Exemtio partis acatholicae a lege Tridentina suffragatur etiam catholicae* haud improbabilis esse videtur. Nam non solum juris doctores istud Bened. XIV. principium continuo allegare solent, sed etiam subsequentes Pontifices e. g. Clemens XIII. in litt. ad archiep. Mechlinensem et Pius VII. in litt. 27. Jun. 1805 ad Napoleonem datis ad illud provocant. *Feije* n. 317.

[22]) Si in certo quodam loco tempore Concilii Tridentini erat parochia tum catholica tum protestantica, decretum «Tametsi» pro obtinendo valore inter protestantes etiam in horum parochia promulgari oportuit, quia istud decretum ad inducendam obligationem pro protestantibus non tantum in *districtu* parochiali sed et in *communitate* parochiali promulgatum esse debet. Vide in *Vering* Archiv. t. 47, *Silbernagl* p. 216 contra *Mittermüller* p. 109.

censetur. β) In regionibus, in quibus ex declaratione summorum Pontificum matrimonia inter haereticos contracta pro validis habenda sunt,[23]) quod etiam de illis obtinet, in quibus (ut supra) matrimonia mixta auctoritate Apostolica tanquam valida declarata sunt. γ) In locis vero, in quibus decretum Concilii Trid. promulgatum atque receptum est, ejusmodi matrimonia ex probatissimorum auctorum sententia, ex pluribus s. C. C. decisionibus, nostra quoque aetate emanatis, denique ex rationibus intrinsecis,[24]) judicari deberent irrita. Probabile tamen haud pauci putant,[25]) eadem esse valida, quia (ajunt) ecclesia non censetur velle, ut tot matrimonia sint invalida, et conjuges haeretici ad fidem conversi non permittuntur rescindere suum matrimonium in haeresi contractum,[26]) porro quia plerumque moraliter impossibilis est contractio matrimonii acatholicorum coram parocho catholico;[27]) denique (ut observat Bened. XIV.) quia nihil adhuc generatim et universe super ejusmodi matrimoniis fuit ab apostolica Sede defi-

---

[23]) Regiones, ad quas extensa est Declaratio Bened. XIV., sunt: Quebec et Canada 1764; Malabar 1765; Culm 1774; Polonia russica 1780; Hibernia 1785; ducatus Cliviensis 1793; Silesia 1795; dioecesis Neo-Aurelian. 1824 etc. Cfr. *Vecchiotti* l. c. p. 295. Recusavit tamen s. Sedes decretalem Bened. XIV. extendere ad provincias Austriae germanicas, ad regnum Bavariae, ad episcopatus provinciae Rheni superioris. Quoad Americam septentr. vide Linzer Quartalschrift 1887. p. 126.

[24]) Apud *Perrone* de matrim. t. 2. l. 2. sect. 1. c. 6. et in causa celebri Friburg. 1. Dec. 1866 in «Acta» II. 617. Archiv. t. 17. 315, 454. Hoc probat etiam *Laurin* in Linzer Quart.-Schr. 1882 p. 713 seq. — Ibid. illud quoque evincitur, sic dictos *veteres catholicos* prorsus *acatholicis* aequiparandos esse.

[25]) E. g. *Wigand*, *König*, *Schmalzgrueber*, *Instruct. Eystett.*, *Knopp*, *Kutschker* I. 494 seq. His consentit *Ballerini* p. 593 not. a. *Diendorfer* l. c. p. 187 probabile esse demonstrat, matrimonia acatholica saltem in Germania a lege Tridentina esse exemta. Territoria, in quibus viget decretum *Tametsi*, nec non illa, quae a lege Tridentina eximuntur, recenset *Lehmkuhl* l. c. n. 785—790.

[26]) Quamdiu conjuges haeretici in haeresi perseverant, ex declar. s. C. C. 20. Aug. 1780 *(Kutschker* l. c. p. 500) matrimonium eorum coram ministro haeretico initum dissimulari debet, ita ut nec de validitate nec de invaliditate ejusdem disputetur et sententia feratur. Sed generatim in curia Rom. de his matrimoniis mitius judicatur, vel saltem abstinetur ab expressa declaratione nullitatis, quoties periculum perturbationum vel aliud incommodum pro catholicis imminet. *Kutschker* l. c. p. 497.

[27]) Haec impossibilitas generatim adest, quando acatholici non tantum hinc illic dispersi inter catholicos vivunt, sed numero plures sunt et distinctam et a catholicis separatam societatem religiosam constituunt. *Feije* n. 306. Idem auctor recte advertit, ea, quae a Bened. XIV. (not. 20) pro Hollandia constituit, per se omnibus aliis regionibus applicari posse, ubi eaedem sunt circumstantiae, sicut in Hollandia. Ut autem de hoc authentice constet, necessarium esse, ut Sedes Apost. pro certa regione declarationem edat, id quod saepius jam factum est.

nitum In casibus particularibus iterum ad summum Pontificem vel ad ipsius tribunalia recurri oportet.[28])

Denique juvat adjungere: 1. matrimonia clandestina invalida nec per diuturnam cohabitationem convalescere; 2. eadem nec vim sponsalium habere; quinimo celebratione talis matrimonii sponsalium obligatio cessat, quae celebrationi praecesserint. Sponsalia enim sua natura ordinantur ad celebrationem matrimonii, qua peracta nil aliud eorum natura exigere videtur. Si ergo detegatur nullum esse matrimonium, sponsalia non reviviscunt.

§ 193. Quaenam ad formam essentialem accedere debeant.

Validum quidem est matrimonium, si sponsi coram duobus testibus et parocho proprio, etiam invito, vel tacente, consensum suum declarent. At ex praecepto ecclesiae in jungendis matrimoniis certi ritus adhibendi sunt, qui pertinent vel ad copulationem vel ad benedictionem nuptialem.

1. Copulatio.

1. *Copulatio* in eo consistit, ut parochus in facie ecclesiae «viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum.»[1]) Itaque copulatio fieri debet *a)* juxta ritum uniuscujusque dioecesis, a quo nulli privato licet recedere.[2]) *b)* In facie ecclesiae i. e. in ipsa ecclesia pro locorum consuetudine vel ad altare majus, vel intra capellam etc. Equidem copulatio in aedibus privatis a Ritualo Romano non absolute prohibetur; sed pleraque ritualia dioecesana eam non concedunt, nisi obtenta Ordinarii licentia.[3]) *c)* Non diebus festis vel domi-

---

[28]) *Kutschker* l. c. 503, ubi notatur, a Pio VI. cuidam episcopo Austriaco significatum esse, ejusmodi casus arduos ad Pontificem esse deferendos. — Disputatum est (Cfr. *Vering* Arch. t. 40. p. 220 seq. t. 41 p. 292): An matrimonia mixta mere *civiliter* contracta valida sint in regionibus, in quibus non viget impedimentum clandestinitatis? Vera responsio est, ipsa esse valida in dictis locis, nisi constet contrahentes intendere voluisse per contractionem coram magistratu civili solummodo ceremoniam civilem peragere et postea coram parocho proprio matrimonium ecclesiasticum perficere. Nam hoc probato, *nullum* esset matrimonium civile. Ergo praesumtio stat pro valore; sed haec non est praesumtio *juris et de jure,* quae probationem contrarii excludat, sed mera praesumtio *juris,* quae eam admittit. Cfr. declar. s. Officii 2. Dec. 1866 (Archiv. t. 41. p. 294) et decr. s. C. Inquis. d. 6. Sept. 1876 (l. c. p. 184). Hae decisiones consonant deductioni, quam referunt «Acta s. Sed.» t. 12. p. 147 seq. Cfr. Archiv. t. 40. p. 298.

[1]) Sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim.

[2]) Vid. Rituale Rom. et Manuale Brixin. p. 269 seq.

[3]) Manuale Brixin. l. c.; cfr. *Kutschker* IV. p. 586.

nicis, non a prandio sed mane, nisi vel venia episcopi vel statuta dioecesana quoad tempus exceptiones admittant.[4])

2. *Benedictio nuptialis* in Missa super sponsos dicenda est, et juxta Concilium Trid. (l. c.) perinde atque ipsa copulatio ad parochum proprium pertinet. In rituali Romano (de matr. tit. 7. c. 1. n. 16) praecipitur, ut, si matrimonium in domo fuerit celebratum, sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi et tunc caveat sacerdos, ne iterum a contrahentibus consensum exigat, sed tantum benedictionem illis conferat, celebrata Missa.» Benedictio isthaec non est conferenda: *a)* nuptiis viduae, etsi illius vir nunquam mulierem duxerit. Quodsi tamen mulier nemini unquam nupserit, sed tantummodo vir ejus, sit viduus, nuptiae benedici possunt, ubi talis est consuetudo;[5]) *b)* nuptiis tempore clauso celebratis; *c)* nuptiis mixtae religionis, etiamsi cum ecclesiae dispensatione ineantur.[6]) 2. Benedictio.

3. Peractis omnibus iis, quae ad ritum hujus Sacramenti pertinent, «parochus, cui copulationem peragere competit, tenetur matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quae ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiae suae propria manu inscribere. Distincte igitur exprimantur: Nomen baptismale, cognomen, aetas, religio, habitatio et conditio conjugum: insuper an prius jam matrimonio juncti fuerint nec ne; porro nomen, religio et conditio parentum et testium, dies, quo, nec non sacerdos, coram quo matrimonium inierunt. Quodsi difficultates emerserint, modus, quo sublatae fuerint, indicandus erit.» (Instr. § 76.) Rituale Rom. desuper habet: «Parochus *manu sua* describat in libro matrimoniorum nomina conjugum et testium et alia juxta formulam praescriptam, licet alius Inscriptio.

---

[4]) Circa has materias vide *Kutschker* l. c. p. 562—589 et rituale dioecesanum.

[5]) S. C. R. 3. Mart. 1761. Sed vide not. seq. — Numquam tamen annulli benedictio omittitur. *Lehmkuhl* l. c. n. 693.

[6]) *Instr. past. Eystett.* p. 366. Cfr. quae ibi dicantur de Missa pro sponsis p. 363. Manuale *Brixin.* p. 275. — Notatu dignissimum est decretum generale C. s. Inquis. d. 31. Aug. 1881: «Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa,* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant, postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. — Iusuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii (Acta s. Sedis t. XIV. p. 513).» Cfr. § 192 not. 19.

sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonium celebraverit» (de Sacr. matrim. c. 2. n. 6). Juxta legem civilem (§. 80. C. C. A.) etiam documenta sunt indicanda, quibus sublatas fuisse difficultates probatur. Porro «si parochus sacerdotem quemdam deleget ad copulandum sponsos in loco, ubi neuter eorum domicilium habet, ipsius est, rem in libro nuptiali parochiae suae annotare. Parochus loci, ubi matrimonium contrahitur, actum modo superius exposito libro copulatorum parochiae suae propria manu inscribere et addere simul debet, a quonam parocho delegatio facta sit. Posterior tenetur pariter copulationem peractam, de qua intra proximos octo dies certior reddendus est, in librum matrimonialem parochiae ipsius referre.» (Instr. § 77.)

§ 194. Matrimonia extraneorum in Austriaco imperio nec non civium Austriacorum in terris alienis.

1. Matrimonia exterorum in ditione Austriaca.

1. «Caveatur oportet, ne *exteri* aliter, quam servatis omnibus, quae ad matrimonium rite celebrandum requiruntur, matrimonium contrahere permittantur.»[1]) Nimirum summa cura prospiciendum est, ut non solum omnia, quae ad matrimonium ineundum juxta canones requiruntur, adsint,[2]) sed etiam ne fors contrahentes ob neglectum praescriptorum civilium incommoda temporalia poenasque sibi attrahant, aut omnino eorum matrimonium invalidum habeatur in foro civili sive Austriaco, sive domestico suae patriae, si serius ocius in patriam eos reverti contigerit. Dixi in foro civili Austriaco; nam juxta C. C. A. (§ 34) *habilitas exterorum* personalis ad nuptias conciliandas juxta leges patriae ipsorum venit dijudicanda. Proinde in nostra ditione exterorum matrimonia invalida vel illicita censentur, prouti in ipsorum patria ob defectum habilitatis personalis invalida sunt aut illicita.[3]) Ad occurrendum vero incommodis, quae exteris in patria ipsorum ex matrimoniis illicite aut invalide in hac ditione contractis, possent obvenire, jam 22. Dec. 1814 per decretum aulicum parochis injunctum est, ut a quovis extraneo nupturiente *testimonium, se juxta leges patrias ad nuptias ineundas habilem esse* et respective

---

[1]) Instr. § 71.

[2]) Vid § 191. 3. — Circulare archiep. Vindob. Wiener Dioec.-Bl. 1865 Nr. 15) monet, ut curiones documenta, quae afferunt exteri nupturientes (sc. testimonia de recepto baptismo, de factis proclamat., de statu libero) regulariter ceu authentica non habeant, nisi illorum episcopus ejus rei fidem fecerit.

[3]) Cfr. *Vering* (Archiv. tom. 15. p. 275—321). Ueber die Eheschliess. der Ausländer in Oesterreich und der österr. Staatsangehörigen im Auslande. — Habilitas personalis adest, si partes liberae sint ab impedimentis; ad formam pertinent tum proclamationes, tum modus dandi validum consensum seu copulatio.

licentiam politicam obtinuisse, strictissime exigant. Et haec quidem sanctio a Ministro pro Cultu 22. Novembr. 1859, itemque a ministerio status d. 8. April. 1865 renovata et accuratius determinata est. Quod jam attinet leges hodie in diversis territoriis vigentes, eaedem variae sunt. In aliquibus statibus, e. gr. in Anglia, in statibus confoederationis Americanae, in regnis Hollandiae, Belgii, Borussiae, Graeciae, Lusitaniae, Sueciae etc.[4]) nulla instantiae domesticae *licentia* requiritur pro matrimonio in terris exteris contrahendo. In plurimis tamen aliis territoriis expresse vel ejusmodi formalis *licentia* vel saltem testimonium *habilitatis* exigitur, quo instantia domestica fidem facit, certam quemdam nupturientem juxta leges patrias habilem esse ad matrimonium contrahendum. Rebus sic stantibus a parochis regula tenenda est, ut nullum exterum ad nuptias admittant, nisi attestationem legitimo sigillo munitam a patria instantia afferat, qua declaratur, ejusdem matrimonio peregre ineundo juxta leges domesticas nihil obstare.[5]) Hoc petenti pro diversitate legum uniuscujusque status vel formalis nubendi *licentia* vel testimonium *habilitatis* aut dabitur aut negabitur.[6]) — Si sponsa extera nubat civi Austriaco, licentia

---

[4]) Cit. edict. minist. d. 8. April. 1865. Cfr. Brixner Dioecesanblatt 1865. p. 68.

[5]) Edict. minist. d. 22. Nov. 1859. Brixner Dioecesanblatt 1859. p. 116; item supra cit. ordin. minist. d. 8. Apr. 1865.

[6]) Quoad singula territoria sunt haec potissimum notanda: 1. *Hungari,* qui in terra extera (cujusmodi jam etiam est Cisleithania) nubere volunt, *licentiam* ministerii pro cultu et instructione exhibere debent; quodsi parochus copulans ignarus est linguae Hungaricae potest exigere translationem legalizatam (uti dicunt) in idioma maternum. Brixner Dioecesanblatt 1881. p. 46 et 1882 n. 71. (Cfr. *Vering,* Archiv. tom. 41. p. 453 et 47. p. 310.) Ceterum parochus bene attendat leges Hungaricas quoad matrimonia *minorennium?* Consensus vero qui dicitur politicus in Hungaria non requiritur. 2. Cives *italici,* apud nos nubere volentes, juxta leges patriae suae debent esse immunes ab impedimentis lege italica statutis. Idem praescribitur pro persona cui nubere volunt. Deinde eorum matrimonium in loco respectivo Italiae a praefecto communitatis proclamari debet. Ad hunc ergo nupturi initio se debent convertere cum petitione de faciendis proclamationibus. Transmisso jam testimonio de factis proclamationibus, matrimonium in terra extera juxta formam in hac praescriptam validum habetur. Denique proximo consuli aut agenti diplomatico testimonium de matrimonio contracto infra trimestre in copia exhibendum est. (Brixner Dioecesanblatt 1870 p. 35. seq.; 1874 p. 21.) Cfr. Linz. Q.-Schr. 1885 p. 615; exinde patet, quam prolixae et implicatae sint formae et actiones, ubi cives itali apud nos nuptias inire volunt. 3. Pro ditionibus *imperii Germanici* (excepta Bavaria) juxta § 39 legis d. 6. Febr. 1875 (qua inductum est matrimonium civile [Archiv. tom. 33. p. 402]) non quidem requiritur specialis licentia, neque consensus communitatis domesticae, sed tamen exigi solet et debet pro subditis Borussicis attestatio gubernii provinciae respectivae, pro subditis regni Württemberg testimonium officii superioris (Oberamt), quo fides fit, hisce nuptiis legale impedimentum non obesse.

saepe dicta raro requiritur. Neque sponsa ulla ex imperii germanici finibus perpetuo discedens et matrimonium contrahens emigrandi licentia indiget, eoquod ineundo tale matrimonium per se cessat jus indigenatus.[7]) — Praedicta documenta semper consuetis authenticitatis signis, praesertim legitimis sigillis officiis respectivi (a quo nimirum procedunt) communita esse oportet. Quinimo, etiamsi talis assecuratio in plerisque casibus per se sufficeret, tamen ex conventionibus internationalibus nostri imperii initis cum guberniis exteris, documenta publica, ab extraneis prolata, fidem non faciunt, nisi *speciali* legalizatione munita sint, et quidem ea plane forma, quae a lege determinata est.[8]) Documentum impetratae licentiae etc. in libro nuptiali adnotari et in archivo parochiali reponi oportet.

2. Matrimonia Austriacorum in terris exteris.

2. Cives Austriaci, in terris exteris matrimonium, quod etiam in patria valeat, contracturi, quoad omnia, quae personalem ipso-

4. In *Bavaria* adhucdem valet lex d. 16. Apr. 1868, vi cujus subditus Bavariae, nupturus extra patriam, attestationem affere debet ab instantia administrativa (Districts-Verwaltungsbehörde) sc. ab officio districtus (Bezirksamt) vel a magistratu urbis (si urbs est privilegiata ad ejusmodi testimonia conficienda) Brixner Dioecesanblatt 1882 p. 60), quod nihil obsit tali matrimonio peregre ineundo. Hoc neglecto ejusmodi conjugium non convalescit, nisi dictum testimonium *postmodum* suppleatur. Quotiescumque matrimonium in terra aliena intenditur, illud antea per affixionem in loco habitationis utriusque partis publicari debet, ac demum, si infra 10 dies nemo contradixerit, ejusdem contractio permitti potest (Brixner Dioecesanblatt 1870 p. 30. seq.; 1882 p. 60). 5. Lege *Badensi* (9. Dec. 1875) § 23 edicitur, cives Badenses sive inter se, sive cum aliis (etiam *non* germanicis) in terra extera valide contrahunt, si juxta *formam* in terra extera praescriptam matrimonium celebrent. Sponsi *Badenses* proclamari etiam debent juxta legum praescriptiones in Magno Ducatu Badensi, et quidem si iidem in terra extera domicilium habent, in loco ultimae suae commorationis in Magno Ducatu. Ceterum sponsi Badenses etiam extra patriam degentes, ligantur lege imperiali d. 6. Febr. 1875 scil. §§ 28—35. — 6. In lege matrimoniali *Helvetiae* (art. 3) declaratur, matrimonia sive in aliquo pago Helvetiae sive in terra extera contracta pro validis haberi, si juxta leges territorii respectivi valida censeantur. Ceterum in Helvetia officialis civilis (Civilstandsbeamter) dare debet testimonium habilitatis, quo declarat, peregre nupturum debita licentia esse instructum, aut ea non indigere.

7) Lex d. 1. Jun. 1870 (§ 13) regulans singulorum appertinentiam ad confoederationem Germanicam et ad singula ejusdem territoria.

8) Conventio legalizationem concernens inita est inter Austriam et Germaniam d. 25. Febr. 1880 (Reichsgesetzblatt 1880 p. 285). Juxta hanc extractus ex libris canonicis in Germania legalizari debent a competente *judicio civili*, in Austria *ab instantia administrativa* (a praefecto districtus resp. a magistratu urbis). Pro personis militaribus in Borussia hoc idem peragit judicium militare, in Austria minister pro defensione resp., pro bello. — Documenta ab Ordinariatibus confecta ulteriori legalizatione non indigent. Ordin. d. 12. Febr. 1881 (Reichsgesetzblatt p. 13). Pro *Bavaris* requiritur legalizatio per bavaricum circuli gubernium (Kreisregierung). Cfr. Brixner Dioecesanblatt 1882. p. 61. Extractus pro *Italis* conficiendi ab Ordinariatu legalizatos esse oportet.

rum contrahendi habilitatem respiciunt, legibus patriis sese accomodare debent. Unde omnia, in C. C. A. tum ad valorem tum ad liceitatem matrimoniorum praescripta, exacte debent observari, iis dumtaxat exceptis, quae ad solemnitates, seu ad *formam* matrimonii pertinent. (C. C. A. § 4.) Nam quoad formam contractus matrimonialis legibus regionis exterae, in qua contrahunt, sese conformare possunt et debent, juxta axioma: *Locus regit actum.* His servatis *licentiâ* formali ad contrahendum in terris exteris, solo imperio Turkico excepto, civis Austriacus non indiget. Ut vero rite in hisce casibus procedatur 1. curari debet, ut nuptiae in regione extranea conciliandae inter eos, qui domicilium in ditione Austriaca retinent, rite denuntientur ad normam legis civilis,[9]) ac testimonium de factis proclamationibus exhibeatur illi, qui illorum consensum matrimonialem sit excepturus; 2. eidem producendum est testimonium habilitatis a domestica politica districtus praefectura (resp. a magistratu urbis) conscriptum, quo vi edicti minist. d. 28. Oct. 1879 declaratur, civem Austriacum, qui juxta leges nostras habilis est matrimonii contrahendi, in terris quoque exteris secundum formam ibi praescriptam valide contrahere posse, ita, ut uxor extera cum prole speranda jus civitatis Austriacum et reliqua validi matrimonii jura acquirere possit. Verum hac testificatione non etiam hoc comprehendi, quod nullum obsit matrimonio impedimentum.[10]) Consequens est, matrimonia *civilia* a civibus Austriacis in tali regione inita, in qua *de jure* vigent, valida esse (in foro civili), invalida vero, si in ejusmodi regione in forma ecclesiastica contraherentur, nisi fors fieret ex delegatione parochi Austriaci proprii. Quia jam parochus non solum validitati matrimonii in foro civili, sed quam maxime etiam in foro ecclesiastico prospicere tenetur, ideo attendi quoque oportere leges ecclesiasticas et inprimis decretum *Tametsi,* per se intelligitur. Denique monet Instructio (§ 78): «Cive Austriaco postulante, ut

---

[9]) Sc. juxta §§ 70, 71, 72, 73, 74, C. C. A., nec non juxta leg. d. 25. Maj. 1868 ac d. 31. Dec. 1868 (cit. supr. § 17. 8. not. 12).

[10]) *Vering* Archiv. t. 43 p. 229. — Hoc testimonium quidem non semper exigitur a statibus extraneis, sed praescribitur lege nostra. Cfr. Ordinationem Ministri pro Cultu communicatam episcopo Brixin. per gubernium prov. «de conjugiis civium Austriacorum in Helvetia ineundis» d. 17. Sept. 1871 in *Vering,* Archiv. tom. 28. p. 76. Brixner Dioecesanblatt 1871. p. 61. — Curare debet minister Austr. in Helvetia residens, ne admittantur cives Austriaci ad copulationem, nisi bina supra dicta testimonia exhibeant. Sed nunc vi matrim. Helv. d. 24. Dec. 1874, resp. 23. Maj. 1875 (art. 31) matrimonium *extranei* proclamari non potest, nisi attestationem proferat, illud plane validum esse. — Sponsa extera civi Borussico nubens eo ipso jus civitatis Borussiae adipiscitur, id quod etiam in Belgio aliisque ditionibus cautum est. Wiener Dioecesanblatt l. c.

matrimonium ab eo in exteris terris initum libro nuptiali parochiae, ubi nunc domicilium fixit, inseratur, parochus libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis episcopo proponet ac ejusdem exspectabit mandata.»[11])

CAPUT III.

De matrimonio contracto.

Articulus I.

De effectibus matrimonii contracti.

§ 195. Quinam potissimum sint matrimonii effectus.

Effectus matrimonii.

Effectus matrimonii legitime contracti, quatenus ad jus canonicum pertinent, sunt:

1. Pro utroque conjuge.

1. *Ratione utriusque conjugis: a) Bonum Sacramenti,* per quod non tantum gratia sacramentalis sed etiam (et quidem per eminentiam) matrimonii insolubilitas, per gratiam Sacramenti confirmata intelligitur. *b) Bonum prolis,* quo nomine non tantum jus mutuum petendi debitum seu procreatio prolis, sed etiam recta ejusdem alimentatio et spiritualis educatio pertinet. *c) Bonum fidei* conjugalis, qua adulterium non modo in effectu sed etiam in affectu prorsus excluditur. Siquidem adulterium non tantum luxuriae malitiam in se habet, verum etiam injustitiae, quia est violatio juris erga alterum conjugem.[1]) *d) Mutua rerum et bonorum communio,* quae est quartus matrimonii effectus et pro jure locorum diverse definitur.[2])

2. Pro viro et uxore singulatim.

2. *Quoad conjuges singillatim* spectatos *viro* obvenit potestas tam *maritalis,* vi cujus caput fit uxoris in ordine ad gubernationem et administrationem domesticam, quam *patria,* per quam certa jura in liberos acquirit. *Uxor* vero particeps efficitur status, fori et domicilii mariti nec non jus sortitur sustentationis pro statu convenientis ab eo vel ex haereditate ab ipso relicta.[3])

3. Pro liberis.

3. *Ratione liberorum.* Omnis proles, ex *justis nuptiis* suscepta pro legitima habetur. Justae sunt nuptiae, si matrimonium vel est in veritate validum, vel saltem tam cum probabili communi-

---

[11]) Ex declaratione gubernii prov. Tirol. d. 14. April. 1879 nunc non exstat obligatio matriculis nostris inferendi matrimonia ab Austriacis extra patriam contracta. Quod bene notari debet. — Immatriculari vero debent infantes recens nati ex tali matrimonio. At hic (quemadmodum in aliis casibus) magna necessitate premuntur nostri parochi. Nam officiales civiles exteri nullam mentionem faciunt sive baptismatis sive religionis infantis, ita, ut prorsus nequeant explere rubricas matriculae!

[1]) Levit. 20, 10; Deut. 22, 22. Cfr. Catech. Rom. de 6. praecepto n. 5.

[2]) Cfr. C. C. A. § 1233. seq.

[3]) Cfr. §§ 89—92. C. C. A.

tatis credulitate quam utriusque aut saltem alterutrius parentis bona fide quamvis invalide contractum. Ad hoc etiam pertinet, ut denuntiationes sint praemissae vel desuper legitime sit dispensatum. Ista duo, scil. publica probabilis credulitas *et* bona fides saltem unius parentis copulative concurrere debent, ut matrimonium dici possit putativum. Unde si matrimonium mala fide utriusque partis fuisset contractum aut consummatum, proles ex eo genita esset illegitima, quamvis pro foro externo, ubi non constat de illorum mala fide, habeatur pro legitima. Et quidem filius natus in matrimonio putativo etiam tunc habetur legitimus, si *postea* vel nullum declaretur matrimonium vel deficeret probabilis credulitas cum bona fide alterutrius conjugis.[4]) Quin etiam in dubio semper standum est pro legitimitate, ex favore legis et ex principio: *Pater is est, quam nuptiae demonstrant.* Quae quidem praesumtio, si agatur de *paternitate legitima,* eousque extenditur, ut contraria quaelibet excludatur probatio citra casus physicae impossibilitatis, nimirum nisi evidenter constet, praegnantem ex viro suo fieri uxorem nequivisse ob physicum obstaculum absentiae, impotentiae, infirmitatis et similium. Nec ipsa matris vel praetensi patris confessio, licet jurata, in praejudicium legitimae filiationis attendi potest.[5]) Praesumtio de legitimitate natalium in jure canonico etiam ad infantes expositos extenditur. — Hinc si quod dubium oriatur, an infans stante matrimonio natus, legitimus sit nec ne, semper inscribendus est ut legitimus, nisi contrarium judicialiter probatum et declaratum sit. Item si eveniat, ut infans partu vel nimis praematuro vel nimis serotino in lucem editus esse videatur; lex canonica regulam sequitur, eum pro legitimo habendum esse, si vel septimo saltem mense post contractum matrimonium, vel labente adhuc mense decimo post mortem mariti (aut alio modo dissolutum matrimonium) sit natus.[6])

---

[4]) Hoc clare exprimitur in c. 2. X. (IV. 17). Sicque decisum est in causa memorabili a s. C. C. d. 3. Jan. 1880. Cfr. Acta s. Sed. tom. 12. p. 420. tom. 14. n. 80; *De Angelis* p. 271. 272.

[5]) Hinc e. gr. si ipsi parentes fateantur, et publica fama ferat, filium esse adulterinum i. e. ex patre alio natum, in foro ecclesiastico nihilominus filius habetur legitimus, nec est irregularis, quando agitur de susceptione ordinis S. C. C. 27. Jun. 1857. Acta I. 350.

[6]) Haec praesumtio eodem plane modo valet etiam in jure Austriaco (C. C. A. § 138), ita quidem ut ad probandum *contra* legitimos filii natales nec confessio matris, nec ipsum ejus adulterium tempore conceptionis patratum sufficiat. Quin etiam filius ante mensem sextum post nuptias completum praesumitur legitimus, nisi pater infra tres menses postquam de nativitate filii certioratus est, contra legitimitatem reclamet. C. C. A. §§ 155—159. Similiter plene in jure nostro receptum est axioma: Pater est, quem nuptiae demonstrant. Cfr. *Kirchstetter,* Commentar zum bürgerl. Gesetzbuch ad § 138.

Filiis *illegitimis* utraque in lege favor conceditur, ut per fictionem juris legitimari possint. Idque inprimis fit per subsequens parentum matrimonium. Sed per hoc nonnisi illi possunt legitimari, inter quorum parentes matrimonium tempore conceptionis vel nativitatis aut saltem intermedio tempore consistere poterat, non vero illi, quorum parentes toto dicto tempore impedimento aliquo dirimente constricti erant.[7]) Et haec prolis legitimatio, quin parentum consensus accedat, imo etiam iis invitis et tunc quoque consequitur, quando matrimonium post alia matrimonia ab ipsis interim forte contracta inter eos conjungitur. Tamque late patet legitimatio, ut ad liberos quoque naturales jam mortuos extendatur et consequenter ad eorum filios superstites.[8]) Infans sic legitimatus filiis legitimis quoad omnia e. gr. quoad ordines suscipiendos, quoad dignitates ecclesiasticas obtinendas, excepto Cardinalatu,[9]) exaequatur, neque ulla in publicis documentis et bannis nuptialibus de subsecuta legitimatione mentio facienda est.[10]) Legitimatio isthaec dicitur *plenior,* ut distinguatur tum ab illa, quae per rescriptum superioris confertur, tum ab alia, quae per sanationem matrimonii in radice efficitur, quarum prior *plena,* posterior vero *plenissima* nuncupatur.

Articulus II.

De matrimonio invalide contracto.

§ 196. I. De convalidatione matrimonii 1. ordinaria.

Convalidationis

Quodsi matrimonio contracto impedimentum dirimens detegitur, tunc *vel* separatio conjugum processu legitime facto decer-

[7]) *De Angelis* p. 272. *Schmalzgrueber* tit. 17. n. 48. 65. Sed alii istum favorem latius extendunt. — Ex jure civili Austr. etiam adulterini legitimantur, prout J. C. ad § 161. C. C. A. observant, nisi obstet § 67. C. C. A. — *Quoad modum legitimandi,* minist. pro rebus int. d. 7. Nov. 1883 praescripsit, legitimationem (juxta litt. pat. d. 16. Oct. 1787, § 164 C. C. A., nec non juxta decr. cancell. aul. d. 21. Oct. 1813) nonnisi coram parocho seu matricularum testore fieri posse. Scil. pater illegitimus ad ipsum cum duobus testibus venire et se patrem esse declarare debet petens, ut qua talis in matricula notetur. Quodsi coram parocho etc, personaliter comparere non possit, legitimatio nonnisi interveniente instantia politica fieri potest. Nimirum tum pater tum mater supplicationem vel immediate gubernio provinciae porrigere debent vel etiam declarationem suam apud instantiam inferiorem protocollo adhibitis testibus inferre possunt. Brixn. D.-Bl. 1885 p. 26.

[8]) *Reiffenstuel* in lib. 4. decr. tit. 17. n. 33.

[9]) Sixtus V. Const. 1586. «Postquam verus.»

[10]) Et haec quidem valent in jure canonico. *Knopp* II. 330. Quoad jus Austr. cfr. §§ 160—162. 752. 753. Modum, quo in matriculis fieri debeat adnotatio prolium, quae per subsequens matrimonium legitimantur, determinat ordinatio minist. d. 12. Sept. 1868. Archiv. tom. 20. p. 441. Qua ratione legitimatio in testimonio baptismali sit exprimenda, vide apud *Helfert,* Geschäftsstyl p. 280. decret. aul. 12. Aug. 1830 et 18. Jul. 1834.

nenda, *vel* adlaborandum est, ut remoto impedimento matrimonium convalidetur. Et regulariter ad evitanda scandala prolisque damna remedium convalidationis nullitatis declarationi praeferendum est. Consistit vero *convalidatio ordinaria* in eo, ut conjuges consensum matrimonialem vel inter se, vel in forma a Tridentino requisita renovent, seu foedus nuptiale hactenus irritum repetito consensu confirment. «Convalidatione peracta matrimonium quoad effectus civiles ita considerandum venit, ac si ab initio validum contractum esset.[1]) Idem de effectibus ecclesiasticis obtinet, quando vel una tantum pars nuptiarum celebratarum tempore ignorantia facti aut juris detenta fuit. Alias ad dispensationis remedium confugiendum erit.»[2]) *Modus* autem convalidationis non est unus idemque. Qua in re duae circumstantiae, quae diversitatem pariunt, sunt attendendae. Refert enim 1., utrum impedimentum detectum sit *publici* an *privati juris,* seu quod idem est, utrum matrimonium irritum sit propter defectum consensus (§§ 165—169), an vero ob aliud impedimentum dirimens. In utroque casu denuo 2. refert, utrum impedimentum detectum *publicum* sit an *occultum.* Hoc respectu sequens regula valet: Quoties matrimonium prius in facie ecclesiae initum simulque impedimentum *occultum* est, sufficit, ut conjuges, cognita matrimonii nullitate, privatim inter se consensum renovent. Quando vero vel matrimonium non in facie ecclesiae contractum,[3]) vel impedimentum *publicum* est, semper coram parocho et duobus testibus consensus renovetur oportet. His praemissis sequentia subnectimus:

notio,

effectus,

modus.

1. Impedimenta *privati juris* i. e. quando matrimonium contractum est ex errore, ex vi et metu, deficiente conditione vel per simulationem (ergo quoties matrimonium irritum est ob defectum consensus), id sibi peculiare habent, ut nullo modo per dispensationem sed tantum per consensus renovationem removeri possint. Et iste quidem consensus, si nullitas matrimonii publice innotuit, semper coram parocho et duobus testibus praestari debet. Si vero defectus consensus sit et servetur *occultus* et *utrique* parti notus, tunc utriusque partis consensus renovetur necesse est. Si vero defectus consensus sit alteri parti ignotus, absolute loquendo

1. Obstante impedimento juris privati.

[1]) Et hoc quidem in vim § 88 C. C. A; ubi etiam modus convalidationis idem prorsus praescribitur, quem ordinat Instr. §§ 90. 91. (n. 2. huj. §).

[2]) Instr. § 94; c. 3. X. (IV. 3). Difficulter dispensatur ab ecclesia, si utraque parte sciente matrimonium invalide contractum fuit.

[3]) Lex enim Trid. tamdiu obligat, quamdiu non fuerit impleta, ea siquidem est conditio sine qua non, requisita ad cujusvis matrimonii validitatem, super qua nonnisi rarissime a s. Sede dispensatur. Vicissim autem hac forma in facie ecclesiae semel impleta, eadem detecto impedimento *occulto* dumtaxat, nunquam repetenda est. Ita siquidem quoad impedimenta occulta decrevit s. Pius V. et habet praxis s. Poenitentiariae. Vid. Acta II. 52.

sufficit, ut pars, quae non consensit, vel ficte consensit, consensum renovet,[4]) dummodo cognoscat prioris matrimonii nullitatem et alter consensum suum non revocaverit.[5]) Complures tamen docent, alteram partem prius de nullitate matrimonii esse praemonendam, ut ab utroque conjuge putativo consensus renovetur. Et hanc sententiam, cum sit tutior, in praxi tenendam esse dicunt, quando id sine incommodo fieri possit. Atque hoc etiam in nostra Instr. (§ 93) enuntiatur: «Matrimonium, quod consensus fictus irritum reddit, consensu ab eo, qui ficte egerat, vere praestito, convalidatum censeatur oportet. Idem valet de matrimonio, cui error seu vis metusque obstitit, quamprimum pars, quae errori aut violentiae injustae suberat, recognito errore aut libertate plene recuperata, verbo factove assensum suppleverit. Nihilominus ad omne de consensu praestito dubium excludendum his quoque in casibus consultum est, ut conjuges consensum coram parocho et duobus testibus renovent: igitur hoc ut fiat, agendum erit, nisi obversetur prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus.»[6]) Ceterum pars recusans tanto magis ad renovandum consensum inducenda est,[7]) quia, cum defectus consensus difficillime probari possit, recusatio ipsi nihil proderit. Personam errantem de suo errore moneri oportere, ut consentire possit, per se intelligitur, quia errantis nullus est consensus. Item patet, matrimonium cum impedimento metus contractum neque per cohabitationem et copulam carnalem convalidari, quamdiu metus perduret. (Si vero impedimentum metus sit publicum, denuo juxta decretum *Tametsi* procedi debet. Acta s. Sedis tom. 12. p. 421.)

2. Impedimento juris publici per dispensationem sublato: a) in impedim. publico et pro foro externo.

2. Quoad impedimenta *publici juris,* quae per dispensationem auferuntur, distinguendum est, utrum dispensatio pro foro externo, an vero in foro conscientiae sit impetranda. Nimirum *a)* Si impedimentum detectum *publicum*[8]) est, et in vulgo notum, tum conjuges non modo quoad thorum sed etiam quoad habitationem

---

[4]) Putant, non sufficere consensum mere internum, sed requiri, ut saltem signis concludentibus exprimatur e. gr. habendi copulam cum animo maritali etc. *Bangen* l. c. p. 153. Ratio, cur sufficiat in his casibus renovari consensum ab illo solo conjuge, in quo deerat consensus, haec assignatur a *Sanchez,* quia alterius partis (uti supponitur) jam adest consensus, et proinde satis est, si altera postea eum praestet. Nec opus est utriusque consensum esse simul, quando una saltem pars de jure habilis est ad contrahendum.

[5]) c. 4. X. (IV. 18) et Liguor. Theol. mor. lib. 6. n. 1114, qui hanc sententiam communem et veriorem dicit.

[6]) Adverte, tutiorismum in hac re non absolute et quasi usque ad extremum esse applicandum. — Si imped. fuit occultum, necesse sane non erit rursus coram parocho consensum renovare, quia conjuges mandato Concilii Trid. jam semel paruerunt. Bened. XIV. Instit. 87. §. «Magno studio.»

[7]) Instr. § 133.

[8]) Scil. in sensu supra scil. § 189. n. 1. exposito.

separiri debent, factaque separatione a Dataria vel ab episcopo dispensatio petenda est. «Obtenta dispensatione . . . consensus invalide copulatorum coram parocho, in cujus parochia domicilium habent, et duobus testibus renovetur oportet.[9]) Parochus nunquam non convalidationem peractam libro copulatorum inserere debet; quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, res hujus praeterea loci parocho communicanda est, ut ipse convalidationem peractam inscriptioni, quae de matrimonio invalido facta est, diligenter adjungat. Proclamationes tali casu haud repetantur; copulatio a parocho privatim et coram fidis testibus peragatur. Exceptio fieri potest, quando impedimentum eo in loco, quo convalidatio instituenda erit, notorium est.»[10])

b) In impedim. occulto et pro foro interno.

b) Majoribus obruta difficultatibus est convalidatio *pro foro interno.* In hujusmodi casibus petenda est dispensatio pro foro interno. Quae si impetrata est, debet executioni mandari, audita sacramentali confessione illius conjugis, qui impedimentum adduxit eadem dispensatione solvendum.[11]) Dein renovandus est consensus inter conjuges absque parocho et testibus.[12]) Quod vero difficul-

---

[9]) Haec renovatio fieri debet: 1. regulariter *publice,* ut omnibus innotescat convalidatio. Quodsi Ordinario expedire videtur, ut forma Tridentini secreto servetur, curandum est, ut publicum scandalum alia ratione removeatur (Instr. Card. Caprara 26. Maji 1803. *Bangen* l. c. p. 161). 2. Post Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae a conjugibus suscepta. 3. In forma copulationis consueta, omissa tamen benedictione. In casu matrimonii ob defectum formae irriti semper urgendum est, ut conjuges revalident matrimonium coram parocho et duobus testibus publice vel occulte, prout nullitas matrimonii publica vel occulta fuerit. Quid vero, si una vel utraque pars renuat se sistere coram parocho? Si una pars renuat, cum prudentia et charitate instruatur; si adhuc renuat, satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ipsius nomine matrimonium contrahat de more. Si vero nec hoc modo consenserit revalidare matrimonium, tunc ad dispensationem matrim. in radice deveniri potest, ut saltem innocentis partis saluti et prolis legitimitati consulatur. Si utraque pars renuat, nihil restat, nisi ut parochus concubinarios Deo commendet, eorumque conversionem omni meliori modo procuret. Ita Cardin. Caprara in sua instruct. de matrimoniorum revalidat. et *Gury* n. 892—894 de matr.

[10]) Instr. §§ 90. 91.

[11]) Modum et formam in absolutione servandam vid. apud Bened. XIV. Instit. 87 in fin.

[12]) Instr. § 89. — En aliquas regulas practicas! Si matrimonii nullitas primum detegitur: 1. confessarius caute exploret quoad conjuges: utrum bona vel mala fide contraxerint; an cognito impedimento ab usu matrimonii abstinuerint; utrum tales conjuges pacifice cohabitent; — an contrarium quoad haec omnia locum habeat. 2. Quoad praeviam separationem haec sunt notanda: a) Si nullitas matrimonii *publica* est, conjuges et quoad thorum et quoad habitationem sunt separandi. b) Si eadem nullitas utrique parti nota est, *saltem* a thoro separandi sunt. c) Si vero uni tantum parti nota sit nec communicabilis alteri; tum conjux impedimenti conscius nec petere nec

tatem parit, est executio clausulae, quae in dispensationibus a s. Poenitentiaria concessis praescribi solet: *Certiorata tamen prius altera parte de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur.* Vi hujus clausulae requiritur, ut partes cum *scientia* nullitatis matrimonii et prioris consensus de novo renovent consensum. Hunc in finem conjux impedimenti ignarus *certiorari* debet *de nullitate prioris consensus.* Hoc in quam pluribus casibus perdifficile accidit. Equidem dicta clausula haud exigit, ut pars inscia certioretur de *causa nullitatis,* sed sufficit, quod certior fiat de nullitate matrimonii; attamen facile oritur suspicio delicti, ex eaque jurgia et scandala cum ipso divortii periculo enascuntur. Et haec quidem clausula, quam etiam episcopi, cum vi triennalium dispensant, praescribere solent, praetermitti haud potest etiam in sententia eorum, qui eandem esse credunt simplicem confessarii instructionem, tantoque minus, si censeatur apposita uti vera dispensationis conditio.[13]) Unde diversos huic clausulae satisfaciendi modos excogitarunt eruditi: verum inter eos illi omnes sunt rejiciendi, per quos conjux ignarus minime certior fit de nullitate matrimonii, vel saltem de ejusdem valore nequidem prudenter dubitat. Ratio est, quia s. Poenitentiaria hac clausula intendit, ut pars etiam ignara in *novum* matrimonium consentiat, non vero ratificet prius, quod erronee validum censet. Etenim ratificatio matrimonii prioris invalidi, ex errore procedens, efficere nequit, ut contractus antea invalidus convalescat. Jam vero, qui impedimenti nescius est, non potest in novum matrimonium consentire, sed ad summum consensum iterare in praecedens invalidum.[14]) Quoties vero casus aliquis adeo spinosus est, ut dicta certioratio alterius partis modo legi-

reddere debitum potest. d) Si utraque pars inculpabiliter ignoret nullitatem, simulque ex monitione potius damna et divortium sint timenda; tum partes in bona fide sunt relinquendae, interim vero dispensatio a confessario petenda est. 3. Quoad dispensationem «non requiruntur formalia prius exposita. Sufficit notari in precibus a) impedimentum; b) tempus contracti matrimonii: c) an bona fide aut mala sit contractum; d) quaenam sint timenda damna et scandala ex dissolutione matrimonii; e) an uterque conjux paratum se exhibuerit ad separationem donec adveniat dispensatio; f) an periculum sit in mora; g) an publicum sit impedimentum nec ne. Testes pro causarum veritate regulariter non requiruntur, sed sufficit parochi assertio — Dispensatio simpliciter ab Ordinario executioni mandatur absque ulteriori inquisitione.» *Bangen* l. c. p. 166. Adverte, hunc modum petendi dispensationem etiam pro foro externo adhibendum esse.

[13]) Bened. XIV. Instit. 87 cum multis aliis. — Fieri nunc hinc inde solet, ut clausula ista non contineatur in formulis triennalium, qua omissione manifeste indigitatur, eam clausulam ab episcopo remitti posse.

[14]) Modi satis tuti sunt: 1. «Nullum est matrimonium nostrum; ideo renovemus consensum.» 2. «Equidem in matrimonium nostrum non rite consensum praestiti; quare confessarius mihi dixit, omnino necessarium esse

timo et sufficiente fieri non possit, tum recurrendum est ad Ordinarium, qui, si urgens est necessitas, super antefata clausula vel ipse dispensabit ex praesumta Pontificis licentia, vel petitionem Romam diriget, ut s. Poenitentiaria vel clausulam remittat, vel dispensationem in radice concedat. Urgens vero necessitas esset, si ex revelatione timendum foret periculum mortis, infamiae aut scandali ob separationem, simulque tempus deficeret Romam scribendi.[15])

§ 197. 2. De convalidatione extraordinaria seu in radice.

1. Dispensatio matrimonii in radice juxta Bened. XIV. (l. c.) est abrogatio legis ecclesiasticae, impedimentum dirimens inducentis, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui antea ex lege subsecuti sunt. Differt in eo a consuetis dispensationibus, quod effectum retroagat ad ipsam *radicem* seu originem matrimonii, ita, ut hoc, non obstante impedimento, ab initio valeat, ac si lex istud impedimentum constituens nunquam exstitisset. Haec fictio juris est, qua effectus impedimenti in isto casu particulari omnino abrogatur, matrimoniumque in prima sua origine pro valido habetur, proindeque renovatio consensus non requiritur.[1]) Ordinariae vero dispensationes non operantur *ex*

1. Notio dispensat. in radice.

ut consensus inter nos renovetur» (Bened. XIV.) Modus sufficiens juxta communiorem sententiam cum s. Lig. (n. 1117) reputatur, si conjux dicat: «Angor scrupulis de valore nostri matrimonii, ideoque renovemus consensum.» Sufficit enim, ait *Gury* (n. 900. de matr.), ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, si dubitet prudenter de valore primi matrimonii. En secundum tenorem facultatum, quae hodiernis Eppis a s. Poenitentiaria pro foro interno concedi solent, consensus juxta regulas a probatis Auctoribus traditas renovari potest, quando certioratio de nullitate prioris consensus absque gravi periculo fieri nequeat. — Modi vero rejiciendi sunt, si dicat: «Dic quaeso, si nullum esset matrim. nostrum, nonne iterum contrahere velles?» Vel: «Si mihi non nupsisses, nonne nunc nubere velles?» Respui etiam debet consilium, quod Navarrus suggerit, ut scilicet pars impedimenti conscia reportata dispensatione cum altera copulam habeat affectu maritali, eoquod supponendum sit, utramque partem eundem affectum elicere.

[15]) Sentit. s. Lig. (Moral. n. 1115—1116) cum pluribus auctoribus, in casibus urgentis necessitatis, licitum esse uti sententia opposita, quae negat, consensum ab utraque parte esse renovandum. Ratio est 1. quia haec renovatio consensus non videtur requiri ex lege naturali, sed potius ex lege ecclesiastica; 2. quia in talibus angustiis non est prohibitum uti opinione probabili etiam cum periculo frustrationis Sacramenti, praesertim si ecclesia, ut in hoc casu, defectum supplere potest. Cfr. *Heiss*, de matr. p. 240.

[1]) Quod sic poterit explicari: Consensus in tali casu, attento solo jure naturae (ita supponitur), est validus, sed vitiosus ob impedimentum juris ecclesiastici. Hoc autem vitio per sanationem in radice sublato, efficacia consensus jure naturae validi hactenus suspensa, obice remoto, omni suo robore pollet.

tunc, seu ex tempore praestiti consensus, sed tantum *ex nunc,* i. e. ex tempore, quo conceduntur.

2. Conceditur a summo Pontifice individuis aut in communi.

2. Hanc dispensationem ab ecclesia quoad impedimenta juris ecclesiastici concedi posse, manifestum est. Nam 1. obligatio renovandi consensum in ordinaria dispensatione procedit a sola legis ecclesiasticae dispositione; hinc ista obligatio tolli potest ab eadem auctoritate ex urgenti et gravissima causa. 2. Non excedit ecclesiae potestatem effectus matrimonii nulliter contracti, regrediendo ad ipsam contractus *radicem,* de medio tollere, ita ut isti effectus coram ecclesia habeantur, tanquam nunquam exstiterint.[2]) 3. Constat ex praxi ecclesiae, quae a pluribus saeculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur Bonifacius VIII. a. 1301. Recentioribus temporibus frequentius in radice dispensarunt Pius VI., Pius VII., Leo XII. pro foro modo interno, modo externo, item tum in casu *individuo,* tum in casu *communi,* i. e. pro matrimoniis certi generis in aliqua ditione. Sic e. gr. matrimonia clandestina tempore revolutionis in Gallia contracta a Pio VII. (1803) sunt sanata. Pari modo Pius IX. per literas Apost. 17. Mart. 1856 emanatas episcopis Austriacis facultatem concessit, sanandi in radice matrimonia contracta cum certis quibusdam impedimentis, quae ante tempus Concordati in nonnullis Imperii partibus non attendebantur.[3])

3. Effectus.

3. Effectus hujusmodi dispensationis sunt: *a)* Validitatem matrimonio tribuit, et quidem a primo suo initio. *b)* Sanat consensum hactenus irritum, seu potius vitium tollit, quod ecclesia eidem obmovit, quo sublato consensus per se validus est. *c)* Legitimat plene sobolem in ordine ad effectus spirituales e. gr. ad recipiendos s. ordines.

4. Conditiones.

4. Ut matrimonium ope dispensationis in radice sanari queat, quatuor conditiones requiruntur: *a)* Ut impedimentum obstans non sit absolute indispensabile. *b)* Ut conjunctio conjugum facta sit cum consensu matrimoniali, non autem instituendi concubinatum;

---

[2]) *Sanchez* lib. 8. disp. 7. n. 4: «Pontifex potest suam legem irritare et revocare quoad effectus jure humano ex ea secutos, et non tantum quoad in posterum incurrendos, efficiendo ut non incurrantur, sed etiam quoad jam incursos, *abolendo* illos, ac si ea lex edita nunquam fuisset . . .»

[3]) Adverte seq.: 1. Facultatem episcopis datam comprehendere tantum impedimenta in literis Apost. expressa. 2. Eandem restringi ad matrimonia contracta usque ad diem, quo literae Apost, acceptae fuerint. 3. Item regulariter ad matrimonia *sine dispensatione* contracta, aut cum dispensatione, sed non debito modo obtenta. — Nuperrime 4. Dec. 1886 s. Poenitentiaria episcopis Austr. concessit facultatem, matrimonia propter reticentiam copulae incestuosae vel perversae intentionis eam facilius dispensationem impetrandam usque ad d. 25. Jun. 1885 nulliter contracta convalidandi vel etiam auctoritate Apost. in radice sanandi.

secus enim, quia non est radix matrimonii, sanatio in radice locum habere non potest. *c)* Ut consensus utriusque partis perseveraverit; si enim vel ab uno tantum revocatus sit et proin non amplius existat, per se patet, eundem non posse revalidari. *d)* Ut adsit causa gravissima et urgens scil. *α)* si altera pars manere quidem vult in conjugio, ad renovandum vero consensum non potest moveri; *β)* si secundum supra dicta altera pars nequit certiorari de nullitate conjugii; *γ)* quando gravis ratio prohibet, ne de eadem nullitate moneantur conjuges.

5. Exequutio.

5. Modus exequendi hanc dispensationem, si concessa sit pro foro externo, consistit in simplici declaratione Ordinarii, cui executio committitur. In casibus publicis ea declaratio publica sit oportet, ut convalidatio omnibus innotescat. Praeterea talis convalidatio in libro copulatorum notari debet. Quoad forum internum impetrata sanatio audita unius partis confessione sacramentali applicanda est. Sufficit vero, ut uni applicetur; item applicari potest etiam eo casu, quo nulla pars impedimentum novit.

§ 198. II. De nullitatis declaratione.

Matrimonium nulliter contractum non semper convalidari sed quandoque etiam dissolvi potest, imo debet. Id in triplici praesertim casu occurrit: 1. si impedimentum est indispensabile simulque una saltem pars in mala fide versatur: 2. si impedimentum est indispensabile et partes quidem bona fide contraxerunt, sed ex continuato matrimonio vel scandala in publico vel damna gravia inter conjuges enascuntur; 3. si impedimentum quidem est dispensabile, at vero ex matrimonio damna gravia ac scandala provenirent, alio modo non avertenda nisi per conjugii dissolutionem.

Matrimonium

Circa modum, quo facienda est irriti matrimonii solutio, haec pauca adnotasse ex nostra Instructione pro praxi sacerdotali sufficiet.[1])

1. solvitur a solo judice eccles.

1. Inprimis matrimonium cognita ejusdem nullitate nunquam potest dissolvi propria conjugum auctoritate, sed adeundus est in hac causa judex ecclesiasticus, nimirum in prima instantia tribunal episcopi dioecesani (§§ 97. 98).

[1]) Vid. Instr. §§ 114—200, ubi succiencte omnia essentialia continentur, prout etiam in curia Romana solent observari. In conficiendo processu matrimoniali plures solemnitates praescribuntur tum a ss. canonibus tum nominatim a Constit. Benedicti XIV. «Dei miseratione» d. 3. Nov. 1741. Acta processus sunt irrita, si non observentur saltem substantiales solemnitates praescriptae. Notanda est «Instructio s. C. C. d. 22. Aug. 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus» (Acta I. 439), itemque «Instructio de judiciis eccles. circa causas matrim. edita a S. C. de Prop. Fide a 1883. *Vering,* Archiv. t. 54 p. 45 seq.

2. Jus accusandi. 2. Matrimonium accusandi jus propter impedimenta *juris privati* nonnisi conjuges habent et quidem pars tantum innocens v. gr. quae errorem vel metum passa est, idque non sine certis restrictionibus. Eadem fere principia applicanda veniunt, si matrimonium impugnatur ob impedimentum aetatis, raptus et ligaminis. Si impedimentum ligaminis cessavit e. gr. per mortem prioris conjugis, pars quae hoc impedimentum noverat, non habet jus accusandi matrimonium (§§ 116—121). In impedimentis *juris publici* tribunal matrimoniale *ex officio* procedere debet, quamprimum aut notorietate facti, aut denuntiationibus legitime factis (128—132), aliove modo sufficiens suppeditet causa (122). Imo cuivis catholico cum quibusdam tamen exceptionibus, matrimonium impugnandi jus competit (115).

3. Qua ratione. 3. Nullitatis declarandae petitio aut scripto afferri aut in gesta redigenda viva voce exhiberi debet, et quidem coram tribunali matrimonii aut ejus commissario atque personaliter (126. 127).

4. Conandum, ut sustineatur matrim. 4. Impedimento aliquo in jus adducto dispiciendum est: *a)* An impedimentum fors tale sit, ad quod removendum consensus conjugis matrimonium accusantis sufficiat. In hoc casu per animarum curatorem adlaborandum est, ut dictus conjux ad renovandum consensum inducatur (133. 134). *b)* An nullitatis petitio eoquod minus fundata sit, repelli possit (137. 138).[2]) *c)* An impedimentorum, quae § 80. Instr. enumerantur i. e. in quibus etiam episcopi vi quinquennalium dispensant, quoddam obmoveatur? (Vide supra § 188.) In hoc casu inquisitio in forma juris instituenda, quantum fieri potest, evitari debet, sed post captas necessarias informationes matrimonium vel per episcopi dispensationem vel per sedis Apostolicae sanationem, quae dicitur in radice, convalidandum est (§ 139).

5. Processus. 5. Si praedicta agendi ratione matrimonium vacillans sustentari nequeat, processus in forma juris instituendus est, qui hoc ordine decurrit: *a)* Per commissarium a tribunali matrimoniali constituendum *praeviae inquisitiones* faciendae, nec non conjuges et testes interrogandi sunt; dein praeviae inquisitionis resultatum tribunali matrimoniali proponendum est (140—142). *b)* Postea *processus probatorius* instituitur. Quem in finem praeprimis conjuges personaliter, uti jam in praevia inquisitione, comparare debent 143—145). Pro ulterioribus tamen interrogationibus in loco, quo habitant, delegatus substitui potest (146). *c)* In processu probatorio continuo principium attendendum est: «Praesumtio stat pro valore matrimonii, impedimentum vero plene probari debet»

---

[2]) 1. Ob jus accusandi non competens aut amissum; 2. Ob factum certum quidem sed non sufficiens; 3. Ob factum falsum.

(147). Pro tuendo matrimonii valore prius defensor matrimonii constitutus sit oportet, qui et in muneris ingressu et in singulis casibus jurare debet, se matrimonii valorem fideliter tuiturum esse. Iste omnibus actibus interesse tenetur, ita, ut hi actus, eo non praesente celebrati, irriti forent (124. 125. Cfr. 146).[3]) *d)* Probationes, quae ad rem faciunt, sunt: 1. *Conjugum confessio,* quae tamen, si fit matrimonio jam contracto, nonnisi tunc plenam vim habet, quando pro matrimonii valore militat iis in casibus, in quibus conjugibus accusandi jus privative reservetur (148—150). Idem fere obtinet de conjugum jurejurando (169—170). 2. *Depositiones testium;* sed qua testes non omnes admittuntur, jusque habent tam partes quam defensor matrimonii testibus exceptiones opponendi (151—158). Testimonium non scripto sed semper personaliter ferendum est (§ 159). Testis jurati tantum depositio vim habet legitimae probationis. Quod a duobus testibus omni exceptione majoribus, distincte et conformiter deponitur, de regula qua plene probatum censeri debet (162—165). 3. *Rei peritorum sententia;* eorum saltem duo scientia et integritate praestantes atque jurati a judicio matrimoniali seligi debent (166. 167).

6. Exceptiones faciendi potestas.

6. Processu probatorio absoluto conjuges et quicunque matrimonium accusaverit, nec non defensor matrimonii moneantur de eo, quo pollent jure, in hucusque acta animadvertendi. Exceptiones, si quas habent, intra octiduum proponant (176. 177).

7. Interventus episcopi.

7. Sententia, antequam feratur, episcopo proponi debet, qui rerum, quae non satis liquent, novam inquisitionem ordinare potest (§ 178).

8. Appellatio.

8. A sententia episcopi adpellari potest ad metropolitam et ab hoc ad sedem Apostolicam vel ejus delegatum et hinc inde etiam ad quartam instantiam (101). Scilicet «appellatio admittenda est, donec matrimonii validitas per duas, aut ejus nullitas per tres sententias conformes pronunciata sit. Duabus sententiis *pro* matrimonio et duabus *contra* illud militantibus, matrimonium validum censeatur oportet» (179). Defensor matrimonii ex officio tamdiu adpellare tenetur, quamdiu spes est, fore, ut ex quatuor sententiis duae valorem matrimonii pronuntient. Hunc in finem pro rerum adjunctis petere *debet,* ut quarta instantia constituatur. Idem petere *potest* etiam actor, si duae instantiae nullitatem matrimonii, tertia vero validitatem pronuntiaverit (180—184).

9. Quid lata sententia agendum.

9. Quando nullitas matrimonii evicta est, simulque obstans impedimentum tolli potest, agendum est, ut matrimonium conva-

---

[3]) Constit. «Dei miseratione.» Neque acta sine defensoris interventu confecta convalidantur per posteriorem ratihabitionem. Interdum tamen convalidantur a Sede Apost., si vitia processus ad extrinsecam formam solummodo referantur. Acta I. 421.

lidetur. Si vero impedimentum sit indispensabile aut renovatio consensus obtineri nequeat, nullitatis sententia partibus in legitima forma annuntianda est, illaeque ab invicem separandae sunt. Ad novas vero nuptias convolare illis non licet, antequam finalis sententia lata sit (192—200).[4])

Articulus III.

De separatione a thoro et mensa.

§ 199. De causis separationis.

Praeter divortium, quod in solutione ipsius vinculi matrimonii consistit, aliud praeterea in jure canonico occurrit, nimirum separatio conjugum a thoro et mensa. Eam licitam esse, tum ab Apostolo, tum ab ecclesia edocemur.[1]) Quia vero ejusmodi separatio semper a malo est, ipsa *in casibus tantum a lege ecclesiastica statutis et respective in forma a lege ecclesiastica praescripta* licita est.[2]) Distinguitur vero duplex separatio; una *perpetua,* quae fit ad tempus vitae, ita, ut pars innocens pro foro externo nunquam cogi possit ad alterum conjugem redire;[3]) altera *temporalis,* quae desinit vel causis sublatis vel tempore a judice statuto. Itaque

---

[4]) Nova lege d. 25. Maj. 1868 processus nullitatis addicitur judici civili ad normas in C. C. A. §§ 94—102 contentas. De effectibus, qui ex solutione matrimonii per judicem facta proveniunt, agitur §§ 142. 160. C. C. A. — Hae quidem legis civilis dispositiones impedire non possunt, quominus ecclesia in suo foro de nullitate matrimoniorum, quemadmodum de reliquis causis matrimonialibus, judicet. Sed nemo non intelligit, regulares processus in curiis episcopalibus confici non posse, si jurisdictio eccles. a guberniis vel non recognoscatur vel non sustineatur. Nam si judices eccles. citationem mittant partibus vel testibus, ut coram se sistant stato tempore, saepe frustra agunt, quia personae citatae non parent, nec expedit, ut censuris cogantur, quae sperni possunt. Quinimo cogere interdum non possunt testes ad juramentum emittendum, vel quia impune renuunt, vel quia obstat lex gubernii. In ejusmodi adjunctis non restat, nisi formas quae saltem servari possint, accurate servare, ut rei veritas ex actis, judiciali ritu non servato confectis, satis appareat. In tali casu s. C. C., quando causa ad ipsam deferri contigerit, Ssmum consulit pro facultate ferendi sententiam, non obstante irregulari forma actorum. Cfr. Acta II. 400 not.

[1]) I. Cor. 7, 10. 11. «Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit (uxor), manere innuptam, aut viro suo reconciliari.» Conc. Trid. Sess. XXIV. can. 8: «Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad torum seu cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anath. sit.»

[2]) Instr. § 205.

[3]) Juxta sententiam canonistarum communiorem excipitur casus, quo facta sententia ob adulterium etiam pars innocens adulteratur. Tunc sontem recipere tenetur vel saltem a judice cogi potest. *Feije* p. 454. — An moralis obligatio quandoque sit redeundi, vide *Bangen* l. c. p. 125.

1. Separatio *perpetua a)* ex causa majoris perfectionis spiritualis *mutuo conjugum consensu* institui potest. Videlicet «conjuges mutuo consensu vitae consortium eum in finem solvere possunt, ut religionem a s. sede adprobatam ingrediantur, vel ambo vel et una tantum pars, aut, ut vir ordines sacros suscipiat.»[4]) *b)* Alia causa separationis perpetuae et «quidem unica est adulterium ab uno conjuge perpetratum,[5]) per quod intelligitur omnis species luxuriae, in qua conjux vere dividit carnem cum alio vel alia et libere quidem ac voluntarie.[6]) Pars innocens cognita hac divisione jus acquirit, negandi debitum nec non divortium petendi, modo crimen alterius sufficienter probare valeat. Quia vero adulterium separationis causam non suppeditat, nisi *injuriosum* sit alteri conjugi, in pluribus casibus divortio locus non datur, prout in nostra Instr. (§ 207) statuitur: *Quodsi conjugum alter adulterii crimen commiserit, alteri jus competit, perpetuam a thoro et mensa separationem petendi, nisi forsan adulterium adprobaverit* (e. gr. adhortando, suadendo), *permiserit* (non impediendo, tacite consentiendo), *vel sua culpa adduxerit* (v. gr. malevole debitum denegando, uxorem domo expellendo inopem), *aut ipse quoque adulterii reum se reddiderit,* in quo non refert, si unus pluries adulteraverit, quia non ad numerum, sed solum ad fractionem fidei attenditur. *Jure suo excidit, si alteri parti culpam expresse* (i. e. conceptis verbis) *vel tacite condonaverit* i. e. exhibendo signa perdurantis amicitiae, ac praesertim copulam post cognitum adulterium libere habendo.[7]) Onus probandi adulterium incumbit parti innocenti. Quia vero delicta carnis difficilis sunt probationis, hinc, «ut adulterium in finem separationis a mensa et thoro probetur, sufficiunt praesumtiones violentiae. Facta vero, quibus praesumtiones hae innituntur, juxta normas processum in delictorum causis attinentes probanda veniunt.»[8]) Nimirum facta per testes plene probari debent. Porro

1. Causae separationis perpetuae.

[4]) Instr. § 206. Vid. supra § 137. 1. Sed ejusmodi separatio difficillime conceditur.

[5]) Matth. 5, 32.

[6]) Ergo ex sententia communiori etiam sodomia et bestialitas. Porro adulterium, ut indicatur separatio, semper debet esse formale et perfectum.

[7]) Sed libere non exercetur copula, si fiat influente metu vel ex conscientia erronea, qua scil. pars innocens putat, se, non obstante adulterio, teneri ad redendum debitum. — Quando etiam actor adulterii reus esse convincitur, regula valet: «Paria crimina compensatione mutua delentur» (c. 7. X. [V. 16]). — Denique si pars adultera contendat, quod altera pars causam adulterii praebuerit, haec assertio tum solummodo valet, si manifestum sit, hanc alteram partem adulterio consensisse, ac proin directe et proxime adulterium adduxisse. *Oberkamp,* Ueber die Einrede der Mitschuld u. d. gleichen Schuld in einer Ehestreitsache in *Vering,* Archiv. tom. 21. p. 82. seq.

[8]) Instr. § 229. Quaenam ratione adulterii sint praesumtiones *violentae,* vide ap. *Schmalzgrueber* l. 4. 19. n. 116. — Solet autem s. C. C. ad

«confessio conjugis, contra quem separationis actio intentatur, plenam efficit probationem.»[9])

2. Causae separationis temporalis.

2. Separationis *temporalis* causae ex canonistarum sententiis, ex constanti tribunalium ecclesiasticorum praxi, et juxta Instr. Austriacam sunt sequentes:[10]) *a) Apostasia a fide (quodsi conjux a fide christiana deficiat,* ait Instr.), quae quia spiritualis fornicationis rationem habet, etiam secluso alterius periculo causam divortii praebet. — *b) Periculum animae,* quoties nimirum unus conjux alterum (sunt verba Instr.) *ad defectionem a fide catholica,*[11]) *ad vitia vel crimina sollicitet* v. gr. sodomiae, latrocinii, veneficii etc. Adverte tamen, non esse locum separationi, si delictum conjugis alteri parti non afferat periculum. — *c) Periculum corporis* i. e. vitae vel sanitatis, sc. *α) quodsi injuriis realibus*[12]) *vel insidiis*[13]) *vitam ejus et sanitatem in periculum adducat; β) quodsi ei acerbiores animi afflictiones*[14]) *per longius tempus intentet; γ) etiam*

---

dissociandos conjuges leviores admittere probationes, quam quae sufficiunt ad crimen adulterii puniendum S. C. C. 12. Aug. 1865. Acta II. 136; XVII. p. 191, ubi citatur Rota Rom.

[9]) Instr. § 232. — Si adulterium omnino certum in judicio non possit probari, licet diverti ab adultero quoad thorum. *Scavini* tom. 3. p. 667.

[10]) Instr. §§ 208. 209. 210. Omnes fluunt ex seq. principio: «Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae vel sanitatis periculo continuare possunt.» Instr. § 208.

[11]) Juxta canones (c. 6. X. IV. 19) etiam *haeresis* est causa divortii. Sed ex praxi et interpretatione benigniori haec causa nonnisi tum admittitur, si exinde fidei periculum parti catholicae immineat.

[12]) Intellige tamen violentiam, quae excitat metum etiam hominis constantis, ac procedentem ad percussiones atroces (praesertim si per eas vulneratio, abortitio, morbus etc. causetur, vel si fiant instrumentis pro natura sua graviter laesivis). Non tamen sufficit unica verberatio, etiam immoderata, nisi simul in futurum timeatur nova saevities. Percussiones leviores, saepius repetitae, ideo causa divortii fieri possunt, quia, si fiant sine causa seu ex levi causa, ceu «acerbiores animi afflictiones» sunt habendae. Acta V. 9. 10.

[13]) Insidiae nonnisi tunc ad divortium sufficiunt: 1. si vitam et sanitatem compartis periculo exponunt, quod est, si conjux conjugi ex odio capitali e. gr. veneno, aliisve instrumentis periculosis insidiatur; 2. si ipsae etiam in posterum probabiliter timentur. — Injuriae reales ac insidiae (in sensu exposito) recidunt in illam divortii causam, quae a DD. passim dicitur *saevitia mariti,* vel potius *saevitia conjugis,* eoquod etiam in uxore esse potest. Attamen ob saevitiam non statim ad divortium convolandum est; sed adhibeantur prius admonitiones, vel exigatur a saeviente cautio sive pignoratoria per pecuniam in eventum pro altera parte depositam, sive juratoria, vi cujus se adstringat, quod deinceps conjugem non amplius male tractare velit. Instr. Eystett. p. 371. — Ex stylo curiae (vid. decis. Rotae R. Acta XVII. p. 193) «non quaelibet *saevities* sufficit, sed illa tantum, quae resultat ex pluribus et reiteratis actibus, et iis quidem atrocibus, adeo ut nec plures itcrati nec unus atrocissimus sufficiat.» Adducunt etiam *odium implacabile* i. e. tale, ut nulla reconciliationis affulgeat spes. Acta l. c. p. 196.

[14]) E. gr. si pars altera serio mortem minetur, si compartem perpetuis maledictis vel conviciis incessat, ad iracundiam et continuas altercationes

quando malo corporali diuturno contagiosoque laboret.[15]) In hisce casibus parti supplicanti divortium concedi debet, *usque dum vitae conjugalis consortium, quin periculum saluti suae aeternae vel temporali immineat, renovare possit. — d) Malitiosa desertio* i. e. discessio unius conjugis ab altero injusta et dolosa, cum intentione solvendi conjugale consortium.[16]) «Conjux, quem altera pars malitiose deseruit, separationem a thoro et mensa petere potest, usquedum desertionis reus animum ad officia conjugalia adimplenda paratum sufficienter probaverit» (§ 209). Sed in hoc casu non statim ac immediate decernitur divortium. Nam primo conjux injuste discedens, ad instantiam partis derelictae a judice competentibus mediis ad revertendum cogitur. Hunc in finem absenti praefigi debet terminus, ipseque, si, ubi commoretur, ignotum sit, per ephemerides publicas, itidem praefixo termino, citandus est. Ipso dein in suo sensu pertinaciter persistente judex parti innocenti divortium temporale cum omnibus effectibus concedit.[17]) Si pars recedens actionem divortii instituat, prius ad redeundum

---

inducat, alimenta subtrahat, libertatem indigne coarctet, notam infamiae ei inurat, cum alia persona scandalose (licet non per adulterium perfectum) conversetur etc. Sufficit, si hisce afflictionibus gravis moeror alteri afferatur etiamsi non sint vitae vel sanitatis laesivae.

[15]) V. gr. lepra maligna, morbo gallico, aliisque similibus morbis chronicis, ex medicorum judicio contagionis periculum habentibus. Addunt etiam: si una pars sit amens vel furiosa. Sed non adeo facile propter morbum concedendum est conjugum divortium. Acta I. 214.

[16]) Sufficit ad notionem malitiosae derelictionis, si recedens conjux in eodem domicilii loco separatam habitationem eligat; si vir conjugem domo expellat, si uxor domicilium viri sequi renuat. Acta II. 136. V. 12.

[17]) § 235. Instr. Ratio, cur malitiosa desertio juxta praxin modernam inter causas divortii numeratur, est quia recidit vel in «odium capitale» vel in «acerbiores animi afflictiones.» Sed datur etiam desertio licita, et quidem 1. etiam invito altero: a) Cognito alterius adulterio; sed, ut licita sit secessio etiam pro foro externo, adulterium notorium esse debet, et notorietas probari a recedente. b) Si periculum corporis vel animae sit in mora, e. gr. si ex indomita viri saevitia mors vel vulnera sint timenda. Sed in utroque casu (a. et b.) pars secedens tum factum secessionis tum causas tenetur denuntiare judicio matrimoniali. Vid. rescr. Emin. Cardin. Vindob. ad tribunal matr. 26. Maj. 1858. Licita etiam est absentia viri ad bellum evocati, nec non ea, quae ad negotium expediendum per tempus brevius est necessaria. At 2. regulariter non licet conjugibus *mutuo consensu* discedere, neque ejusmodi mutuus consensus legitimam separationis decernendae causam subministrat. Sed in tali casu, si causae aliae non desint, procedendi formalitates praeter absolute necessarias, omittendae sunt. Instr. § 241. — Tolerare nullatenus debet parochus arbitrariam conjugum separationem. Post monitiones frustraneas res deferenda est ad episcopum, qui dissentientes aut sua auctoritate compellere potest, ut vel redeant ad consortium conjugale vel (si adsint causae) litem separationis in foro eccles. instituant, aut, si causae separationis non adsint, vel nequeant probari, iisdem fors via pastorali permittere valet, ut ad tempus separati vivant. Cfr. *Vering*, Archiv. t. 36. p. 406.

adigi debet, quin tamen propterea, si nolit, petitio divortii semper sit repellenda. — *e) Periculum bonorum et honoris civilis.* «Etiam propter tales officiorum transgressiones, quae juribus *bona temporalia* attinentibus vel *honori civili* alterius conjugis grave afferunt detrimentum, aut urgens parant periculum, temporalis a thoro et mensa separatio decerni potest» (§ 210). Jura conjugis quoad *bona temporalia* laeduntur vel in periculum adducuntur, si e. gr. vir bona profusâ luxuriâ dissipet, si aere alieno se obruat, si rem familiarem curare negligat, si immoderato potui vel lusui deditus sit etc. Periculum famae seu *civilis honoris* tunc adesse censetur, quando alter conjux ob crimina (etiam illa, quae dicuntur politica) poenas attrahit, ob quas bona existimatio etiam innocentis valde imminuitur; praesertim si fors et ipsa criminum socia exinde habeatur.

Ceterum notandum est, causas divortii esse difficilis probationis. Hinc dehortandus est conjux ab instituenda lite, quando causam sufficienter probare non potest.

§ 200. De modo procedendi in causis divortii.

1. *Reconciliationis procurandae tentamen.* «Conjux, qui separationem obtinere desiderat, ante omnia parochum suum adeat. Hic utramque partem vocabit et cuncta, quae lex Dei et foederis conjugalis dignitas ad animos commovendos suppeditat, motiva graviter simul et amanter adhibebit, ut conjugale vitae consortium intactum servetur. Si animos conciliare non valeat, secundo et tertio idipsum, octiduo saltem quavis vice interposito, efficere conetur. Tertium tamen omitti potest experimentum, quando animorum exacerbatio successus spem adimit aut manifestum sit, actorem vitae consortium continuare non posse, quin aeternam aut temporalem salutem urgenti exponat periculo . . . . Quodsi parochus frustra laboraverit, eo de negotio ad praesidem tribunalis matrimonialis referre et ubi conjuges bis tantum vocaverit, causam, ex qua tertium experimentum omiserit, accurate exponere debet. Addat insuper, an et quatenus gravamina allata ipsi fundata videantur.»[1])

2. *Quomodo petitio divortii sit proponenda.* Actor petitionem suam vel apud ipsum tribunal matrimoniale, vel in remotioribus dioecesis partibus apud commissarium sui districtus (nam episcopi ad inquirendum in causis separationis plures commissarios per dioecesim deputare jubentur § 214. Instr.) aut scripto porrigere aut in acta redigenda oretenus exponere potest. Dein separationis decernendae petitio tribunali matrimoniali proponatur oportet,

[1]) Instr. §§ 211. 213.

quod, nisi rationes aperte insufficientes sint, ad investigandum super negotio procedet, huncque in finem aliquem ex judicibus qua commissarium deputare solet, quando res in sede tribunalis pertractatur.[2])

3. *Inquisitio praevia.* Igitur primo tentandum est, ut negotium in inquisitione praevia absque probationibus in rigore juris talibus terminari possit. Eapropter ambo conjuges coram commissario personaliter comparere tenentur, ab eoque singuli examinari atque sibi invicem confrontari debent. Testes quoque a partibus nominati et alii, quorum depositiones ad quaestionem facti dilucidandam faciunt, interrogentur. Tum interrogationes tum responsa in protocollum redigi debent, cui omnes in actu praesentes atque etiam commissarius et secretarius subscribunt, quodque tribunali matrimoniali proponendum est. Hoc confestim ad sententiam ferendam procedere debet, quoties status rerum ex hac praevia inquisitione clare illucescit.[3])

4. Casu opposito *processus probatorius* instituendus est, in quo causae separationis, ad quas actor provocat, stricte in forma juris discutiuntur et *plene probari debent.*[4]) *Antequam sententia feratur, episcopus ordinare* potest, ut tribunal matrimoniale, quae decernenda censeat, ipsi proponat.[5]) «A decisione tribunalis matrimonialis conjux, qui ea se gravatum arbitratur, ad secundam instantiam provocare potest. Duabus sententiis conformibus latis ulteriori appellationi locus haud superest.»[6])

5. Quoad effectus divortii haec notanda veniunt: *a)* Separatio ipsum matrimonii vinculum haud afficit: «Licet separentur, semper tamen conjuges erunt.»[7]) *b)* Uxor non amplius tenetur sequi domicilium viri; sed vicissim etiam jure privatur sustentationem vitae a viro percipiendi, nisi vacet a culpa vel judex habita adjunctorum ratione aliter decernat. *c)* «Quoad postulationes et lites circa bona temporalia versantes, quae ex sententia in causa quadam matrimoniali lata oriuntur, partes ad judicium saeculare remittendae sunt.»[8]) Haec Instructionis monitio hodie, lege civili mutata, ex mente ecclesiae sic venit applicanda. Parochus audiens, conjuges divortium moliri, post frustraneam, ne hoc faciant, dehortationem, eosdem monere debet, ut judicem ecclesiasticum

---

[2]) Instr. §§ 214—216.
[3]) Instr. §§ 218—222.
[4]) Ib. §§ 223—243. Angustiae libri a describendo processu probatorio abstinere cogunt.
[5]) Instr. § 237.
[6]) Ib. § 239.
[7]) c. 2. de divort. X. (IV. 19).
[8]) Instr. § 244.

adeant, cujus est dijudicare, an in hoc casu divortium in conscientia concedendum sit, nec ne. Cum vero separatio in foro ecclesiae concessa fuerit, possunt causam deferre ad judicem saecularem; ad quem spectat judicare de effectibus civilibus. Equidem judex civilis haud insistet deinceps, uti prius lege praeceptum erat, sententiae judicis ecclesiastici, sed totam judicii telam juxta leges civiles[9]) de novo conficiet, effectusque, quos producit separatio,[10]) ex sententia *a se* concepta deducet. Sed num dissociatio conjugum etiam coram Deo licita sit, solius ecclesiae est determinare, quae proinde primo loco adiri debet. Quodsi actor, ecclesiae judicium declinans, ad judicem civilem recurrat, graviter quidem peccat; attamen reus salva conscientia rem suam in judicio civili potest tueri. Casu, quo sententia judicis civilis contradicit judicis ecclesiastici sententiae, in conscientia haud licite potest separatio conjugum fieri; sed tamen pars, quae invita relinquitur ab altero conjuge, ab omni culpa immunis est.[11]) *d)* Hi effectus cessant, si separati conjuges ad vitae conjugalis societatem redierint, id quod quovis tempore facere possunt. Porro pars innocens semper exigere potest, ut consortium matrimoniale restituatur,[12]) pars vero adulterii rea tunc tantum (saltem, ut ajunt, ex titulo *honestatis)* eo favore fruitur, quando altera in eandem culpam incidit.[13]) Similiter si ex aliis causis separatio fuit in

[9]) Lege civili (C. C. A. §§ 103—110) duplex genus separationis a thoro et mensa distinguitur: alterum quod fit cum mutuo conjugum consensu; alterum, quod fit invito altero conjuge. Ad prius genus nulla praeter dissensum conjugum requiritur causa; et ex hoc titulo separatio in judicio semper conceditur, quoties conjuges consentiunt tum in ipsam separationem tum in conditiones, sub quibus ea sit perficienda, scil. intuitu bonorum temporalium et alimentationis. Ad separationem posterioris generis decernendam requiruntur causae (§ 109. C. C. A.). Ad procedendi modum olim (vi § 104 et 107) trinum reconciliationis experimentum a porocho faciendum (in textu n. 1) pertinebat; sed lege d. 31. Dec. 1868 haec praescriptio eatenus immutata est, ut parochus solummodo *possit*, non autem *teneatur* istud experimentum praemittere et testimonium judici civili tradendum de hoc actu conficere. Si conjuges ejusmodi testimonium a parocho non afferant, dictum experimentum ab instantia judiciali debet fieri. De educatione prolis post factum divortium v. § 142. C. A. C. Effectus matrimonii ab exteris in terra extera soluti juxta leges illius territorii exteri a judice Austriaco dijudicandum est. Decis. min. 2. Jun. 1881 *(Riehl* Suppl. p. 33).

[10]) C. C. A. §§ 759. 1266. Quomodo ordinanda sit prolis alimentatio et sustentatio, definitur § 142.

[11]) Sic fere decreverunt episcopi Austriaci in suis instructionibus ad clerum post emissam legem d. 25. Maj. 1868 datis. Cfr. Kathol. Stimmen etc. t. II. Instruct. Cardin. et archiep. Vindobon. pag. 15.

[12]) c. 5. 7. C. 32. qu. 1; 61. regul. jur. in VI. (V. 12). *Schmalzgrueber* tit. 19. n. 123.

[13]) c. 4. 5. de divort. X. (IV. 19); c. 6. 7. X. (V. 16). *Schmalzgrueber* l. c. n. 134; antiquitus, sc. vigente usu poenitentiae publicae, non licuit in-

judicio decreta, pars quae causam praebuit, a judice petere potest, ut vitae conjugalis communio restituatur, modo probare possit, cessasse causas, ex quibus decreta fuit separatio.[14])

Articulus IV.

De secundis nuptiis.

§ 201. Quaenam cautiones pro contrahendis secundis nuptiis praescribantur.

Nuptiae secundae (quo nomine hoc loco etiam tertiae et ulteriores intelliguntur) ab ecclesia semper quidem admittebantur et contra haereticorum [1]) impugnationes defendebantur; at canones secundis nuptiis minus favere, ex eo adparet, quod bigami olim poenitentiae subjecti,[2]) et benedictione nuptiali jam pridem privati sunt,[3]) eademque hodiedum privantur. Ad contrahendum novas nuptias requiritur:

Pro conciliandis novis nuptiis requiritur:

1. *Moralis saltem certitudo de morte prioris conjugis,* i. e. talis notitia, quae formidinem de opposito excludit. Hujusmodi certitudo non habetur ex absentia multorum annorum, neque ex sola fama, neque ex alia probabili causa, sed ex certis nuntiis in jure probatis.[4]) Haec certitudo, et quidem evidens, facile haberi potest, si mors contigerit in eodem loco, vel in vicinia, aut si parocho alias indubitanter de ipsa constet. In ejusmodi casibus omnis probatio supervacanea est, quia, qui certus est, certiorari ulterius non debet. Secus autem est, si talis evidentia non adest, praesertim si agitur de morte secuta in partibus remotis, e quibus non semper adduci possunt notitiae sufficientem certitudinis gradum constituentes, ut proinde magna hac in re cautela adhibenda sit propter periculum polygamiae et alia incommoda.

1. Moralis certitudo de morte conjugis.

---

nocenti recipere adulterum, nisi poenitentia ab hoc peracta (c. 1. 4—8. C. 32. qu. 1). At hodie haec conditio non amplius attenditur, utpote cum publica poenitentia jam dudum ex usu recessit.

[14]) *Dworzak*, Die Wiederherstellung der ehelichen Gemeinschaft etc. Archiv. t. 18. p. 2. seq.

[1]) Montanistae et Novatiani, qui illas damnabant, ita, ut cum binubis nec communicare vellent, damnati sunt in conc. Nicaeno can. 8. Idem ecclesia declaravit contra Graecos et conc. Florentinum in decreto pro Jacobinis.

[2]) c. 8. C. 31. qu. 1. (conc. Neoc. an. 314).

[3]) c. 1. X. (IV. 21) Alex. III.; c. 3. eod. Urban. III. Bigamis adhaesit etiam incontinentiae suspicio. c. 9. C. 31. qu. 1; c. 10. eod. (Hieron.)

[4]) c. 2. X. (IV. 21.) Lucius III. decrevit: «ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus;» c. 19. X. (IV. 1.) Clem. III. «donec certum nuntium recipiant de morte virorum.»

2. Quomodo possit haberi.

2. Quaeritur vero, quomodo in defectu ejusmodi evidentiae moralis certitudo haberi possit? 1. Per legitimum testimonium parochi ex libro defunctorum excerptum cum subscriptione et sigillo parochiali, imo et ab episcopo vel curia episcopali legalisatum[5]) saltem in casibus quibus aliquod dubium de falsitate occurrit; vel etiam per aliam publicam et authenticam attestationem, factam a magistratu politico, aut militari; vel a notario publico aut alia persona in publica auctoritate constituta (Ferraris). 2. Per relationem et depositionem duorum testium fide dignorum, qui sint testes de visu.[6]) Unius testis depositio regulariter non sufficit, nisi roboretur aliis adminiculis, indiciis et conjecturis gravis momenti. Sed singularis cautio tum in admissione testium, tum in modo examinis requiritur. Etiamsi probationes difficultatibus premantur, nulla tamen respuenda est, quae aliquid ad fidem faciendam valeat; siquidem pluribus quandoque concurrentibus, quae seorsum certitudinem facere nequeunt, omnia tamen simul juncta hanc efficere possunt. Etenim etiam *praesumtionibus violentis* locus dari solet.[7]) Ut omne vero dubium excludatur, necesse est (etiam vi legum particularium), ut parochi priusquam ad copulationem procedant, vel notitiam ex testibus haustam, vel instrumenta producta ad episcopum deferant. 3. Denique mortis declaratio a magistratu politico facta potest inservire ceu adminiculum pro judice ecclesiastico, licet per se habenda non sit sufficiens probatio.[8]) Unde recte monet Instructio: «Quodsi absentis cujusdam conjux talia afferat, quae ejusmodi casum (i. e. solutum morte conjugium) adesse *valde probabile* reddant, commonendus est, ut praevie civilem adeat magistratum, cui ampliora suppetunt factum explorandi media, et cujus est, mortis declarationem quoad effectus civiles edere.»[9]) Cumque juris Austriaci praescriptiones hanc rem

---

[5]) Sic statuitur in decreto Clementis X. de 21. Aug. 1670, nec non in Instr. s. Officii d. 12. Jun. 1822 (Archiv. tom. 22. p. 186). Item in Instr. s. Officii d. 25. Dec. 1827 allegata in Instr. § 246. Omnium recentissima est Instructio s. Inquis., quae refertur in Acta s. S. (1870) tom. 6. p. 436.

[6]) Vide citatas instructiones (not. praec.), ubi docetur, quomodo sufficiens probatio per testes obtineri possit. Cfr. *Kutschker* t. 1. p. 217—269.

[7]) Cfr. Instr. recentis. l. c. p. 440 et casum adductum in *Vering*, Arch. tom. 27. p. 111. seq.

[8]) Pius VI. in sua Instr. ad aliquem episcopum Austriacum *(Kutschker* l. c. p. 234) sic habet: «Nihil tamen impedimento erit, quominus in hujusmodi judicio instituendo utaris actibus factis a foris saecularibus et a consistoriis acatholicis tanquam probationibus extrajudicialibus.» Sed haud raro mortis declaratio civiliter facta non sufficit ad procedendum in hac re, eoquod haec (juxta plurium statuum civilium leges) non certitudinem moralem, sed probabilitatem tantum praebeat. Cfr. Instr. recent. cit. not. 5.

[9]) Instr. § 246. — In imperio Austriaco mortis declaratio per judicium primae instantiae competens hoc modo perficitur: a) Mors alicujus praesu-

spectantes caute et prudenter matrimonii vinculo prospiciant, adminiculum maximi momenti judici ecclesiastico praebent. Sed tamen ex eo non sequitur, episcopo jus non competere, propria quoque auctoritate judicandi, an novae nuptiae, nec ne, in tali casu sint concedendae. Itaque conjux relictus, ubi judicialem declarationem impetravit, compartem suam habendam esse mortuam, matrimoniumque prius esse separatum, rem ad tribunal matrimoniale deferre ejusque sententiae se subjicere debet.[10])

---

mitur 1. cum annum aetatis 80. est assecutus ejusque commoratio per decennium ignoratur; 2. cum absentis commoratio, cujuscumque aetatis sit, ultra 30 annos ignoratur; 3. cum probari potest, absentem aut naufragium passum aut in bello graviter vulneratum vel in alio mortis periculo versatum esse, neque intra 3 annos, diligentissima licet inquisitione facta, reperiri potuisse. § 24 C. C. A. — b) At haudquaquam sufficit hoc tempus elapsum esse, sed debet insuper judicialis probatio institui et hoc tanto rigorosius, ubi etiam agitur de novo matrimonio ineundo. Normae procedendi in mortis declaratione generatim, et speciatim pro novo matrimonio contrahendo continentur in novissima lege d. 16. Febr. 1883 (Regierungsblatt 1883 n. 20. *Vering,* Arch. t. 49. p. 327) quarum summa est haec: Jam antequam petitio pro declaranda morte absentis judici competenti porrigitur, potest inquisitio institui quoad illa facta, ex quibus mors secuta probari potest, si forte fluxu temporis probatio fieri posset impossibilis. Generatim jam anno ante decursum temporis § 24 C. C. A. determinatum declaratio mortis peti potest. Et si absens in proximo mortis periculo versatus est, *statim* post hunc fatalem eventum pro obtinenda mortis declaratione supplicare licet. Sed sententia de secuta morte non est pronuntianda ante terminum § 24 notatum. Semper constitui debet curator, absentis causam acturus. Si tribunali judiciali causae sufficientes adesse videantur pro deducenda mortis declaratione, edictum tum in tabula affigi tum per ephemerides publicari debet, quo omnes monentur, ut judici vel curatori si quas habent informationes de absente, diligenter afferant, addita monitione, fore, ut anno elapso sententia feratur quoad petitam mortis declarationem. Termino edictali elapso judex, *nova supplicatione facta,* sententiam ferre debet. Quodsi mortis declaratio pronuntiatur, indicanda est etiam dies mortis, sive verus, sive qui a judice ex lege (§ 8) in hoc casu praesumendus est. Si absens reliquit conjugem superstitem, is petere potest, ut una cum mortis declaratione etiam matrimonium solutum esse pronuntiatur. In hoc casu praeter curatorem absentis etiam defensor matrimonii constitui debet. Ac deinceps quoque, sc. post factam declarationem mortis, peti potest, ut etiam conjugii solutio pronuntietur. Sed hac declarata defensor matrimonii appellationem pro tuendo matrimonio interponere tenetur. — Cum simpliciter agitur de *probanda morte* alicujus, in defectu documentorum, eodem fere modo procedendum est. Brevior tamen terminus edictalis, quam qui in mortis declaratione praescribitur, constitui debet, sed tamen non minor, quam trium mensium. — Lex haec quia satis sollicite praecavet polygamiam et conveniens est cautelis a jure canonico positis, attentionem etiam in foro ecclesiastico meretur. Cfr. *Kohn* in *Vering,* Archiv. tom. 48. p. 53.

[10]) Sic ordinavit Eminent. Archiep. Vindob. in instruct. ad clerum d. 19. Jun. 1868. Stimmen aus Oesterr. p. 12.

SUBSECTIO II.

De praecipuis divini cultus adjunctis.*)

§ 202. I. De temporibus sacris.

1. Dies festi.

1. Jam aetate Apostolorum praeter diem Dominicam, (quae loco sabbati Judaeorum cultui divino est addicta), plures dies festi, veluti Pascha, Ascensio, Pentecoste,[1]) sunt instituti, quibus postmodum alia festa B. M. Virginis et Sanctorum accesserunt. Ex his quaedam in universa ecclesia observantur, alia autem certis tantum urbibus vel regionibus sunt sacra.[2])

2. Quomodo celebrandi.

2. Duo autem observantia festorum importat praecepta; alterum affirmativum audiendi Missam, negativum alterum, cessandi ab operibus servilibus.[3]) Insuper hisce diebus nefas est agere mercatus rerum venalium, quamquam nundinae longo usu receptae sub certis conditionibus tolerentur,[4]) item actus jurisdictionis contentiosae prohibiti, imo etiam irriti sunt. Urgente tamen necessitate circa opera servilia dispensari potest ab auctoritate ecclesiastica. Denique etiam delectationes cum strepitu et tummultu prohibentur, vel quibus ceteroquin hi dies profanantur.[5])

3. Leges civiles qu. dies festos.

3. Praeceptum ecclesiae de festis observandis etiam imperantes civiles sua auctoritate fulcire semper adlaborarunt[6]) et

---

*) Non de singulis cultus divini partibus disserere in animo est, cum id ad Liturgicam pertineat; sed de praecipuis dumtaxat cultus divini adjunctis ea quam maxime notabimus, quae ad jus canonicum propius spectare videntur.

[1]) Haec festa ab Apostolis celebrata tradit s. August. ep. 54. c. 2. ed. Venet. 1729.

[2]) Ex decreto s. C. R. jussu Urbani VIII. 23. Mart. 1630 edito unaquaeque civitas et provincia sibi patronum ex Sanctis eligere potest. In nostro Imperio civitates et oppida patronum habere non solent, sed provinciae (politicae) tantum; patroni dioecesani festum pro choro tantum celebrari, legibus Josephinis permissum est, sed nihilominus ubique solemniter celebrari solet.

[3]) Cfr. *Ferraris* sub voce *Festa* et Bened. XIV. Inst. eccl. 43 et 65.

[4]) Bened. XIV. Const.: «Ab eo tempore» 144. in ejus Bullar. tom. 1. Docet ibid. Pontifex, nundinas diebus festis celebrari non debere; antiquum esse abusum mercatuum (qui fiunt de rebus minoribus) et nundinarum iisdem diebus: emere et vendere non quidem esse opus servile, sed per ejusmodi actiones distrahi fideles a cultu divino. Sed corrigi hunc abusum nisi prudentia et maturitate non posse.

[5]) Conc. Trid. Sess. XXV. de invocat. Sanctorum etc.

[6]) L. 1. 2. 19. 21. 24. Cod. Theod. de feriis (II. 8); 1. 5. Theod. de spectac. (XV. 5); Const. Childeberti (a 554). Pipini Capit. (735). Caroli M. (789). *Permaneder* p. 670. Cfr. *Euseb.* Vita Constant. L. 4. c. 23, ubi sic habetur: «Missa quoque lex est ad praesides provinciarum, ut diem dominicam etiam ipsi venerarentur. Iidem festos martyrum dies jussu principis observabant, et ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur.»

hodiedum illi status civiles, qui a principiis christianis non prorsus recesserunt, festorum profanationi suis legibus cavere student.[7]) Quam parum leges novissimae Austriae occidentalis festorum sanctificationi faveant, ex edicto ministeriali elucet, in quo haec continentur: Vigore artic. 15. legis imperii fundamentalis liberum quidem est ecclesiae, instituere dies festos; sed illius dispositiones effectum civilem non pariunt, adeo, ut vigore artic. 14. legis sic dictae interconfessionalis nemo externa gubernii vi ad festorum sanctificationem cogi possit. Contra duas dumtaxat profanationes auxilium brachii saecularis invocari potest. Scilicet artic. 13. legis interconfess. cavetur, ne *labores publici* non absolute necessarii eo tempore fiant, quo res sacra peragitur; porro ut omnes illi actus, quibus officium principale turbari posset, in locis templo vicinis ommittantur. Sed in praxi nec hae binae cautelae servari et urgeri solent. — Talis cum sit legum conditio (ita declarare pergit minister publicus), gubernio haud competit dies festos ad minorem numerum reducere, etiamsi haec reductio haud parum prosperitati populorum conducere videatur, sed hanc rem ad ecclesiae autonomiam spectare. Interim vero publicis officialibus injungitur, ut *abrogatos* saltem dies festos et ipsi non attendant, et plebem ab eorum observatione omni meliori modo avertere studeant.[8])

---

[7]) In imperio Austriaco perdurante epocha legislationis Josephinae interdicebantur *opera servilia,* sive ruri sive domi exerceri solita; nec licitum erat portare aut vehere gravia onera, plaustra onerare aut exonerare etc. praeterquam post horam 9. antemeridianam. Prohibebantur etiam publici labores in opificiis, nec non venationes clamorosae. Porro interdicebantur *nundinae, mercatura,* ipsaque venditio victualium erat restricta. Itemque *delectationes publicae* haud paucis anni diebus exulare debuerunt. Publici officiales *ferias judiciales* agere et non solum sanctificationi festorum invigilare, sed et ipsimet publicis sacris in sua ecclesia parochiali singulis dominicis festisque adesse sunt jussi. Decreta huc spectantia congesta inveniuntur: *Helfert,* Kirchenrecht p. 652; *Barthenheim,* Oesterr. geistl. Angeleg. p. 494; *Rieder* I. 224; denique in variis legum provincialium collectionibus.

[8]) Hic est tenor edicti a ministro pro rebus internis editi d. 20. Aug. 1869. Archiv. tom. 23. p. 121. Vide supra § 55. not. 9. VI. — Ad generalia principia in textu exposita haec specialia adjungere juvat: 1. Cum in lege status fundamentali cautum sit, ne quis, qui sui juris est, ad participationem solemnitatis eccles. cogi possit, non amplius datur lex, qua quis ad interessendum quibuscunque sacris adigi queat. Ergo pars affirmativa praecepti eccles. nullatenus a statu civili attenditur. — 2. Dies, quibus delectationes quaedam cum strepitu conjunctae prohibentur, nuperrime ad paucissimos restringi contigit. Nempe vi ordin. ministr. d. 1. Jul. 1868 (Archiv. l. c.) spectacula theatralia absolute prohibentur solummodo tribus ultimis hebdomadae majoris diebus, festo corporis Christi et in Vigilia Nativ. D. N. J. Ch.; Dominica vero Paschatis, Feria 2. Pentec. et in festo Nativ. D. N. J. Ch. ex speciali tantum instantiae politicae concessione et ad juvandum finem aliquem beneficientiae exhiberi possunt. Saltationes publicae omnibus praedictis diebus interdicuntur. Aliae publicae delectationes, veluti concentus

§ 203. II. De locis sacris. 1. De ecclesiis consecrandis et reconciliandis de earumque immunitate.

In locis sacris eminent *ecclesiae*[1]) seu loca ad cultum divinum publicum et praecipue Missae sacrificium celebrandum speciali consecratione aut benedictione dicata.

1. cclesiae exstructio.

1. Ut *exstructio* ecclesiarum legitime fiat, requiritur: *a)* causa justa bonum spirituale fidelium concernens; *b)* auctoritas episcopi, qui causam agnoscat, eos, quorum interest, audiat et, antequam fabrica inchoëtur, vel ipse vel per substitutum more consueto lapidem primarium benedicat crucemque in loco defigat. Item episcopo etiam structurae genus a viris peritis delineatum proponi ab eoque adprobari debet; *c)* dos necessaria pro ministris et pro conservatione aedificii et supellectilis.

2. Consecratio.

2. Ecclesia aedificata vel ritu solemni *consecratur*[2]) vel saltem per praeviam benedictionem cultui Dei addicitur, nam secus in ea rem divinam conficere nefas est. Ecclesiae benedictio etiam presbyteris, praecipue decanis ruralibus committitur, at consecratio soli episcopo competit. Et licet quovis die peragi possit, decentius tamen fit die festo vel dominica, praemisso pridie cum consecra-

---

musici, spectacula non theatralia, et similia, non prohibentur nisi tribus ultimis hebdomadis majoris diebus, nec non in Vigilia Nativ. D. N. J. Ch. — 3. Omnibus dominicis et festis hodiedum feriae judiciales agi debent, in quibus jurisdictionem administrare et partes citare non licet. (Allgem. Gerichts-Ordnung § 376. Strafprozess-Ordnung §§ 248. 323.) — 4. Ceterae leges, quae quoad festorum celebrationem usque ad annum circiter 1860 sancitae sunt, in praxi in usum non amplius perducuntur. Gubernium nostrum identidem provocavit ad art. 13. legis interconfessionalis (supra § 167. not. 6. VI.), asserens, cunctas leges antiquiores per hunc articulum abrogatas esse. Sed difficile est intellectu, qua ratione leges *confessionales* per legem mere *interconfessionalem* abrogatae sint. Nam lex interconfessionalis (prout etiam nomine et inscriptione ejusdem clare exprimitur) hunc solummodo scopum sibi praefixit, ut mutuae relationes diversorum cultuum, minime vero etiam eorum *jura interna* ordinentur. — Rebus sic stantibus jam non amplius urgentur leges, quae de mercatu et nundinis sapienter olim constitutae fuerunt. Scilicet alimenta ad vitam necessaria festis solemnioribus nunquam licuit vendere, aliis vero festis et dominicis nonnisi in taberna semiaperta, et finita in ecclesia re divina. Non tamen licet diebus festis et dominicis nundinas celebrare, publicas auctiones habere, nec non merces in plateis vel ostiatim vendere.

[1]) Vocatur ecclesia ab auctoribus etiam *oratorium, dominicum, basilica, templum, titulus, martyrium* (si in honorem martyris aedificata erat) etc. *Devoti,* Instit. lib. 2. tit. 7. — Quod attinet regularium exemtorum ecclesias, ad earum constructionem, conventu legitime jam erecto, non requiritur licentia episcopi. Cfr. *Treugott (Vering,* Archiv. tom. 26. p. 130): Ist die Erlaubniss des Ordinarius nothwendig zum Bau der Ordenskirchen?

[2]) Cum ecclesia simul ara maxima vel saltem alia (not. 10) consecrari debet. S. R. C. 19. Sept. 1665; 24. Maj. 1844; 23. Jan. 1850.

tore a parochianis jejunio.[3]) Ceterum dies anniversaria dedicationis quotannis, die ab episcopo fixe determinata, celebratur.[4]) Insuper ex recepta consuetudine (non vero ex praecepto) festum patroni titularis etiam a populo in foro singulis annis feriatur.

3. Consecratio *efficit,* ut ecclesia sacrosancta et inviolabilis evadat, ex quo ulterius ejus immunitas fluit, nempe ea, quae localis adpellatur. Sunt vero duae immunitatis partes, quarum *prior* (in sensu minus proprio) est, ut nullus profanus actus et inconveniens sine piaculo in ecclesia exerceri possit. Quia nimirum *domum Dei decet sanctitudo,* ideo procul ab ea absint oportet judicia saecularia, ludi theatrales, civiles conciones, nundinae, negotiationes, cantus profani et musicae, «ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum quid miscetur.»[5]) *Altera* immunitatis pars est *jus asyli,* quod consistit in securitate quibusdam maleficis illuc confugientibus praestanda adeo, ut inde violenter extrahi aut ad supplicia capitalia rapi non possint. Jus asyli in sensu intimo religionis, et in reverentia ac sanctitate ecclesiarum animis firmiter impressa, originem et fundamentum habet, ac propterea non tam legibus positivis quam more inductum fuit.[6]) Siquidem sensui religioso et injuriosum in Deum et inhumanum in homines esse videtur, facinorosos, qui in Dei tutelam se recipiunt, adhibita violentia a loco sacro abstrahere. Quod vero usu religioso inductum erat, deinceps etiam legibus confirmatum et propius definitum est.[7]) Juxta leges ab ecclesia latas jure asyli fruuntur: *a) loca sacra* velut ecclesiae etiam non consecratae et aedificia eisdem adjuncta, quae eorum externum ornamentum constituunt, iisdemque communicant,[8]) itemque oratoria episcopi auctoritate constituta, non autem oratoria privata; *b) loca religiosa,* uti monasteria, domus parochiales, palatium episcopi, coemeterium etc. Criminosus, qui ad ejusmodi loca confugerat, rogante episcopo vel mitiori poena

3. Ex qua fluit immunitas.

---

[3]) Hoc jejunium de praecepto ac populo pridie indicendum esse declaravit s. R. C. 12. Sept. 1840.

[4]) In nostris tamen regionibus festum dedicationis omnium ecclesiarum Dominica tertia Octobris annuatim recolitur.

[5]) Conc. Trid. Sess. XXII. de observ. et evit. in celebr. Missae.

[6]) Ejusmodi asyla apud ethnicos non tantum Deorum templa et altaria, sed principum quoque statuae praebebant.

[7]) Vetustissima, quae exstat de ecclesiarum asylo, est lex 1. de his qui ad eccles. confug. Cod. Theod. (IX. 45). (Cfr. eod. 1. 2. 3. 4. et l. 6. Cod. Justin. eod. [I. 12]). Verum ista lex non asylum constituit, sed late jam patuisse demonstrat.

[8]) Attamen haec externa templorum loca, puta atria vel porticus a s. Sede identidem jure asyli privata fuere, ne ad ea scelesti confugerent et asylo gauderent, lapide apposito, qui privationem indicaret Acta II. 484. Cfr. ibid. 45. seq., ubi exponitur, qua extensione jus asyli in ditione Pontificia vi legis publicae viguerit.

(saltem non poena mortis vel mutilationis) afficiebatur, vel cum judicis saecularis consensu poenitentiis dumtaxat ecclesiasticis subjiciebatur. Sed ne confugii spes facilitatem criminum pariat, graviorum quorundam facinorum rei ab asyli privilegio excluduntur. Atque hi quidem sunt: latrones publici, grassatores viarum, homicidae (nisi casu, vel ob justam sui defensionem homicidium patratum sit), laesae majestatis rei, conflantes vel corrumpentes monetas aureas et argenteas, crimen falsi in literis Apostolicis admittentes etc.[9]) Verumtamen hodie hae leges, olim utilissimae, vix alicubi in toto suo vigore servantur, imo a compluribus gubernіis civilibus ex integro sublatae sunt. Et certe, quia processus criminalis nostra aetate ad ordinem cordatiorem ubique redactus est, flagitiosique non amplius vindictae privatae neque tam gravi coërcitioni publicae subjacent, sicuti olim id accidit; haud aegre sedis Apostolicae consensus impetratur, ut isthoc priviligium ad arctiores limites revocetur. Pontifice tamen inconsulto abrogare illud non licet, eoquod ecclesiis naturaliter affixum est. In Concordato Austriaco illud tantum statuitur, sacrorum templorum immunitatem servandam esse, *in quantum id publica securitas et ea, quae justitia exigit, fieri sinant.* (Art. XV.) Denique notandum est vigore novissimae Constit. Pii IX. «Apostolicae sedis» excommunicationem latae sententiae (simpliciter) reservatam Pontifici in eos statui, qui praecipiunt violationem immunitatis asyli, vel qui temerario ausu hanc immunitatem violant (vid. in Append. n. V.).

4. Ecclesiae execratio.

4. Interdum ecclesiarum reconsecratione vel saltem reconciliatione opus est, quando nimirum aut execrantur aut polluuntur. Censetur autem ecclesia *a) execrata*, si vel tota vel majori ex parte corruat vel destruatur, ut, licet eadem materia maneat, de novo exstrui debeat; item si incrustatio interioris parietis quoad majorem saltem partem auferatur aut decidat.[10]) Si autem partes ecclesiae successive reparentur, non deperditur consecratio, etiamsi ob ejusmodi separationes tandem nulla pars de priori aedificio supersit. Idem procedere videtur, si interior crusta per partes minores reficiatur paulatim tota. Pars siquidem minor in unum conjuncta cum majori parte ecclesiae hujus consecrationem participare censetur ex regula: *Pars major ad se trahit minorem.* Si-

[9]) c. 6. 10. de immunit. eccles. X. (III. 49). Greg. XIV. Constit. «Cum alias» 1591. Bened. XIII. Constit. «Ex quo» 1725. Bened. XIV. Constit. «Officii nostri» 15. Mart. 1750.

[10]) c. 20. D. 1. consecr.; c. 6. X. de consecr. eccles. (III. 40). *Zallinger* h. t. § 458. *Reiffenstuel* h. t. § 1. n. 13. s. Alphons. Liguor. Theol. Mor. lib. 6. n. 367. Si ecclesia nova consecratione indiget e. g. quia nihil fere prioris structurae remansit, consecratio perfici potest consecrando unacum ecclesia aliquod ex minoribus altaribus loco altaris majoris jam consecrati s. C. C. 31. Aug. 1872. Acta s. Sed. XII. p. 223.

militer quando ecclesia amplificatur, ita tamen, ut nova pars addita sit minor, non opus est nova consecratione, sed tantum, ut nova pars adspergatur aqua benedicta. Verum effectus consecrationis vel benedictionis etiam per pollutionem ecclesiae destruitur.

Pollutio.

b) Polluitur ecclesia, quando in ea certae quaedem turpes sacroque loco injuriosae fiunt actiones, ob quas communi aestimatione indignum reputatur, quod in ea sacra peragantur, antequam reconcilietur atque purgetur. Isti actus in jure expressi sunt sequentes:[11]) *a) Voluntaria, injuriosa* et *graviter peccaminosa sanguinis effusio in ecclesia causata.* Itaque, quia hae voces stricte sunt intelligendae, non violatur ecclesia: *α*) ubi sanguinis effusio non est copiosior (quia *effusio* copiam, non aliquas tantummodo guttas denotat); *β*) ubi fit ab amente vel casu; *γ*) quae fit licite v. gr. ob justam sui defensionem; *δ*) si actio, qua sanguis funditur, omnibus pensatis non est graviter peccaminosa, id quod hinc inde locum habebit, si pueri invicem in ecclesia se percutiant; *ε*) si sanguinis effusio non in ipsa ecclesia, sed extra illam aut in turri causetur. *b) Voluntarium et injuriosum homicidium sui ipsius aut alterius, etiamsi sanguis non effundatur.* Homicidium violat ecclesiam (prout dictum est de sanguinis effusione), si causa ponitur in ecclesia, etsi mors extra illam sequatur. *c) Voluntaria* et *illicita* seu peccaminosa *seminis effusio* in illa facta, probabilius etiam ob copulam conjugalem extra casum necessitatis habitam. *d) Sepultura excommunicati vitandi, infidelis, vel etiam infantis sine baptismo defuncti* (sed probabilius infantis duntaxat parentum infidelium).

At violatio non adducitur, nisi praefati casus sint *publici* sc. notorietate juris aut facti, quia ecclesia in casibus occultis suam bonam retinet famam. Ecclesiae desolatio seu conversio ad usus profanos v. gr. tempori belli eam quidem non violat: praxis tamen docet, quod tales ecclesiae ad cautelam per sacerdotem delegatum denuo reconcilientur.[12]) In ecclesia polluta non possunt sacrificia et divina officia sine peccato gravi celebrari (excepto casu necessitatis) aut in contiguo coemeterio aliquis sepeliri, quia polluta ecclesia etiam coemeterium adjacens polluitur, non vero vice versa, quia accessorium ad se non trahit principale.[13]) «Si sacerdote cele-

[11]) *Reiffenstuel* h. t. § 1. n. 15. seq.

[12]) S. R. C. 3. Maj. 1821. et 27. Febr. 1847. Instr. Eystett. p. 107.

[13]) Praelaudata Instr. haec praescribit: «Simul ac ecclesiae cujusdam pollutio fuerit notoria et indubia, parochus ss. Eucharistiae Sacramentum in aliam ecclesiam, vel, si alia non adfuerit, in sacristiam transferat, altaria denudari, imagines velari, januas claudi et omnes eccles. functiones una cum sepulturis in adjacenti coemeterio interdici faciat et casu ad Nos relato, ulteriora exspectet Vicariatus nostri mandata. Si vero pollutio fuerit dubia, nihil nobis inconsultis fieri attendat.»

brante (dicitur in rubrica Missalis [N. X. n. 2]) violetur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa; si post canonem, non dimittatur.»

Reconciliatio ecclesiae consecratae de jure[14]) per episcopum tantummodo fieri potest; sed vi facultatum quinquennalium[15]) sacerdos quoque inferior delegari potest, quemadmodum etiam ecclesia benedicta tantum per sacerdotem reconciliatur, qui absque privilegio delegari potest.

§ 204. 2. De capellis.

Per capellas[1]) seu oratoria hic intelligimus loca sacra in agris, in civitatibus aut in domibus privatis exstructa eum in finem, ut inibi s. Missa celebrari possit.

1. Oratoria duplicis generis.

1. Duplex datur oratorii genus: publicum et privatum. Ut unum ab altero facilius internoscatur, haec criteria attendi debent.[2]) Juxta praxin curiae Romanae capella *publica* censetur, quae *primo* exstructa est in loco publico et omnibus accessibili, ita, ut vel januam habeat ex platea vel loco publico patentem; aut saltem si infra aedes sit, semita ad eam ducens cuicumque libera servetur. *Alterum* indicium est, ut usui publico non privato sit destinata, quod tunc obtinet, quum etiam exteri in bona fide ad satisfaciendum praecepto ecclesiae ibidem s. Missam audiunt, aut per campanam ad missam vocantur; tanto magis capella pro publica reputari debet, si cum ipsa beneficium aliquod sit conjunctum, aut privilegia altaris vel indulgentiae a sede Apostolica ei perpetuo sint concessae. E converso oratorium *privatum* illud censeri debet, quod in privatis aedibus exstructum vel iis ita contiguum est, ut janua in has dumtaxat aedes ducat, quin foras pateat exitus, et proin usibus privatorum tantum destinatur. Advertendum tamen est, capellam ex constructione privatam usu immemoriali tacitoque saltem Ordinarii consensu converti posse in publicam, uti ex pluribus s. C. C. declarationibus (e. g. in Monasterien. 28. Maj. 1853) patet. Denique notandum, publicorum carcerum, hospitalium, etsi laica dumtaxat auctoritate erec-

---

[14]) c. 9. de consecr. eccl. X. (III. 40).

[15]) Append. IV. n. 11.

[1]) Capellae etymon dubium est et multiplex significatio. Intelligitur enim eo nomine: 1. altare in templo exstructum; 2. sacellum a templo sejunctum; 3. sacellum extra templum positum sed eidem adhaerens; 4. locus sacer in templo ferreis clausus cancellis cum uno vel pluribus altaribus; 5. ejusmodi crypta subterranea; 6. quaevis ecclesia per se subsistens, etiam parochialis.

[2]) Ueber die Hauscapellen in *Moy* Archiv. t. 3. p. 501. seqq. s. Liguor. Theol. Moral. l. 4. n. 318. seqq. *Gattico* de oratoriis domest.; Linzer Quart.-Schrift 1881 p. 648 seq.: Ueber öffentl. und Privatcapellen etc.; *Scavini*, Theol. Moral. t. 4. p. 132.

torum (s. C. C. 27. Mart. 1847 apud *Lucidi* de visit. s. lim. I. p. 98), Seminariorum,[3]) orphanotrophiorum, spiritualium exercitiorum, denique capellas episcoporum in domibus, ubi habitualiter resident, erectas pro *publicis* considerari, et in his quidem etiam absente episcopo vel sede vacua celebrari potest.

2. Capellae *publicae,* etsi pro offerendo ss. sacrificio primitus non inserviant, nonnisi cum episcopi consensu exstrui possunt, qui in iis admittendis examinare debet, num justa adsit causa aedificandi et dos sufficiens assignata. Ut in iis ss. Missa celebrari possit, eas decenter ornatas, saltem benedictas et licentia episcopi, quae parieti affigenda est, instructas esse oportet. Ad usus tamen profanos pro libitu sacella publica converti nequeunt, quod de privato oratorio non est ita, nisi sit consecratum vel benedictum.[4]) 2. Publica.

3. Oratorium *privatum* domi habere unusquisque potest; sed pro celebranda Missa summae sedis licentia requiritur.[5]) Conditiones vero, quae in ejusmodi concessione apponi solent, sunt potissimum sequentes: *a)* Ut sit locus ex caemento et lapidibus constructus, ab omnibus domesticis usibus liber[6]) atque ab episcopo visitatus et adprobatus; sufficit tamen, si tapes vel aliud peristroma ex tela lanea contextum, quod commode removeri potest, vices quarti muri sustineat.[7]) *b)* Ut regulariter una tantum Missa quotidie dicatur, in festis vero solemnioribus a celebratione omnino abstineatur. *c)* Ut nonnisi privilegiati seu ii, qui in Brevi principaliter nominantur, praecepto de Missa audienda 3. Privata.

---

[3]) Juxta decis. s. C. C. 11. Jun. 1718 (Ferraris s. v. Oratorium n. 93) potest erigi oratorium in collegio, ibique quolibet die Missa dici, ss. Sacramentum administrari discipulis et famulis in collegio degentibus (excepta paschali communione). Censet praeterea Bouix (de Episc. II. 123. n. 4), in Seminariis etiam posse asservari ss. Eucharistiam ad viaticum ministrandum. Hoc tamen ultimum non debet extendi ad oratoria in conservatoriis puellarum. *Giraldi* I. 447.

[4]) Vulgatum est illud, quod post glossam et ceteros juris canon. interpretes tradit *Fagnanus* in cap. 27. De censib. n. 6: «Quod hodie privatum oratorium est, cras poterit fieri camera, cum non sit locus Deo dicatus.» *Devoti* l. c. § 33. (Nam oratoria privata nunquam benedicuntur ritu praescripto in Rit. Rom. pro publicis oratoriis s. C. C. 11. Mart. 1820). — Sed permittente episcopo etiam ecclesiae minores, non parochiales, converti possunt ex legitimis causis in profanos usus, praesertim si ob desertionem fatiscant, locumque aperiant irreverentiae et dedecori, quin populus ex earundem restauratione fructum percipiat. Acta II. 464. — Capellas confraternitatum, etiamsi regularium sint, episcopi jurisdictioni et visitationi subesse, docet Benedict. XIV. in Inst. 105.

[5]) Vid. § 101. 5.

[6]) Non licet habitare die noctuque et etiam dormire in domibus aedicatis super capellis, in quibus quotidie celebratur. S. R. C. 11. Maj. 1641

[7]) Instr. Eyst. p. 98.

satisfaciant. Ex mente s. Sedis in concedendis *ordinariis* indultis oratorii privati per verba: *in tua ac familiae tuae* etc. *praesentia* intelligitur privilegium extendi indirecte dumtaxat ad familiam etc., ita, ut solummodo intuitu praesentiae principalis privilegiati possint ceteri indicati in indulto frui oratorio privato. Per familiam vero intelliguntur pater, mater, filii, uxor, nurus et gener et descendentes per lineam rectam, sub cura et regimine parentum existentes et cum privilegiato in eadem domo manentes, itemque famuli domestici, sed tantum qui tempore Missae domino sunt necessarii. *d)* Actus parochiales v. gr. baptismus, banni nuptiales, inibi exerceri prohibentur, nec etiam sine episcopi licentia Sacramenta poenitentiae et eucharistiae possunt administrari.[8])

§ 205. 3. De coemeteriis et sepulturis.

1. Coemeteria.

1. Inter *loca sacra* pertinet etiam coemeterium (dormitorium, polyandrium), quod est locus auctoritate Ordinarii pro ecclesiastica fidelium sepultura deputatus. Quia leges Romanae sepulturas intra urbem fieri vetabant, loca isthaec initio extra civitatem erant. Sed lapsu temporum primum principibus, episcopis et aliis viris praestantibus, dein populo universo non in civitate tantum prope ecclesias, sed intra ecclesiam ipsam sepultura concessa est.[1]) Hodie tamen per leges politicas sepultura in ecclesia inhibetur, exceptis principibus, qui in ecclesiis propriis suis sepulturas habent, nec non episcopis, qui in cathedrali humantur. Ipsum etiam rituale Romanum praescribit: «Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur.»[2]) Coemeteria muro circumdari, signo crucifixi instrui ac decenter et pie quoad omnia servari oportet. Ob loci reverentiam non permittendum, ut opera profana ibidem exerceantur, vel tabernae et mensae a nundinatoribus exstruantur, vel res forenses et judiciales promulgentur. Etiam prospiciendum, ne cruces e tumulis deciduae negligantur vel omnino pedibus con-

Qua ratione sint instruenda.

---

[8]) De s. functionibus licitis in capellis tum privatis tum publicis vid. Linzer Quartals-Schrift l. c. p. 686 seq.

[1]) *Devoti* lib. II. t. 9. Das kirchl. Begräbniss und die Coemeterien in *Moy* Archiv. I. p. 25. et p. 80.

[2]) Tit. 6. c. 1. n. 9. Juxta leges Austriacas 1. sepulchra gentilitia in ecclesiis sublata nonnisi in coemeteriis habere licet, sed cadavera sub terra humanda sunt. 2. In monasteriis eorumque ecclesiis sepulturae et cryptae sublatae sunt, religiosique in coemeterio communi (vel etiam proprio) sepeliri debent. 3. Coemeteria urbium et locorum insigniorum in situm a domicilio aliquatenus distantem sunt transferenda. De juribus parochorum quoad coemeteria communia recens constituta et de aliis quibusdam eorum juribus quoad funera vide Acta V. p. 126. 130. 209. 221. 569.

terantur. Intra ambitum coemeteriorum haud raro etiam ossuaria existunt, in quibus fidelium ossa, justo ordine disposita, reponuntur; porro legibus nostris sancitum est, ut in quavis parochia adsit locus pro reponendis cadaveribus aptus, quae domi usque ad sepulturam servari nequeunt.

2. Ad christianam sepulturam duo pertinent: humatio in loco sacro,[8]) et adhibitio ritus sacri. *Locus sacer*, seu coemeterium

[8]) Quidam civilitatis modernae amici publicis indictis comitiis cremationem cadaverum commendare imo et gubernia ad hunc ritum inducendum instigare non desistunt. Eorum argumenta ad haec collimant: 1. Populi rudes, ajunt, cadavera sepelire solent, populi culti eorum cremationi favent. — Hodie, tam splendida culturae luce radiante, regrediendum esse ad methodum cremationis, a qua medii aevi ignorantia recessit. — 2. Cremationem cadaverum postulat ratio sanitatis publicae; nam aër valde noxius ex coemeteriis erumpens modernam societatem inficit et varios creat morbos. — 3. Methodus cremationis (addunt aliqui) minime laedit religionem, nec contraria est disciplinae ecclesiasticae, multoque minus dogmati catholico. — Resp. 1. Longe universalior semper fuit usus sepeliendi cadavera prae usu cremationis. Nec verum est, cremationem esse signum aliquod evidens culturae populorum. Nam etiam populi culti, v. gr. Aegyptii usum sepulturae constanter retinuerunt. Ipsi Romani cadavera non igni sed terrae mandare consueverunt usque ad tempus, quo eorum cultura in luxum degeneravit. Primus enim dictator Sylla fuit, qui corporis sui cremationem in testamento suo indixit. Cicero ipse laudat *antiquissimum sepulturae genus; redditur enim terrae corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur.* (De leg. l. 2. n. 22.) — 2. Argumentum hygienis publicae veteribus erat prorsus ignotum et refutatur tum experientia tum scientiis physicis. Morbi et mortalitates nostri temporis non causantur a corporibus in sinu terrae, sed ab hominibus super faciem terrae. — 3. Quod attinet nexum cremationis cadaverum cum religione, haec duo sunt notanda: *a)* Ista crematio contraria est *disciplinae* ecclesiae constanti et non interruptae. Nam statim ab incunabulis ecclesiae mos invaluit, a populo Dei jam inductus, corpora demortuorum fidelium terrae mandandi, licet tunc temporis in Urbe Roma methodus cremationis invaluerat. Ecclesia siquidem ab hoc more recedendum esse putavit, eumque quasi corrigere voluit. Cohaerenter cum modo sepeliendi corpora ecclesia suam liturgiam instituit, quae prorsus immutanda esset, si ritus cremationis induceretur. Quomodo vero sperare licet, fore, ut ecclesia recedat a ritu tot saeculorum usu sacrato, et mutet in hunc finem sua ritualia? Alia ratio desumitur ex c. 1. Xvag. commun. (III. 6). In hoc loco Bonifacius VIII. sub poena excommunicationis interdicit, fidelium corpora exenterare, membratim concidere, aut etiam decoquere, tanquam actum violentum et impium contra defunctos. Equidem hujusmodi actus violenti per modum exceptionum saepe non sunt illiciti e. gr. pro studiis anatomiae, pro autopsia cadaveris ad detegendum crimen homicidii, ad condienda corpora principum, qui nonnunquam petunt alibi sepeliri cor, alibi alia membra. Sed hujusmoni exceptiones, quae fiunt ex utriusque potestatis conniventia, firmant regulam: generatim cadavera esse naturaliter consumenda, omni violenta actione hominis exclusa *(De Angelis* l. III. t. 28; *Scavini* t. IV. n. 67). — *b)* Dicta crematio dogmati catholico quidem directe non adversatur, sed tamen illud obscurat et ex conspectu fidelium removet, dum e contrario sepultura aptissime doctrinam ecclesiae exprimit et illustrat. Quid est significantius,

omnino jurisdictioni ecclesiae subest, iis solis rationibus exceptis, quae ad sanitatem publicam, vel etiam ad modum rectae constructionis spectant. Ratio prioris est, quia 1. coemeterium est *locus sacer* specialibus ecclesiae ritibus benedictus, ad recipienda fidelium corpora, usque dum ad vitam resurgant aeternam.

2. Ad christ. sepulturam pertinet etiam locus sacer, qui jurisdictioni ecclesiae subest.

2. Coemeterium non est *locus publicus,* omnibus indiscriminatim destinatus, veluti viae publicae, flumina, portus etc. Idcirco coemeteria non pertinent ad *bona publica,* omnibus communia, sed sunt addicta dominio et dispositioni ecclesiae, id quod tam ex eorum sacra benedictione, quam ex speciali fine religioso, cui inserviunt, manifeste sequitur.[4]) Proinde ecclesia jus habet tum constituendi sibi exclusive (sc. cum exclusione acatholicorum) coemeteria, tum propria auctoritate judicandi, quinam in suo coemeterio sepultura ecclesiastica sint donandi, quinam vero ea privandi. Neque ecclesiae propter hanc assertam sibi auctoritatem nota *intolerantiae* et *inhumanitatis,* vel omnino laesae cultuum paritatis potest inuri. An injuriose agit ecclesia, dum ex una parte exigit, ut libere de suis sepulturae locis disponat, ex altera vero parte alios cultus non impedit, quominus et ipsi de suis prorsus libere disponant? Officium vero humanitatis quod attinet, nemo in regionibus nostris jure merito hoc ab ecclesia violatum esse conqueri potest, quandoquidem jam ab a. 1856 tum ex conventione cum gubernio, tum legibus conciliorum provincialium caute provisum est, ne quod funus in defectu coemeterii pro acatholicis destinati in agro vel

---

quam si corpus, de terra sumtum, ad exprimendam poenam peccati, terrae redditur? Et si corpus tanquam *granum frumenti* (Joan. 12, 24) seminatur *in corruptione,* resurrecturum *in incorruptione* (1. Cor. 15, 42)? Has aliasque christianas ideas, ac praesertim pias preces pro defunctis tollere volunt hujus systematis sectatores. Et haec proprie est causa, ob quam illud tanto verborum apparatu celebrare satagunt. — Ad quaesita: 1. An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera. 2. An licitum sit, mandare ut sua aliorumve corpora comburantur? — s. C. Inquis. d. 19. Maji 1886 respondit ad 1. *Negative* et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri posse poenas contra has latas. Ad 2. *Negative.*

[4]) Per summam proinde injustitiam (ait *De Angelis* l. III. t. 28 de sepult.) status civiles et municipia construunt coemeteria sic dicta *civilia* vel *municipalia,* in quibus omnium mortuorum cadavera sine ullo religionis discrimine conduntur. Sed si ejusmodi coemeteria fuerint *benedicta,* ecclesiae jurisdictioni non possunt subduci. Gravior tamen est juris violatio, ubi potestas civilis illa quoque coemeteria confessionibus etiam acatholicis facit communia, quorum dominium spectat vel ad fabricam ecclesiae catholicae, vel ad communitatem parochialem catholicam. (NB. Si coemeterium tabulis publicis inscribatur, nomine et titulo ecclesiae debet intabulari, quando parochus hactenus coemeterii administrationem gessit, ac obventiones ex sepulturis provenientes in aerarium ecclesiae inferri solent. Wiener Dioecesan-Blatt 1882. p. 9.)

n prato recondatur.[5]) His nimirum praescriptionibus graviter injungitur parochis, ut in locis, quibus separatum pro acatholicis coemeterium haud exstat, in coemeterio catholico pars quaedam separari atque muro vel sepe distingui debeat, in qua corpora eorum, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, humari possint. Hoc si observetur, certe nemo obsequiis, quae humanitas exigit, defraudabitur! Cetera vero communionis ecclesiasticae signa, in funeribus catholicorum consueta, extraneis ecclesia non potest concedere. Unde ab eorum funeribus omnis ritus catholicus, campanarum sonitus, quaevis assistentia parochi catholici (etiam in veste profana), denique etiam inferiorum ecclesiae ministrorum v. gr. aeditui, cantorum etc. cooperatio exulare debet.[6]) Legibus Josephinis tum cantilenae protestantium in coemeterio catholico tum orationes funebres ministrorum acatholicorum prohibitae erant. Sed hodie vi ordin. ministerialis pro cultu d. 7. Juli 1879 pastores acatholici non prohibentur orationes funebres habere in coemeterio catholico, ubi lege civili conceditur[7]) sepeliri hominem acatholicum in coemeterio catholico. In reliquis casibus non permittitur, ut sive ministri alienae religionis sive generatim *laici* in coemeterio catholico orationes habeant.[8])

3. Sepultura ecclesiastica *donari* debent omnes qui in communione fidelium defuncti, et hoc honore per canones haud indigni sunt declarati. Quinimo si quem in loco profano humari contigerit, curandum, ut corpus quamprimum in locum s. transferatur et interim crux capiti illius apponatur. Alias vero non

3. Quinam sepultura eccles. donandi sint.

---

[5]) Edict. ministerii pro cultu a. 1856 et circulare Archiep. Viennen. d. 25. Febr. 1856. Concil. provinc. Viennen. p. 134.

[6]) Hae regulae continentur tum in litteris 25 episcopornm Anstriac. S. C. Majestati d. 28. Sept. 1868 porrectis, tum in eorundem episcoporum instructionibus ad clerum dioeces. emissis. Cfr. instruct. episc. Linciens. Stimmen aus Oesterr. t. II. fasc. 3. p. 14; instruct. archiep. Gorit. ibid. fasc. 4. p. 14; archiep. Olomuc. fasc. 5. p. 24. — *Kohn* in *Vering,* Archiv. tom. 40. p. 90—92, ubi probatur, *locum sacrum* pertinere ad notionem sepulturae eumque per se denegandum esse haereticis. Quamvis vero illicita sit humatio acatholici in coemeterio catholico, hoc tamen propterea non polluitur. Tolerari autem posse declaravit Congr. s. Officii (d. 30. Mart. 1859) si consanguinei acatholici inferantur sepulchro gentilitio familiarum catholicarum. — Omissio ritus sepulturae non potest creare molestiam parocho, eoquod art. 14 legis imp. fundamentalis expresse cavetur: «Nemo cogi potest ad actum ecclesiasticum» etc. — Cfr. *Vering,* Archiv. tom. 25. p. 122 seq.

[7]) Id locum habet in duobus casibus, sc.: «Nulla societas religiosa potest corpori hominis ab ipsa extranei honestam in suo coemeterio sepulturam denegare, quando 1. agitur de corpore recondendo in sepulchro gentilitio; 2. quando in ea communitate, qua quis decessit aut mortuus inventus est, non exstat coemeterium illius cultus, cui defunctus erat addictus.» Art. 12. L. interconfess.

[8]) Linzer Quart.-Schrift 1880 p. 199 seq. *Vering,* Archiv. tom. 43. p. 229.

licet cadaver e loco suae sepulturae asportare; spoliatio autem sepulchri in foro etiam civili qua facinus sacrilegum plectitur. Quilibet, etiam uxor et filius pubes, invito patre vel matre, jus habet, libere pro se eligendi locum sepulturae. Quod si quis talem locum elegerit, cautum est in jure, ut ex iis rebus, quae ad aliam ecclesiam funeris causa delatae sunt, pars aliqua, quae dicitur *quarta funeraria* seu *canonica*, detrahatur et parochiae propriae tribuatur.[9]) Ad periculum evitandum, ne quis vivus tumulo inferatur, nunquam licet defunctos, nisi post legitimum temporis intervallum i. e. apud nos non ante 48 post obitum horas sepulchro mandare, morte ex peritorum inspectione per literas parocho tradendas contestata.[10]) Prohibentur sacerdotes funeris causa quidquam pacisci, pauperes vero, quibus tantum non superest, ut propriis expensis humari possint, gratis sepeliendi sunt.[11]) Etiam leges politicae, quae in hac materia sanitatis causa sunt constitutae, observari debent.[12])

d. Quinam sepultura eccles. sint privandi.

4. Nonnulli sepultura ecclesiastica ex canonum praescripto *privari* debent, adeo, ut neque in loco sacro neque adhibito ritu sacro sepeliendi sint. Etenim sepultura christiana jus honorificum est, iis tantummodo competens, qui in communione ecclesiastica vixerunt, et se hujus communionis saltem in vitae exitu haud indignos exhibuerunt; unde apparet, duplex hominum genus a sepultura ecclesiastica excludi oportere.

a. Defuncti extra communionem ecclesiae.

a) Prima classis est eorum, qui separati ab ecclesiae communione vixerunt et in tali statu ex hac vita migrarunt, ad quos spectant: *α*. Omnes non baptizati i. e. pagani, judaei, foetus immaturi et infantes etiam fidelium absque baptismo e vivis sublati.[13]) *β*. Excommunicati publici et notorii, nisi signa poenitentiae dederint vel desiderum reconciliationis cum ecclesia manifestaverint.

---

[9]) Ex jure et more hodierno in tali casu obventiones stolares etiam proprio parocho solvi debent. Regulariter humationem in ecclesia parochiali defuncti fieri oportere, jam supra dictum est. (§ 127. 3. a.)

[10]) Neque parochi, ait Instr. Eystett., ob suam commoditatem aut haeredum importunitatem se in abbreviatione hujus temporis faciliores exhibeant.

[11]) Rituale Rom. tit. 6. c. 1. n. 6. 8. Manuale Brixin. p. 222.

[12]) Juxta ipsas v. gr. unumquodque sepulchrum sex pedes in profundum et quatuor pedes latitudinis habeat oportet, sepulchrum vero proximum quatuor pedum spatio distet. Ut cadaver possit exhumari vel ut funus transportari in aliud coemeterium, nempe extra locum, in quo quis defunctus est, requiritur licentia instantiae politicae infimae. Edict. minist. d. 3. Maj. 1874. (Reichsegsetzblatt Nr. 56. Archiv. tom. 46. p. 155.) Sed hac licentia non opus est ad transportandum funus in aliud coemeterium *ejusdem* loci. ibid. et decis. minist. d. 31. Jan. 1876 l. c. tom. 37. p. 80.

[13]) Hi in loco separato a coemeterio benedicto humari debent c. 12. X. (III, 28.)

Si id fecerint, rite quidem sepeliri possunt; verum antequam id fiat, juxta formam in Rituali Romano[14]) praescriptam absolvi debent. Per sepulturam excommunicati *vitandi* polluitur coemeterium. *γ.* Nominatim interdicti vel in loco interdicto morientes. Sed hi ultimi extra locum interdictum asportari, ibique sepeliri possunt. *δ.* Haeretici,[15]) qui errores suos palam profitentur, licet fors materiales tantum sint; item eorum fautores notorii nec non schismatici publici. *ε*) Apostatae a fide christiana, inter quos omnes impii numerandi sunt, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum, materialismum docent, seu uno verbo omnes, qui divinam revelationem negant.[16]) Quoad hos recensitos regula valet: «Sacris canonibus institutum est, ut quibus non communicavimus vivis, nec communicemus defunctis.»[17])

b. Qui ob scelera per canones a sepultura eccles. excluduntur.

b) Altera classis est eorum, qui licet *catholici* essent, impietate sua ecclesiae dedecori erant atque in contumacia et impoenitentia e vivis excesserunt, ac propterea in jure canonico sepultura ecclesiastica *expresse indigni* declarantur. Quoad hos praemonendum est, illos honore isto ultimo nonnisi tunc privari, ubi *certo* constat, illos eodem omnino indignos esse. Odia enim *in dubio* sunt restringenda. Ejusmodi vero sunt: *α. Duellantes,* si in ipso conflictu decesserint, etiam tunc, cum poenitentiae signa dederint et absoluti fuerint. Imo *etiamsi extra locum conflictus Sacramentis muniti decesserint,* ait Bened. XIV.; sed hoc ultimum non est apud omnes receptum[18]) (infra § 221. 2. b. *α.*). — *β. Peccatores publici* et notorii,[19]) qui in impoenitentia decesserunt

---

[14]) Tit. 3. c. 4.

[15]) «Neque oblatio pro eo fiat, neque inter christianos accipiat sepulturam.» c. 8. X. (V. 7.) — «Sepulturam haereticorum (sc. in loco s.) tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest» s. C. Inquis. 13. Jul. 1609 (ap. *Giraldi* I. Sect. 809).

[16]) *Gury* n. 1011.

[17]) c. 12. X. (III. 28); S. Leo M. epist. 167. ed. *Ballerini:* «Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.»

[18]) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 19. de ref. Bened. XIV. «Detestabilem» in ejusd. Bullar. tom. 4. p. 16. Rituale Rom. tit. 6. c. 2. n. 4. Mitius statuitur in Conc. prov. Rhemensi (1849, tit. 9. c. 4): «Denegatur sepultura iis, qui in conflictu duelli vel in actu evidenter criminoso perierunt, *nisi* adhuc viventes poenitentiae signa dederint.» — Notanda est decisio s. C. Inquis. d. 28. Maj. 1884: 1. Non posse medicum rogatum a duellantibus assistere duello cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi et curandi; 2. eundem cum tali intentione neque in domo vicina vel in loco propinquo sistere posse, et in utroque casu excommunicationem incurrere; 3. hoc idem in iisdem conditionibus nec confessario licitum esse, si *ex condicto* fiat ab eoque pariter excommunicationem incurri. — Sed ad notionem duelli requiritur, ut fiat pactum de tempore et loco, quia secus esset rixa.

[19]) «Quibus peccata non sunt dimissa, a s. locis adjuvari post mortem non possunt.» s. August. c. 16. C. 13. qu. 2.

e. g. post vitam in concubinatu vel adulterio publice traductam, vel si isti fuerint manifesti usurarii (in sensu canonico), nisi prius restituerint vel de satisfaciendo cautionem praestiterint. Verum in tali casu tum de graviter peccaminoso habitu certo constare debet, tum impoenitentia omnino certa et adeo publica sit oportet, ut eorum sepultura ecclesiastica sine novo scandalo esse non possit. — γ. *Peccatores,* qui in *actu criminis decesserunt,* si ipsis tempus non erat ad manifestanda poenitentiae signa. E. g. si homicida ab eo ipso occiditur, quem injuste aggresus est. Sed crimen debet esse certum et publicum morsque strictissime in ejusdem actu secuta, adeo, ut prorsus manifestum sit, ejusmodi peccatorem non *potuisse* poenitere. — δ. «*Qui* imminentis sibi mortis conscii *extrema ecclesiae Sacramenta* ipsis oblata praefracte ac coram testibus *respuerunt*» (conc. provinc. Viennen. p. 133). — ε. *Interdicti* per sententiam *ob omissam confessionem annuam* vel *communionem paschalem* nec non ii, de quibus publice constat, quod semel in anno praedictae obligationi non satisfecerint et absque ullo contritionis signo obierint seu usque ad finem in impoenitentia certo perseveraverint.[20]) — ζ. Corpora eorum, *qui ultimo supplicio* affecti sunt, si poenitentes obierint, per se possunt quidem rite sepeliri; ast ob horrorem ceterorum possunt etiam honore sepulturae privari, si lex civilis id praecipiat.[21]) —

[20]) c. 12. Omnis utriusque X. (V. 38), ubi haec sanctio poenalis adjungitur: «Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae *arceatur* et moriens christiana careat sepultura.» Igitur 1. Supradicta intermissio punitur tum interdicto (Catechism. Rom. de Sacr. Euchar. n. 59; *Scavini* III. n. 244) vel excommunicatione, prout ab aliis verba intelliguntur *(Gury* n. 1012) tum privatione sepulturae eccles. Sed 2. prior poena manifeste est ferendae sententiae, proin parochus omittentes communionem paschalem praevie monere, ac dein eos, uti jubet Rituale Rom., episcopo denuntiare debet (tit. 4. c. 3. n. 2). Si talis decedat ante sententiam episcopi, non est eccles. sepultura privandus, uti declaravit s. C. Episc. et Regul. 14. Jun. 1595, nisi intermissio sit *notoria* ac omissionis reus absque ullo contritionis signo obierit, *vel* adsit statutum synodale in contrarium, ut decidit eadem s. Congr. in Baren. 15. Dec. 1596. Vid. *Catalani,* Rituale Rom. t. I. p. 400. ed altera Patavii 1760. Neque in novissima Pii IX. Constitut. «Apost. Sedis» omissio communionis paschalis aliqua censura latae sententiae notatur. Cfr. *Ernst Müller* in Linzer Quartalsschrift 1883 p. 501 seq., ubi auctor ostendit, impoenitentiam eorum, qui supra in textu sub β. γ. δ. ε. recensi sunt, tum *certam* tum *publicam* esse oportere. Quod speciatim eos attinet, qui extrema Sacramenta respuunt; iidem tunc tantum arcentur a sepultura eccles., si pertinaciter i. e. imminentis sibi mortis conscii, praefracte, animo infideli aut impoenitenti et cum contemtu, ac praeterea *publice* seu coram *testibus* Sacramenta respuant. Dissuadet auctor (cum *Scavini* IV. 83 et pluribus aliis), ne sacerdos ejusmodi refractarium de susceptione ss. Sacramentorum interpellet coram *aliis,* ut scandala evitentur ob ejusdem pertinaciam pertimescenda. Ast in aliis locis e contrario praxis est, ut talis interpellatio ex consulto fiat *coram testibus.*

[21]) *Schmalzgrueber* ad h. t. n. 69. In Austria tales in loco supplicii a carnifice sunt sepeliendi. Strafprocessordnung 1853. § 323.

η. *Suicidae*, qui sibi culpabiliter mortem intulerunt, nisi aliquamdiu supervixerint et poenitentiam egerint. Distingui debet inter autochiriam voluntariam et involuntariam. Sola voluntaria, et quidem tali actu perpetrata, qui omnibus consideratis peccatum grave constituit, ab honore sepulturae excludit. In dubio, e. gr. ubi quis mortuus reperitur submersus in flumine, semper mitius praesumendum est, scilicet eum potius casu aut per vim, quam sponte et a se ipso occisum esse. — Apud nos ex decreto ministeriali d. 7. Oct. 1857 instantia tum ecclesiastica tum politica unitis inter se consiliis de imputabilitate cujuslibet homicidii ac de tribuenda vel neganda sepultura ecclesiastica judicare debuit. Sed nuper (vi ordin. minist. d. 24. Aug. 1873) istud decretum ministerii ex integro abrogatum, et ejus vice quoad locum sepulturae suicidarum restituta est praescriptio, quae data fuerat in litt. patent. de 17. Jan. 1850. Hujus vigore suicidae sepeliri debent in coemeterio, sed in silentio i. e. sine pompa funebri. Cessat ergo inquisitio antehac *ex officio* institui solita, num culpabile an inculpabile fuerit suicidium. Liberum vero relinquitur superioribus ecclesiasticis, utrum funus suicidae cum debito sacro ritu comitentur, an vero functiones sacras omnino intermittant.[22]) «Ubi medici censuerint, hominem morbo laboravisse rationis usum praepediente, eorum judicio standum erit, nisi circumstantiae, ex quibus eum mentis compotem fuisse merito colligeretur, plene probatae essent.»[23]) «Quando autem certo constet de insania, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum, quando autem dubium superest, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum» (s. C. C. 16. Maj. 1866).

Omnes igitur recensiti omissis quibusvis ritibus e. gr. campanarum sonitu, ceremoniis et precibus ac praesertim Missa, per solos laicos humo traduntur. Qui indignum sepeliverit in loco sacro, graviter peccat; qui vero mandant aut cogunt, ut detur

[22]) Cfr. supra not. 6. Ordinariatus Brixinen. huic decreto has monitiones in usum cleri adjecit: «Hoc edito decreto procul dubio emergent casus, in quibus animarum curatores illud permittere debebunt, quod impedire non poterunt. Sed meminerint, quoad reliqua omnia ecclesiae praescripta manere intacta, et ad amussim esse servanda. Ex hoc ipso autem, quod ista ordinatione minist. coemeterium non amplius consideratur tanquam locus benedictus, clare illucescit, quantopere expediat, ut in coemeterio communi in quantum fieri potest, locus proprius separetur pro sepultura eorum, qui cum gravi culpa semet occiderunt.» Dioecesanblatt 1873 p. 33.

[23]) Apud *Penocchi* Comment. II. p. 97. not. 1. Cfr. Conc. prov. Vindob. p. 133. — Recte menet *Gury* (ed. *Ballerini* n. 1013) agendum in hac re esse juxta principium: «In dubio odia sunt restringenda.» Cum enim, ait, incommoda magna nostris praesertim temporibus ex denegatione sepulturae oriri soleant, expedit ut talis denegatio non fiat, nisi de ejus obligatione certo constet.

sepultura ecclesiastica haereticis notoriis aut personis nominatim excommunicatis vel interdictis, excommunicationem ipso facto (nemini tamen reservatam) incurrunt.[24])

§ 206. III. De rebus sacris.

In sensu remotiori omnes res ad Dei cultum pertinentes, licet non sint benedictae, sacrae dici possunt, quatenus nempe a profano hominum commercio subtractae Deique servitio addictae sunt. Ejus generis e. gr. sunt candelabra, lampades, baldachinus, thuribulum, urceoli, vas pro aqua benedicta, vexilla, organum etc. At vero in sensu strictiori res sacrae illae tantum sunt, quae per specialem vel benedictionem vel consecrationem (in qua etiam intervenit unctio) ad Dei cultum destinantur.

1. Res consecratae.

Inter res *consecratas* primum locum occupant *a)* altaria, quae vel fixa sunt vel portatilia (viatica). Utraque saltem in superiori parte debent esse lapidea et ab episcopo consecrata. Ara lapidea portatilis tam ampla esse debet, ut hostiam et calicem sustentet.

Altaria.

Altare fixum constat ex tabula (mensa) superiori et ex structura inferiori, seu basi, cui conjungitur. Basis haec ex lapidibus aedificata esse debet, quorum quatuor angulares in summitate positi per caementum cum tabula arcte conjungantur. Inest cuilibet altari sepulchrum seu loculus, in quo reliquiae Sanctorum reconduntur, quique sigillo i. e. parvulo lapide clauditur. Execratur altare *fixum*, si mensa superior amovetur ab inferiori structura seu basi, cui est immobiliter affixa. Ratio est, quia consecratio altaris fixi censetur esse in conjunctione mensae cum basi. Aliud obtinet si altare est fixum *in sensu improprio*, scilicet si super structura stabili et immobili, sed non consecrata, lapis consecratus amovibilis ponatur. In tali casu unus lapis alteri pro necessitate vel opportunitate suffici potest, salva manente consecratione, quae unice in lapide haeret.[1]) Execratur porro altare *tam fixum quam mobile* 1. si lapis superpositus enormiter frangitur, ut calix cum patena secundum majorem sui partem in eo stare non amplius queat. Portatile non execratur, si lignum cui lapis inclusus

---

[24]) Const. Pii IX. «Apost. Sedis» d 12. Oct. 1869. Infra § 218.

[1]) Ejusmodi structura sufficit ad privilegium altaris consequendum, quod loco conceditur, non lapidi. Vide duo decreta s. C. de Propag. fide d. 15. Dec. 1841 et s. C. Indulg. 20. Mart. 1846 apud *Neher*, Altare privilegiatum p. 75 et decretum s. C. Indulg. d. 26. Mart. 1867 (Acta III. 100), ubi sic habetur: «Ne autem dubium circa qualitatem altaris fixi exoriatur, Sanctitas sua edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur.» — Si altare privilegiatum diruatur, et in eodem loco construatur, non amittit privilegium. Acta l. c. not.

est, frangitur aut avellitur; execratur vero, si ejus anguli, in quibus chrisma ponitur, notabiliter franguntur. 2. Si frangitur aut removetur sepulchrum. Submoto lapide qui sepulchrum in altari fixo tegit, altare nova consecratione indiget, quamvis tactae non fuerint reliquiae, ex decreto s. C. R. 14. Mart. 1861 (Acta III. 649). Si vero altare consecratum *per modum unius* de uno loco in alium transfertur, non amittit consecrationem. Polluta ecclesia polluitur quidem altare *fixum;* sed tamen per execrationem ecclesiae non continuo execrantur altaria; et vicissim, si execrantur altaria, non deperditur ecclesiae consecratio. Siquidem actus diversi sunt altaris et ecclesiae consecratio.[2]) — *b) Campanae,* quarum usus in ecclesia antiquissimus est, ut ad usus *sacros*[3]) adhibeantur, ab episcopo benedictae sint necesse est. Ad denuntiandas populo res profanas eas pulsare regulariter non licet, nisi vel necessitas vel causa gravis et rationabilis excuset e. gr. in periculis incendii, inundationis, hostilis incursus etc. Feria quinta majoris hebdomadae inferiorum ecclesiarum campanae conticescant, antequam cathedralis vel parochialis sonitum campanarum finierit; sabbato s. vero eandem pulsando non praeveniant.[4]) — *c) Calix et patena* pariter consecratione per episcopum chrismate peragenda indigent. Eaque deperditur, si calix ita frangitur, ut fiat inutilis ad s. sacrificium.[5]) Probabilius vero execratio non fit absumta per longum usum inauratione: quando tamen ob hoc de novo inauratur, nova consecratione opus est.[6])

2. Res benedictae. Vasa.

2. Ad res *benedictas* pertinent: *a)* Vasa, quae solummodo ad recipiendam, non vero ad conficiendam ss. Eucharistiam destinantur, scilicet pyxis pro asservandis ss. hostiis, ostensorium et corporalia.[7]) *b)* «*Vestimenta ecclesiastica,* quibus Domino mini-

Vestimenta.

[2]) *Moy,* Archiv. II. p. 209 seqq.; *Fornici* Institut. liturg. p. 20; *Reiffenstuel* l. 3. tit. 40. Altaria portatilia ita consecrata, ut sepulchrum reliquiarum non lapide marmoreo, sed cera sigillari vel gypso coopertum fuerit atque firmatum, *nova consecratione indigere* censuit s. C. Rit. 9. Sept. 1880. Acta s. Sed. XVII. p. 350. Vid. ibid. indultum pro nova ejusmodi altarium consecratione. — De destructione et profanatione ecclesiarum et altarium vid. s. C. C. d. 22. Dec. 1860 ap. *Lingen* «Causae selectae» p. 872.

[3]) Notum est proverbium: Sabbata pangit, funera plangit, fulgura frangit; dissipat ventos, pacat cruentos.

[4]) S. R. C. 10. Dec. 1603.

[5]) E. gr. quando pes inamovibilis frangitur et separatur; item (ait s. Liguor. Theol. Moral. l. VI. n. 369) si foramen sit in fundo licet minutissimum, non vero si sit in loco superiori.

[6]) S. R. C. 14. Jun. 1845 apud *Probst* kirchl. Benedictionen p. 322.

[7]) S. R. C. 16. Nov. 1649 De horum vasorum materia vide *Moy,* Archiv. t. 2. p. 215. Benedictionem tabernaculi seu sacrarii, in quo pyxis asservatur, haud de praecepto esse dicunt. *Probst* l. c. p. 349.

stratur, et sacrata debent esse et honesta.»[8]) Et quidem adeo gravis est obligatio utendi vestibus *benedictis* in liturgia, ut sine iis sacerdoti sacrum facere non liceat, etiamsi urgeat praeceptum audiendi Missam die festo. Quodsi paramenta ita dissolvantur, scindantur, aut eam formam mutent, sub qua sunt apta ad s. ministerium et sub qua sunt benedicta, deperdunt benedictionem. Vestes et res benedictas ad usum profanum convertere non licet.[9])

Multae res aliae.

c) Benedici debent etiam tobaleae altaris, item corporalia et pallae, non vero purificatorium, bursa et velum calicis. Porro «cruces altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto; potest tamen simplex sacerdos eas benedicere privatim, non solemniter.»[10]) Similiter imagines reliquae, pictura aut statuis expressae, et venerationis causa sive in ecclesia sive extra eam collocandae, a sacerdote privatim tantum benedici *possunt*.

SECTIO III.

De exercenda potestate s. imperii.

CAPUT I.

De potestate legislatoria.*)

§ 207. Quales sint conditiones legis ecclesiasticae.

Quae requirantur ad valorem legis:

Lex ecclesiastica describi potest, quod sit ordinatio stabilis superioris ecclesiastici competentis fidelibus modo obligatorio imposita. Ex qua definitione patet, ad validam legem inducendam nonnulla requiri ex parte tum legislatoris tum ipsius legis. Itaque

1. Ex parte legislatoris.

1. Ex parte causae efficientis legum, seu ex parte legislatoris requiritur, ut legislator sit *competens* i. e. ut polleat auctoritate praecipiendi et praecipiat infra territorium suum et terminos suae potestatis. Unde leges *universales* seu pro tota ecclesia valiturae

---

[8]) c. 42. D. 1. de consecr.

[9]) S. C. Rit. d. 20. April 1822 respondit: calices, aliaque vasa consecrata, ante novam deaurationem aut fusionem ab artifice peragendam, nullatenus ritu aliquo esse praevie execranda e. gr. percussione per manum sacerdotis vel mediante aliquo instrumento. *Gardellini* ad hoc decretum num. 4588) observat: vestes sacras, ad usum eccl. minus aptas comburendas esse, calices vero, deperdita inauratione, per se esse execratos; si vero calix solummodo ex majori decentia expoliri et inaurari velit, episcopum adeundum ejusque licentiam petendam esse. Denique non illicitum esse, calicem per transfusionem in usus profanos convertere. Cfr. *Uhrig* in *Vering*, Archiv. t. 40 p. 3 seq.

[10]) Bened. XIV. Const. «Accepimus t. II. p. 57.

*) Exclusis quaestionibus moralibus nonnisi ea strictim inserimus, quae nostrum institutum propius attingunt.

condi tantummodo possunt a Papa vel solo, vel simul cum concilio oecumenico, quia ipsi tanquam successori Petri potestas in totam ecclesiam tradita est. Leges autem *particulares* a conciliis inferioribus, ab episcopis, a capitulis sede episcopali vacante, a praelatis nullius dioecesis cum territorio separato et a vicariis apostolicis in terris missionum.[1]) *Statuta* denique condere possunt: *a)* capitula cathedralia circa res et negotia ipsum collegium concernentia; *b)* praelati, qui non sunt *nullius* quoad ecclesias et clericos sibi subjectos, sed tantum infra limites statutorum a superioribus adprobatorum; *c)* ordines religiosi in capitulis plerumque generalibus juxta consuetudines suas, privilegium et modum suae regulae; *d)* congregationes religiosae, piae sodalitates et alia collegia ecclesiastica.

2. Ex parte ipsius legis non solum requiritur, ut sit *honesta, utilis bono communi et justa,* sed etiam ut sit *promulgata.* Nomine promulgationis intelligitur annuntiatio legis publice facta a legitima auctoritate, ut tota moraliter communitas eam cognoscere possit. Promulgatio legis omnino necessaria est, ut obliget; nec sufficit tantum ejusdem notitia, eoquod lex non potest esse regula generalis et publica actionum, nisi communitati sit manifestata et applicata. Sufficit vero legis notificatio publica, nec necessarium est, ut intimatio quasi juridica singulis fiat,[2]) dummodo ita perficiatur promulgatio, ut lex dehinc ad communitatis notitiam pervenire possit. Certus et stabilis modus promulgationis in jure canonico haud praescribitur; unde ille pro sufficienti haberi debet, qui a legislatore eligitur. Quoad leges pontificias a sex fere saeculis[3]) praxis invaluit, eas affigendi in locis quibusdam publicis Urbis Romae. Ejusmodi promulgationem non sufficere arbitrati sunt Jansenistae, Gallicani aliique, existimantes in singulis quoque provinciis eam fieri oportere. Verum promulgatio Urbi facta etiam *orbi* facta censenda est. Nam: *a)* Ipsimet Pontifices obligatoria volunt decreta sua absque speciali in singulis provinciis

2. Ex parte ipsius legis.

Promulgatio.

---

[1]) *Cardinales* in suis titulis quidem leges ferendi jure pollent, sed illud nonnisi restricte exerceri potest, quia territorium cum populo non habent. *Legati* tali jure hodie non fruuntur, pariterque metropolitae eodem carent pro suffraganeorum dioecesibus.

[2]) Cap. *Ad haec* 1. X. de postul. prael. (I. 5) Innoc. III. — Diversae sunt res: promulgatio et evulgatio legis. *Promulgatio* est actus ille legalis, quo lex communitati denuntiatur; ad evulgationem pertinent modi et media, quibus lex jam promulgata, quantum fieri potest, in singulorum notitiam perducitur.

[3]) Primum affixionis exemplum prostat ex tempore Martini IV., qui a. 1281 Imperatoris Michaëlis Palaeologi excommunicationem in ostiis majoris Urbevitanae (Orvieto, ubi tunc degebat Pontifex) ecclesiae suspendi fecit. Bullar. Rom. tom. IIIart. p. 2. p. 30.

promulgatione.[4]) Item in curia Romana, ait Suarez, totius orbis lites definiuntur juxta leges pontificias Romae publicatas, etiamsi alibi promulgatae non sint. Ergo quia talis publicandi modus a legislatore statuitur, vim obligatoriam necessario inducit. *b)* Dictus promulgationis modus per se sufficiens est, ut lex ad omnem communitatem pervenire possit. Nam facile est Romano Pontifici authenticum exemplar de sua lege Romae promulgata mittere nuntiis Apostolicis et episcopis, qui hanc notitiam clericis et fidelibus de facili communicare poterunt. Diariis insuper leges inseruntur et bullario, adeo, ut in occultis latitare neutiquam possint. Sed notandum, quod isti actus non pertinent ad promulgationem legis, sed ad evulgationem legis jam promulgatae. *c)* Denique si in locis ab Urbe dissitis legum promulgatio necessaria esset, vis decretorum papalium summo periculo exponeretur, quia homines religioni infensi publicationi gravissima obstacula obmovere non desinerent. Ceterum haud semel peculiaris modus publicationis praescriptus est,[5]) prout inter alia de celebri concilii Trid. decreto assistentiam parochi concernente omnibus constat.[6]) Lex promulgata, statim ac in cujuspiam notitiam pervenit, sive directa ejusdem intimatione, sive alio authentico modo id fiat, obligare incipit; quodsi tamen directa legis intimatio non habuit locum, praesumtio stat, eam legem post duos menses a promulgatione elapsos, cuicumque innotescere.[7])

3. Vis legis non pendet ab acceptatione.

3. Disceptatur etiam, an valor legum ecclesiasticarum ac praesertim papalium pendeat ab acceptatione sive populi sive principum sive episcoporum. Sed dicendum est, *per se* leges nullo modo pendere a cujuscumque acceptatione quoad vim legalem, quia secus corrueret omnis vis legum, auctoritas legislatoris, ipseque ecclesiasticus ordo. Verum haec duo desuper notanda sunt: *Primum* est, quod episcopi (prout ipse Benedict. XIV. docet),[8]) quoties legem aliquam Pontificiam suis dioecesibus opportunam

---

[4]) Nimirum clausula bullis adponi consueta est sequens: Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas ad valvas etc. affigi et publicari sicque publicatas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, acsi unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.

[5]) E. gr. publicatio annua in singulis dioecesibus c. 40 de simonia X. (V. 3), vel frequens denuntiatio in singulis ecclesiis, velut in *c. Omnis utriusque* 12. X. de poenit. et remiss. (V. 38) et c. 4. § 1. X. de crim. falsi (V. 20).

[6]) Decretum «Tametsi» sess. XXIV. c. 1. de ref. matrim. in singulis ecclesiis parochialibus publicari et explicari praeceptum est; at vis obligatoria elapsis post publicationem 30 diebus decreto accessit.

[7]) Vid. *Phillips* K.-R. 5. B. §§ 204. 205. *Schulte* l. c. § 18. *Bouix* de princip. jur. c. p. 166—202.

[8]) De synod. l. 9. c 8. n. 3.

non esse perspiciant, imo et noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibentur, quin potius ad id omnino tenentur. Durante supplicationis tempore legis obligatio ipso facto suspenditur; ast statim ac rescripserit Pontifex, objectas sibi rationes non probari, lex independenter ab acceptatione sive episcopi sive populi certo incipit obligare. Attamen tali supplicationi locus non est in constitutionibus dogmaticis, neque in iis disciplinaribus, in quibus non lex ipsa sed tantum interpretatio legis continetur, neque si Papa suam legem absolute obligatoriam declaret, non obstante quacunque consuetudine contraria, neque demum in materiis, quae s. ritus, ceremonias, Sacramenta, clericorum vitam respiciunt, quia isthaec a pontificia auctoritate omnino pendent et inferiorum judicio et censurae nullo modo subjecta esse debent.[9]) *Secundo* notandum est, *per accidens* quandoque fieri, ut lex non acceptata non obliget, si legislator non urgeat. Quamvis enim peccaverint priores, qui legem non acceptarunt, alii tamen culpa vacant, ratione taciti vel expressi consensus superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae.[10])

§ 208. De legum effectu et subjecto.

1. Lex promulgata subditos obstringit, ut actus legi consentaneos ponant, contrarios omittant, porro in contravenientes poenas decernit, denique certos actus legi repugnantes vel ipso facto invalidos reddit, vel per judicis sententiam invalidandos.[1]) Censentur autem leges certo cuidam territorio esse affixae, ultra quod vim suam non protendunt. Et quidem jus commune ad universum orbem extenditur, jus vero particulare in iis regionibus valet, pro quibus constitutum est. Statuta et observantiae proprie loquendo territorium non afficiunt, sed valent tantummodo pro certa ecclesia, vel pro certo capitulo, conventu religioso etc. Si diversae leges *in eodem territorio* sibi adversantur, primas partes quoad valorem sibi vindicat privilegium. Hoc deficiente jus particulare regionis attendendum est, ad quod etiam legitimae dispositiones gubernii saecularis in causis mixtis referri debent. Denique in defectu juris particularis vel legitimae consuetudinis jus universale applicandum venit. Nota est regula: Jus *particulare* derogat *universali.*

1. Effectus legum

Adstringuntur ad territorium.

[9]) Bened. XIV. l. c. n. 3. *Schulte* l. c. § 21. *Bouix* l. c. p. 156 seqq.

[10]) c. 3. D. 4. gloss.: «Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium adprobantur.» *Zallinger* h. t. § 176.

[1]) Quae sint species legum e. g. leges praeceptivae, poenales, permissivae, irritantes etc. et quid operentur, moralistae copiose exponere solent. *Zallinger* h. t. § 177. *Engel,* Colleg. juris can. h. t. n. 9.

2. Subjectum legis sunt subditi rationis habitualiter compotes.

2. Subjiciuntur vero legi ecclesiasticae omnes et soli subditi, rationis habitualiter compotes. Ratio est, quia lex ferri non potest 1. *in non subditos,* eoquod intuitu eorum legitima deficit auctoritas, neque 2. in homines *usu rationis habitualiter carentes,* quia isti legibus dirigi nequeunt. Qui vero ad breve tempus carent ratione, subditi quidem sunt legi, sed ab ejus impletione *excusati*

Num infantes?

dicuntur. Ex quo principio haec corollaria fluunt: *a)* Infantes et perpetuo amentes legibus ecclesiasticis non subjiciuntur. Impuberes annos directionis adepti ad ea, quae aetati suae conveniunt, qui-

Infideles?

dem obligantur, sed poenae nonnisi puberes feriunt.[2]) *b)* Ecclesiae subditi non sunt, nisi qui per januam baptismi in ipsam sunt ingressi. Hinc infideles legibus ecclesiasticis non obligantur. Etenim quamvis ecclesia jus habeat eosdem sibi aggregandi, iique ipsam ingredi teneantur, tamen ejusdem jurisdictioni reapse haud sunt obnoxii. Itaque infideles juri divino naturali tantum subsunt, omnesque eorum actus, qui a jure naturali prohibentur, etiam ab ecclesia reprobantur vel prorsus irriti habentur, quoties illos

Haeretici?

ad forum ecclesiasticum deduci contingit. *c)* Haeretici et schismatici, *per se* et in abstracto loquendo, tenentur legibus ecclesiasticis utpote per baptisma ecclesiae associati; quamvis enim sint rebelles, non desinunt esse ecclesiae subditi.[3]) Sed alia quaestio est, utrum ecclesia *hodiedum in istos jurisdictionem cum vi coactiva de facto exerceat?* Olim haeresim tanquam crimen ab utraque republica castigatam esse, omnibus constat. Sed hodie cum sectae haereticae civiliter pleno jure receptae sint, cum porro in iis homines ab infantia educari soleant; ecclesia haereticos (praeterquam quod excommunicati sunt) poenis suis non persequitur neque ullam jurisdictionem in ipsos exercet. Quoties tamen ecclesia de effectibus legum suarum judicat, actus etiam acatholicorum non aliter, quam

Peregrini?

ad earundem legum normam judicare potest. *d)* Peregrini i. e. qui in loco quo sunt, neque verum neque quasi-domicilium acquisierunt, tenentur *primo* ad leges communes, etiamsi istae in suo territorio essent abrogatae, vel per dispensationem hic et nunc non obligarent. Etenim absentes non gaudent privilegio territorii sui, sed subsunt legislatori communi. Non vero *secundo* tenentur generatim legibus sive sui territorii[4]) sive loci, in quo versantur. Ratio

---

[2]) c. 1. 2. de delictis puerorum X. (V. 23). Cfr. *Staller,* Epitome Theol. Mor. Brixinae 1883. I. p. 72.

[3]) Ita omnes e. gr. *Laymann* in c. Can. n. 2. de Const., *Engel* eod. n. 16. *Reiffenstuel* eod. n. 274. *Schmalzgrueber* eod. § 6. n. 35. Const. Bened. XIV. «Singulari nobis.» Cfr. *Laurin* in Linzer Quartalschrift 1882. p. 716. seq.

[4]) Puta: etiamsi animo se legis obligationi subducendi e territorio suo quis exeat; excipe tamen si abeat, ut a reservatis absolvatur, aut matrimonium clandestine celebret in loco, ubi decretum Trid. «Tametsi» non viget.

est, quia, ut quis ligetur legibus particularibus, duo requiruntur copulative 1. ut sit *in* territorio, 2. ut sit *de* territorio h. e. ut versetur in communitate, cui lex affixa est et sit membrum ejus communitatis.[5]) Intellige tamen, nisi ex vitando scandalo et contemtu legis ad ipsam implendam teneantur.

§ 209. De legum ecclesiasticarum interpretatione.

1. Interpretatio legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.[1]) Est vero *a*) authentica vel privata. *Authentica* fit ab ipso legislatore ejusve delegato, *ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Ad authenticam refertur *usualis*, quia *consuetudo est optima legum interpres. Privata* denuo est vel *judicialis,* quae fit a judice, et partes tantum obligat (unde dicitur etiam *particularis*), vel *doctrinalis,* quae fit a jurisconsultis *declarando* legem obscuram, *extendendo* ad similes casus ob rationes similes, *restringendo* dispositionem generalem ad certas tantum materias, unde ratione modi dicitur interpretatio *declarativa* (seu comprehensiva), *extensiva, restrictiva. b*) Distinguitur etiam interpretatio *grammaticalis, logica, historica, systematica,* prout interpres vel ad verba legis vel ad nexum logicum vel ad historiam temporum vel ad organismum legum a potiori reflectit, ut vim et potestatem legis eruat. 1. Varia interpretationis genera.

2. *A potiori,* inquam; quia quadruplex haec methodus copulative adhibeatur necesse est secundum regulas sequentes: *a*) Sensus legis *ex verbis* erui debet. In qua operatione haec axiomata intendi oportet: *Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi. Verba generalia generaliter sunt intelligenda. Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Verba usitata et communi significatione sumenda sunt. — b*) Remanente dubio attendendum est 1. ad materiam legis ac praesertim utrum ipsa favorabilis sit an odiosa. Huc referendae sunt regulae: *Odia restringi,* 2. Regulae.

[5]) Ubi ista duo disjunctive occurrunt, regula applicari potest (c. 2. [I. 2.] VI.): «Extra territorium jus dicenti impune non paretur.» Sed notentur hae exceptiones: 1. Subditus e territorio egressus censetur moraliter praesens ratione culpae ab illo commissae, dati damni vel ob omissionem actionis praescriptae in suo loco e. gr. si vocatus ad synodum non comparet, si in beneficio non residet etc. 2. Peregrinus territorium ingressus fit subditus temporarius intuitu legum quoad ejusmodi peregrinos constitutarum, vel ratione contractus, delicti forte commissi, vel rei sitae, paucis, quatenus forum sortitur in territorio; quia a pari procedunt: forum sortiri et statutis ligari. *Zallinger* h. t. §§ 152. 153.

[1]) *Gury* I. n. 112. Observa, hac definitione non tantum intelligi *obscurae* legis explicationem, sed *cujuslibet* legis claram et rectam expositionem seu sensus genuini eductionem. Antiquiores interpretationem in priori dumtaxat sensu accipiunt.

favores convenit ampliari. In contractibus plena (lata), *in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda.* Verum benignae favorabilium interpretationi limes ponitur per regulam: *Quae a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Quoad poenas regula valet: *In poenis benignior est interpretatio facienda.* 2. Attendi debet ad intentionem legislatoris seu ad rationem, quae *anima* legis dicitur; *quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.*[2]) 3. Attendi debet analogia cum aliis juris dispositionibus circa eam materiam et 4. ad cohaerentiam legis cujusdam specialis cum spiritu et complexu totius legislationis.[3]) — Sed *c*) (ait Zallinger) in omni demum interpretatione maxime debet evitari absurdum quale est vitium et peccatum, contrarietas legum, praejudicium singulare tertii; ipsa inutilitas legis, si nempe sic exponitur, ut finem et effectum nullum habere possit.[4])

§ 210. De cessatione legum ecclesiasticarum et de dispensationibus.

1. Cessatio legis pro omnibus.

1. Cessat lex quoad totam communitatem *a*) Cessante fine legis intrinseco et totali, uti lex apostolica de abstinentia a sanguine et suffocato. At non cessat lex cessante causa finali in casu particulari tantum, nisi servari nequeat sine magno incommodo, quia lex non respicit casus particulares sed quae communiter contingunt. *b*) Abrogatione vel derogatione i. e. abolitione legis totali vel partiali tantum, quae fit voluntate tum expressa tum tacita legislatoris, nimirum aperta revocatione, consuetudine contraria vel contraria lege, etsi de priore nulla fiat mentio. Unde generalis est regula: *Lex posterior derogat priori.*[1]) Non tamen per legem generalem posteriorem abrogatur prior specialis, multo

---

[2]) Greg. M. in c. 11. C. 22. qu. 5.

[3]) *Schulte* § 34. l. c.

[4]) In specie quaedam de interpretatione *extensiva* subjungere haud abs re esse videtur. Haec, nixa principio: *Ubi eadem ratio, eadem legis est dispositio,* ab uno casu in jure expresso ad alium non expressum progreditur. Nimirum si eadem reperitur ratio in casibus non expressis, quae inest in expressis, illud axioma adplicatur: *Casus similis* haud *expressus non videtur omissus.* Istiusmodi extensio fit 1. *in connexis.* Connexorum, ajunt vulgo, unum est judicium. Sic procurator agendo ea, quae connexa sunt cum mandato, non excedit fines mandati. 2. *In correlativis.* Sic quod dicitur de *sponsa* duorum, intelligitur etiam de sponso duarum. 3. *In contentis.* Sic qui dispensare potest in votis, poterit etiam commutare, quia *plus semper in se continet etiam minus.* 4. *In aequiparatis:* Nullum eligere, et eligere inhabilem, aequiparantur. *Schulte,* Quellen d. K.-R. l. c. *Zallinger* h. t.

[1]) L. 4. D. de const. princip. I. 4. *Constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt.*

minus consuetudo, nisi in lege posteriori generali occurrat clausula omnium jurium anteriorum, etiam specialium, derogatoria. Ceterum ecclesia leges non mutat, nisi urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcat.

2. Relate ad singulos lex cessat seu potius suspenditur *dispensatione*, quae est relaxatio seu exemtio ab obligatione legis in aliquo casu particulari, reliquis obstrictis manentibus. Ex quo liquet, per dispensationem non aboleri legis dispositionem, sed tantum singulos ab efficacia legis eximi. Proin dispensatio nihil statuit pro communitate, sed facultatem tantum tribuit singulis. Quoad dispensationem haec principia notentur: *a*) Ipsa *potestas dispensandi favorabilis* est. Fieri enim potest, ut lex, quae maximae parti communitatis utilis est, quibusdam tamen personis aut temporibus non conveniat, imo malum inducat. Cum vero ejusmodi casus et adjuncta neque praevideri neque in lege exprimi possint; necesse est, ut praesto sit facultas dispensandi. *b*) Verum *ipsa dispensatio*, quia est vulnus legis, regulariter *odiosa* censetur; idcirco stricte est interpretanda et non prodest, nisi illis, quibus concessa est.[2]) *c*) Dispensatio *concedi potest* a legislatore, ejus successore aut superiore, si quem in eo genere habet. Siquidem in omni jure principium viget: leges solvi non posse, nisi ea auctoritate, qua conduntur. Unde Papa in quibuscunque ecclesiae legibus, episcopus vero nonnisi in legibus dioecesanis dispensare valet. Sed haec regula quoad episcopos ex una parte ampliari, ex altera restringi debet. Ampliari: quia episcopi in certo rerum genere etiam quoad leges communes dispensare possunt; restringi, quia fieri potest, ut nonnulla, quae per se ad competentiam episcoporum pertinent, reserventur sedi Apostolicae. In praeceptis vero divinis nec ipse summus Pontifex valet dispensare[3]) nisi ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur in voluntate humana, ut in juramentis et votis. *d)* Dispensari non potest nisi cum iis, qui aliquo modo subditi sunt. Idcirco episcopus nullam regularibus exemtis dispensationem concedere potest, nisi cum consensu superioris regularis aut cum expresso consensu summi Pontificis (Lehmkuhl I. n. 165). *e*) Dispensatio poscit *causam justam* et diligenter examinatam.[4]) Equidem si superior in sua aut inferioris lege sine causa dispenset, illicita tantum, non vero invalida censetur dispensatio. Si vero inferior dispenset in lege

2. Pro singulis per dispensationem.

Dispensationis a) Utilitas.

b) Interpretatio.

c) Auctor.

d) Subjectum.

e) Causae.

---

[2]) Exceptiones vid. ap. *Lehmkuhl* I. n. 70.

[3]) c. 13. X. de rest. spol. (II. 13). Cfr. c. 6. C. 25. qu. 1.

[4]) «Quodsi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita et summa maturitate atque gratis . . . erit praestandum.» Conc. Trid. Sess. XXV. c. 18. de ref. Cfr. *Staller* l. c. p. 82.

superioris sine causa, vel si in petitione supplicantis occurrat obreptio vel subreptio essentialis, seu quae cadat in causam motivam, dispensatio taliter obtenta non solum illicita sed invalida quoque habenda est.[5]) *f)* Dispensationes aliae operantur *pro foro externo,*

f) Effectus. aliae vero nonnisi *in foro interno.* Hae ultimae effectum pro foro externo non producunt, sed in conscientia tantum vim habent. Ad dispensationes quodammodo revocantur *absolutiones*,[6]) quae pariter in utroque sed frequentius in interno foro locum habent; ast hae non ab ipsa lege eximunt, sed tantummodo ab effectibus ex lege violata de jure secutis liberant, proindeque tempus non futurum sed praeteritum potius respiciunt. Hinc largior est inferiorum in absolvendo quam in dispensando potestas.[6]) *g)* Modus

g) Modus concedendi. concedendi dispensationes papales est duplex: *in forma gratiosa* et *in forma commissoria. Haec* in eo consistit, ut dispensatio committatur Ordinario, qui eam exequi non potest, nisi post factam inquisitionem in causas relatas. *Illa* vero directe ab ipso dispensatore conceditur absque illa praevia inquisitione, etsi rationes semper adesse opus sit. *h) Cessat* dispensatio *α)* per revocatio-

h) Cessatio. nem dispensantis; *β)* per renuntiationem dispensati a superiore acceptatam; *γ)* per cessationem causae (e. gr. in praecepto abstinentiae), idque non solum ante illius executionem vel effectum, sed etiam post ejus usum, puta in hoc casu, nisi sit absolute concessa vel effectum habeat indivisibilem, tollendo inhabilitatem, votum, impedimentum.

§ 211. De privilegiis.

Privilegii 1. Notio. 1. Privilegium dicitur constitutio legislatoris specialem favorem contra aut praeter jus commune permanenter concedens. In fontibus juris canonici[1]) privilegium nunc latius nunc strictius sumitur. Latius[2]) etiam illae juris dispositiones, quae pro certo genere personarum vel causarum singulariter constitutae sunt, privilegia dicuntur, prout sunt privilegia clericorum, Cardinalium etc. vel favores minorennibus, academicis aliisque in jure concessi. Strictius vero accipitur privilegium pro exceptione *individuali*[3])

---

[5]) Vid. *Gury* I. n. 117. seq.

[6]) *Schulte,* System § 84. p. 421.

[7]) Ideo non valet illatio: qui potest absolvere, potest etiam dispensare. Nam *dispensatio* (ait acute *Gonzalez* in commentar. c. 15. de temp. ordin.) *non est ex his, quae competunt, si non prohibeantur; sed ex his, quae non competunt, nisi concedantur.* Quod secus est in absolutionibus.

[1]) De privilegiis et excessibus privilegiat. X. (V. 33); in VI., Clem. et X. vag. comm. (V. 7); X. vag. Joann. XXII. tit. 11.

[2]) Conc. Trid. Sess. V. c. 1. de ref.; Sess. VII. c. 10. de ref.

[3]) Cfr. *Schulte* von den Quellen d. K.-R. §§ 32, 33.

singulis personis, locis, institutis ex superioris benevolentia impertita. Differentia utriusque in eo sita est, quod prioris generis gratiae potius leges *singulares* (*jus singulare* p. 10. b.) sunt, quam privilegia, partemque efficiunt juris communis; posterioris vero generis privilegia sunt exceptiones a regula juris communis, quae in ratione legis haud fundantur, et ad jus particulare in sensu strictissimo pertinent. In haec ergo privilegia proprie cadit nomen *leges privatae* vel *leges privatorum,* prout privilegia solent nuncupari. De his potissimum hoc loco disseritur.[4])

2. Privilegium *dividitur: a)* In privilegium *contra jus* et privilegium *ultra* vel *praeter* jus, prout legibus vel derogat vel praeter illas existit.[5]) *b)* Privilegium aliud est *reale,* quod directe et immediate alligatur rei, loco, muneri, dignitati; aliud *personale,* quod directe et immediate personae physicae competit cum hac exspirans; aliud *mixtum,* quod rei simul et personae conceditur, quale censetur privilegium cemmunitati qua tali concessum. *c)* In *affirmativum* et *negativum,* prout per ipsum vel certi actus conceduntur vel omissiones legi adversae permittuntur. *d)* In *perpetuum* et *temporarium* prout sine limitatione temporis conceditur, vel restringitur ad certum tempus.[6]) 2. Divisio.

3. *Acquiritur* privilegium vel concessione principis vel communicatione. *a)* Privilegia *concedere* pertinet ad potestatem legislativam. Scilicet solus legislator potest a lege eximere aut gratios concedere praeter jus nec non alios obligare, ne privilegiatum in usu gratiae impediant. Verum privilegia concedendi potestas restringitur ad materias, quae dispositioni concedentis subjiciuntur. Unde contra vel praeter jus commune solus Pontifex privilegia indulgere valet, episcopus vero nonnisi circa leges dioecesanas atque eas, quas ex permissione juris vel Pontificis condere potest. Concedi autem possunt etiam non subditis, eoquod actus sunt merae gratiosae liberalitatis, ita tamen, ut extra dioecesim regulariter effectu careant.[7]) Ad jus concedendi privilegia pertinet 3. Acquisitio.

[4]) Ejusmodi privilegia sunt e. gr. non solvendi decimas, altaris privilegiati, usus pontificalium pro dignitario in capitulo, consecrandi campanas, calices etc., utendi altari viatico, denique praesertim privilegia regularibus concessa.

[5]) Contra legem e. gr. est exemtio a jurisdictione Ordinarii; praeter legem potestas absolvendi a reservatis.

[6]) Partitio: in privilegia *clausa in corpore juris* et *extra corpus sive per rescriptum data* non est ad rem, uti probat *Schulte* l. c. p. 145. et jam observavit *Zallinger* (h. t. § 265) dicens: Privilegia clausa in corpore juris sunt beneficia legis tum *generalia,* ceu restitutionis in integrum, inventarii, ordinis, divisionis, tum *specialia* concessa certis hominum classibus, ceu mulieribus, academicis, quae jura *singularia* potius sunt, quam privilegia.

[7]) Dicunt nonnulli, etiam consuetudine et praescriptione acquiri privilegia. Attamen consetudine proprie loquendo non acquiritur privilegium;

itidem *jus* ea *confirmandi* vel *innovandi.* Est vero confirmatio seu innovatio privilegiorum nil aliud, quam corroboratio privilegii jam habiti, eaque duplex: alia *in forma communi* seu *ordinaria,* alia vero *in forma speciali* seu *ex certa scientia.* Confirmatio ordinaria solummodo existentiam privilegii probat, prout hic et nunc existit et valet (e. gr. si diploma deperditum esset), quin aliquid roboris, si vacillet, adjiciat. At confirmatio in forma speciali validum reddit privilegium, etiamsi ob defectus invalidum fuerit aut valere desierit, et proin novae concessioni aequivalet. *b)* Privilegium jam existens acquiritur per *communicationem,* quando superior privilegium, quod uni simpliciter concessit, etiam ad alterum extendit. Sic e. gr. privilegia unius universitatis alteri universitati communicari solebant, et religiones mendicantes hodiedum in totum inter se communicari solent de privilegiis praeteritis et futuris tum circa personas, tum circa loca, festivitates et indulgentias.[8])

4. Concedendi forma.

4. *Formam* quod attinet, privilegii concessio *per se* etiam vivae vocis oraculo fieri potest, verum ad probationem et firmitatem privilegii scriptura non solum conducit, sed pro foro saltem externo ex jure vigente omnino necessaria censetur.[9]) Porro forma privilegii est vel *ad instantiam petentis* vel *motu proprio*, prout videlicet superior vel aliquo supplicante, vel absque petitione gratiam concedit.[10]) In hoc ultimo casu *a)* ante acceptationem privilegium non habet effectum, sicut quaelibet alia donatio et *b)* ejus valor impugnari non potest ex obtentu, quod sit obreptitium vel subreptitium.

5. Effectus.

5. *Effectus* privilegii consistit in facultate, non vero regulariter[11]) in necessitate eo utendi usu legitimo. Usus vero privi-

---

bene vero in casu *praescriptionis immemorialis* praesumtio stat, quod ejusmodi privilegium a superiore fuerit concessum, talisque praescriptio supplet probationem. *Schulte* l. c. p. 155.

[8]) Vid. supra § 140. 3. Datur duplex communicatio: 1. per *extensionem,* quando unum idemque privilegium ad alios extenditur, illos quasi aggregando privilegiatis; et tunc si augeatur vel minuatur privilegium in his, quibus fuit primo concessum, augetur et diminuitur in omnibus aliis; 2. *ad instar* cum ad exemplum et similitudinem alterius conceditur. Si id fiat *aequaliter* seu pariformiter, utrumque privilegium stat per se et independenter ab alio; ideo si augeatur aut minuatur privilegium illi, cui prius concessum est, non augetur vel minuitur aliis.

[9]) Regul. cancell. 27. Clem. XII. Constit. «Rom. Pontifex» a. 1732.

[10]) Ubi tamen notandum (ait *Nicollis* praxis can. de privilegiis II. p. 393), quod, etsi ad partis instantiam concessum sit, si annexam habeat clausulam *motu proprio,* intelligatur motu proprio concessum, quandoquidem adjectio hujus clausulae innuit, superiorem ad illud concedendum non inductum fuisse precibus supplicantis.

[11]) Nemo enim cogitur uti privilegio suo. Sed excipe: 1. Si privilegium cedat in bonum commune e. gr. privilegium immunitatis; 2. si quis non

legii haec duo importat: *a)* Ut per illud juri communi derogetur, quando juri communi contrarium est. Et hoc probabilius etiam sine clausula derogatoria privilegiantis; nam hic praesumitur scire jus commune. Dum ergo privilegium concedit quod derogat juri communi, praesumitur per privilegium velle eidem derogare. Sed si privilegium contrarium sit juri tertii vel statuto et consuetudini speciali, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus juris, statuti, consuetudinis. etiam tum, cum princeps illud concedit motu proprio.[12]) *b)* Ut, qui in usu privilegii turbatur vel impeditur, pro asserendo suo jure habeat actionem et implorare possit judicis defensionem.

6. *Interpretatio doctrinalis a)* sic fieri debet, ut spectata ma- 6. Interpretatio.
teria privilegium quendam favorem specialem operetur contra vel praeter jus. *b)* Inhaerendum est proprietati verborum secundum communem acceptionem et receptum stylum curiae. *c)* Late interpretanda sunt privilegia mere favorabilia et concessa motu proprio vel in favorem religionis, boni publici, in remunerationem meritorum vel cum adnexo onere reciproco. *d)* Stricte interpretanda sunt, quae restringunt jus tertii vel dorogant juri, statuto, consuetudini particulari praeter jus introductae.[13])

7. *Amittuntur* privilegia: *a) Ipso facto,* nempe interitu rei 7. Amissio.
totali aut personae, cui addicta erant; vel lapsu temporis, ad quod limitata fuerunt, vel defectu conditionis, sub qua competebant; dein renuntiatione, quoties privilegiato fas est renuntiare.[14]) Praescriptione finiuntur privilegia, quando jura cum ipsis connexa praescriptioni obnoxia sunt, prouti sunt *jura in re* e. gr. usucapio juris decimandi vel usucapio libertatis a decimis aut aliis exactionibus solvendis; item *jus eligendi, praesentandi, nominandi.* Nimirum jus ex privilegio *negativo* resultans per *praescriptionem acquisitivam* cessat in commodum illius, in cujus praejudicium idem privilegium certam libertatem alteri tribuit. Atvero jus ex privilegio *affirmativo* proveniens per *usucapionem libertatis* exstinguitur in favorem personae, quae per privilegium obstricta fuit. In utroque autem casu redit status rerum ordinarius. Supponitur tamen, omnia requisita adesse ad praescriptionem ex jure canonico ne-

---

utendo privilegio damnum directe inferret proximo e. gr. non utendo facultate absolvendi a reservatis; 3. si tollat impedimentum ad observandum praeceptum e. gr. privilegium pridie anticipandi Matutinum cum Laudibus; 4. si est reale, addictum loco vel dignitati, communitati.

[12]) *Schmalzgrueber* h. t. n. 20. *Schulte* l. c. p. 158.

[13]) Exempla habentur in c. 19. 21. 31. X. (V. 33); c. 5. (V. 7) in VI. Cfr. *Lehmkuhl* I. n. 216.

[14]) Nam non possunt renuntiare particulares privilegiis communitatis, neque quis tali privilegio potest renuntiare, quod cum aliis commune habet. *Schmalzgrueber* h. t. n. 178.

cessaria.[15]) *b)* Revocatione concedentis vel successoris privilegiato intimita. Revocatio tunc dicitur *generalis,* quando generaliter revocantur privilegia omnia decreto alicui contraria e. gr. per clausulam: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis.*[16]) Privilegia mere gratiosa etiam sine causa revocari possunt, licet illud fieri non soleat, eoquod indignum et alienum a dignitate principis esse videtur. Alia privilegia, praesertim quibus inest ratio conventionis, pro libitu unius partis revocari non possunt. Justae revocandi causae sunt: Si privilegium paulatim vergit in nimium praejudicium aliorum; item exigente necessitate publica vel utilitate evidente; denique ob abusum privilegii, qui committitur, si privilegium ultra intentionem concedentis extenditur, vel si ex ipso occasio sumitur liberius delinquendi, vel si quis contra finem privilegii agit.[17])

CAPUT II.

De jurisdictione ecclesiastica.

§ 212. Notiones praeviae.

1. Jurisdictionis notio.

1. Jurisdictio hoc loco non generatim accipitur de imperio sacro sive etiam de potestate, quae non per ordinem sed per injunctionem ecclesiae ad aliquem confertur (§ 24), sed arctius, nempe ceu potestas magistratibus ecclesiae competens jus dicendi et (in sensu latiori) judicatum (etiam per poenas) exequendi.[1]) Et haec quidem judicandi et puniendi potestas non hominis bene-

---

[15]) Ita *Schulte* l. c. p. 175, qui evidenter contra vetustiores D. D. probat, per simplicem *non usum* generatim non amitti privilegia. Verumtamen haec desuper sunt notanda: 1. *In singulo casu* jus exercitii tunc cessat, cum actus aliquis (e. gr. designandi personam ad beneficium vacans) non rite aut omnino non ponitur a privilegiato (e. gr. praesentando indignum aut omnino non praesentando). Hoc casu negligentia vel defectus ex juris dispositione suppletur ab alio. 2. In perpetuum privilegia non cessant nisi accedente praescriptione acquisitiva vel extinctiva. Ratio cessationis nequaquam in lapsu temporis sed in eo posita est, quia privilegium quasi absorptum est per jus contrarium, quod alter contra privilegiatum acquisivit. De tempore ad praescriptionem requisito vide supra § 92. 3.

[16]) Sed haec clausula non tollit privilegium remuneratorium, neque illud, cui insertum est, quod non possit ei derogari nisi facta de ipso *speciali et expressa mentione.*

[17]) E. gr. si clerus negligat studia, quorum causa abesse potest a beneficio. c. 12. de clericis non resid. X. (III. 4).

[1]) Jure Romano distinguebatur majestas, imperium, jurisdictio et notio. *Jurisdictio* non erat nisi potestas vi officii competens causas cognoscendi, judices dandi et sententiam exequendi. Ei adjuncta fuit coërcitio modica, quae dicebatur imperium mixtum. *Zallinger* tit. de judiciis § 13. *Bouix,* de principiis j. c. p. 438.

ficio ecclesiae data, sed penitus affixa et insita est in idea societatis visibilis, per se stantis et distinctae a republica civili, ultro fluens ex imperio, quod Christus contulit in magistratus ecclesiasticos, ac praesertim ex potestate leges condendi. Namque inanis esset haec potestas sine potestate judiciaria et coërcitiva contra transgressores legum.[2]) Res haec relate ad causas religionis et ecclesiae indubitata, imo et in dogmatum numero est,[3]) eaque claris s. Scripturae testimoniis[4]) et innumeris venerandae antiquitatis monumentis[5]) luculenter evinci potest.

2. Jurisdictio in sensu modo dicto (ut alias divisiones omittam),[6]) dividitur in jurisdictionem ecclesiastico-litigiosam et in jurisdictionem ecclesiastico-criminalem. Illa versatur circa dirimendas controversias, quae quoad materias spirituales agitantur; haec ad crimina ecclesiastica dijudicanda et coërcenda ordinatur. 2. Partitio.

Articulus I.

De jurisdictione ecclesiastico-litigiosa.

§ 213. Quonam ambitu olim patuerit jurisdictio eccles. litigiosa.

Ecclesia ad nostram usque aetatem judiciis et legitima juris dicendi methodo nunquam caruit, tantaque cursu temporis s. juris- Historia jurisdictionis eccles. litigiosae.

---

[2]) «Vanum esset jura condere, nisi qui ea tueatur existat.» Xvag. comm. c. un. (II. 1).

[3]) *Perrone,* Praelect. dogm. Vol. 2. p. 478.

[4]) Matth. XVIII. 15. seq. Habes hic omnia, ait cl. *Devoti* (Inst. can. 1. III. tit. 1. § 7), quae sunt exterioris judicii propria, accusatorem, reum, judicem, causae cognitionem, sententiam, coërcitionem; I. Cor. V. 3—5; I. Tim. I. 19. 20; ib. V. 19. etc.

[5]) Remitto lectores ad opusculum: Der kanonische Process etc. in der vorjustinian. Periode von Dr. Josef *Fessler.* Wien 1860, ubi auctor ad liquidum probat, ordinem processus canonici eo tempore, quo institutiones, pandectae et codex Justiniani prodierunt, jamdiu quoad formam satis excultum fuisse.

[6]) Vulgaris est partitio jurisdictionis voluntariae et contentiosae. Sed hae voces non eadem apud omnes acceptione sumuntur, quia alia est earum significatio in jure canonico, alia in jure Romano. Jurisdictio voluntaria in sensu canonico est, qua 1. gratiae conceduntur, scil. beneficia conferuntur, dispensationes ac privilegia indulgentur aut declarationes dantur; 2. qua pro securitate partium certi quidam actus a judice confirmantur et corroborantur e. gr. contractus, pacta antenuptialia, adoptio etc. Haec posterior dumtaxat est voluntaria in sensu juris Romani. Cfr. tit. 30. lib. 2. Decret. de *confirmatione utili. Rosshirt,* Kan. Recht p. 243. Clarior est divisio jurisdictionis judicialis et extrajudicialis, quae in antefatam prorsus recidit. Quidquid ordinari debet cum forma judicii seu cum forma contentiosa, ad jurisdictionem judicialem seu contentiosam est referendum. Quidquid absque illa forma statuendum venit, erit jurisdictionis extrajudicialis, quae a canonistis volun-

dictioni et firmitas et amplitudo accessit, ut non modo res ecclesiasticas comprehenderit sed ad civiles quoque causas latissime fuerit extensa. Quod quidem sic evenisse historia testatur.

1. Tempore ethnicorum imperatorum.

1. Ex eo quod Apostolus (I. Cor. VI. 4) christianos lites suas ad judicia saecularia deferre vetavit, factum est, ut episcopi non solum de rebus ad religionem pertinentibus [1]) judicarint, sed civiles quoque christianorum causas cognoscere debuerint. Etsi fatendum sit, episcopos formidolosis illis temporibus ambages et solemnitates saecularium judiciorum non observasse, imo multoties in hisce negotiis charitatem potius, quam jurisdictionem explicasse,[2]) non tamen inde effici potest, eos absque ulla forma christianorum jurgia de rebus tum sacris tum profanis composuisse,[3]) sed manifestis testimoniis evincitur, ipsos vera judicia, licet summaria tantum exercuisse, vel saltem, quoties opus fuit, suo jure exercere potuisse.

2. Imperio ad christianos delato.

2. Imperio ad christianos delato, rerum civilium cognitio ad judices saeculares devenire debuit. Sed non confestim et ex integro id factum est. Nam Constantinus M. duas edidit constitutiones, quibus laici permissi sunt, lites suas, non modo ex mutuo partium consensu [4]) sed etiam ex unius dumtaxat voluntate [5]) ad

---

taria vocari solet, *Bouix*, de principiis j. c. p. 449. Jurisdictio, quae supra in textu litigiosa vocatur, ab aliis etiam ecclesiastico-civilis nuncupatur. Quidquid sit de nominibus, sat est, si noverit lector, hoc loco agi de jurisdictione judiciali tam ea, quae circa lites partium versatur, quam de illa, quae dicitur criminalis vel disciplinaris.

[1]) Tertullian. (a. 202). Apologet. c. 39; s. Cyprian. Ep. 55. n. 10; c. 4. C. 2. qu. 3. (conc. Eliberit. a. 605). Cfr. *Fessler* l. c. p. 16. seq. qui refert causas Montani, Origenis, Novati, Fortunati, Geminii Victoris, Pauli Samosateni saeculo 2. et 3. in foro ecclesiae terminatas.

[2]) *Thomassin.*, Vetus et nova disciplina P. II. lib. 3. c. 101.

[3]) Verba Apostoli in citat. ep. non consilium tantum sed praeceptum exprimunt (s. Aug. Enchirid. c. 78. «terribiliter vetat»); hinc episcopi judicium in causis temporalibus christianorum non voluntarium, sed necessarium erat. S. Augustin. Serm. 24. in Ps. 114; de oper. monach. n. 37: «Quibus nos molestiis (forensibus) idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur, arbitrio.» Dr. *Fessler* l. c. p. 65. seq.

[4]) Constit. Aug. Constant. a. 321. (*Sirmond.* App. Cod. Theol. Lex. 17. Opp. tom. 1. col. 736. et *Haenel* 18. Const., quas Jac. *Sirmond.* — divulgavit, Bonn. 1844. p. 475.)

[5]) Constit. Constant. Aug. a. 331. (*Sirmond.* l. c. col. 717. *Haenel* l. c. p. 455). Haec lex inter alia sic habet: «Omnes itaque causae, quae vel praetorio jure vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatae, perpetuo stabilitatis jure firmentur: nec liceat ulterius retractari negotium, quod episcoporum sententia deciderit. Testimonium etiam, ab uno licet episcopo perhibitum, omnes judices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a sacrosancto homine conscientia mentis illibatae protulerit.» Cfr. c. 35. 36. C. 11. qu. 1.

episcopum deferre, cujus sententia a judice saeculari, tanquam omnino valida et sancta, ad executionem perduci praecepta est. Dein post plures alias subsequentium imperatorum constitutiones[6]) Justinianus legem tulit, ut tribunal episcoporum forum necessarium esset pro clericis et monachis,[7]) voluntarium vero pro laicis,[8]) laicus autem actionem habens contra clericum pariter prius episcopum adiret, a cujus tamen sententia adpellatio ad loci magistratum hoc casu permittebatur.[9])

3. Etiam inter Germaniae populos dictum cleri privilegium, (quamvis ab initio non sine repugnantia laicorum), admissum et deinceps ab imper. Friderico II. expresse confirmatum est.[10]) Forum tamen ecclesiae *arbitrarium quoad laicos* ab initio inter Germanos usum non obtinuit; successu tamen temporis eadem circa hanc rem disciplina, quae in imperio Romano viguerat, etiam inter Germanos pleno valore constare coepit, imo et ulterius protensa est. Et talis quidem jurisdictionis eccles. progressus, ut de aliis rationibus taceam,[11]) praesertim in intima utriusque reipublicae compenetratione, inordinata judiciorum saecularium conditione et legitima consuetudine fundamentum habuit. Limites jurisdictionis ecclesiasticae in libris decretalium sic circumscribuntur:[12]) *a) Ratione sui a*) non modo causae mere ecclesiasticae sed etiam causae spiritualibus adnexae e. gr. causae beneficiales, lites motae super jure patronatus vel super tributorum ecclesiasticorum persolutione, super sepultura ecclesiastica concedenda vel deneganda etc. foro ecclesiastico addicebantur.[13]) *β*) Causae etiam remote tantum religionem vel conscientiam attingentes: in quem censum veniebant pacta profana juramento firmata propter adnexam juramenti

3. Sub imperatoribus Romano-Teutonicis. 14

---

[6]) Constit. Arcad. et Hon. in c. 7. Cod. de episcopali audientia (I. 4). *Valentin.* III. Novella tit. 34. ed. *Haenel* l. c. p. 245.

[7]) Novell. 123. c. 8. c. 21. 22. Novell. 79 et 83.

[8]) L. 29. § 4. Cod. de episc. audient. (I. 4) «si civilis controversia sit, volentes quaestionem apud antistites instituere patimur, invitos tamen non cogimus, quum ipsis etiam judicia civilia sint, si ea adire malint.»

[9]) Novell. 123. c. 8. 22. Cfr. c. 15. 16. C. 11. qu. 1.

[10]) Constit. Frid. II. a. 1230. *Perz* tom. 4. p. 244. — Cfr. *Nissl*, Der Gerichtsstand des Klerus im fränk. Reiche. Innsbr. 1886. Ostendit auctor, in regno Francorum jurisdictionem tum criminalem (p. 27—136) tum civilem (p. 141—247) sat ample a potestate saeculari in usum deductam esse sed contradicente ecclesia et limites suae jurisdictionis latius protendere conante.

[11]) Vid. *Phillips* Lehrb. p. 486. seq.

[12]) Cfr. tit. 1. et 2. lib. 2. in decretalibus X. et Xvag. com. Bened. XIV. d. syn. dioec. lib. 9. c. 9 et 10.

[13]) Quoad matrimonium causa natalium indeque proveniens successio haereditaria ad forum eccles. spectabat. Non vero de dote, de alimentis etc. nisi, cum disceptabatur de matrimonii valore aut de jure ad divortium, ejusmodi quaestiones accessoriae inciderent. Cfr. Bened. XIV. lib. 9. c. 9. n. 4.

sanctitatem; controversiae de testamentis propter vim obligatoriam, quam haec efficiunt in conscientia; lites de solvendis decimis ecclesiasticis, quia earum solutio pertinet ad officia ecclesiae a fidelibus exhibenda.[14]) γ) Causae saeculares, quarum cognitionem judices civiles vel negabant vel protrahebant. *b) Ratione personarum* competentia fori ecclesiastici haec fuit: α) Clerici in causis quoque civilibus a foro saeculari penitus erant exemti,[15]) adeo, ut hi ejusmodi *foro* privilegiato vel potius *singulari* nequidem valide renuntiare permitterentur, tandemque regula invalesceret, clericum nonnisi a clerico judicari posse, quae regula nonnisi paucas admisit exceptiones.[16]) β) Viduae, pupilli, orphani aliaeque personae miserabiles ecclesiae foro sunt subjectae, cautumque est, ne judices saeculares illas traherent ad judicia sua.[17])

4. Inde a saeculo 14.

4. Sed limites isti tam late protensi inde a saeculo 14. arctius paulatim constricti sunt. Quotiescunque lites effervescerent inter sacerdotium et imperium, simul adversarii insurrexerunt jurisdictionem ecclesiasticam impugnantes, quales jam inde a saeculo 12. in Anglia, in Germania ac praesertim in Gallia in scenam prodierunt. Vinculo illo laxato (§ 42), quo utraque potestas amice colligata erat, status civilis varias jurisdictionis ecclesiasticae materias avide sibi arripiebat. adeo, ut sphaera competentiae ecclesiasticae in dies inter angustiores limites coarctaretur. Concilium quidem Trident. haud pauca disposuit circa res non mere spirituales e. gr. quoad res beneficiales, quoad executionem et mutationem ultimarum voluntatum, quoad hospitalium visitationem et administrationem, quoad decimas, quoad bona ecclesiae etc. Sed tractu temporis, et maxime praeterlapso saeculo res eo devenit, ut laici, rebus civilibus non contenti, jurisdictionem ecclesiae in rebus etiam spiritualibus invaderent et quasi frustatim devorarent.[18]) Quocirca cum omnes fere causae a judiciis ecclesiasticis subductae

---

[14]) c. 3. 6. 17. X. de testam. (III. 26); c. 3. de foro compet. in VI. (II. 2.) c. 2. de jurejur. in VI. (II. 11); c. 3. X. de judic. (II. 1).

[15]) c. 1. D. 96; c. 10. de constit. X. (I. 2); c. 17. de judiciis X. (II. 1); c. 2. 9. 12. X. (II. 2).

[16]) Puta lites feudales, quae in judiciis peculiaribus terminari consueverunt nec non actiones, quas a clericis contra laicos moveri contingit. In hujusmodi casibus, nisi consuetudo obstaret, principium adplicabatur: «Actor forum rei sequitur.» c. 5. 6. 7. X. (II. 2).

[17]) Can. 1. D. 87. c. 26. X. (V. 40). Cfr. c. 38. X. (I. 29). Vid. *Thomassin.* l. c. c. 87. seq.

[18]) «Nam quasi per quandam alluvionem frustatim domini temporales ad se omnia trahunt. Et sicut frustatim lupus agnum comedit, ita et per ipsos jurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur, quidquid ad ecclesiasticam jurisdictionem, potissimum quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes.» *Guil. Durand.* De modo gener. conc. celebr. II. rubr. 70. apud *Phillips* Lehrb. p. 500, n. 1.

essent, eadem judicia inutilia et otiosa videbantur, ac propterea in multis regionibus omnino in desuetudinem abierunt. Quod in nostro etiam imperio accidit, ubi perpaucae illae causae, quae ecclesiae discutiendae relictae sunt, extrajudicialiter et in forma, quae dicitur administrationis, in consistoriis definiri consueverunt.

§ 214. Quaenam res hodie ad forum ecclesiae litigiosum spectent.

1. Ecclesiae est servare jurisdictionem sibi competentem.

Hac nostra aetate, quia ob conditionem temporum prorsus immutatam [1]) pristina ecclesiae jurisdictio restitui nequit, idque conari nil aliud esset, quam rem plane impossibilem et ecclesiae parum utilem aggredi, praesules ecclesiasticos in id solummodo summa animorum contentione sollicitos esse oportet, ut *a)* verbis factisque contra jurium ecclesiasticorum invasores constanter tueantur principium, sibi jurisdictionem, eamque etiam *pro foro externo* competere; *b)* ut eam saltem jurisdictionis sphaeram servare sibi studeant intactam, quam mutatae temporis nostri circumstantiae in exitum perduci permittunt.

Ad a) Dogmatice definitum est, ecclesiam tanquam societatem perfectam, et ex institutione Christi, veri nominis *jurisdictione externa* praeditam esse, i. e. potestate non *arbitrali* tantum hoc est quam *arbitri* seu privati illi judices, qui a litigantibus electi sunt, exercent, sed *cum facultate coactiva*. Et talem quidem jurisdictionem ecclesia nullo unquam tempore dimittere potest, quoniam hoc perinde esset, ac renuntiare juribus ab ipso Christo concessis. Hanc jurisdictionem negare haereticum est, illam impedire aut invadere sub censurarum comminatione hodiedum prohibetur.[2])

Ad b) Curandum est, ut jurisdictio ecclesiastica hodieque sarta tecta conservetur: *α)* Quantum ad causas stricte ecclesiasticas (supra § 33), quae versantur circa res mere spirituales, puta circa fidem et religionem, circa cultum divinum et ritus, circa Sacramenta, quas in solo foro ecclesiastico esse pertractandas

---

[1]) Conqueritur Benedictus XIV. l. c. n. 12. quod sua aetate jurisdictio saecularis intra antiquos limites contineri non sit passa. Sed ex illo tempore longe pejora acciderunt, quandoquidem legislatores humani jurisdictionem ecclesiae pro foro externo penitus e medio tollere conantur!

[2]) Cfr. supra § 35. not. 10. Vi Constit. Pii IX. «Apost. Sedis» excommunicationi Pontifici specialiter reservatae subjiciuntur, «impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis eccles. sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes» (n. 6). Item «cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas eccles. praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura ecclesiae» (n. 7).

nullus catholicorum saeculis elapsis dubitavit. Quin Innocentius III. severe prohibuit,[3]) ne in causis hujusmodi compromittatur in laicum, qui ex defectu potestatis clavium incapax est judicium de illis ferendi.[4]) Nota tamen ex causis ad cultum divinum et ad Sacramenta pertinentibus solas fere causas matrimoniales ad forum litigiosum deduci, atque ordine judiciali pertractari. β) Quantum ad causas cum re spirituali connexas, aliae *natura sua,* eoquod nimirum praevaleat character spiritualis prae ratione temporali iisdem insita, aliae *ex jure legitime quaesito* spectant ad ecclesiam. Praeterea quoad hujusmodi causas etiam legitimae consuetudines ac etiam privilegia Apostolica principibus concessa attendi debent. Itaque jura, quae vel legitime sunt quaesita, vel quibus legitima consuetudo suffragatur, neque ab Ordinariis dimitti, neque a potestate civili sine piaculo usurpari possunt.[5]) γ) Quantum ad causas, quae ratione personarum foro ecclesiae subsunt, *privilegium fori,* quo clerici in causis etiam mere temporalibus exemti sunt a foro saeculari, praesules quidem hodie hoc privilegium non possunt recuperare, ubi amissum est, sed tamen fas non est regnantibus illud de medio tollere «etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede» (Syllab. n. 31. Cfr. not. 2 huj. §).[6])

2. Quae hodie de facto sit latitudo jurisd. ecclesiasticae.

2. Quod attinet quaestionem, quid *de facto* in hac re hodie obtineat, haec veniunt adnotanda:

---

[3]) c. 8. de arbitr. X. (I. 43).

[4]) Huic doctrinae, ait Bened. XIV. (de synod. lib. 9. c. 9. n. 2) adhaerent etiam doctores Galli. Ipsi etiam regni optimates (ita pergit) in solemni protestatione (relata a Mathaeo Parisio ad a. 1247), qua eccles. jurisdictionem plurimum coarctarunt, nequaquam ausi sunt ab ea subducere causas fidei, matrimonii etc. Eandem eccl. jurisdictionem per optimates nimium restrictam, ad omnes alias cauas aut spirituales, aut spiritualibus adnexas, protendi, declararunt reges Francisc. I., Henricus II. et Carol. IX., et tandem Henricus IV. Idemque pronuntiavit Parlamentum Parisiense d. 29. Dec. 1562.

[5]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 20 de ref., ubi reges, eorumque magistratus «quos Deus s. fidei ecclesiaeque protectores esse voluit,» gravissimis verbis de suo munere monentur, ut tum ipsi jurisdictionem ecclesiasticam revereantur, tum etiam, subditos ad eam reverendam, omni quo possint modo, inducant. — Cfr. dicta § 70 de abrogatione privilegii immunitatis et fori.

[6]) Bened. XIV. de syn. l. 9. c. 9. n. 12. episcopos sui temporis monet, eos imprudenter acturos, remque impossibilem aggressuros, si jurisdictionem sibi olim jure communi attributam recuperare tentarent. Porro muneri suo satisfacturos esse, si ad haec tria attendant: 1. Ne princeps saecularis sibi unquam arroget jus sacrorum, hoc est, ne unquam se immisceat in causis mere spiritualibus et ecclesiasticis. 2. Ne judex laicus eam quoque partem eccles. jurisdictionis invadat, quae hactenus perseveret intacta; nisi enim episcopus ejus vindicem se statim praebeat, hanc pariter pedetentim amittet. 3. Denique, ubi aut privilegio aut legitima consuetudine, fori eccles. limites ultra juris communis sanctiones ampliati sunt (quod perquam raro contingere constat), curabit episcopus, ne sua incuria aut conniventia contrahantur.

a) Causae temporales clericorum fere ubique in foro civili expediri solent. Igitur si laicus actor est adversus clericum ex capite debitorum personalium, contractuum, haereditatum, adeundum est forum civile. Id quod etiam in nostro Concordato (art. XIII.) statuitur.[7]) Posset quidem laicus litem, quam cum clerico habet, etiam ad episcopum deferre; sed episcopi sententia nullum effectum operatur in foro civili. Tanto magis clericus laicum in foro civili debet convenire. Clericus cum clerico litigans adire judicium laicum a conciliis tum antiquioribus tum recentioribus prohibetur.[8]) Sed etiam hoc casu per sententiam episcopi haud obtinetur effectus in foro civili, nisi ex mutuo litigantium consensu.

b) Quoad causas *non proprie* spirituales, habentes tamen connexionem cum re spirituali varia pro varietate legum civilium reperitur praxis, sic tamen, ut hisce diebus nova in dies vulnera jurisdictioni ecclesiasticae inflicta videamus et doleamus. In specie 1. *lites de jure patronatus* in nostra Conventione (art. XII.) vindicabantur judici eccles., ita, ut hic judicaret de ejusdem existentia et de modis originariis, quibus acquiritur (§ 91). Lites vero de successione in jus *patronatus laicum* jam *existens* (§ 92) in judicio civili agitandae erant. Sed abrogato Concordato potestas civilis *omnes* causas patronatum concernentes (cum exigua restrictione

---

[7]) Vox *consentit* indicat, summum Pontificem ex indulgentia non insistere foro clericorum privilegiato *in concreto*. Nam principium: *Clericos a laicis esse judicandos,* nunquam admisit ecclesia, prout in literis Secretarii status Cardin. Consalvi ddo. 10. Aug. 1819 (»Esposizione dei sentimenti di Sua Santita») declaratum est. Cfr. not. seq. in fine.

[8]) c. 1. 6. 7. D. 90; c. 6. C. XI. qu. 1. (Conc. Matisc. I. 581); c. 42. eod. (Conc. Tolet. III. 589); c. 46 eod. (Conc. Chalced. 451); c. 1. X. (II. 2); capit. Carol. M. 789; Conc. Bitur. tit. 25. c. 10. (1584). — Valde indecens est, si clericus in judicio litem intendit laico, multoque magis clerico. In ejusmodi casibus, ac praesertim si res litigiosa habetur inter duos sacerdotes, spiritus religionis et honor sacerdotii postulat, ut res ad episcopum, ceu arbitrum deferatur. (Cfr. *Hirschel* in Archiv. t. 7. p. 200 seq.) Optime edixit Ordinariatus Mogunt. (13. Febr. 1863), ut sacerdos, quoties sive ut actor sive ut reus litem aliquam habet, eandem deferat praevie ad episcopum, qui per modum arbitrii controversiam definire conetur. *Vering,* K.-R. p. 445. — Valde notatu digna est sequens declaratio s. Poenitentiariae d. 23. Jan. 1886 (Münster Past.-Bl. 1886 p. 50): «Ceterum in iis locis, in quibus fori privilegio per summos Pontifices derogatum non fuit *(prout e. g. in Austria),* si in eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forma laicorum convenire possint: eamque Ordinarii numquam denegabunt tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apost. non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judicem seu judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii vel episcopum sine venia s. Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit, in eum, praesertim si fuerit *clericus,* animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint.»

supra indicata § 89. not. 14) sibi vindicat. — 2. In causis, quae acquisitionem, dominium et possessionem *bonorum ecclesiae temporalium* concernunt, igitur quoties agitur de exactionibus decimarum, censuum, obventionum stolae etc. vel de pactis inter personas privatas et instituta ecclesiastica contractis, vel de obligatione ad reparanda aedificia ecclesiastica concurrendi, coram judice saeculari actio intendenda est.[9]) — 3. Quoad causas *beneficiales* hactenus viguit haec distinctio: Si quis turbetur in jure aliquo temporali cum possessione beneficii connexo, totum judicium a laico conficiendum esse; si vero disputetur de ipsa beneficii erectione, innovatione et collatione, rem ad forum ecclesiasticum pertinere. Sed ab aliquot annis in multis territoriis ecclesia non permittitur beneficia sive libere erigere, sive innovare, sive conferre nisi accedente gubernii civilis consensu. 4. Causae *funerariae,* in quibus agitur de concedenda aut neganda sepultura ecclesiastica, de electione et loco sepulturae, de juribus funerariis inter diversos clericos aut ecclesias controversis, pro rei natura in foro ecclesiae essent terminandae. Sed novissime jurisdictio ecclesiae quoad has quoque causas vel prorsus excluditur (e. gr. quoad locum sepulturae, eoquod coemeteria nonnisi ceu loca profana considerentur), vel omni prorsus effectu civili privatur, ita scilicet, ut episcopi sententia vim dumtaxat habeat meri arbitrii. — 5. Generatim gubernia haereticali liberalismo addicta omnem omnino jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo hodie abrogatam esse volunt, idcirco quod ecclesiam per se stantem et independentem non admittunt et propterea negant, ipsi in foro externo competere potestatem leges ferendi et judicandi in forma judicii.

§ 215. De judiciis.

1. Ad judicium tria pertinent:

1. Judicium dicitur legitima causae inter actorem et reum controversae per judicem facta discussio et definitio. Tria ergo pertinent ad judicium: Causa ceu materia et objectum judicii; tres personae necessariae, nempe judex, actor et reus; denique legitima causae discussio et decisio seu forma judicii. *a)* A *causa* dicitur judicium *spirituale* vel *profanum,* prout in eo tractatur de re vel spirituali vel profana; *possessorium,* in quo de sola possessione adipiscenda, retinenda aut recuperanda quaeritur; *petitorium,* in quo de *dominio* vel de alio jure seorsim a possessione disputatur. Possessione alicui data, victus in petitorio jus suum ostendere debet, quod nisi praestiterit, *melior est conditio possidentis.*[1])

a. Causa.

[9]) Hoc evincitur ex art. XIII. et ex phrasi *quovis justo titulo* (art. XXIX.), quae innuit, leges civiles quoad bona eccles. omnino vigere. *Schulte,* System. p. 417.

[1]) Cfr. lib. II. Decretal. tit. 1. de judiciis. *Zallinger* h. t.

— *b) Judex* est vel *ordinarius,* qui ex proprio officio, vel *vicarius* i. e. *mandatarius* aut *delegatus,*[2]) qui ex commissione vel ipsius juris vel alterius hominis adeoque alterius vice et auctoritate jus dicit.[3]) *Vicarii* constitui possunt omnes, qui periti sunt jurium, neque legibus vel moribus prohibentur, et regulariter non minores viginti annis. A summo Pontifice delegari non solent nisi constituti in dignitate vel personatu aut canonici cathedrales.[4]) *Causae* omnes delegari possunt, quae ad jurisdictionem delegantis pertinent, etiam actus ordinis. Si nudum ministerium vel sola executio delegetur, tales delegati *executores* rectius dicuntur. Pro *usu jurisdictionis vicariae* inprimis requiritur, ut quis documentum authenticum suae delegationis exhibeat. Item, ut intra fines mandati se contineat, neque illos etiam consentientibus partibus ullo modo excedat, ceteraque diligenter observet, quae ad delegationem rite obeundam in jure praescribuntur. Jurisdictio vicaria *exspirat* lapsu temporis, officio delegationis expleto, morte concedentis, si res adhuc sit integra, denique morte ipsius delegati, si delegatio facta fuit personae sub ipsius nomine, non vero dignitati; nam hoc casu transit ad successorem in dignitate. — *c) Actor* est, qui prior in judicium venit aliquid petiturus (si criminaliter agitur, actor dicitur accusator), *reus,* qui in jus vocatur.[5]) Actor et reus, necesse est, ut jus habeant agendi et respondendi in judicio sine consensu alterius, cui subsunt. Ex hoc capite *α.* monasterium sine consensu et auctoritate abbatis non agit, nisi contra ipsum abbatem; econtra abbas, ut in judicio agat, regulariter non indiget consensu capituli.[6]) *β.* Personae principales, nimirum actor et reus per se ipsos (nisi fors careant animi discretione), factum in judicio proponant necesse est, eoquod advocatus ea tantum agit, quae sunt juris. *γ.* Mulieres honestae ad judicium personaliter trahi non possunt invitae.[7]) *δ.* Filius sine consensu patris agere potest causam spiritualem, sed si impúber est, nonnisi per procuratorem vel curatorem agit vel respondet (c. 3. in VI. [II. 1]). — *d)* Judiciales discertationes, ut jura litigantium clare explicen-

b. Personae: Scil. judex.

Actor:

Reus.

c. Discussio causae.

---

[2]) Cfr. tit. 29. lib. I. Decretal.: de officio et potestate judicis delegati; et tit. 31. de officio judicis ordinarii.

[3]) Cfr. § 24. 4. b.

[4]) c. 41. X. (I. 29); c. *Statutum* 11. de rescr. in VI. (I. 3).

[5]) Praeter has personas ad judicium necessarias saepe etiam aliae in eo agunt. In criminalibus vicem accusatoris supplent denunciator, fiscalis ex officio, aut indicia criminis specialem inquisitionem provocantia. In civilibus nomine actoris aut rei saepe agunt procuratores et syndici (e. g. capitulorum); iisdem assistunt advocati. Judici accedunt accessores, tabelliones aliique ministri.

[6]) c. 9. X. (II. 1); c. 5. in VI. (III. 12); c. 21. X. (I. 3).

[7]) c. 2. in VI. (II. 1).

tur, in certa forma noscendae expediendaeque sunt. Ordo hic judicarius passim processus dicitur in eoque consistit, ut causa ab initio rite instituatur seu introducatur, per decursum rite instruatur et in fine legitime dirimatur. Ex forma procedendi judicium aliud est *ordinarium,* in quo plena figura judicii omnisque solemnitas in jure praescripta observatur, aliud *summarium,* in quo proceditur sine figura et strepitu judicii, substantialibus tantum quoad formam servatis. In judiciis ecclesiasticis modus ordinarius de regula praescribitur,[8]) qui ex saeculo 12. per rescripta Pontificum et juris peritos accuratius excultus in civili quoque foro recipi coepit, adeo ut forma procedendi Germanis propria et domestica penitus exoleverit. Et haec forma quoad substantiam etiamnum observanda est, cum peculiari tamen attentione ad jurisprudentiae progressus et leges ecclesiae vigentes. Elementa, quibus processus qui dicitur canonicus constituitur, sunt: eloquia s. Scripturae, regulae antiquae via traditionis acceptae, solemnitates ex jure Romano transsumtae, nec non leges propriae auctoritate ecclesiastica sancitae.[9])

2. Ordo judiciorum seu instantiae.

2. Ordo judiciorum et instantiarum juxta vigentem disciplinam est sequens: *a)* Ex decreto concilii Tridentini Papae ejusque legatorum et nuntiorum jurisdictio concurrens cum Ordinariorum jurisdictione sublata est; proin causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, *in prima instantia* coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscendae atque omnino saltem infra biennium a die motae litis terminandae sunt.[10]) *b) Secunda instantia,* ad quam illati gravaminis causa a sententia judicii episcopalis potest adpellari, est metropolita, respective judicium *metropoliticum* ipsius auctoritate constitutum. Ne tamen provocatio fiat ab eodem ad eundem, hoc metropoliticum, relate ad causas ex archidioecesi in forum deductas, tribunal diversum esse

---

[8]) Exceptiones nonnullae, in quibus summarie procedendum est, enumerantur in Clem. c. 2. (II. 1) et X. vag. comm. c. un. (II. 1).

[9]) De ordine et forma processus ecclesiastico-civilis vide: *München,* Canon. Gerichtsverfahren und Strafrecht, Köln und Reuss ed. 2. 1874, t. I. speciatim p. 231 seq. *Bouix* de judiciis eccl., Parisiis 1855, t. I. *Fessler,* Der canon. Prozess etc., Wien 1860. *Molitor,* Ueber kanon. Gerichtsverfahren gegen Kleriker. Mainz 1856. *Pierantonelli* Praxis fori eccl. Romae. 1883. — De processu *summario: München* l. c. p. 334—362. *Acta s. Sedis* t. V. p. 396 et p. 35 seq. Hic probat auctor, in multis iisque gravibus causis, matrimonialibus non exceptis, formam summariam posse adhiberi, imo in omnibus fere, praeterquam in causis clericorum stricto sensu criminalibus et exceptis causis de beatificatione et de canonizatione servorum Dei. Sed essentialia etiam in processn summario servari oportet. Cfr. *Vering* K.-R., qui p. 694 seq. processum canonicum clare et succincte explicat.

[10]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 20. de ref.

oportet a judicio primae instantiae, vel pro archidioecesi judicium alterius episcopi ceu secunda instantia perpetim eligi debet.[11]) Vi cit. decreti concilii Tridentini appellationi non est locus nisi a sententia definitiva vel a definitivae vim habente. *c) Tertia instantia* (vel secunda et ultima)[12]) est summus Pontifex (§ 104) qui tamen causas disciplinares et matrimoniales non Romae, sed per judices in partibus litigantium terminari curat. Ex decreto concilii Tridentini[13]) pro ejusmodi delegationibus in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis quatuor aut plures personae idoneae designari deberent atque nomina earum Romam transmitti. Postea tamen ob synodorum infrequentiam episcopis potestas facta est, etiam extra synodum judices prosynodales designandi.[14]) Sed cum vix alicubi ejusmodi judices crearentur vel saltem eorum catalogus Romam non mitteretur,[15]) summi Pontifices causis appellationum finiendis alio modo providere compulsi sunt, vel judicium aliquod metropoliticum tanquam tertiam instantiam constituendo[16]) vel ad normam antiquiorum canonum ejusmodi causas committendo personis propria auctoritate seligendis.[17])

Articulus II.

De jurisdictione ecclesiastico-criminali.

§ 216. I. De natura, fundamento et sphaera jurisdictionis ecclesiastico-criminalis.

1. Jurisdictio criminalis ecclesiae competens crimina a fidelibus admissa inflictis poenis persequitur, idque pro foro non tantum interno, sed etiam externo. Est vero crimen actio subditi libera, cautione poenali legis humanae interdicta, quae ordinem socialem turbat. Proinde crimen et peccatum in eo differunt, quod omne quidem crimen est etiam peccatum, sed peccatum

1. Natura.

---

[11]) Sic e. g. in nostro imperio pro archidioecesi tum Viennensi tum Salisburgensi tribunal archiepiscopale Pragense constitutum est pro secunda instantia; a judicio eccles. Pragensi adpellatur ad Ollomucense: ab Ollomucensi ad Viennense. — In processu de matrimonii nullitate quatuor esse instantias, § 198. n. 8. dictum est.

[12]) Cfr. *Zallinger* ad tit. de appellationibus etc. X. (II. 28) § 453 seqq.

[13]) Sess. XXV. c. 10. de ref.

[14]) Bened. XIV. Const. «Quamvis paternae.» Bull. t. 16. p. 41.

[15]) Bened. XIV. de syn. dioec. l. 4. c. 5. n. 6.

[16]) Ita in regno Bavariae metropoliticum tum Monacense tum Bambergense pro certo districtu ex delegatione Papae tanquam tertia instantia designatum est.

[17]) Nempe unice ad normam cit. cap. *Statutum* (supra not. 4), quo definitur, tales commissiones judiciales personis in dignitate constitutis esse deferendas.

tunc tantum criminis seu delicti[1]) naturam induit, quando est conjunctum cum poena legis humanae et redundat in ipsius societatis detrimentum.[2]) De peccatis nec non criminibus, quatenus rationem peccati insitam habent, ecclesia judicat in foro interno, in quo poenae arbitrio confessarii imponuntur. Deferuntur vero crimina qua talia etiam ad forum ecclesiae externum, supposito nempe, ea ad forum ecclesiae pertinere. Nimirum spectata fori competentia, triplicis generis crimina distinguuntur: mere ecclesiastica, civilia et mixta. *Ecclesiastica* sunt, per quae lex ecclesiae dumtaxat violatur, *civilia,* quae legibus civilibus unice repugnant, *mixta* (seu mixti fori), quae utriusque legibus adversantur. Ecclesiastica ecclesiae, civilia civitatis castigationi obnoxia sunt; at posteriora, in quantum iis inest ratio peccati, etiam ad forum ecclesiasticum sed internum tantum, pertinent. Crimina mixta per se tum ecclesiae tum civitatis coërcitioni subsunt, quoniam utriusque violant jura, ita, ut ecclesia poenas sumere debeat de iis, quae religionem, civitas vero de iis, quae illatam reipublicae injuriam respiciunt. At ne reus unius criminis duplex judicium vel duplicem poenam sustinere cogatur, hae causae mixtae vel a tribunalibus mixtis vel per praeventionem ab alterutro judice, sive laico sive ecclesiastico definiri debent, prout unum vel alterum inter duas supremas potestates conventum est. Hodie vero de criminibus mixtis ecclesia in foro dumtaxat interno regulariter judicare solet, fori externi potestate unice ad rempublicam civilem pertinente.

Persequitur crimina.

2. Ratio et fundamentum.

2. Jus coërcendi criminosos ecclesiae competere, et quidem etiam *in foro externo,* sequitur ex natura perfectae societatis, qualis est ecclesia Christi (supra § 27). Etenim 1. qua societas perfecta ecclesia habet *plenam jurisdictionem* seu *imperium* (quod majestatem dicebant Romani), proindeque etiam jura, quae notio imperii comprehendit, ergo praeter legiferam et judiciariam potestatem etiam *coactivam*, cujus pars est *coërcitiva.*[3]) Sine potestate coactiva potestas legifera et judiciaria foret inefficax et contemtui obnoxia. Haec conclusio sic confirmatur: Utraque potestas, legifera et judiciaria, non est tantum *directiva,* i. e. legifera ecclesiae potestas, non tantum est quaedam potestas magisterii, quae in

[1]) Delicti et criminis adpellatio communiter fit sine discrimine. Delicti tamen vox generalis est. Crimen ad delicta vel publica vel graviora refertur. In cod. crim. Austr. juxta variam gradationem crimina, delicta et transgressiones distinguuntur.

[2]) c. *Apostolus* 1. D. 81. § 1: «Crimen autem est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum.»

[3]) Potestas *coactiva* refertur tam ad criminosos quam ad eos, qui inculpabiliter e. gr. in statu amentiae ordinem externum turbant; potestas coërcitiva solummodo in criminosos exercetur.

monendo tantum aut concionando, aliisque hujus generis consistat (uti contendit Marsilius Patavinus), vel quae *suasiones* et *consilia* dumtaxat suggerat (juxta Pistoriensium doctrinam [p. 7. 1. a.]), sed quae leges imponit *modo* vere *obligatorio*. Item potestas judicandi non est mere *arbitralis* (§ 214), quia ejusmodi judicium non impedit, quominus unusquisque pro sua libidine se gerat, adeoque insufficiens est pro obtinendo fine societatis. Ergo utraque potestas necessario est *coactiva*, qua sola malitia et contumacia subditorum potest cohiberi.[4]) 2. Ecclesiae, ceu societati perfectae et visibili incumbit tutela ordinis socialis, quia sine hoc ordine societas finem suum non potest assequi. Ad tuendum vero ordinem socialem haud satis est, ut infallibiliter tradat non fidei tantum, sed et morum doctrinam eamque per media dumtaxat *persuasionis* fidelibus inculcet, sed praeterea necessaria est potestas coërcitiva, qua contemtores ordinis socialis inflictis poenis cohibeantur, sive illi renuant legibus parere, sive nolint decretis potestatis judiciariae se subjicere, sive denique societatis finem quoad alios impediant. Sine potestate coërcitiva auctoritas legum impune spernitur, nervus disciplinae ecclesiasticae rumpitur, paucis, ordo socialis servari nequit. Cujus rei consequens est, ut ecclesiae et auctoritatis ecclesiasticae contemtores et inimici, etiamsi nomine catholico glorientur, impune non solum in societate christiana vivant, sed incessanter etiam ecclesiam impugnent, ceterosque inficiant, tandemque res eo deveniant, ut fideles catholici *in partibus infidelium* degant. 3. Denique haec coërcitiva ecclesiae potestas ex omnibus plane fontibus juris sacri derivari et confirmari potest,[5]) eaque a sacrorum praesulibus exercitio nunquam interrupto in usum deducta est.

---

[4]) Notanda est censura pro nostro quoque tempore, qua in Const. «Auctorem fidei» damnatae sunt duae synodi Pistorienses propositiones, sc. 4. et 5. (§§ 13. 14): «Propositio, affirmans abusum fore auctoritatis ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis; = quatenus indeterminatis illis verbis «extendendo ad res exteriores» notet velut abusum auctoritatis ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda, *haeretica*. Qua parte insinuat, ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione; = quatenus intendat ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi, *inducens in systema alias damnatum ut haereticum.*» Bened. XIV. in brevi «Ad assiduas» a 1755.

[5]) *Devoti* Inst. lib. IV. tit. 1. § 3. 4, ubi commemoratur, quomodo s. Paulus in crimina animadverterit et primitivi episcopi eandem potestatem

3. Amplitudo varia.

3. Verum quoad usum potestatis coërcitivae versatilis per saeculorum decursum erat disciplina et perquam varia ejusdem amplitudo. Scilicet *a)* Primis jam ecclesiae saeculis gravia quaevis delicta, sive a clericis sive a laicis commissa, poenis ecclesiasticis jam privatis jam publicis subdebantur. Haec animadversio in laicos et clericos ab episcopis praesertim accedente presbyterii consilio, in episcopos autem a conciliis provincialibus potissimum exerceri solita est. In illius aevi judiciis etiam methodum et ordinem aliquatenus jam excultum, adhibitum fuisse, ex antiquis monumentis manifeste colligitur.[6]) *b)* Sub imperatoribus christianis ecclesia pariter judicavit tam de criminibus in religionem[7]) quam de clericis, quoties iidem quidpiam statui vel muneri suo adversum commisissent. Sed hoc tempore illud accedebat, quod sententia ab episcopo lata etiam civiles effectus producere et vi brachii saecularis executioni demandari potuit.[8]) *c)* Medii aevi

exercuerint. *Fessler* opusc. cit. — Ex dictis liquet, ecclesiam sine piaculo a nemine posse impediri quoad usum potestatis coërcitivae. Atqui hunc usum impedire imprimis intendunt leges civiles modernae hoc nostro tempore, dum non solum poenis *positivis* ecclesiae, sed etiam *privativis* (§ seq.) ipsisque censuris omnem vim adimere nituntur. Lex austr. d. 7. Maj. 1874 §§ 18. 19. haec habet: «Potestas publica ecclesiastica in usum deduci dumtaxat potest quoad ecclesiae asseclas, nec umquam praeterea eum in finem, ut observatio legum et ordinationum factarum ab officialibus, aut exercitium jurium civilium impediatur (§ 18).» In usu potestatis ecclesiasticae coactionem externam adhibere non licet (§ 19).» Ex qua lege apparet: 1. Censuram vel poenam eccles. infligi *absolute* non posse, quoties quis perpetrando actionem aliquam a religione prohibitam obedit legi civili aut magistratuum civilium ordinationi. 2. Nec etiam, si quis utatur jure a lege civili concesso, sed prohibito per legem ecclesiae e. gr. ineundo matrimonium civile. 3. Non posse excommunicari apostatam, e. gr. sacerdotem, qui ad protestantismum transiit etc. De hoc puncto queruntur Episcopi Austr. in sua declaratione d. 20. Mart. 1874 *(Vering,* Archiv. t. 32 p. 175 seq.). 4. Non posse infligi poenas quoad corpus et libertatem; imo indirecte nec mulctae pecuniariae dictari permittuntur, quia brachium saeculare negat executionem. Cfr. Motivenbericht ad has leges p. 69. 70 apud *Gautsch.*

[6]) Falso nonnulli continuo ingerunt, ea aetate nondum vera judicia fuisse exercita, vel saltem formam simplicissimam fuisse et omnium juris formularum expertem. Contrarium evicit *Molitor* l. c. p. 16 ex *Constit. Apost.* lib. II. c. 47. Vide processum adversus s. Athanasium a 335 actum, apud *Fessler* l. c. p. 33 seqq.

[7]) Novell. 83. c. 1. « . . . neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices.»

[8]) Conc. Carthag. a. 397. can. 38. in c. 19. C. 11. qu. 1. Exemplum opitulantis brachii saecularis jam habetur ex saeculo 3. Cum nempe Paulus Samosatenus in synodo (270) de episcopatu dimotus pertinaciter sententiae depositionis resisteret, episcopi ipsum Aurelianum imperatorem rogarunt, ut eum ex domo episcopali per vim expelleret. Imperator vero legem tulit, ut domus traderetur iis, quibus illam christianae religionis antistites et *Romanus episcopus* concedendam judicarent. *Eusebii* hist. eccles. I. 7. c. 27—30. *Mansi* conc. t. I. 1089.

aetate ecclesia non tantum crimina mere ecclesiastica, sed etiam delicta mixta, et mere civilia quoque, suo foro subdidit, imo de omni causa, ubi quaestio de *peccato* videretur, cognoscere coepit. Id quod solae inscriptiones titulorum, qui in libro V. decretalium occurrunt,[9]) manifeste declarant. Delinquentibus variae poenae infligi sunt solitae, velut bonorum proscriptio, exilium, carcer perpetuus, fustigatio, multae pecuniariae cum aliarum poenarum cumulo, quas judex ecclesiasticus suo arbitrio poterat decernere. Causae hujus tantae ampliationis erant: segnities reipublicae civilis in coërcendis facinorosis nec non usus pravarum consuetudinum, in judicia criminalia Germanorum introductus, donec saeculo 14. meliorem iis formam dederit jus Romanum et canonicum, in foro etiam Germaniae receptum. Optimam animadvertendi in crimina occasionem *judicia synodalia* praebuerunt (§ 118. not. 3), in quibus non tantum simplex morum censura sed etiam veri nominis jurisdictio exercita est, quamvis dicendum sit, posteriori aevo rationem judicii ex hoc instituto fere ex integro evanuisse. — Neque tamen praxis ubique uniformis erat, neque eadem semper permansit. Inde a saeculo 13. sequens jurisdictionis criminalis usus et latitudo deprehenditur: Sententias judicis ecclesiastici potestas civilis non modo probavit, sed etiam ad exitum perduxit, praesertim ubi ecclesia poenas delicto pares non habebat. Excommunicationi civilis etiam proscriptio adjuncta fuit.[10]) Crimina *mixti fori,* nempe sacrilegii, magiae, blasphemiae, perjurii, sodomiae, adulterii, concubinatus et pravitatis usurariae jure praeventionis ab alterutro judice decidebantur. Delicta *civilia* ex hoc tempore etiam a laico poterant cognosci, neque licitum erat judici ecclesiastico in crimen, jam in foro laicali castigatum, iterato animadvertere.[11]) Verum ex saeculo 16. hic quoque ambitus jurisdictionis in dies imminutus et accisus est, partim ex causis § 214 relatis, partim ex eo, quod recentiori aetate prohibitio legum civilium obstat, quominus poenae ab ecclesia inflictae effectus civiles operentur. Unde factum est, ut competentia ecclesiae hodie ad res sui fori stricte tales restringatur, poenaeque ab ipsa decretae a potestate civili in exitum non perducantur, civilesque effectus parere non permittantur. Neque haec restrictio aetati nostrae modernae sufficit; nam jurisdictio ecclesiae legibus civilibus non solum intra limites angustis-

---

[9]) E. gr. tit. 10. de his, qui filios occiderunt; tit. 12. de homicidio voluntario et casuali; tit. 16. de adulteriis et stupro; tit. 18. de furtis etc.

[10]) Frid. II. Const. a. 1220. c. 7: « . . . excommunicationem, si sic excommunicatos in ea ultra sex septimanas perstitisse — nobis constiterit, nostra proscriptio subsequatur, non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur.»

[11]) *Schulte* l. c. p. 386.

simos redigi, sed etiam infra hos ipsos quavis ratione arrodi et impediri solet.

4. In specie quoad clericos.

4. Quoad clericos indubium est, ipsorum crimina ecclesiastica communia et propria i. e. statui et officio clericali adversantia unice ad forum ecclesiae pertinere. Sed ob eximiam status clericalis dignitatem factum est, ut crimina clericorum etiam civilia foro sacro addicerentur. Et haec quidem omnimoda clericorum a foro civili criminali exemtio sub prioribus Imperatoribus christianis jam sumsit exordium. Inprimis ecclesia permissa est de levioribus clericorum criminibus judicare, eaque exilio, verberibus, mulcta pecuniaria, carceribus aliisque poenis castigare.[12]) Crimina autem graviora, quae modum ecclesiasticae coërcitionis superabant, juxta Justiniani constitutionem ad forum sive ecclesiae sive saecularis potestatis potuerunt deferri, ita tamen, ut neuter judex sine altero litem expediret.[13]) Hanc cleri in causis criminalibus exemtionem a Carolo M. pariter sancitam,[14]) libri decretalium perpetuo pronuntiant, adjecta etiam depositionis poena, si clerici «derelicto ecclesiastico judicio publicis judiciis se purgare voluerint.»[15]) Porro hoc fori privilegium etiam Friderici II. confirmatione munitum est.[16]) Sed prout circa saeculum 13. et 14. privilegium fori in rebus civilibus ab adversariis impeti et sensim arrodi coepit, ita idem circa privilegium in materia criminali contigisse, ex synodorum decretis, quae contra immunitatis clericalis infractores prodierunt, intelligimus.[17]) Hodie solummodo crimina clericorum, quae ipsorum *statui* vel *suscepto officio ecclesiastico* repugnant, *in foro* ecclesiae judicari solent, ceterorum vero om-

---

[12]) *Devoti* Inst. lib. 4. tit. 1. § 10.

[13]) Novell. 123. c. 21. § 1: «Si vero crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum inferatur, si quidem apud episcopum aliquis accusatur et ipse veritatem invenire potuerit: ab honore et gradu hunc secundum eccles. regulas dejiciat et tunc competens judex hunc comprehendat et secundum leges litem examinans, causae finem imponat. Si vero primo civilem judicem adeat accusator et crimen per legitimam examinationem potuerit adprobare, tunc episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat: et si ex his agnoscatur, proposita crimina commisisse eum, tunc ipse episcopus hunc secundum regulas ab honore sive gradu, quem habet, separet: judex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si vero episcopus putaverit gesta non juste confecta: tunc liceat ei deferre (al. differre), et nudare honore seu gradu accusatam personam; ita tamen, ut hujusmodi persona sub legitima cautela fiat, et ita ad nos negotium tam ab episcopo quam a judice referatur, ut nos hoc cognoscentes, quae nobis videntur, jubeamus.»

[14]) Carol. M. capit. eccles. a. 789. c. 38. ap. *Pertz* Monum. Germ. hist. t. 3. p. 60; Capit. Francof. a. 794. ib. p. 74.

[15]) c. 12. X. de foro compet. (II. 2). *Phillips*, Lehrb. p. 525.

[16]) Const. Frid. II. a. 1230. *Pertz* t. 4. p. 244.

[17]) *Van Espen*, jus eccl. univ. P. III. t. 3. c. 3.

nium criminum inquisitio instituitur in foro civili. Quod, nisi cum venia sedis Apostolicae fiat, prout in novissimis Concordatis, ac in Austriaco quoque concessum fuit, contra jus et cum ecclesiae despicientia fieri,[18]) ex antea dictis intelligitur.[19])

§ 217. II. De mediis coërcitionis seu de poenis ecclesiasticis. 1. Generalia.

Poenae eccles. sunt variae:

Criminosis poenas esse subeundas, omnis juris auctoritas docet. Dividuntur poenae:

1. Ex natura sua.

1. Spectata ipsarum *natura:* in *spirituales,* quae jus aut bonum aliquod spirituale adimunt, et *temporales,* quibus aut bonum temporale subtrahitur *(poenae privativae),* aut malum temporale infligitur *(poenae positivae).* Illae temporales, quae ad affligendum corpus pertinent, *corporales* dici solent. Poenas non tantum spirituales sed etiam temporales et corporales olim ab ecclesia infligi

---

[18]) Quotiescunque contigit, ut gubernia saecularia hanc cleri immunitatem propria auctoritate abrogarent, sedes Apost. nunquam non omisit alta voce contra ejusmodi violentiam reclamare. Cfr. Allocut. 27. Sept. 1852 contra rempublicam Neogranatensem; Allocut. 15. Dec. 1856 contra rempublicam Mexicanam.

[19]) In Concordato Austriaco conventum fuit: 1. ut crimina clericorum disciplinae eccl. vel religioni adversantia pertinerent ad forum episcopi (art. 11), lata vero ab episcopo sententia vi brachii saecularis executioni mandaretur art. 16. Litt. «Ecclesia» n. 13). — 2. Ut crimina clericorum civilia ventilarentur quidem in foro civili sed cum singularibus cautelis, quibus honori status clericalis consuleretur: inter quas cautelas potissimum illa fuit, ut clerico criminis convicto ex gratia Imperatoris in monasterio aut alia ecclesiastica domo poenam luere concederetur (Litt. «Ecclesia» n. 11). — 3. Ut in causis mixtis semper etiam episcopus ingerentiam haberet (Litt. cit. n. 10) — 4. Ut episcopi in criminalibus a foro civili exemti omnino esse deberent, atque ejusmodi causis pertractandis, si opus fuerit, a Pontifice et Imperatore provideretur (art. 14). — Verumtamen quoad 1. edicto minist. d. 7. Jun. 1869 declaratum est, dehinc civilem potestatem haud amplius cooperaturam esse pro executione sententiae episcoporum, vi cujus clericus in domo correctionis aliqua sit recludendus. Quinimo nec ipsos ibidem detentos ad remanendum externa vi cogi posse. Id quod etiam utriusque sexus regulares, usu libertatis privatos, respicit vi edicti minist. d. 7. Aug. 1869. — Quoad 2. per edict. minist. d. 24. Maj. 1869 declaratum est, favorem istum pro clero non subsistere amplius, eoquod conciliari non possit cum lege imperii fundamentali, qua (art. 2) pronuntiatur, coram lege omnes cives haberi pares. — Quoad 3. communis actio utriusque potestatis in hac quoque re, sicut in ceteris causis mixtis, hodie locum habere nequit. — Denique quoad 4. patet, abrogato concordato etiam cessasse dispositionem finalem articuli XIV. Concord., imo tribunalia Austriaca censuerunt, ipsam per novas leges e medio sublatam esse. Cfr. causam episcopi Linciensis in omnibus instantiis fori saecularis agitatam, apud *Vering,* Archiv. t. 22. p. 171 seq. 323 seq. — Cfr. *Vering,* Archiv. t. 53 p. 331 de quaestione, an in judicio eccl. etiam laici contra clericos ceu justitiae ministri agere licite possint.

solitas esse, ex monumentis antiquitatis abunde constat.[1]) Porro si ecclesia *constituit* poenas, quae corpus castigarent, et si praeterea hoc jus pro foro tam externo quam interno diserte sibi semper *adscripsit,*[2]) manifestum est, ei etiam jus esse, corporales poenas, et quidem pro foro externo quoque infligendi. Ecclesia siquidem nunquam potuit ignorare jus suum, aut ultra limites concessi sibi juris excedere. Ex eo vero, quod hodie ejusmodi poenae adhiberi vix solent (ex causis, quae omnibus sunt notae), nemo catholicus inferet, cum usu poenarum simul etiam jus ecclesiae exolevisse, vel ipsam saeculis retroactis per meram usurpationem praedictis poenis usam fuisse.

2. Ratione modi, quo incurruntur.

2. Ratione *modi,* quo infliguntur, poenae sunt vel *ferendae* vel *latae* sententiae. Priores sunt, quas lex aut judex minatur tantum infligendas et quae proin nonnisi per sententiam judicis *condemnatoriam* decernuntur. At posteriores pro foro interno *ipso facto* et criminis admissione incurruntur, quin sententia judicis

---

[1]) Nimirum primis jam ecclesiae saeculis, etiam ethnicis dominantibus, cum scilicet nulla hujusmodi facultas a principe laico concedi potuit, ab ecclesia poenis etiam corporalibus animadversum est, uti scripta Tertulliani, s. Cypriani, s. Augustini, s. Gregorii M. et complurium conciliorum acta testantur. Quin et abbates regularibus poenas corporis afflictivas adhibere solebant, ut monachi criminosi emendarentur. Poenae siquidem corporales minus acerbiores videbantur, quam poenae spirituales, quibus anima affligitur. Fallitur igitur Van-Espenius, multique alii, qui cum eo contendunt, ecclesiam tantum poenas spirituales irrogasse, nec ante evulgatam Isidori collectionem poenis pecuniariis, aut corporis afflictivis in vindictam criminum usam fuisse. Vide haec docte copioseque probata apud *Devoti* Instit. l. 3. tit. 1. § 21. not. 1; l. 4. tit. 1. § 2. not. 4. ibid. § 10. not. 5; ibid. tit. 17. § 2. not. 1. — Cfr. *Thesaurus* de poenis eccl. Patavii 1761; *München* das kanon. Ger.-Verfahren u. Strafrecht II. Bd. ed. II.

[2]) Quotquot negant, ecclesiam esse visibilem, vel eam esse societatem perfectam, hi negant etiam competere ipsi forum externum, et consequenter negant ei licere in reos criminum poenis animadvertere. Ita sentiunt praesertim protestantes quibus praeivit secta Catharorum, dehinc Marsilius Patavinus et Joannes Jandunus, contra quos edita est Constitut. dogmatica Joannis XXII. a. 1327 «Licet», in qua in specie ecclesiae tribuitur jus potestatis coactivae, etiam quoad inferendam vim materialem; Marsilius autem damnatur ut haereticus. Marsilii surculus est Edmundus Richerius (damnatus a synodo provinciali Parisiensi et Aquensi a. 1612, pluribus decretis s. C. Indicis, denique peculiari Brevi ab Innocentio XI. a. 1681), quem secuti sunt Jansenistae, in hac re damnati in Constit. «Auctorem fidei» N. IV. et V. (supra § 216. not. 4). Inter concilia generalia etiam tum judices ecclesiasticos poenas temporales adhibere jubet, monens, ut ad excommunicationis poenam decernendam non statim deveniant, sed prius temporalibus poenis, utpote minus gravibus, in reos animadvertant (Sess. XXV. c. 3. de ref.), tum ipsummet poenas temporales propter certa crimina decrevit (ibid. c. 19. de ref.). Denique notandum est, in Syllabo reprobatam esse sententiam, quae affirmat: «Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam» n. 24.

condemnatoria requiratur. Ut vero poena criminis publici etiam pro foro externo sortiatur effectum, semper sententia judicis *declaratoria* requiritur, per quam scilicet constet, ejusmodi crimen fuisse admissum. Quodsi crimen cum poena connexum sit occultum, poena pariter est occulta,[3]) pro foro tantum interno habens effectum.[4])

3. Ratione *finis* poenae sunt aliae *medicinales* aliae *vindicativae,* prout inprimis emendationem delinquentis aut vindictam criminis respiciunt. Finis quidem principalis, quem ecclesia in persequendis criminibus intendit, est sontis emendatio, quam ut obtineat, nunc severe nunc misericorditer castigat.[5]) Nihilominus tamen inficiandum non est, dari poenas, quae ab ecclesia ad vindictam infliguntur,[6]) nempe sic. ut locum habeant etiam facta emendatione delinquentis, aut cessante ejus spe, denique etiam in eo casu, quo periculum non est, ne alii contagione pravi exempli inficiantur. Laesae justitiae procul dubio debetur satisfactio, et qui non facit quod justum est, debet pati quod justum est. Poenae medicinales sunt poenitentiae contritis imponi consuetae (quae olim pro foro etiam externo decerni consueverant) atque censurae. Sed quia poenitentiae pro foro externo exoleverunt, duo duntaxat divisionis membra remanent. 3. Ratione finis.

4. *Censura* in genere dici potest *poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti et contumaci per potestatem ecclesiae aufertur usus quorundam bonorum spiritualium.* Numerantur tres censurae: excommunicatio, suspensio et inter- 4. De censuris generatim.

---

[3]) *Kober,* der Kirchenbann p. 350.

[4]) Utrum poena sit latae an ferendae sententiae, ex formulis in lege adjectis cognoscitur. Verba: *ipso jure, ipso facto, sit excommunicatus, excommunicamus, excommunicavimus, excommunicationem incurrat* etc. poenam esse latae sententiae indicant. Ferendae sententiae poenam indicant formulae: *Excommunicetur per episcopum, excommunicabitur, volumus excommunicari, reus erit excommunicationis* etc. Formulae dubiae (e. gr. excommunicationi subjacent) vel ex contextu verborum vel ex usu s. C. Concilii judicandae sunt, vel denique de poenis ferendae sententiae intelligi possunt, *quia in poenis benignior est interpretatio facienda.* Sed pro usu hodierno omnis fere dubitatio amota est per Constit. Pii IX. «Apostolicae Sedis».

[5]) Rectus potestatis coërcitivae usus requirit, ut neque puniendo neque parcendo noceat, sicque lex charitatis et justitiae lex mirum in modum sese compenetrent. *Zallinger* ad l. V. tit. 1. §§ 11 et 12. *Philipps,* Lehrb. p. 520.

[6]) Exod. 32, 27; Deuteron. 27, 15. seqq. Quemadmodum in delictis (ait *Zallinger* l. c. § 17) inest 1. corruptio delinquentis; 2. contemtus legum et 3. contagio mali exempli; sic triplex poenarum genus in foro canonico locum habet: 1. *Poenitentiae* non tantum in eos, qui sponte se accusant, sed etiam qui accusantur et denuntiantur ab aliis, et delicti convincuntur. 2. *Censurae* proprie tales ad tuendam auctoritatem ecclesiae et contumaciam reorum frangendam. 3. *Poenae* proprie vindicativae, quarum effectus aliquis etiam post peractam poenitentiam remanet.

dictum. Prima solius censurae vim habet; altera vero et tertia nonnunquam irrogantur per *modum poenae* i. e. non ad coërcendam contumaciam sed ad puniendum delictum praeteritum. Omnes censurae vel ab ipso *jure* certis criminibus sunt adjunctae, vel *ab homine* sc. a judice possunt infligi. Quoad censuras hae regulae

a) Auctor. sunt notandae: *a)* Censuras infligendi *potestas* est penes eos omnes, qui jurisdictionem in foro externo habent. Sed advertendum, vicarium episcopi generalem eas nonnisi ex hujus mandato in-

b) Subjectum. fligere posse. *b)* Infligi tantummodo possunt in vivos, baptizatos, adultos (exceptio est quoad interdictum), in subditos,[7]) in delinquentes et contumaces. *Contumacia* hoc loco est *contemptus censurae.* Ideo a censuris excusat 1. *ignorantia* censurae, quia *non contemnit qui ignorat.* Hinc, ubi agitur de censura latae sententiae, scire quis debet ejusmodi delicto censuram esse annexam. Intuitu censurarum ferendae sententiae hanc scientiam suppeditat *monitio canonica* trina vel una peremtoria, quae trinae aequalis est.[8]) Excusat vero a censura ignorantia invincibilis, imo etiam vincibilis, nisi sit graviter culpabilis. Quae enim graviter culpabilis est, plerumque est crassa, vel omnino affectata. Haec vero, scil. affectata aequipollet scientiae ac propterea non eximit a censura juxta communiorem sententiam.[9]) 2. Excusat a censuris *imperfectus actus* i. e. si peccatum non fuerit in suo genere completum, ac

c) Excipiuntur. *metus gravis,* quamvis non excuset a culpa. *c)* Censuris non sunt obnoxii infantes, nec etiam impuberes, nisi aliud in jure sit expressum, sicut est quoad clericorum percussores, quoad violantes clausuram monialium, denique quoad interdictum, quod afficit loca. Sed nec episcopi eas incurrunt, excepta excommunicatione, nisi lex eos nominatim comprehendat. Similiter Cardinales, reges et imperatores sub sensuris latae sententiae non comprehendi censentur, nisi expresse nominentur (Penacchi Commentar.

---

[7]) Si is, quem *notorium* est in aliquam censuram a jure latam incidisse, sit alterius dioecesis vel exemptus a jurisdictione praelati, Ordinarius nihilominus potest illum tanquam tali censura irretitum *publice denuntiare. Pierantonelli* Praxis fori eccl. p. 224.

[8]) Sic statuitur in c. 9. in VI. (V. 11); Conc. Trid. Sess. XXV. c. 5. de ref. *binam* saltem requirit monitionem. Inter monitiones debent esse intervalla duorum saltem dierum. Non sufficit una monitio peremptoria, nisi adsit causa gravis. Cfr. c. 5. in VI. (V. 11.) *Phillips* Lehrb. p. 554.

[9]) *S. Alphons.* Moral. l. 7. n. 48. *Gury* n. 939. *Vindiciae Alphonsianae* p. 852. Ignorantia affectata aequiparatur scientiae in c. 2. in VI. (I. 9.) Excipe tamen si in decreto censurae dicatur; *scienter, consulto, temere, qui praesumpserit* etc. Nam hujusmodi verba expresse postulant scientiam et *certam* censurae notitiam. S. C. Inquis. 1. Febr. 1871 respondit: Censuras latas in eos, qui *ausu temerario* aliquid fecerint vel *facere praesumpserint,* ab eo solum incurri, qui haec facit *prudens et sciens.*

II. 106. 260. 266). Et quoniam in odiosis semper stricte interpretamur, censurae latae in clericos non tenent regulares, latae in regulares seu moniales non tenent congregationes simplices, latae adversus facientes non feriunt mandantes, nec ex adverso latae contra mandantes facientes tenent etc. *d) Formam* in censura ferenda observandam quod attinet, solemnitates quaedam praecedunt, aliae subsequuntur. *α.* Praecedere debet, quoties agitur de censura ferendae sententiae, uti dictum est, *monitio canonica,* constituto termino, intra quem reus a contumacia recedat. Si vero suspensio vel interdictum fertur, non ut vera censura sed per *modum poenae vindicativae,* nulla requiritur praevia monitio, quia ad vindictam sufficit delictum praecessisse. (Acta s. Sed. XVI. p. 477). Praeterea, ut quis feriatur censura ferendae sententiae, citari, audiri et legitime convinci debet. Quin etiam censura latae sententiae neque promulgari, neque vim pro foro externo obtinere potest, nisi rei citatio et judicialis inquisitio praecesserit. *β.* Judex sententiam censurae profert *in scriptis* cum expressione causae, et intra mensem censurato tradit exemplum hujus scripturae, si id requisierit. *γ.* Prolatam censuram sequi solet denuntiatio. Non exstat generale praeceptum denuntiandi censuratos, sed hoc prudentiae superiorum relinquitur. Quandoque expedit denuntiare; interdum denuntiatio prudenter omittitur. *e)* Censurarum *effectus* communes sunt: *α.* Censurae validae ligant etiam coram Deo. Id constat ex damnatione hujus propositionis contra Lutherum: «Excommunicationes sunt tantum poenae externae.» (Const. «Exurge Dom.» Leo X. 16. Maj. 1520. n. 23.) Si quis *innocens* est in foro interno, probatur vero nocens in foro externo, censura non ligatur in conscientia, at in foro externo tenetur se gerere velut censura ligatum. *β.* Appellatio, si fiat a *comminatione* censurae, habet effectum *suspensivum,* quo sc. inferioris judicis sententia suspenditur, ita ut ulterius procedere non possit, usquedum judex superior comminationem censurae adprobaverit (c. 48. in VI. [V. 11]). Si vero fiat a sententia, qua *infligitur* censura, effectum nonnisi *devolutivum* habet, ita scil. ut censura inflicta in vigore permaneat, donec superior aliter deciderit. Si vero fiat a sententia *declarante,* incursam esse censuram juris, appellatio effectum suspendit, nisi omnino manifestum sit, censuram a reo fuisse contractam vel factum *notorium* sit; tunc enim non obstante apellatione potest procedi ad denuntiationem.[10]) *γ.* Qui in una dioecesi est censura notatus, ab aliis episcopis in universa ecclesia censuratus habetur, siquidem censurae bonis non particularis, sed universalis ecclesiae privant. Unde axioma: «Excommunicatio

d) Forma.

e) Effectus.

[10]) *Pierantonelli* Praxis fori eccles. p. 218—220.

f) Absolutio. personam sequitur, sicut lepra leprosum.» *f) Absolutio* a censura, quae lata est *ab homine* per sententiam particularem, ad illum pertinet, qui eam tulit vel ad ejus successorem aut superiorem aut horum delegatum. Item a censura, quae dicitur *a jure* inflicta, nonnisi auctor juris vel superior vel successor valet absolvere; si vero non reservata est, omnes adprobati confessarii absolvere possunt. Ratio est, quia absolutio, quam sibi superior non reservavit, cuicumque confessario concessa esse censetur. Quid episcopi possint in casibus occultis sedi Apostolicae reservatis, saepius jam dictum est (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 6. de ref.). Semper tamen censuratus absolutionem petere et prius satisfacere, vel saltem satisfactionis faciendae cautionem praestare tenetur.[11]) In articulo mortis omnis reservatio cessat. Nimirum in articulo mortis juxta Rit. Rom. (de poenit.) *ab omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis* (excipe tantum interdictum locale et interdictum personale communitatis) 1. quilibet adprobatus confessarius absolvere potest, et quidem etiam tunc, quando haberi potest superior ecclestasticus, cui de jure absolutio competit. 2. Idem valet sacerdos simplex deficiente seu absente adprobato;

---

[11]) Jus censurandi episcopis Austriacis addicitur art. XI. Concordati. — Adde: 1. Facultas concessa episcopis a synodo. Trid. (Sess. XXIV. c. 6. de ref.), ut possint «quoscumque sibi subditos in dioecesi sua absolvere» probabilius intelligenda est, ab episcopo quidem absente e dioecesi absolvi posse poenitentem in dioecesi existentem, sed non vice versa. 2. Verba in eodem contextu: «in foro conscientiae» non limitanda sunt ad sacramentalem confessionem, sed mere indicant, hanc absolutionem non prodesse pro foro externo. Etenim quod quisquis potestatem habet absolvendi a censura in foro conscientiae, possit id praestare etiam extra confessionem, communis est sententia (Lugo). Id ipsum valet, etiamsi data sit facultas «sacerdoti confessori», imo etiamsi addatur «audita confessione.» Usus hujus doctrinae (ait *Conninck*) est, ut, si reus non sit paratus, ut statim confiteatur, et adsint causae, ob quas expediat eum statim a censura absolvi, possit a privilegiato absolvi a censura, deinde vero a quovis alio legitimo confessario a peccato. Sic etiam s. Alphons. l. 7. n. 126. Sed alibi idem s. Doctor (l. 6. n. 593 et l. 7. n. 81) docet, episcopum extra Sacramentum poenitentiae a casibus papalibus occultis (sc. sermo est de potestate episcopis in cap. *Liceat* 6. de ref. Sess. 24. concessa) non posse absolvere. Quidquid tamen sit, hoc certum est, in casibus, a quibus Ordinarii vi facultatum a s. Poeitentiaria concessarum absolvere valent, tum eosdem tum Vicarios generales etiam *extra* sacramentalem confessionem, reliquos vero ab episcopo ad absolvendum delegatos in actu dumtaxat sacramentalis confessionis posse absolvere. 3. Illicita generatim est absolutio, quae «parte non satisfacta» (ut ajunt) confertur, quia juris ordo praescribit, realem satisfactionem praemitti, si fieri possit. Sed in casibus urgentibus, quibus absolutio differri non potest, potest absolutio dari, si reus praestet cautionem juratoriam vel pignoratoriam, vel (dum agitur de absolutione pro foro interno) sufficit etiam firma ipsius promissio. Invalida vero etiam est ejusmodi absolutio collata *a delegato*, si satisfactio partis a delegante injuncta fuerit tanquam conditio. Cfr. *Ballerini* II. p. 683.

sed hoc praesente sacerdos simplex *valide* non absolvit, nisi adprobatus *aut* non possit seu velit audire confessionem infirmi, *aut* si ipsius sit complex in peccato turpi, *aut* si superveniat confessione penes sacerdotem simplicem jam incepta, *aut* si infirmus adprobatum ita perhorrescat, ut periculum confessionis sacrilegae inde enascatur. 3. Et hujusmodi quidem absolutio in articulo mortis impertita non solum pro foro interno, sed etiam pro foro *externo* omnino valida est. 4. Absolutio in articulo mortis est et dicitur *absolutio cum reincidentia;* nam absolvendus a censura (saltem ubi haec est notoria) jurare vel saltem serio promittere debet, fore, ut valetudine recepta quam cito commode poterit coram superiore se sistat, non quidem denuo ab eo absolvendus, sed *mandatum ipsius humiliter recepturus et satisfacturus, prout justitia suadebit.*[12]) Quod si neglexerit, in eandem censuram reincidit.[13])

5. Pii IX. Const. „Apostol. Sedis."

5. Novam epocham in hac ecclesiasticae disciplinae parte induxit Pii IX. «Constitutio Apost. Sedis, qua ecclesiasticae censurae *latae sententiae* limitantur», d. 12. Oct. 1869. Nimirum Pius IX., animo revolvens, censuras latae sententiae, *ipsoque facto* incurrendas «magnum ad numerum sensim excrevisse, quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerint, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse, eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae»; ad occurrendum hujusmodi incommodis hac Constitutione decrevit, ut aliae censurae latae sententiae deinceps non habeant robur, nisi illae, quae in eadem hac Constitutione sint insertae. Sequitur deinde elenchus censurarum, quae imposterum sunt valiturae, de quo haec in specie notanda veniunt: a) Distinguuntur more solito censurae, quarum aliae Pontifici, aliae episcopis, aliae denique quae nemini reservantur. Sed praeterea (id quod excommunicationes quam maxime attingit) duplex genus reservationis Pontificiae distinguitur, scil. censurae, respective excommunicationes, quae Pontifici *speciali modo,* et quae eidem simpliciter reservantur. Censurae *speciali modo* Pontifici reservatae, id sibi habent peculiare, ut 1. generalis concessio, a casibus, censuris vel excommunicationibus Papae reservatis absolvendi, censuras *speciali modo* reservatas nullo pacto comprehendat; 2. ut quaevis privilegia huc spectantia, quibuscunque personis, etiam regularibus sub quavis forma concessa, deinceps censeri debeant revocata; 3. ut absolventes ab

[12]) c. 22. in VI. (V. 11); cfr. c. 13. X. (V. 39); Rit. Rom. de poenit.

[13]) *Friedle,* «Ueber die Absolutio a censuris in art. mortis» *(Vering* Archiv, t. 30. p. 185. seq.).

his casibus sine facultate, praeterquam in mortis articulo, excommunicationem Papae reservatam incurrant. b) Praeter censuras in elencho recensitas summus Pontifex vult et decernit, eas omnes etiam in vigore persistere, quae in concilio Tridentino *directe* sunt *constitutae* (cum unica exceptione), et quidem eodem plane modo, quo constitutae sunt, sive *cum,* sive *absque* reservatione. Dixi *directe;* nam censurae, quas Tridentinum ex vetere jure *confirmavit* vel *innovavit,* ex mente Pontificis pro abrogatis haberi debent. c) Pariter in suo robore permanent censurae ante hanc constitutionem latae «sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcunque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcunque collegiorum, congregationum, coetuum, locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint.» d) Denique firmam vult summus Pontifex «absolvendi facultatem a Trid. synodo episcopis concessam Sess. XXIV. c. 6. de ref. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apost. Sedi speciali modo reservatas declaravimus.» e) Haec Constitutio pro universo Orbe catholico indubitanter obligatoria est, «nec adeo recentis legis, regulariter loquendo, ignorantia obtendi potest, cum fuerit ea Constitutio et pro tota ecclesia in Urbe promulgata, et ad omnes ecclesiae partes reapse propagata, et ubique jam celebretur.»[14]) Declaratum vero fuit Patribus Vaticanis, Ss^mum^ Patrem nullatenus intendere per hanc Bullam detrahere facultatibus episcoporum *ante* illius promulgationem concessis, sive hae sint quinquennales, sive extraordinariae, sive respicientes praesens Jubilaeum.[15]) Imo notandum est, etiam *post* promulgatam Bullam facultates quinquennales Ordinariis eodem plane tenore expediri, quo antea concedi consueverant.

§ 218. 2. De censuris in specie. a) De excommunicatione.

1. Excommunicationis jus et finis.

1. Excommunicatio consistit in separatione a communione ecclesiastica et juribus inde pendentibus. Jus excommunicandi ex jure tum divino tum humano eruitur, et ex ipsa idea societatis

[14]) Sic responsum est a. s. C. Inquis. d. 15. Jun. 1870 ad propositum cujusdam Ordinarii dubium (Acta VI. p. 434). Item d. 6. Mart. 1871 ad episc. Ratisbonen. *(Vering* Archiv. t. 25. p. CXLVIII.)

[15]) Acta l. c. p. 435. — Vide Const. hanc in Append. hujus libri n. VI. Ejus commentarii laude digni sunt: «De Const. Apost. Sedis . . commentarii cura et studio Petr. *Avanzini.*» Romae 1872. — «In Const. Apost. Sedis . . . commentarii editi jussu Fr. Aegidii *Mauri,* episc. Reatini.» Interamnae 1873. — Commentario sulla Constituzione «Apost. Sedis» per G. *Formisano,* Vescovo di Nola. Napoli 1877. — *Ciolli* Comment. delle censure. Siena 1878.

ecclesiasticae fluit. Finis hujus censurae, quae omnium gravissima habetur, est triplex: emendatio rei,[1]) cura dignitatis et auctoritatis ecclesiae,[2]) denique sanitas ceterorum ecclesiae membrorum.[3]) Monet vero Concilium Tridentinum, excommunicationis gladium licet nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaque circumspectione exercendum esse.[4])

2. Excommunicatio ante Bullam Pii IX. distinguebatur *minor* et *major*. *Minor,* quae christianum non ab ipsa ecclesia separabat, sed solum excludebat a jure recipiendi Sacramenta et jure electionis passivae ad dignitates et beneficia, unico casu a jure decreta erat, nempe si quis cum vitando communicabat. Sed per dictam Bullam excommunicatio minor sublata est.[5]) *Major* vero excommunicatio est, quae baptizatum prorsus ejicit ex ecclesia atque e societate et communione fidelium. Si generatim fit mentio de excommunicatione, post Gregorii IX. (1227—1241) tempora semper intelligenda est excommunicatio major.[6]) Vox *anathema* excommunicationem nunc majorem, ac praesertim latam in haereticos, nunc solemnitates et ceremonias designat, quae in ferenda excommunicatione quandoque adhibentur, quaeque poenam quidem ipsam non aggravant sed ad majorem incutiendum horrorem sunt comparatae.[7]) Gravissima ejus species *anathema maranatha* (I. Cor. 16, 12) adpellatur.[8]) Quaenam excommunicationes latae sententiae hodie sint in vigore, supra (§ praec. 5) jam dictum est.

2. Excommunicatio major et minor.

Anathema.

3. Ut *valide* feratur excommunicatio, *a)* requitur ut *excommunicans* jurisdictione actualiter polleat, et infra districtum suae jurisdictionis commoretur; item ut actus inflictionis procedat ex libera voluntate, neque fiat *pro vindicta propriae injuriae,*[9]) quia nullus unquam potest *accusator simul esse et judex vel testis.*[10])

3. Requisita ut valide feratur.

[1]) I. Cor. V. 5. 11. «tradere satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. Chr.» c. 37. C. 24. qu. 3. «Disciplina enim est excommunicatio, non eradicatio.»

[2]) *Kober,* der Kirchenbann p. 29.

[3]) c. 16. C. 24. qu. 3. «Resecandae sunt putridae carnes et scabiosa ovis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.»

[4]) Sess. XXV. c. 3. de ref.

[5]) Cfr. *Avanzini* l. c. p. 105. Aegid. *Mauri* comment. p. 67. Hanc sententiam tuto doceri posse, resp. s. Inquis. 10. Dec. 1883. Acta s. Sed. XVII. p. 555.

[6]) c. 59. X. (V. 39).

[7]) Juxta c. 106. C. 11. qu. 3. et Pontificale Rom. P. III. hoc casu duodecim sacerdotes episcopum circumstant, lucernas ardentes in manibus tenentes, quas finita ceremonia projicere debent in terram.

[8]) Ejus specimen vid. apud *Phillips,* Lehrb. p. 546 not. 54.

[9]) S. Gregor. epist. L. II. 34. Cfr. *Kober,* Kirchenbann p. 87.

[10]) c. 1. C. 4. qu. 4.

b) Subjectum passivum excommunicationis est solus christianus et subditus infra territorium praesens.[11]) Alieni dioecesani nequeunt excommunicari, nisi ratione delicti commissi in dioecesi, ubi excommunicandi sunt.[12]) Principes regnantes non ab Ordinario suo sed tantum a Papa excommunicari possunt.[13]) Speciatim vero subjectum passivum excommunicationis non est communitas.[14]) Excommunicatio mortuorum (e. gr. Origenis, Theodori Mopsuest. etc.), non est nisi declaratio, quod quis ea irretitus obierit nec pro eo ecclesiastica officia obeunda sint; ergo (licet poena etiam reum defunctum quodammodo afficiat) directe et principaliter infligitur, ut horror incutiatur vivis.[15]) Similiter absolutio post mortem respicit fideles vivos, ut nempe pro iis, qui datis poenitentiae signis decesserunt, post absolutionem rem divinam peragere possint. Potest quis etiam pluries excommunicationem incurrere, nempe vel duplici admissione unius criminis, vel plurium delictorum perpetratione. *c)* Excommunicatio in legitima forma ferenda est. Nempe si fertur *ab homine,* sententiae judiciali semper praemittenda est *monitio canonica,* regulariter trina, cum intervallo aliquorum (sc. duorum saltem) dierum;[16]) si vero *urgens necessitas* minus exigit tempus, sufficiens est bina tantummodo vel etiam una peremtoria.[17]) Si nulla praemissa fuit monitio, excommunicatio ab homine lata non valet. Monitio fieri debet in scriptis coram testibus, ita ut nominatim exprimatur tum causa minarum tum is, qui monetur.[18]) Invalida est etiam excommunicatio, quae lata est, reo vel non citato vel non convicto, item si sententia, scripto consignata non ab ipso judice sedente in tribunali profertur. Ad formam denique referri debet publica censurae denuntiatio, ob quam demum fit, ut excommunicatus ab aliis vitari debeat.[19])

---

[11]) c. 2. de const. in VI. (I. 2).

[12]) c. 4. 5. C. 6. qu. 3.

[13]) *Kober* l. c. p. 123.

[14]) c. 5. (V. 11) in VI.: «cum nonnunquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri.»

[15]) Cfr. *Geminii Victoris* exemplum apud *Fessler* l. c. p. 21; s. *Cyprian* ep. 1. (ep. 66. ed. *Naurin.*).

[16]) c. 48. X. (V. 39); c. 3. 5. 9. in VI. (V. 11).

[17]) Quando fit una monitio pro trina, oportet ita hoc ei, qui monetur, explicari, ut intelligat, terminum sibi praefixum ad parendum esse ultimum, post quem statim sit censura feriendus. *Suarez* apud *Kober* l. c. p. 151.

[18]) c. 1, h. t. in VI.; c. 48. X. (V. 39): «personis praesentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio.» Cfr. *Schmalzgrueber* l. c. n. 28 et 29).

[19]) Hinc c. 1. *Treugas* X. (V. 34) statutum est, ut vicinis episcopis denuntietur sententia excommunicationis, lata in frangentes treugas, eum scil. in finem, ut lata sententia alibi quoque vim operetur pro foro etiam externo.

4. Quantum ad *effectus* excommunicationis juxta explicationem mox afferendam distinctio notanda est inter excommunicatos *vitandos* et *toleratos*. Nimirum effectus in jure statuti solos *vitandos* in omni suo rigore afficiunt, quoad *toleratos* vero mitigantur, ac praesertim respectu communicationis fideles inter et ipsos. Itaque 4. Effectus.

a) Effectus excommunicationis quoad *vitandos* ad hos octo referri possunt, scilicet excommunicatio hisce bonis inter fideles communibus privat: a) Quoad vitandos.

1. *Usu Sacramentorum passivo et activo.* *α*) Quoad usum Sacramentorum *passivum* excommunicatus Sacramentum *recipiens* agit *illicite,* imo graviter peccat, ideoque graviter etiam peccat sacerdos *extra casum necessitatis* Sacramentum excommunicatis administrans. *β*) Quoad usum Sacramentorum *activum et administrationem* item graviter peccat tam sacerdos vitandus, qui *extra casum necessitatis* sacramentum confert, quam fidelis, qui ab eodem Sacramentum recipit. *Valide* tamen excommunicatus *recipit* Sacramenta, excepta poenitentia, quamquam et hoc Sacramentum validum erit, si poenitens, alias dispositus, *bona fide* accedat, vel si sacerdos ipsum *bona fide* aut etiam ex malitia absolvat, *putantem* sacerdoti non deesse absolvendi potestatem. Quaeritur vero, quando *valide* et quando *licite* administret Sacramenta *vitandus? Valide* confert sacramenta et valide assistit matrimonio (§ 192. 2. d.), sed excipe poenitentiam, quia haec requirit jurisdictionem, qua ipse caret. Valide vero (et licite) excommunicatus *vitandus* absolvit in articulo mortis, si alius sacerdos non adest. Sed *licite* non administrat nisi (probaliter) in duobus casibus: *primo* licite confert viaticum et extremam unctionem, quando moribundus non potest Sacramentum poenitentiae suscipere; *secundo,* si alias grave incommodum, puta jacturam famae, bonorum vel vitae timendum esset, quia censura non obligat cum tanto rigore. (Excipe si horum malorum comminatio fiat in contemtum censurae.)[20])

2. *Suffragiis* ecclesiae *communibus* seu fructibus, qui fidelibus proveniunt ex publicis precibus, sacrificiis, indulgentiis, participatione bonorum operum per modum impetrationis vel satisfactionis. Non vero privantur suffragiis privatis a fidelibus vel sacerdotibus proprio dumtaxat non ecclesiae nomine peractis. Ratio est, quia, licet excommunicati mediante ecclesia cum coelo non communicent, tamen eorum communio interna cum Deo, quatenus ea sine ecclesia subsistere potest, non est praecisa, ideoque nihil obstat, quominus et ipsi et alii pro ipsis coelum precibus pulsent.

---

[20]) Cfr. S. Alphons. lib. 7. n. 158. n. 166—210; *Schmalzgrueber* lib. 5. tit. 39. n. 128. 129. 144. 145.

3. *Divinis officiis,* nempe ab omnibus partibus cultus divini ac praesertim ab auditione Missae. Concioni tamen vel lectioni s. Scripturae interesse possunt; item possunt seorsim seu separati a coetu fidelium in loco sacro orare, nec non uti imaginibus, reliquiis, aqua benedicta aliisque rebus ad fovendam pietatem aptis.

4. *Sepultura ecclesiastica,* ita quidem ut cadaver excommunicati vitandi exhumari debeat, si adhuc fieri possit, et coemeterium tali contactu pollutum censendum sit.

5. *Usu et exercitio jurisdictionis* ecclesiasticae, tum voluntariae tum contentiosae, pro foro tam interno quam externo. Quodsi excommunicatus vitandus extra casus extremae necessitatis absolvat in foro poenitentiae, si leges, censuras, sententias ferat, si beneficia conferat; istiusmodi actus nulli prorsus sunt et irriti.

6. *Habilitate impetrandi beneficia et dignitates.* Quia beneficium datur propter officium, hoc vero per excommunicatum nequit expleri, talis obtinendi beneficii prorsus inhabilis existit. Non tamen excommunicatio privat beneficio jam possesso,[21]) nisi post annum in censura transactum, quo termino elapso per judicem beneficium adimi *potest,* post triennium vero adimi *debet.* Item excomm. vitandus fructibus beneficialibus ante sententiam judicis probabilius non privatur.

7. *Communicatione forensi* seu ab iis, quae pertinent ad judicium sive civile sive ecclesiasticum. Nam excommunicatus non potest esse judex, advocatus, actor, testis, procurator, tabellio etc. Potest vero in judicio conveniri ut reus, ac tum se defendere atque etiam adpellare. Sed in judicio *civili* privatio communicationis forensis non amplius habet locum.

8. *Communicatione civili,* seu rebus etiam profanis et civilibus.[22]) Bene vero notandum est, privationem tam societatis civilis quam communicationis in divis, non tantum ipsos excommunicatos afficere, sed ceteros etiam fideles. Comprehendit vero ista prohibitio illas actiones, quae hoc versiculo continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

---

[21]) Si quis post beneficium mere collatum incurrit excommunicationem, is valide ingreditur ejus possessionem. Item probabilius valide quis *accipit* beneficium eo tempore collatum, quo quis liber erat ab excommunicatione, si acceptatio fiat tempore inhabili, seu quo acceptans attraxerat excommunicationem. *Schmalzgrueber* l. c. n. 149. 150.

[22]) Cfr. supra § 215. not. 5. in fin. — Excommunicatis per episc. Warmien. presbyteris *Michelis* et *Wollmann,* gubernium Borussicum contra hunc actum reclamavit, eoquod per ejusmodi excommunicationem detrimentum inferatur honori juribusque civilibus dictorum sacerdotum ideoque censuram istam sine consensu gubernii contra jus fasque fulminatam fuisse. Vide literarum commercium episcopum inter et Boruss. ministrum pro cultu. *Vering,* Archiv. tom. 28. p. XL. CXXV. CXXXIX. Cfr. ib. p. LXII. excommunicationem protestant. unam, alteram a secta massonica latam.

Nimirum prohibentur colloquia et literae *(os)*, publicae preces pro expulsis ab ecclesia *(orare)*, signa urbanitatis particularia *(vale)*, cohabitatio et negotiorum societas *(communio)*, communes epulae et convivia *(mensa)*. Habet autem transgressio hujus prohibitionis hos *effectus: α*) In rebus civilibus communicans nullam amplius poenam incurrit, sed tamen peccat, nisi causae excusantes adsint, in quibus absque culpa communicare licet cum excommunicato. Hae causae vulgo designantur versiculo: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Unde excusat: 1. *Utilitas* tam spiritualis quam corporalis, v. gr. dando monita vel eleemosynam. 2. *Obligatio* matrimonii; nam conjux cum conjuge excommunicato potest communicare. 3. *Humilitas subjectionis,* ejusmodi est relatio filii ad patrem, servi ad dominum, militis ad ducem. 4. *Ignorantia* sive juris, sive facti modo non sit affectata. 5. *Necessitas* spiritualis vel temporalis sive ipsius excommunicati sive aliorum. *β*) Communicans *in crimine criminoso* (nempe illo, propter quod quis excommunicatus fuit) cum excommunicato *nominatim a Papa* (non ab alio), ei scil. impendendo auxilium vel favorem, incidit in excommunicationem majorem Rom. Pontifici reservatam simpliciter (Constit. *Apostol.* Sedis n. 16). In eandem censuram incidunt «*clerici scienter* et *sponte* (sc. cum plena scientia nulloque compulsi metu) communicantes in divinis cum personis *a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis* et ipsos in officiis recipientes) ib. n. 17).» Porro divina officia dicuntur, quae clerici obeunt ut ecclesiae ministri, seu quae a solis clericis fieri solent. *γ*) *Interdictum ab ingressu ecclesiae* ipso jure incurrunt illi, qui *nominatim excommunicatos* (scil. ab Ordinario vel alio Papa inferiore) ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam *admittunt.*[23]) *δ*) Denique excommunicationem nemini reservatam incurrunt «mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut *nominatim excommunicatos* vel interdictos (n. 1).»[24])

---

[23]) Hoc verbum denotat eos, in quorum potestate est admittere vel prohibere, ergo eos qui regimen habent ecclesiae vel coemeterii, veluti parochos aut (ratione coemeterii) quandoque magistratus. Itaque alii clerici qui more laicorum divinis unacum *interdictis* adsunt, vel Sacramenta ab eis recipiunt, vel eorum funus comitantur, non tenentur hoc interdicto. Comment. episc. *Aegid. Mauri* in Const. «Apost. Sed.» p. 100. *Avanzini* l. c. p. 143.

[24]) Isti excommunicationis effectus sunt *immediati,* quos DD. distinguunt ab aliis, qui sunt *mediati* seu accidentales. Hi autem sunt: 1. Irregularitas ex capite violatae censurae (supra § 66, 2. c.): 2. Suspicio haeresis, quam nominatim excommunicatus incurrit, si toto anno contumaciter in censura persistat, seu *insordescat* (Conc. Trid. Sess. XXV. c. 3. de ref.). Ratio est, quia hic male sentire praesumitur de potestate ecclesiae ac de Sacramentis. Ab hac suspicione nisi se purgaverit, a judice eccles. ceu haereticus declarari

b) Quoad toleratos.

b) Haec omnia valent tantummodo de excommunicatis vitandis, non item de toleratis. In celebri enim extravaganti Martini V. «Ad evitanda,» in concilio Constantiensi,[25]) ut dicitur, edita et ubique moribus recepta, propter numerum excommunicationum tunc temporis valde multiplicatum et inde emergentia animarum pericula sapienter constitutum est, ut evitentur solum excommunicati publice et nominatim denuntiati ac insuper publici et notorii clericorum percussores, quos etiam a judice non denuntiatos evitare debemus. Inde ortum discrimen inter excommunicatos vitandos et toleratos; illorum tantum non horum communicatio prohibita est. Pertinent vero ad vitandos, *qui nominatim expresse et publice* tanquam excommunicati a judice *denuntiantur* vel, ubi agitur de excommunicatione latae sententiae, qui eam attraxisse per sententiam judicis *declarantur.*[26]) Hinc si criminis alicujus patratores sociique excommunicentur expressionibus generalibus tantum, quin persona aliqua nominetur aut vocabulis nominis pronuntiationi aequivalentibus significetur, iidem vitandis non sunt annumerandi.[27]) — At (quod bene attendendum est), haec mitigatio quoad toleratos non his ipsis favorem conferre intendit, sed tantum propter ceteros fideles, nempe «ad subveniendum conscientiis timoratis» concessa est; ex hodierna vero consuetudini isti quoque permittuntur *in civilibus* communicare cum fidelibus. Ex quo principio D. D. recte inferunt: *α)* Toleratos quidem excludi a recipiendis Sacramentis, a cultu divino publico et probabilius a communibus ecclesiae[28]) suffragiis, arceri a sepultura ecclesiastica et ad beneficia obtinenda inhabiles esse. *β)* Verum permitti cum illis communicationem in rebus tam civilibus quam forensibus. Attamen toleratus in judicio ecclesiastico sive

---

potest, 3. Probatio causae seu delicti, ob quam lata est excommunicatio. Nam qui in excommunicatione a judice inflicta per annum perseverat, non dato satisfactionis signo, pro convicto et confesso haberi debet, quia ea contumacia fictione juris reputatur confessio. *Schmalzgrueber* l. c. n. 195. seq. *Ballerini* II. p. 689. n. 959.

[25]) De hujus Constit. veritate et auctoritate vide Bened. XIV. de syn. diœc. lib. 12. c. 5. n. 4. et *Devoti,* Instit. lib. 4. tit. 18. § 10.

[26]) Ergo, ut quis vitandus sit, non sufficit, quempiam excommunicationem ipso facto incurrisse, vel sententiam specialiter et expresse in aliquem esse pronuntiatam, sed insuper requiritur, eum post incursionem vel post sententiam publice tanquam excommunicatum esse *denuntiatum. Kober* l. c. p. 256.

[27]) Congregatio, quam coëgit Pius VII., postquam excommunicatio contra Napoleonem I. ejusdemque criminis participes vibrata erat, censuit, eos non esse vitandos, quia nullius nomen esset expressum. *Fessler,* der Kirchenbann und seine Folgen. Wien 1860. circ. fin.

[28]) *Kober* l. c. p. 268. seq. Sed contrarium sentiunt s. Alphons. Theol. Mor. de censuris lib. 7. n. 164 et *Gury* n. 964.

ut procurator, sive ut testis, sive ut actor repelli per exceptionem tum ab adversariis tum a judice potest. γ) Actus jurisdictionis semper *valide* ab ipsis exerceri, imo, si *rogati sint a fidelibus,* eos etiam licite tum absolutionem impertire tum reliqua Sacramenta administrare. Si vero necessitas et fidelium petitio desit, etiam toleratus graviter peccat, atque irregularis evadit. Ob praesentiam tolerati Missa non est abrumpenda, neque populus, eo non exeunte, ab ecclesia discedere tenetur, quod utrumque secus est in vitando.[29])

5. Absolutio.

5. Cessante contumacia, reoque ecclesiae mandatis parente et parti laesae satisfaciente, *absolutio* ab excommunicatione fieri potest juxta formam, quae in Pontificali vel rituali dioecesano praescribitur.[30]) Excommunicatio, quae fertur *ab homine,* per se, nisi aliud exprimatur, semper reservata est ejus auctori vel superiori aut horum delegatis. Hinc excommunicatus a suo episcopo, ab alio absolvi nequit. Lata enim in una dioecesi excommunicationis sententia in aliis quoque servanda est. Si excommunicatio lata est *a jure,* fit distinctio, utrum per idem jus reservata sit, an non reservata. Si reservata est, res perinde est, ac si inflicta esset ab homine. Si reservata non est, absolutio datur ab episcopo pro utroque foro, vel a quovis confessario adprobato, probabilius pariter pro *utroque* foro. Etenim jus ipsum[31]) in tali casu pro utroque foro sacerdoti quoque potestatem absolvendi attribuit. In articulo mortis quivis sacerdos a qualibet censura saltem ad reincidentiam absolvit. Datur etiam absolutio *ad cautelam,* uti ante sacramentalem absolutionem, ante electionem praelati, vel ut quis gratiam acquirat per rescriptum, quae ab excommunicato acquiri non posset.[32])

---

[29]) An in urgentissimis casibus liceat fidelibus a toleratis *schismaticis* vel *haereticis* Sacramenta recipere, nonnulli quidem D. D. contra alios affirmant; sed recte advertit. Bened. XIV. (de syn. dioec. lib. 6. c. 5. n. 2) tot requiri conditiones ab iisdem hujus sententiae defensoribus, ut fere impossibile sit, ut culpa vacet hujusmodi communicatio.

[30]) Damnata est propositio (44) ab Alexandro VII.: «Quoad forum conscientiae, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censurae.»

[31]) c. 29. X. (V. 39). — Cfr. etiam *Pirhing* h. t. n. 141; *Pichler* h. t. n. 14; *Leuren.* Forum eccles. qu. 559. n. 2. *Berardi,* Comment. II. 353. ed. Mediol.; *Liguori* l. 7. n. 70. cum aliis ibi cit.; *Scavini* I. n. 833. ed. 11. — Advertunt plures, quod hanc absolutionem parochi et confessarii impertiri possunt tam intra quam extra confessionem. Cfr. *Liguori* l. c.; *Pirhing* l. c. n. 142; *Scavini* l. c. n. 835. — Aliqui autem auctores, uti *Kober* (Kirchenbann p. 472), *Phillips* (Lehrb. p. 562), *Zallinger* (ad tit. 39. lib. 5 § 311) dicunt, sacerdotem pro foro dumtaxat *interno* in hoc casu absolvere posse.

[32]) *Zallinger* l. c. § 310. Facultas a casibus Papae reservatis absolvendi, per se non comprehendit facultatem a casibus etiam episcopalibus absolvendi.

§ 219. b) De interdicto et c) de suspensione.

1. Interdicti:

1. Interdictum[1]) est censura privans usu seu participatione divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum et sacra sepultura. a) Notio. *a)* Differt ergo tum ab *excommunicatione,* quae majoribus bonis privat, neque loca sed solas personas tangit, tum *a cessatione a divinis,* quae non est locum aut homines afficiens, neque poena, sed mera intermissio officiorum divinorum decreta a superiore ecclesiastico ad significandum de commisso gravi publicoque scelere luctum.[2]) b) Divisio. *b)* Interdictum est *personale, locale* vel *mixtum,* prout immediate afficit vel personam, vel locum vel utrumque simul.[3]) Porro quodvis interdictum est vel *generale* vel *particulare. Generale* extenditur vel in personam moralem (generale personale) vel in locum generalem plura partialia loca complectentem (generale locale), puta ad totam nationem, provinciam etc. *Speciale* est, quod aut aliquas determinatas personas, aut unam tantum ecclesiam tangit. Solum interdictum *personale speciale* proprie loquendo est censura; interdictum personale generale et interdicta localia potius sunt privationes quaedam, quam censurae vel poenae. Interdictum locale et generale a saeculo potissimum 11. haud raro in integras nationes et regna decerni consuevit, ob atrocitatem criminis bono publico adversantis, a populis vel etiam a principibus admissi, ut nempe princeps saltem querelis populi victus ad officium revocaretur. At ne interdicti occasione populus innocens sacris privaretur, a Bonifacio VIII.[4]) et subsequentibus Pontificibus illius rigor variis modis fuit mitigatus.

---

[1]) Cfr. *Kober:* Das Interdict in *Vering,* Archiv. tom. 21. p. 1. seq. p. 291. seq. tom. 22. p. 1. seq.

[2]) Cessatio a divinis vel *ipso jure* existit, quando nempe ecclesia polluitur aut execratur; vel ab *homine,* scil. quando ab habente jurisdictionem in foro externo ad reparationem gravis injuriae Deo illatae imponitur. Ex consuetudine imponi etiam potest a capitulo vel collegio c. 1. (V. 10) in Clem. Indicitur ob gravissimum et notorium delictum, tradendo delinquenti instrumentum cessationis cum expressione causae postquam hic de satisfactione praestanda frustra monitus fuit. Cessatione valide indicta, attento rigore juris solus baptismus parvulis, et poenitentia morientibus, atque viaticum ministrari possunt. Itemque sepultura in loco sacro absque tamen divinorum officiorum solemnitate licita est. At ex consuetudine vel ex benignitate ecclesiae plura etiam alia indulgentur, e. gr. confirmatio, poenitentia, matrimonii contractio sine solemnitate, nec non celebratio Missarum praecipuis festivitatibus. Qui violant cessationem a divinis, graviter peccant, sed irregulares non evadunt. *Schmalzgrueber* lib. 5. tit. 39. n. 423.

[3]) V. gr. Interdictum locale generale intuitu illius efficitur simul personale, cujus causa vel culpa interdicti sententia fuit prolata. c. 16. (V. 11) in VI.; eod. c. 11. Qui vero culpabiles non existunt, possunt extra tractum interdicti licite interesse divinis. Eodem c. 16. in VI.

[4]) c. *Alma* 24. (V. 11) in VI.

Aetate vero recentiore rarus est hujus censurae usus.[5]) *c)* Sunt vero tres interdicti effectus, ut ex definitione patet: *α) Prohibitio a divinis officiis,* scilicet a Missa et ab omnibus publicis precibus et benedictionibus. Conceditur tamen praeter verbi divini praedicationem *primo* ut semel in hebdomada[6]) et, si interdictum sit locale generale, singulis diebus[7]) Missa celebretur et alia dicantur divina officia: submissa tamen voce et januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis; *secundo* ut in festivitatibus natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumtionis B. M. V. et per octavam corporis Christi interdictum omnino suspendatur et Sacramenta administrentur. *β) Prohibitio ab administrandis et recipiendis Sacramentis,* nempe Eucharistia, ordine (nisi in loco non interdicto conferatur) et extrema unctione. Permittuntur vero baptismus parvulorum, confirmatio, morientium cum viatico provisio, poenitentiae administratio etiam pro sanis (exceptis illis, qui interdicto causam vel favorem dederunt), denique etiam matrimonium, sed absque benedictione.[8]) *γ) Prohibitio a sepultura ecclesiastica,* quae in interdicto locali etiam ad amentes et infantes extenditur. Clerici tamen possunt sepeliri in ecclesia, sive locale generale, sive speciale interdictum sit pronuntiatum. Nominatim tamen interdicti sepultura ecclesiastica omnino carent. *d)* Violantes interdictum graviter peccant, nisi excuset materiae parvitas. Insuper vi Constit. «Apost. Sedis» scienter celebrantes vel celebrari facientes in locis ab Ordinario vel delegato judice, vel a jure interdictis . . . interdum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.»[9]) Item qui *interdictos* in loco sacro sepeliri *mandant* vel *cogunt,* excommunicationem incurrunt, quae tamen Papae non est reservata. (Constit. «Apost. Sedis» n. 1.)

c) Effectus.

d) Poenae in violantes interdictum.

Interdictum *partiale* est *interdictio ingressus in ecclesiam.*[10]) Haec est *censura, qua quis in ecclesia ordinem sacrum exercere, divinis interesse, et ecclesiastica sepultura prohibetur.* Interdictus ab

---

[5]) Ultimum interdicti generalis exemplum est illud, quod a Paulo V. (1606) in Venetorum rempublicam pronuntiatum fuisse historia refert. Lugubres ceremonias in exequenda interdicti sententia adhiberi solitas describit *Hurter* (Innoc. III.) tom. 1. p. 373. seq.

[6]) c. 57. X. (V. 39).

[7]) Cit. cap. *Alma* et cit. c. 1. Clem. (V. 10).

[8]) *Phillips,* Lehrbuch p. 569. *Gury* n. 1004.

[9]) N. 2 inter «interdicta latae sentent. reservata.» — Num clerici celebrantes in loco interdicto vi juris antiqui (c. 18. [V. 11] in VI.) etiam post editam Constit. «Apost. Sedis» irregulares fiant, priventurque voce tum activa tum passiva in electionibus, nec ne, affirmandum esse videtur.

[10]) c. 1. (V. 11) in VI.; conc. Trid. sess. VI. c. 1. de ref. — c. 15. C. 33. qu. 2.

ingressu ecclesiae prohibetur in ea defungi sacris vel eis interesse. Non item prohibetur extra tempus sacrorum eam ingredi, in ea privatim orare, et recipere Sacramenta. Sed talis sepultura ecclesiastica privatur, nisi poenitens decesserit (c. 20. h. t. in VI.).

2. Suspensio.

2. *Suspensio* est censura, qua clerici ob delictum proprium usu potestatis ecclesiasticae ipsorum ordini, officio aut beneficio alligatae privantur. Ex quo patet, hanc censuram clericorum propriam esse et ab aliis poenis, veluti ab excommunicatione, interdicto, depositione differe.

a) Divisio.

a) Suspensio est vel *generalis,* quando quis ab omnibus tum functionibus tum juribus beneficio adnexis arcetur, vel *specialis,* quae jure vel functione aliqua tantum privat. Specialis triplex est: *ab ordine, ab officio, a beneficio.* Prima privat exercitio functionum ordinis, altera vetat universa officia ecclesiastica, quae aut ab ordine aut a jurisdictione pendent. Tertia privat reditibus et administratione beneficii. Quandoque non omnes ordinis aut officii functiones interdicuntur, sed una aut altera tantum, cujus generis est prohibitio celebrandi Missam, audiendi confessiones, conferendi beneficia. Ejusmodi suspensio *partialis* dicitur. Item est suspensio vel perpetua vel temporaria, prout vel perpetuo vel ad certum tantum tempus inflicta est.

b) A quo et quem in finem irrogatur.

b) Irrogatur suspensio vel a lege vel ab homine, uti excommunicatio, pariterque est vel ferendae vel latae sententiae.[11]) Irrogatur vero *nunc* ut mera poena ad vindictam delicti, etiam poenitenti;[12]) *nunc* ut censura proprie talis ad frangendam contumaciam e. gr. ut citatus compareat in judicio, ut de legis transgressione satisfaciat; *nunc* ut mera inhibitio exercendi actus ordinis vel officii ex justa causa absque delicto imposita e. gr. ob defectum scientiae pro explendo munere necessariae.[13]) Irrogari potest etiam collegiis, ita tamen, ut jura collegialia dumtaxat per eam afficiantur, ideoque socii communitatis innocentes a reliquis functionibus non prohibeantur.[14])

[11]) Suspensiones latae sententiae hodie aliae non supersunt, nisi quae vel in concilio Trid. continentur, vel in Const. «Apost. Sedis» enumerantur. Cfr. *Kober,* Die Suspension der Kirchendiener. Tübingen 1862, p. 142—357.

[12]) c. 7. § 3. de elect. X. (I. 6); c. 1. (V. 11) in VI.

[13]) c. 14. X. de temp. ord. (I. 11) c. 13. § 1. D. 12. Item provisorie suspensio infligi potest in clericum, qui incaute sua conversatione criminis suspicionem excitavit. c. 10. X. (V. 34). *Phillips,* Lehrbuch p. 576. — Potest etiam episcopus nonnunquam ad avertenda scandala extra formam judicii clericum simpliciter interdicere sacrorum exercitio. Hujusmodi actus non ad jurisdictionem contentiosam sed ad politicam et correctionalem pertinere videtur. Acta s. Sedis t. 8. p. 553.

[14]) c. 40. de elect. in VI. (I. 6). Capitulum suspensum non potest suffragia dare, electiones facere, divina solemniter celebrare. Cfr. c. 23. X. (I. 6); conc. Trid. sess. XXIII. c. 10. de ref. *Phillips* l. c. p. 577.

c) Suspensionem uti *censuram* ferre non licet absque praevia *admonitione canonica,* item *sine causa* exprimenda in scriptis, ubi agitur de suspensione ferendae sententiae. Dixi uti *censuram;* nam si suspensio irrogetur ut *poena,* monitiones non requiruntur. c) Qua forma.

Sed *d)* singularis quaedam suspensionis species, et quidem illius quae est «ab homine», dicitur *ex informata conscientia,* qua nimirum episcopus, ex causis in sua *conscientia* perpensis, clericum extrajudicialiter ob occultum crimen arcet vel ab ordinibus suscipiendis, vel illum ab ordinibus susceptis et officio suspendit. Illa jus *quaerendum,* ista jus *quaesitum* ferit. Concilium enim Tridentinum,[15]) consulere volens decori sacerdotii, episcopos hac extraordinaria ratione contra clericos criminosos ea de causa procedere permisit, *ut episcopi liberius exequi valeant officium corrigendi clericos.* Scilicet ejusmodi sententia fertur velut *mandatum,* non per modum *judicii.* Etsi enim episcopus accuratam inquisitionem pro sua informatione debeat praemittere, tamen judicii formas servare non tenetur. Imo nec tenetur delictum seu causam suspensionis reo manifestare. Sed tamen causae graves, hunc modum extrajudicialem adhibendi, nec non causarum probationes scil. talia testimonia et documenta in promtu esse debent, quae non solummodo apud episcopum, sed etiam apud quoscumque prudentes judices plenam mereantur fidem. Haec de comparandis probationibus cautio, non solum de ipso jure naturali necessaria est (eoquod agatur de infligenda *poena*) sed etiam hunc in finem requiritur, ut se defendere possit episcopus, si forte a suspenso recursus ad sedem Apostolicam instituatur. Ceterum decretum Tridentinum, cum juri communi antea vigenti deroget, stricte interpretandum est. Unde hic procedendi modus restringitur: 1. generatim *ad crimen occultum,* scil. «quando delictum non potest in foro externo concludenter probari, aut illud non expedit in aliorum notitiam deducere,» inquit Benedictus XIV. (l. c. n. 6).[16]) d) Suspensio ab informata conscientia.

---

[15]) Conc. Trid. sess. XIV. c. 1. de ref. Bulla «Auctorem fidei» propos. 49. Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. c. 8. *Molitor* l. c. p. 221. *Kober* l. c. p. 66 seqq. *Pierantonelli* p. 234 seq. *Lucidi* de vis. lim. I. n. 269. seq.

[16]) Scil. interdum non expedit, nec etiam licet delictum, quod est occultum, facere publicum, hincinde vero testes recusant in judicio manifestare, quod in occulto jurejurando affirmant, quia molestias aut vexationes ex publica testificatione sibi vel aliis enascendas pertimescunt etc. *Pierantonelli* op. cit. p. 244. — Imo dicunt, tum quoque suspensionem, ex informata conscientia locum habere, cum testes ad testandum de delicto clerici publico impelli non possunt (quia melius est scandalum ex inform. conscientia tollere quam omnino non tollere). l. c. p. 248. Idem dicendum si clericus delictis publicis et occultis gravetur. — Potest quandoque episcopus processum judicialem jam coeptum abrumpere ac procedere ex informata conscientia. Id ipsum dicendum, si judicium expletum fuerit et reus abierit absolutus. l. c. p. 250.

Decretum suspensionis *ex informata conscientia* ob crimina publica editum a s. C. non sustinetur. 2. Restringitur ad duos casus, scil. potest episcopus vi decreti Tridentini *prohibere ascensum ad sacros ordines, et suspendere ab ordinibus et officio.* Alias autem poenas vel censuras infligere hoc modo extraordinario episcopo non licet. 3. Monitio praevia delinquentis per se non est necessaria, sed tamen varias ob causas expedit, ut reus *canonice* vel *paterne* moneatur. 4. Episcopus probabilius potest ex informata conscientia suspendere etiam *a beneficio* (s. C. C. 8. Apr. 1848 vid. not. 17). Sed hoc certissimum est, tantam partem fructuum a beneficio subtrahi posse, quanta necessaria est ad sustentandum eum, qui in officio suspensi substituitur. 5. Suspensio ex informata conscientia etiam *oretenus* valide infligi potest, quamvis melius sit, sententiam scriptis mandare. 6. A sententia ex informata conscientia, cum non feratur per modum judicii, *non datur appellatio;* sed tamen taliter suspensus potest suas querelas sedi Apostolicae exponere, interim vero suspensionem tenetur observare.[17]) 7. Suspensio saepe dicta tum uti *censura* tum in *poenam* irrogari potest; porro est aut *temporanea* dum vel ad determinatum tempus, vel cum clausula: *donec satisfeceris* etc. infligitur, aut *perpetua,* qualis etiam esse censetur, quae ad nullum determinatum tempus limitatur. Sed perpetua, vere semper a s. C. Concilii revocatur, etiamsi generatim non prohibeatur.

e) Effectus.

e) Effectus suspensionis pro ipsius amplitudine sunt varii. Suspensio *absolute* et simpliciter irrogata semper plena seu *generalis* intelligitur et proinde privat omni usu ordinis, jurisdictionis et beneficii. Praeterea totaliter vel ab officio suspensus beneficii obtinendi incapax existit. *Specialis* et partialis vero privat ea tantum parte hujus potestatis, quae in lege aut judicis sententia exprimitur. Unde qui *ab ordine* suspensus est, ea tantum gerere nequit, quae sunt ordinis; reliqua, quae ordinis non sunt, recte exercet. Item a certo quodam ordine suspensus, ab hujus tantum ordinis et altiorum ordinum ministerio arcetur, non item in-

---

[17]) Vide causam *Lucionen.* d. 8. Apr. 1848 agitatam apud s. Congr., ex qua elucet, qua cautione et discretione episcopos in usu hujus remedii extraordinarii procedere oporteat, et quam scrupulose attendi debeant limites, quae suspensioni *ex informata conscientia* nuncupatae a lege positi sint. «Acta s. Sedis» t. 14. p. 299 seq. Saepius enim, propter non servatas regulas canonicas, ejusmodi decreta episcoporum non sustinenda esse resolvit s. C. C. in casibus eorum, qui hac censura perculsi ad Apost. Sedem recursum habuerunt. Similes causae referuntur in eodem tomo 14. p. 372 seq.; t. 7. p. 569 seq.; t. 8. p. 547 seq. — Quoties processus saltem oeconomicus possibilis est, episcopo non licet procedere ex informata conscientia. *Pierantonelli* l. c. p. 261.

feriorum.[18]) Suspensus ab *officio* non solum a jurisdictionis sed etiam ab ordinis functionibus prohibetur, quia *in toto partem non est dubium contineri.*[19]) Suspensio *a beneficio* clericum excludit a percipiendis beneficii fructibus et a beneficii administratione, adeo, ut fructus licite percipere non possit et perceptos ante omnem judicis sententiam restituere debeat. Ipsum autem titulum officii vel beneficii suspensio non adimit.[20])

f) Violatio suspensionis.

f) Violatio suspensionis, quae est ab ordine, est peccatum grave et ipso facto facit irregularem (supra § 66. 2. c.), sive uti censura, sive ut *poena* fuerit inflicta.[21]) Suspensus ab officio vel a jurisdictione actus jurisdictionis, si quos exerceat, invalide exercet, si *nominatim denuntiatus est.* Ante denuntiationem vero valide eos peragit, imo et licite, quando a fidelibus requiritur.[22]) Violatio suspensionis, quae est a beneficio, praeter obligationem restituendi fructus, nonnunquam ipsam depositionis poenam importat.[23])

g) Cessatio.

g) Tollitur suspensio, si rationem *censurae* habeat, per solam *absolutionem* impertiendam *resipiscenti* ab habente episcopalem jurisdictionem, nisi sit reservata Pontifici;[24]) attamen si

---

[18]) Hinc e. g. episcopus ab ordine suspensus non prohibetur agere, quae sunt presbyteri. *Phillips* l. c. p. 577. *Schmalzgrueber* l. V. t. 33. n. 291.

[19]) c. 80. de reg. jur. in VI.; c. 1. in VI. (II. 14.)

[20]) Per se intelligitur, suspensionem directe non privare receptione Sacramentorum. Privat tamen indirecte. Unde sacerdos non licite potest absolvi a peccatis, nisi praecesserit absolutio a suspensione. Et quidem «hoc ad evitandam omnem Sacramenti irreverentiam.» Non potest cum Deo reconciliari, qui non est reconciliatus cum ecclesia. *Friedle* l. c. (über die Absolutio etc.) Archiv. t. 30. p. 190.

[21]) Non desunt auctores graves, qui existimant, non contrahi irregularitatem ob violationem suspensionis, quoties haec irrogata sit in *poenam;* sed verior et communior est sententia, quod sine ulla distinctione irregularitas ob spretam suspensionem, sive haec proprie censura sit, sive poena. *Suarez* de Censur. disp. 26. Sect. 2; *Bonacina* eod. tract. disp. 3. qu. 6. punct. 5. In citata causa Lucionen. (not. 17) a s. C. C. hoc idem declaratum est. Nam non minus indecens videtur, ut suspensus in poenam delicti, divinis se ingerat, quam qui ob contumaciam suspensionem contraxit. *Pierantonelli* l. c. p. 267.

[22]) *Schmalzgrueber* lib. V. t. 39. n. 309. *Kober* l. c. p. 110.

[23]) c. 1. § 2. Statuimus in VI. (I. 6).

[24]) A suspensione a jure lata et non reservata quisque confessarius absolvere potest. *Scavini* I. n. 882; *Liguori* VII. n. 70 et 322 contra *Pichler,* h. t. n. 44; *Schmalzgrueber* h. t. n. 316 et alios. Cfr. etiam formam absolut. in Rit. Rom. (tit. 3. c. 2): «Dominus noster J. Ch. . . et ego te absolvo ab omni vinculo . . . *suspensionis* . . .» Vid. *Friedle* l. c. p. 191. seq. — S. C. Inquis. d. 23. Jun. 1886 (Acta s. S. XIX. p. 46) declaravit: 1. Non posse tuto teneri sententiam, quae docet, ad episcopum vel aut quemlibet confessarium devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo reservatorum, quando poenitens s. Sedem adire non potest. 2. Recurrendum esse (nisi

lata fuerit ad certum tempus vel sub conditione, transacto tempore vel adimpleta conditione cessat *per se ipsam.* Si vero imposita sit propter culpam praeteritam *uti poena,* per solam *dispensationem* praelati vel ejus delegati tollitur.[25]) Ceterum ipsa perpetua suspensio spem veniae et restitutionis non excludit in eoque longe differt a depositione.

§ 220. 3. De poenis proprie talibus.

Praeter censuras ecclesiae etiam poenis utitur vindicativis sibi propriis tum contra laicos tum contra clericos

1. Contra laicos.

1. Poenas contra *laicos,* aliquando in foro ecclesiastico adhiberi consuetas, hodie ab hoc foro abiisse, nemo nescit. Quod etiam dicendum est de ipsis mulctis pecuniariis, quae a concilio Tridentino [1]) imponi permissae sunt, ita tamen, ut non judici ecclesiastico, sed piis causis cederent. Una tamen superest poena laicis irrogari adhucdum solita, scilicet privatio sepulturae ecclesiasticae.

2. Contra clericos.

2. Contra *clericos* ab antiquissimis usque temporibus poenis etiam corporalibus, quin tamen in poenam sanguinis transierint, animadversum fuisse constat.

a) Poenae temporales et corporales.

a) Poenae praecipuae erant: ictus fustium aut flagellorum, incarceratio, detrusio in monasterium et exilium. Item poenae pecuniariae jam pridem erant in usu, quae neque recentissimis temporibus penitus exoluerunt. Praeterea hodie decerni solet relegatio in locum solitarium et poenitentiae aptum, vel reclusio in monasterio aut alia domo ecclesiastica.

b) Amotio a beneficio.

b) Gravior poena est *privatio beneficii,* quae duobus modis potest induci, videlicet ipso jure et per sententiam condemnatoriam judicis.[2]) 1. *Ipso jure* incurritur ob crimina in jure ex-

---

eppus habeat speciale indultum) per litteras ad summum Poenitentiarium; in casibus autem vere urgentioribus, in quibus absolutio differre nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, a censuris etiam speciali modo Papae reservatis, sub poena reincidentiae, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad s. Sedem. Facto verbo cum Ss^mo.

[25]) Super irregularitate ob violatam censuram, si lata suspensio maneat *occulta,* etiamsi violatio sit *publica,* dispensare potest episcopus (ex c. 6 sess. 24). Econtrario si suspensio sit *publica,* solus Papa dispensare valet, etsi factum violationis restet *occultum. Pierantonelli* l. c. p. 268.

[1]) Conc. Trid. sess. XXV. c. 3. de ref.

[2]) Discrimen inter privationem beneficii ipso jure inductam et inferendam per sententiam judicis est hoc: Si poena privationis ipso jure contracta est, 1. ea retrotrahitur ad diem commissi delicti, ita ut ab eo tempore quis omni respectu desinat esse beneficiatus. Equidem talis ante sententiam judicis declaratoriam beneficium licite retinere potest; sed post sententiam

pressa, ita, ut alia sententia condemnatoria non requiratur. Et tale crimen est caedes rectoris vel beneficiati ecclesiae, in qua beneficium obtinetur; hostilis persecutio aut captivatio alicujus Cardinalis; exercitium ordinis a clerico censurato; crimen et haeresis et apostasiae; crimen simoniae realis in beneficii consecutione commissum, simoniae confidentialis, et multa alia, quorum aliqua etiam depositionem vel degradationem merentur, simulque ipso jure beneficio privant. 2. *Per sententiam condemnatoriam* judicis, i. e. eam, quae non sit declaratoria tantum, sed decernens poenam privationis, amittitur beneficium ob homicidium simplex commissum a clerico, ob perjurium, sacrilegium, sodomiam non frequentatam, adulterium aut concubinatum publicum, ob triennalem in excommunicatione perseverantiam et similia. Nam crimina, quae eam merentur, in specie referri aut sub una regula comprehendi non omnia possunt. Existimant D. D., in hac poena dictanda locum esse argumento simili, eamque imponi posse propter delicta expressis similia.[3]) Hinc inde antequam ad ejus-

---

declaratoriam restituere tenetur fructus post crimen admissum perceptos. Imo ante omnem sententiam judicis beneficium ipsius ab alio impetrari potest. Unde beneficium hoc permutare non potest, nec in favorem alterius resignare. 2. Si moriatur, impetrari beneficium illius ab alio potest, non tanquam vacans per mortem, sed tanquam vacans ex delicto, quia titulus beneficii jam ante obitum fuit amissus. — Si vero beneficium adimitur per sententiam judicis condemnatoriam, privatio tituli non inducitur, nisi a tempore latae sententiae. Unde ante hanc sententiam legitime retinet beneficium, illudque permutare aut resignare potest, ejusdemque fructus facit suos. — Quae statuantur l. 7. Maj. 1874 quoad effectus poenarum quae *in foro civili* dictantur contra clericos criminosos, jam supra (§ 95 not. 3) dictum est. Quibus haec sunt addenda: In nostro codice criminali (ed. 1876) § 26. ubi effectus *civiles* enumerantur quoad eos, qui *criminis* alicujus rei sunt declarati, quoad clercos (sub e.) recensetur «amotio a praebenda nec non inhabilitas quodcunque aliud beneficium obtinendi *absque expressa Imperatoris licentia.*» Nomine *criminis* etiam crimina sic dicta politica comprehenduntur. Imo § 8 legis d. 7. Maj. 1874, de quo sermo fuit § 95, nequidem requiritur formaliter crimen, sed etiam minora sufficiunt, ut gubernium amotionem ab exercitio muneris ecclesiastici *poscere* valeat. Cfr. *Gautsch,* die confess. Gesetze ad § 8. Cfr. etiam §§ 242 et 268 cod. crimin.

[3]) *Schmalzgrueber* l. III. tit. 8. n. 7. seq. l. V. t. 37. n. 128. — Parochus, qui in muniis parochialibus gravis negligentiae reus est, primum moneri debet (Conc. Trid. sess. V. c. 2. de ref.) deinde, si hujusmodi monitioni inobediens et rebellis existat, ipso beneficio privari potest. *Pierantonelli* l. c. p. 106. — Nota insuper: 1. Receptum esse apud s. C. C., parochum esse offico suo privandum propter odium et inimicitias parochianorum, si eae justae et rationabiles sint. Acta s. Sed. t. XVI. p. 477; 2. Ex Tridentino Sess. XXI. c. 6. de ref. consulendum esse regimini animarum per remotionem aut suspensionem parochorum, qui gravi de causa bonum animarum amplius operari non valeant. l. c. 479. s. C. C. in causa Albien. 1. Sept. 1883 et 19. Jan. 1884.

modi privationem procedatur, aliae poenae pro emendatione delinquentis adhiberi debent, prout jubet concilium Tridentinum quantum ad beneficiatos, *qui turpiter et scandalose vivunt,* puta (ex sententia communi) concubinarios et libidinis vitio addictos.[4]) — Hac poena gravissima clericus plecti nequit, nisi praehabitis monitionibus ac judiciali ordine apprime servato, solemni justaque sententia convictus fuerit. Ex hoc siquidem capite hujusmodi privatio differt 1. *ab inhibitorio decreto,* quo episcopus parochum, cum e. g. populus ob ejus agendi rationem valde sit commotus, ab officio ad tempus removet, illique omnia munia parochialia interdicit; 2. ab *oeconomica remotione* a beneficio sive temporali, sive perpetua, quae formalem processum haud requirit. Oeconomica remotio ex duplici causa fieri potest, nempe ex imperitia et inidoneitate parochi ad parochiam ut par est regendam vel ex gravi odio et aversione plebis, praesertim quando ea sit parochi agendi ratio, quae non in aedificationem sed in ecclesiae destructionem et fidelium scandalum convertatur. In *temporanea* remotione oeconomica parocho succurrendum est per cooperatorem seu idoneum vicarium, qui parochi vices suppleat, aequa portione reddituum adsignata. Decreta remotione *perpetua,* parocho aliud beneficium v. gr. per modum permutationis vel translationis conferendum est, et quidem redditus aequivalentis, si remotus parochus sit sine culpa, vel saltem non valde culpabilis.[5])

c) Depositio.

c) Poenae omnium gravissimae sunt: depositio et degradatio. *Depositio* est poena ecclesiastica, qua clericus in perpetuum privatur usu potestatis tum ordinis tum jurisdictionis, omnibusque beneficiis, nec non omni jure ad beneficium valide possidendum.[6]) Est ergo poena *per se* irremissibilis, quae tamen fori et canonis privilegium non adimit. Proinde differt, 1. *a suspensione,* quia haec per se non est poena perpetua, neque tot bonis privat, neque adeo frequenter uti poena infligitur; 2. *a degradatione,* quia haec etiam adimit privilegium fori et canonis, reumque brachio saeculari adjudicat. Origo depositionis jam in antiqua ecclesia reperitur, nempe in eo, quod clerici propter crimina atrociora loco suo submoveri et ad communionem laicalem detrudi consueverunt.

---

[4]) Sess. XXI. c. 6. de ref. Si quis aliis modis, e. gr. aes alienum contrahendo, luride vivendo etc. magnum scandalum praebeat, contra eum non statim ad beneficii privationem deveniendum est, sed nonnisi post monitiones in irritum cessas, post suspensionem, vel etiam post simplicem a parochia amotionem. Acta I. 151. 220.

[5]) Ejusmodi hodie est praxis s. C. C. Acta I. 516. II. 283. IV. 20. Cfr. decreta s. C. C. adducta in his locis nec non s. C. C. in Eystett. 22. Sept. ap. *Pierantonelli* l. c. p. 104.

[6]) *Kober,* die Deposition und Degradation. Tübingen 1867, p. 216.

Enimvero clerici, ad hanc redacti, non tantum extra sanctuarium una cum laicis Eucharistiam acceperunt, sed etiam ad conditionem laicalem conjecti sunt, sic ut in jure (salvo ceteroquin manente charactere ordinis indelebili) quoad omnia laicis aequiparati sint.[7]) Depositi toto vitae suae tempore in monasterio detrudi consueverunt. — Decreta est depositio in jure: 1. contra atrociora crimina omnibus communia, veluti contra homicidium, mutilationem, falsum testimonium in judicio, rebellionem, raptum, usuram, contra crimina venerea; 2. contra crimina honestati clericali contraria; contra crimina religioni adversantia, e. gr. contra haeresin, blasphemiam, vanam observantiam, simoniam; 3. contra delicta sacris officiis contraria, cujusmodi sunt: laesio sigilli sacramentalis, violatio suspensionis aut excommunicationis, et alia quam plurima.[8])

Degradatio.

Degradatio est poena, quae clericum perpetuo privat ecclesiastico ministerio, officio et beneficio, et ipso fori et canonis privilegio, ita, ut praeterea brachio saeculari puniendus tradatur, solo remanente charactere ordinis indelebili. Scilicet ex tempore Innocentii III.[9]) cum degradatione simul conjungi coepit solemnis

---

[7]) Eadem fere crimina pro decernenda depositione auctores adducunt, quae alias requiri creduntur pro beneficii privatione. Similitudo utriusque confusionem in hac re adducat necesse est. Quin imo non desunt auctores, qui inter depositionem et privationem beneficii omnino non distinguant.

[8]) Duplex depositio seu degradatio in antiqua ecclesia reperitur: totalis et partialis. Qui omnino degradabuntur, ii proprie *degradari, omnino deponi, omnimode proprio gradu dejici, non perseverare in clero, ab ordine cleri amoveri, ad laicam communionem detrudi* dicebantur. Qui ex parte degradabantur, *alii* retenta dignitate solummodo ejus munera exercere prohibiti sunt; *alii* ad inferiorem gradum *regradabantur* e. gr. episcopi ad presbyterorum, hi ad diaconorum gradum; *aliis* quaedam ordinis munera relicta sunt ceteris ademtis. *Devoti* Inst. tom. I. Sect. 4. § 19. not. 2. *Kober* l. c. p. 113. 214. Sed notabile est discrimen inter nostri et antiqui temporis depositionem. Olim, ubi quivis ad titulum certae cujusdam ecclesiae ordinabatur, depositio *semper* privationem officii involvere debuit; sed nunc etiam quoad clericos ad nullum officium deputatos locum habere potest, quo casu privat usu potestatis eccles. nec non incapacitatem beneficii inducit. Vox *depositio* primum usurpatur a s. Cyprian. ep. 65. Cfr. c. 35. C. 12. q. 2. (conc. Agath. 506) et c. 7. D. 50. Vox *degradari* in c. 5. D. 47 (conc. Eliber. circa a. 307). Usque ad finem circiter saeculi 12. voces «depositio» et «degradatio» unam eandemque poenam denotabant. *Kober* l. c. p. 130. — Ceterum disciplinam veteris ecclesiae, nec non plurima exempla depositionis ac degradationis e. gr. Pauli Patriarchae Alexandrini in synodo Gazensi a. 541 depositi, Patriarchae Ignatii Constantinopolitani a. 861 Photio machinante solemniter degradati etc. refert *Kober* l. c. p. 1—130.

[9]) Cl. *Devoti* l. c. § 21. n. 2. probat, sub Alexandro III. nondum locum habuisse illam traditionem; Lucius III. c. 9. X. (V. 7) de clerico ob haeresin degradato phrasi utitur: *relinquatur saecularis arbitrio potestatis,* quod non idem prorsus est ac *tradere puniendum.* Similiter Coelestin. III. in c. 10. X.

illa clerici degradati traditio judici saeculari, quae deinceps adhiberi consuevit, quaeque in eo est posita, ut gravioris criminis reus in foro civili puniatur, praesertim si crimen poenam sanguinis exposcat.[10]) Degradatio non potest infligi nisi pro immanibus criminibus iisque maximis, qualia sunt haec novem, scilicet: crimen haeresis et apostasiae cum pertinacia,[11]) fabricationis vel corruptionis monetarum,[12]) falsationis litterarum Apostolicarum[13]) assassinii,[14]) sodomiae,[15]) sollicitationis ad turpia in confessione,[16]) usurpationis ordinis sacerdotalis, si quis nempe ad ordinem presbyteratus non promotus Missam celebrare, aut sacramentalem confessionem audire praesumpserit,[17]) patrati abortus,[18]) furti sacrilegi ss. Eucharistiae.[19]) Ob alia enormia crimina in jure non expressa, licet expressis graviora sint, ad degradationem probabilius non potest procedi, nisi clericus sit incorrigibilis i. e. aliis poenis coërcitus non resipiscat, sed *in profundum malorum veniens contemnat.*[20]) Poena haec duobus actibus reo infertur: degradatione verbali et actuali. Degradatio *verbalis*

(II. 1) clericum criminosum primo deponi jubet, deinceps si incorribilis sit, excommunicari et *anathematis mucrone feriri,* postremo, contumacia crescente eum *comprimi* vult a magistratu saeculari, sed non eam praescribit solemnem traditionem, quae postmodum secuta est degradationem. Primum monumentum clerici degradati, qui saeculari judici traditur, est in c. 7. X. (V. 20. Innoc. III.) ubi sancivit Pontifex, ut clerici falsarii, *postquam per eccles. judicem fuerint degradati, saeculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi.* Atque ita inductum est, ut clerici propter atrociora crimina degradati saeculari curiae puniendi traderentur. *Kober* l. c. p. 157. seq.

[10]) Quod sic evenisse ostendit *Kober* l. c. p. 138 seq.: Cum privilegium fori laicis invisum evasisset, eoquod impunitatem criminum ipsis praebere videretur, ac propterea laica potestas hoc privilegium arrodere et imminuere identidem attentaret; Innoc. III. disciplinam antea servatam eatenus immutandam censuit, ut depositioni adjungeret degradationem, qua nimirum clerici criminosi privilegiis sui status exui et judici saeculari puniendi tradi possent.

[11]) Paul. IV. Const. «Quorundam»; Clem. VIII. Const. «Dominici gregis.»

[12]) Const. Urbani VIII. «in suprema» 1627 (data est solum pro ditione pontif. et pro Italia).

[13]) Const. Innocent. X. «in supremo» 8. Apr. 1653.

[14]) c. 1. § 2. (V. 4) in VI. — *Assassini* erant populus numero parvus in Syria, qui tempore expeditionum cruciatarum pro pecunia data praesertim christianos occidebant. Ab hoc populo jam dudum exstincto illi nomen acceperunt, qui mercede conducti alios (imprimis sub specie amicitiae) occidunt. Cfr. *Kober,* Deposition p. 756 seq.

[15]) Pius V. Const. «Horrendum» 95.

[16]) Gregor. XV. Const. «Universi» 34. Nullum tamen, teste Rened. XIV., reperitur exemplum praxis hujus poenae.

[17]) Clem. VIII.; Paul. IV.; Sixtus V.; Urban. VIII.

[18]) Sixtus V.; Gregor. XIV.

[19]) Innocent. XI.; Alexand. VIII.; Bened. XIV. Const. «Ab augustissimo» 5. Mart. 1744. *Kober* l. c. 745. seq.

[20]) c. cum non ab homine 10. X. (II. 1.)

(sententialis) est prolatio sententiae, per quam judex ecclesiasticus clericum omni ordine ac privilegio exuendum, ad statum laicorum detrudendum, et curiae saeculari tradendum esse decernit. *Actualis* (realis) et ipsa sententiae ita latae executio, seu solemnis et funesta ceremonia, qua episcopus clericum, contra quem est lata degradationis sententia, s. vestibus indutum, adstante simul judice saeculari,[21]) gradatim exuit singulorum ordinum insignibus, incipiens ab illo, quod eidem in ordinatione fuerat postremo traditum. Expletis dein reliquis ceremoniis, in jure[22]) et in Pontificali Rom. praescriptis, degradatum tradit judici saeculari puniendum, adjunctis tamen precibus, ut sententiam moderari et a poena sanguinis abstinere velit. Sola degradatio *actualis* aufert privilegium canonis et fori; nam si quis degradatus sit solum verbaliter, adhuc privilegium illud retinet, usque dum sententia executioni mandetur. Degradatio verbalis, cum sit actus jurisdictionis, peragi etiam potest a vicario tum generali tum capitulari; actualis vero fieri non potest nisi a consecrato episcopo (sive proprio, sive delegato), quia sicut collatio ordinis pendet a dignitate episcopali, ita et ablatio exercitii ordinis. In degradatione tum verbali tum actuali adhibendus est certus numerus praelatorum, dignitariorum et juris canonici peritorum, qui (dum agitur de degradatione verbali) omnes non sunt meri consiliarii sed judices assessores cum suffragio decisivo.[23]) Olim episcopi degradatio actualis postulabat duodecim episcopos, qui praesentes essent, presbyteri degradatio sex episcopos, diaconi tres;[24]) sed hodie causae episcoporum graviores a sede Apostolica finiuntur; reliqui autem clerici tum verbaliter tum actualiter degradantur ab episcopo, adscitis, episcoporum loco, totidem abbatibus usum mitrae et baculi habentibus, sive aliis in ecclesiastica dignitate constitutis.[25]) Denique notandum, hodie ob temporum conditionem mutatam non amplius tradi posse clericum degradatum curiae saeculari, eoquod haec renuat exequi sententiam judicis ecclesiastici. Quoties tamen clericus ob crimen degradatione dignum per judicem civilem poenae mortis vel perpetui carceris addictus sit, deberet criminosus a judice tradi etiam episcopo ad effectum infligendi poenam degradationis,

---

[21]) c. *Novimus* 27. X. (V. 40.)

[22]) Cfr. c. 2. *Degradatio* de poen in VI. (V. 9.)

[23]) Bened. XIV. de synod. dioec. l. 9. c. 6. n. 4. 5.

[24]) c. 4. 5. 6. 7. C. 15. qu. 7. (conc. Carth. II. a. 390 et III. (397). IV. (398). Hispal. II. (619). *Kober* p. 222.

[25]) Conc. Trid. sess. XIII. c. 4. de ref. — In definiendo discrimine degradationis verbalis et actualis dissentiunt D. D. Differentiam in textu indicatam veram esse, plus quam satis probavit *Kober* l. c. p. 161 seq. Quod etiam ex Pontificali Romano confirmatur. Cfr. etiam *Schmalzgrueber* l. c. n. 138.

sed transmissis simul ad episcopum actis judicialibus, ut et ipse de crimine judicium sibi efformare valeat.

§ 221. III. De delictis ecclesiasticis.

1. Delicta ecclesiastica omnibus communia sunt:

Delicta ecclesiastica sunt vel *pure* talia vel *mixta*. Porro tum haec tum illa vel omnibus *communia* sunt, vel clericis *propria*. Itaque

a) Alia mere ecclesiastica.

1. Delicta omnibus communia haec potissimum sunt: *a) Mere ecclesiastica:*

α. Haeresis.

α. Haeresis formalis, quae excommunicatione latae sententiae, *speciali modo* R. Pontifici reservata,[1]) denegatione sepulturae ecclesiasticae et quoad clericos, irregularitate, depositione atque degradatione plectitur. Poenae civiles haeresi olim adnexae, veluti jactura potestatis patriae, confiscatio bonorum, munerum et dignitatum privatio etc.[2]) post tempora reformationis exolescere coeperunt, eoquod haeresis in jure civili ex criminum catalogo expuncta est.[3])

β. Apostasia a fide.

β. Apostasia perfidiae, seu defectio a fide christiana generatim iisdem poenis animadvertitur.

γ. Schisma.

γ. Schisma seu malitiosa a corpore ecclesiae separatio unitatisque ecclesiae dissolutio, si cum *haeresi conjunctum* sit, iisdem atque haeresis poenis perstringitur; si vero sit purum, excommunicatione Papae *speciali modo* reservata ac privatione tum beneficiorum tum jurisdictionis ecclesiasticae multatur.[4])

δ. Simonia.

δ. Crimen prae reliquis atrox et poena dignum est *simonia*,[5]) quae duce s. Thoma dicitur *studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.*[6]) Distin-

---

[1]) Cfr. c. 7. 8. 9. 13, X. de haereticis (V. 7) Const. «Apost. Sedis» excommunicationem Papae speciali modo reservatam incurrisse declarat: «Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores» n. 1.

[2]) Const. Frid. II. ex qua deducta est Auth. *Gazaros* ad l. 19. Cod. de Haeret. et Manich. (I. 5.)

[3]) Id valet de Const. criminali Carolina a. 1532 in comitiis Ratisbon. ab Imp. Carolo V. publicata.

[4]) c. 5. § 1. D. 19; c. 43. C. 23. qu. 5; c. 6. C. 7. qu. 1. «Schismaticos et eos, qui a R. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.» Const. Apost. Sed. n. 3.

[5]) Act. VIII. 19. 20. Unde simonia a canonibus appellatur *lues, labes, pestis, vulnus cancrosum, peculiare et execrabile flagitium, capitale crimen, haeresis, thesaurus criminum* etc. Hinc quivis admittitur ad accusandum simoniacum et ad testificandum; item pro sufficientibus habentur probationes ex evidentibus signis. c. 6. 7. X. de simonia (V. 3).

[6]) Sec. secundae qu. 100. art. 1. — Emtio venditio hic latius intelligi debet pro omni conventione onerosa et permutatoria inter temporale et spirituale vel spirituali annexum.

guitur inprimis simonia juris divini ac naturalis et simonia juris ecclesiastici. *Illa* adest, quando pro re spirituali vel spirituali annexa temporale aut vicissim datur accipiturve; *haec* adest, quando ecclesia sub poenis simoniae et ad evitandum illius periculum prohibet spirituale cum spirituali privata auctoritate commutare, aut dato temporali acquirere officia ad rerum ecclesiasticarum administrationem ordinata.[7]) *Poenae* in jure contra simoniacos decretae sunt sequentes[8]): 1. Simonia *pure interna* aut

[7]) c. 38. h. t.; cfr. c. 5. et 7. de rerum permut. X. (III. 19).

[8]) Theoria de simonia quoad ejusdem notionem, species atque rationem peccati ad Theologiam Moralem pertinet. Pro nostro instituto sat erit haec subjungere: In simonia juris divini (prout liquet ex definitione) tria occurrunt: 1. *Studiosa voluntas dandi temporale pro spirituali vel ei adnexo.* Haec voluntas diversos habere potest gradus. Nam a) Si quis internum propositum concipit, quin id deducatur in actum, dandi temporale, ut *pro* hoc comparet spirituale, aut spirituale, ut *pro* hoc comparet temporale, erit simonia *mere interna.* b) Si hac prava intentione habita alterutrum reipsa datur, quin tamen is animus ullo pacto manifestetur, simonia *mentalis* committi dicitur. c) Si voluntas haec offerendo temporale pro spirituali, aut vicissim, ab una tantum parte manifestatur (Act. VIII. 19); haec dici potest simonia *conventionalis incompleta.* d) Si utraque pars paciscitur, quin adhuc praestetur quidpiam, erit simonia *pure conventionalis.* e) Si alterutrum, temporale vel spirituale jam sit praestitum, sub conditione obtinendi alterum, simonia dicitur *mixta,* scil. ex conventionali et reali. f) Si pactio ex utraque parte completur, fit simonia *realis.* — 2. *Pretium simoniacum,* quod est a) *munus a manu,* pecunia aut quidpiam ei aequipollens; b) *munus a lingua,* commendatio, patrocinium, ita, ut vel vicissim promittatur commendatio et intercessio apud nobilem interponenda, vel si in conferendo beneficio unice commendatio non vero dignitas commendati attendatur (s. *Thom. Aq.* Summa II. 2. Qu. 100. art. 5); c) *munus ab obsequio,* seu quodvis obsequium pretio aestimabile. — 3. *Res spirituales vel spirituali annexa tanquam merx.* Triplex est temporale spirituali annexum: *antecedenter,* cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhaerens; *consequenter,* quod ex spirituali pendet, ut jus parochi decimas percipiendi; *concomitanter* ut labor in s. functionibus, quae concomitantia vel intrinseca est vel extrinseca, prout labor vel de facili separari potest a functione, vel non. Res spirituales aut per se tales, aut per annexionem efficiunt materiam simoniae. Et hae res potissimum sunt: a) Actiones et functiones s. et spirituales vel in se vel per annexionem. Hoc respectu simoniacum est *pro* pretio temporali conferre Sacramenta, facere exorzismos, absolvere vel ligare, obire sacramentalia e. g. consecrationes ecclesiarum, benedictiones Abbatum etc. (Vid. quid constituerit Conc. Trid. Sess. XXI. c. 1. de ref. quoad ordinationem; cfr. c. 1. 39. X. (V. 3); item exercere actus jurisdictionis spiritualis tam voluntariae quam contentiosae e. g. dispensare in votis, jejuniis, legibus; item actus ex officio spirituali provenientes, ceu assistentia in nuptiis, dare licentiam in nuptiis assistendi, Sacramenta administrandi, concionandi. Licet tamen reditus stolae recipere, quia pertinent ad clericorum sustentationem, dummodo, si non dentur, sacro functio non denegetur. b) Ipsa potestas ordinis, jurisdictionis aut ipsum officium spirituale, ut si quis dato pretio fit judex ecclesiasticus vel acquirit aliud munus seu bonum spirituale, ut hoc ad lucrum vel ad fastum converti possit (c. 8. C. 1. qu. 3). c) Omnis generis beneficia et officia spiritualia tum majora tum minora; et haec simoniace conferuntur,

mentalis pro foro externo non punitur, sed tantum per poenitentiam coram Deo eluitur. 2. Pariter nulla poena incurritur per simoniam[9]) *conventionalem incompletam* aut *pure conventionalem.*[10]) 3. Simonia conventionalis *mixta* juxta probatissimos auctores pariter poenam non attrahit, quia nulla poena pro hoc casu in jure statuta est, adeoque *odiosa restringi convenit.* Excipitur tamen simonia *confidentialis* (not. 8 in fin.), ob quam poena incurritur, modo contractus ex una parte sit completus[11]) v. gr. per collationem beneficii. 4. Tanto magis poenis subjacet *simonia realis,* ex utraque parte completa. Praeprimis *censurae* in *simoniace* ordinantes et ordinatos latae (§ 66 not. 30) tum in antiquo jure[12]) tum a Romanis Pontificibus,[13]) per Const. «Apostol. Sedis» sublatae sunt. Idem dicendum de *simoniaca* beneficiorum *provisione.*[14]) Haec tamen ipso jure nulla est; unde beneficia sic obtenta dimitti et fructus percepti restitui debent. Idipsum obtinet, si inscio proviso amici aut consanguinei pecuniam dederint, licet is quidem poenam hoc casu non incurrat.[15]) Neque talis possessor juvatur per regulam Can-

---

si in nominatione, praesentatione, electione, libera collatione etc. pretium temporale intervenit (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 14. de ref). Species prorsus singularis simoniae est, quae dicitur *confidentialis,* quaeque privative ad beneficia refertur. Committitur quolibet pacto fiduciario circa beneficia, quo quis alteri beneficium resignat, procurat, confert ea lege, ut vel pensio ex eo sibi alterive detur, vel hoc beneficium deinceps sibi aut alteri designato cedat. Cfr. supra § 95. 2. d.) d) Res in se naturales, sed spirituali qualitate affectae. Inter has nonnullae in se pretio aestimari non solent, nisi ex respectu quodam sacro, veluti s. reliquiae. Istas pretio temporali aestimare simoniacum est. Aliae res ratione materiae et formae temporalem aestimationem habent ceu aedificium, aurum vel argentum in vasis sacris et similia antecedenter annexa rei spirituali. Hae pretio aestimari possunt, modo illud ob qualitatem sacram non augeatur. Si non *pro* re spirituali datur temporale, sed si alius justus titulus suppetit, simonia non est. Justus titulus est: sustentatio ministrorum ecclesiae, titulus laboris extrinseci; titulus gratitudinis (cum cautione tamen); titulus legitimae consuetudinis; titulus redimendae vexae injustae. Vid. *Zallinger* h. t. *Phillips* Lehrb. p. 605—626.

[9]) c. 34. et 46. X. (V. 3).

[10]) *Reiffenstuel* h. t. n. 239. *Ferraris* sub voce Simonia n. 11.

[11]) *S. Alph.* Moral. l. 4. n. 106; *Ferraris* s. v. Simonia art. 3. n. 3. *Pichler* ad tit. 3. Libri V. n. 50. 61. Sed putant aliqui (*Zallinger* h. t. § 99 aliique apud *Pichler* l. c. n. 53) per simoniam conventionalem *mixtam* tunc incurri poenam, quando spirituale jam est collatum, sed temporale promissum. Sed in dubio *pars benignior est tenenda.*

[12]) c. 12. 22. C. 1, qu. 1; c. 45. X. (V. 3); c. 2. Xvag. comm. (V. 1); Conc. Trid. Sess. XXI. c. 1. de ref.

[13]) Sixt. V. «Sanctum et salutare» 1588; Clem. VIII. «Rom. Pont.» 1595.

[14]) c. 2. Xvag. com. (V. 1); Pii V. «Cum primum» 1566.

[15]) c. 27. X. (V. 3); c. 2. (V. 1) in Xvag. comm. Secus vero est, si quis contradicat pro viribus, tertius tamen eo ignorante pergat in machinatione simoniaca. c. 33. X. (V. 3). Item, si tertius ex odio promoti ad beneficium fraudulenter simoniam committat, ut hic beneficio excidat.

cellariae 36. (de triennali possessore) quia haec regula *simoniacum ingressum* a favore possessionis expresse excludit. Porro provisus fit inhabilis ad idem beneficium de novo obtinendum, et haec inhabilitas etiam ad alia beneficia pertinet.[16]) Simonia *confidentialis* excommunicatione plectitur, insuper tum renuntiatio tum dein secuta collatio talis beneficii prorsus irrita est, imo collatio sedi Apostolicae reservatur. Accedit inhabilitas ad habenda reliqua beneficia, quae legitime obtenta erant.[17]) Poena *simoniae realis ob ingressum in religionem* consistit in excommunicatione latae sententiae Pontifici (simpliciter) reservata[18]) et in suspensione ab officiis capitularibus et ab omni jurisdictionis actu, quam monasterium incurrit simoniace quempiam recipiens.[19]) Committunt vero simoniam, qui dant aut accipiunt pecuniam tanquam *pretium* ingressus aut professionis religiosae, nec non qui exigunt *titulo* seu *praetextu sustentationis,* interposito pacto tacito vel expresso. Nam sustentatio annexa est professioni et statui regulari, perinde ut reditus annexi sunt beneficio; et si quis admittitur ad professionem, eo ipso jus acquirit exigendi sustentationem. Sed ea regula suas habet exceptiones. Inprimis sponte et sine ulla pactione oblata licite recipi possunt.[20]) Porro si monasterium vere indigum est neque consueto personarum numero alendo par, sine simonia exigi quidquam ab ingredientibus potest.[21]) In specie intuitu conventuum monialium usu receptum est, ut ingredientes dotale subsidium afferant ad sustinendos sumptus, quos monasteriam pro victu et

---

[16]) Hoc ultimum clare exprimitur in Bulla s. Pii V. «Cum primum.» Dicunt quidem nonnulli, inhabilitatem ad *alia* beneficia ex eo non esse statuendam, quod haec Const. usu non fuerit recepta (cfr. *Schmalzgrueber* h. t. n. 269), ac propterea ejusmodi simoniacum nonnisi *per sententiam judicis* posse inhabilem fieri ad alia beneficia obtinenda. Sed opposita sententia (sc. talem *per se* inhabilem esse ad alia beneficia) est verior, eamque observat stylus curiae s. Poenitentiariae. Vid. *Penacchi,* Comment. in Const. Apost. Sedis p. 804 seq. ac praesertim p. 864.

[17]) Pii IV. Const. «Rom. Pontificem» a. 1564; Pii V. Const. «Intolerabilis» a. 1569. — Const. Pii IX. «Apostol. Sedis» excommunicationi Papae (simpliciter) reservatae subjicit: «Reos simoniae realis in beneficiis quibuscunque et eorum complices.» Item: «Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.» n. 8. 9.

[18]) Const. «Apost. Sedis.» n. 10.

[19]) Quaeritur, num dicta suspensio post Bullam Pii IX. adhuc valeat? Puto valere, quia pertinet ad censuras, quae pro *bono regimine* ordinum sunt latae, quasque firmas permanere declaravit Papa in eadem Bulla. — Aliae praeterea poenae judicis arbitrio decerni possunt, c. 25. X. (V. 3.)

[20]) c. 30. X. (V. 3); c. 1 (V. 1) Xvag. commun.

[21]) Ita *Zallinger* h. t. § 93. alias rigorosus in hac materia. Cfr. c. 40. X. (V. 3).

cultu monialium facere oportet.[22]) — Quodsi examinatores synodales occasione examinis parochialis quidquam accipiant, tam ipsi quam dantes, a simoniae reatu absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae obtinent, et praeterea ad alia imposterum inhabiles redduntur.[23]) Alii actus simoniaci, qui e. g. in administratione sacramentorum vel in obeundis sacramentalibus committuntur, poena arbitrio judicis imponenda plectuntur.[24])

ε. Crimina contra religionem.

ε. Inter crimina *religioni* proxime et maxime adversantia, de quibus in corpore juris canonici agitur, inprimis memoranda sunt: 1. *Blasphemia,* cui jure Romano ipsa poena capitis, jure canonico excommunicatio dictata fuit. Sed hisce poenis postmodum poenitentiae suffectae sunt. 2. *Sacrilegium* personale, locale et reale. Ad sacrilegium reale pertinet inter alia usurpatio jurisdictionis ecclesiasticae, nec non rerum et bonorum ad ecclesiam pertinentium direptio. In hujusmodi usurpatores tum a Concilio Trident. tum in Constitutione Pii IX. saepe laudata excommunicatio Papae reservata (et quidem nunc speciali modo reservata) decreta est.[25]) 3. *Magia diabolica,* in quam olim in jure civili ultima supplicia decreta fuisse omnibus constat. 4. *Divinatio* cum variis speciebus ad eam pertinentibus, puta, necromantia, astrologia judiciaria, sortilegio, quae poenis variis ad judicis arbitrium castigari consueverunt.[26]) Ceterum crimina religioni adversa in civili quoque

---

[22]) Cfr. supra § 138. 1. b); Conc. Trid. Sess. XXV. de regul. c. 16; Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 11. c. 6. n. 5. Licitae sunt etiam sub certis conditionibus praestationes, quas canonici solvunt ex consuetudine vel statuto, cum primum ad suorum canonicatuum possessionem admittuntur.

[23]) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. Bened. XIV. l. c. n. 8.

[24]) De restitutione pretii simoniaci videatur *Schmalzgrueber* V. 3. n. 282.

[25]) Conc. Trid. Sess. XXII. c. 11. de ref. Constit. «Apost. Sedis»: «Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, pertinentes.» Num. 11. Juxta canones e. gr. (c. 3. 5. C. 12. qu. 2) sacrilegi habentur, qui res sive mobiles sive immobiles ad ecclesiam spectantes ei subtrahunt. Intellige etiam res sua natura profanas, quando vel ad ornamentum ecclesiae vel ad ministrorum sustentationem pertinent, ut ait s. Thomas. — Pari modo l. c. Pius IX. excommunicatos declarat invasores civitatum, bonorum aut jurium ad Romanam ecclesiam pertinentium. Num. 12. — Excommunicatione vero simpliciter Pontifici reservata mulctantur alienantes et infeudantes civitates et loca S. Rom. Eccl. Num. 13.

[26]) Sicuti quaelibet decurrentis temporis aetas peculiares criminum species parit, ita etiam hoc aevo divinationis atque magiae novae quaedam species, prioribus saeculis incognitae, accreverunt in perniciem animarum. «Ab integro fere saeculo (inquit *Gury* I. n. 282) per totum orbem grassata fuerat immanis magnetismi lues (cujus abusus damnatus est in encycl. epistol. s. Rom. Inquisitionis d. 4. Aug. 1856). Subinde prodiere et percrebuere tabularum rotantium phaenomena, quae variis motibus quaestionibus sibi

foro puniri antiquitus sunt solita, hodieque in aliquibus locis puniri solent, sive ex eo, quod status politicus eadem etiam societati civili noxia esse cognoscat, sive ex eo, quod ipsa jura cultus alicujus publice recepti per quaedam delicta religioni adversa laedantur.[27])

b. Alia crimina mixti fori.

b) Ad crimina *mixti fori,* saltem ex parte, pertinent illa, quae secundae decalogi tabulae repugnant, nempe quibus proximus quoad famam et honorem, quoad bona et fortunas laeditur, varia denique crimina carnis. Horum aliqua in jus vocari hodie omnino non solent, alia vero unice in jure civili castigantur. Non tamen repugnat, quod nonnulla crimina, quae in labem societatis etiam ecclesiasticae cedunt, ab ecclesia quoque coërceantur, praesertim tum, si respublica civilis ea poenis castigare negligit.[28]) Crimina, quae *in jure* etiam *recentiore* statutis poenis plectuntur, sunt: *a) Duellum.* Ad id quovis modo concurrentes excommunicationis, ipsi duellantes infamiae insuper poena plectuntur. Porro qui in duello alterum occidit aut lethali vulnere sauciat, asyli privilegio caret, qui vero ex vulnere in eo accepto moritur, sepultura ecclesiastica privatur. (Cfr. supra § 205 4. *b) a.*) Clerico duellanti aliae praeterea poenae imminent.[29]) *b)* Crimen *raptus,*

---

propositis de rebus occultis, et etiam de statu animarum defunctorum responsa dabant. Siluere mox tabulae, sed paulo post, seu nostris hisce temporibus, ab anno scil. 1862, daemones, qui homines per vaticinia somniantium et postea per responsa tabularum deceperant, ipsis per pythones seu personas intermedias *(medium* vocant) illudunt et somniantur.» Loquitur hic auctor celeber de consultatione spirituum, quam diabolicam, et proprie dictam divinationem s. literis severe prohibitam esse censet. «Spiritismus, prout obtinet, est fraus ad hominum perniciem et ad christianae religionis eversionem a diabolo invecta.» *(Perrone* de Virt. Relig. n. 687.) Cfr. *Müller,* Theol. Mor. l. II. § 75. *Staller,* Compend. Theol. Mor. l. § 21.

[27]) Sic in cod. crim. Austr. (1852) peculiariter notatur *perturbatio sacrorum* (§ 122), eidemque *blasphemia,* turbatio exercitii religionis, abusus sacrorum utensilium, despicientia religionis factis verbisve manifestata, adnumerantur. Cfr. cod. crim. Austr. §§ 174. 175. — De poenis in sacrorum perturbatores decretis vid. l. 10. Cod. l. I. t. 3. «Si quis in hoc genus;» Novell. 123. cap. 31. «Si quis cum sacra.»

[28]) Quo latius irreligio serpit, et quo pluribus animus hominum erroribus obnubilatur, tanto magis timendum est, ne in posterum gravissima delicta a coërcitione judicis civilis subducantur et impune ab omnibus committi possint. Haec praeter antefata divinationis genera spectant e. gr. duellum, societates ad subversionem reipublicae initae, quibus nomen dare, sub poena excommunicationis latae sententiae Papae simpliciter reservatae, in Constit. «Apost. Sedis» prohibetur. Num 3. 4.

[29]) c. Monomachiam 22. C. 2. qu. 5; c. 1. 2. X. (V. 14); Conc. Trid. sess. XXV. c. 19. de ref. Const. Bened. XIV. «Detestabilem» 1752, ubi plures propositiones, quibus defenditur duellum, damnantur. Cfr. *Zallinger* l. V. tit. 10—15. § 173. Vid. § 158. Cod. crim. austriac. — Pius IX., insistens

quod quantum ad laicos excommunicatione, quoad clericos vero depositione punitur.[30]) *c) Concubinarios* ter frustra admonitos excommunicandos aliisque etiam poenis plectendos esse, cum per annum censuras neglexerint, sancitum est a concilio Tridentino.[31]) Denique *d)* poenae olim gravissimae a lege canonica contra *pravitatem usurariam* erant constitutae, videlicet excommunicatio, infamia, irregularitas, intestabilitas et denegatio sepulturae ecclesiasticae.[32]) Verum hae poenae hodie non amplius sunt in vigore, quia spectatis nostrorum temporum adjunctis ipsa usura seu lucrum perceptum ex mutuo, nisi sit *oppressiva* i. e. nisi vel limites justi tituli excedat vel erga pauperes exerceatur, licita habetur. Imo gubernia civilia in codicibus criminalibus crimen usurae vel coarctare vel penitus expungere coeperunt.

2. Delicta clericorum propria.

2. Delicta *clericorum propria* duplici sunt in classe. Alia nimirum ipsi statui clericali, alia muneribus seu officiis publicis ab ecclesia collatis adversantur. *a) Statui clericali* et regulari prae reliquis repugnant: *apostasia irregularitatis* seu clericatus, et *apostasia* obedientiae seu monachatus. Apostatae *clerici,* in sacris constituti, amittunt privilegium canonis, et, si matrimonium attentaverint, atque illud consummaverint, fiunt irregulares (§ 66. 2. a.). Insuper matrimonium *contrahendo* ipso facto excommunicantur, quae censura etiam tangit apostatas *regulares* (§ 239. 5.), qui praeterea privantur privilegiis ordinis sui, aliisque poenis subjiciuntur.[33])

---

cit. decreto Tridentino, excommunicationi Papae simpliciter reservatae subjacere declarat: «Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes et quoslibet complices vel qualemcunque operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.» N. 3.

[30]) Conc. Trid. sess. XXIV. c. 6. de ref. matr.

[31]) Sess. XXIV. c. 8. de ref. matr. — Leges saeculares (cfr. § 500 seq. C. A. criminalis) concubinatum vix non penitus impunitum abire permittunt. Hoc etiam decis. summi tribunalis pro admin. d. 17. Oct. 1879 confirmatur (Corresp.-Bl. 1884 n. 8. p. 179). Potest tamen communitas civilis, ubi concubinatus plene probari potest, turpe hoc commercium interdicere sc. cohabitationem reis scripto inhibere (Gemeindeordn. § 27. n. 7). Si prohibitio non proficiat, vi caes. ord. d. 20. Apr. 1854 (R.-G.-Bl. n. 96) media executiva § 7 hujus ord. indicata adhiberi possunt. Quodsi alter ex concubinariis est persona *extranea* seu quae jura indigenatus in alia communitate habet, tunc haec persona ex communitate, in qua nunc degit, ejici potest (vi art. III. legis imp. d. 5. Mart. 1862 R.-G.-Bl. Nr. 18, nec non § 11. Gemeindeordn. f. Tirol).

[32]) c. 2. D. 47. et c. 7. 8. C. 14. qu. 4. (conc. Nic.); Tit. de usuris X. (V. 19); in VI. (V. 5); Clem. (V. 5); c. 1. X. vag. comm. (III. 5); Bened. XIV. de syn. dioec. l. 10. c. 4. seq. *Devoti* l. c. l. IV. tit. 16. Cfr. Dr. *Funk,* Zins und Wucher. Tübingen, 1868.

[33]) Pius IX. cit. Const. excommunicationi latae sententiae Ordinariis reservatae subjecit: «Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales

Porro *transgressio legum honestatem* clericorum concernentium v. gr., cum quis vel nimio ludendi studio vol ebriositate, vel suscepta cum mulieribus familiaritate pudorem modestiamque violat, variis poenis a lege statutis vel *arbitrio Ordinarii imponendis*[34]) animadvertitur. In specie contra detestabilem clericorum *concubinatum* gravissimae poenae decretae sunt, quibus rei juxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem coërcendi sunt.[35]) *Abusus ordinis* praeter irregularitatem diversas poenas adjunctas habet. Si clericus, qui sciens se esse excommunicatum, suspensum, personaliter interdictum, culpabiliter actum ordinis exercet, beneficiis privari atque deponi potest; e converso depositus, si hoc idem praesumserit, excommunicandus est.[36]) Item contra alios ordinis abusus variae poenae in libris decretalium sunt statutae.[37]) — *b)* Obligationibus ab officio ecclesiastico pendentibus repugnat 1. *Excessus praelatorum et subditorum,* dum *illi* jurisdictionis suae limites contra subditos excedunt e. gr. vexando inferiores indebitis exactionibus, injustis censuris, imminuendo eorum jura, privilegia negligendo; *hi* vero debitam praelatis subjectionem et reverentiam denegant v. gr. usurpando eorum jura, superiori negando honorem vel obedientiam.[38]) 2. Abusus Sacramenti poenitentiae, quo fractio sigilli sacramentalis, sollicitatio ad turpia in confessionali, et absolutio complicis in peccato turpi revocantur. *Prima* depositione et perpetua inclusione,[39]) *secunda* pariter depositione vel suspensione, beneficii privatione, aut aliis

---

post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.» Num. 1. Idem Pontifex (n. 5) irrogavit suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrendam religiosis ejectis, extra religionem degentibus.

[34]) Conc. Trid. sess. XXII. c. 1. de ref. Vide supra de honestate clericorum. § 71. seq. Cfr. tit. «De clerico venatore» X. (V. 24); «de clerico percussore.» X. (V. 25.)

[35]) Conc. Trid. sess. XXIV. c. 8. de ref. XXV. c. 14. de ref.

[36]) Vid. titulum: «De clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.» X. (V. 27). — Ebrietas et cauponae frequentatio *via disciplinari et correctionali* ab Ordinariis castigari potest et debet. Absit, ut consuetudo frequentandi cauponas hodie legitima et licita censeri possit; nam eam P. Pius IX. «tanquam detestabilem corruptelam» reprobavit d. 30. Jun. 1857. (Histor.-polit. Blätter a. 1869 p. 88.) Cfr. supra p. 236.

[37]) Vid. titulos: «De clerico non ordinato ministrante» 28. «De clerico per saltum promoto» 29. «De eo, qui furtive ordinem suscepit» 30. X. L. V. (supra p. 210).

[38]) Tit. 31. «De excessibus praelatorum et subditorum.»

[39]) c. 2. de Poenit. D. 6; c. 12. X. (V. 38). Sed poena hodie usitata est sola inclusio juxta *Giraldi* Expos. juris pontif. p. 751.

poenis pro arbitrio judicis statuendis, *tertia* demum excommunicatione[40]) plectitur.[41])

---

[40]) Gregor. XV. Const. «Universi dominici» 1622; Bened. XIV. «Sacrament. poenitentiae» 1741. Ejusdem: «Apostol. muneris» 1745. Pius IX. «Apost. Sedis» excommunicationi Papae speciali modo reservatae subjacere declarat: «Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.» Nr. 10.

[41]) A describendo processu criminali ex consulto abstinendum duxi, eoquod strictim hanc materiam percurrere parum prodest, eam vero fusius exponere angustiae libelli non sinunt. Scitu maxime necessaria videas ap. *Phillips* Lehrb. p. 639 seq.; *Permaneder* de processu criminali p. 573 seq.; *Vering*, K.-R. p. 743 seq. — Cfr. *Molitor*, über kanon. Gerichtsverfahren gegen Cleriker. Mainz 1856. *Bouix* de judicis eccles. Paris; *München*, das kanon. Gerichtsverfahren etc. 2 t. Cöln ed. 2. 1873. *Gross*, die Beweistheorie im canon. Process etc. I Theil Wien 1867, II. Theil Innsbruck 1880. — Cum hodie ob temporum injuriam vix unquam processus in *forma solemni* confici possit, s. C. epp. et regul. d. 11. Jun. 1880 Instructionem edidit pro curiis ecclesiasticis quoad modum procedendi *oeconomice* et *summarie* in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum (Acta s. Sed. t. 13. p. 324 seq.; *Vering*, Archiv. tom. 46. p. 3. seq. Commentar. huj. Instr. Acta s. S. XV. p. 375). En decursum hujus processus summarii juxta hanc Instructionem, in qua ad rem animadvertitur, hisce formis oeconomicis nullatenus intendi abrogare formas processus solemnis, sed summariis formis utendum esse, quoties solemnis processus aut adhiberi nequit, aut non expedire videtur. In laudata Instructione haec praescribuntur: 1. Inprimis remedia spiritualia, velut exercitia, monitiones et praecepta tum ad praecavenda tum ad reprimenda clericorum scandala et excessus ab Ordinariis adhiberi oportet. — 2. Praecedere processum debent summaria facti cognitio et monitiones in forma paterna vel legali, et post has, si frustraneae sint, sequuntur monitio et praeceptum mediante curia clerico intimandum, denique comminatio poenae. — 3. Quodsi dein ad ulteriora deveniendum est, processus confici debet sine strepitu judicii, servatis formis tantum substantialibus. Praeprimis omni meliori modo adlaborandum est, ut veritas detegatur et sive culpa sive innocentia clerici eruatur. — 4. Processus confici potest ab idoneo eccleciastico, adstante actuario. Quaelibet curia procuratorem fiscalem pro legis et justitiae tutela habeat necesse est. — 5. Adhibendae sunt probationes consuetae per testes, per confessionem rei etc., quae adeo firmae esse debent, ut inducant moralem saltem certitudinem culpabilitatis. Testes, si fieri potest, audiendi sunt cum juramento. Si testes vocati renuant venire, in eorum defectu alii deponant, quod ex relato, aut aliunde noverint. — 6. Collectis omnibus probationibus reus vocatur ad examen. In indictione (si suaserit prudentia) ei per extensum accusationes exponantur, ut se praeparare valeat ad respondendum. — 7. Renuenti respondere terminus praefigitur peremptorius atque significatur, ipsum habendum esse ceu contumacem, si adhuc obedire renuat. — 8. Si compareat, auditur in examine et proceditur ad contestationem facti criminosi, ut cognoscatur, utrum accusatus sit culpabilis et poenis subjiciendus. Potest se defendere et etiam praefixionem termini pro se defendendo postulare, nec non adhibere defensorem laicum vel ecclesiasticum ab Ordinario adprobatum. Si ipse nolit, defensor constituatur *ex officio*. — 9. Transmittur processus et *restrictus* (sc. elenchus actorum) procuratori fiscali, ut munere suo *ex officio* fungatur et traditur Episcopo, qui diem constituit pro causa

CAPUT III.

De rebus ecclesiae temporalibus.*)

Articulus I.

De bonis ecclesiae in genere.

§ 222. De jure ecclesiae bona temporalia habendi et leges desuper ferendi.

1. Ecclesia tanquam societas visibilis tam parum ut aliae societates bonis temporalibus carere potest. Nam haec ecclesiae *visibilitas* necessario importat, ut *visibile* in ea sacerdotium existat et cultus divinus cum certo adparatu *externo* celebrari debeat. Eapropter, ut sumtus necessarii ferri possint, sufficientibus bonis ecclesia instructa sit, necesse est. Hinc ipsimet ecclesiae naturae et existentiae jus cohaeret bona temporalia acquirendi et retinendi.[1]) Id quod etiam ex historia confirmatur. Christus ipse

1. Jus habendi bona fluit ex ecclesiae visibilitate.

Confirmatur ex historia.

---

disceptanda et solvenda. — 10. Die constituta proponitur causa coram Vicario generali, praesentibus procuratore fiscali, defensore et cancellario. Post votum procuratoris et deductiones defensoris pronuntiatur sententia scripta et indicitur accusato, qui infra decem dies a die notificationis potest appellare ad superiorem ecclesiasticum. — 11. Pro appellatione servari debet Const. *Ad militantis* Bened. XIV. d. 30. Mart. 1742 nec non decretum s. C. epp. et reg. d. 18. Dec. 1835. (Cfr. Acta s. Sed. l. c. p. 333.) — 12. Interposita appellatione curia absque mora remittit omnes actus causae originales ad auctoritatem eccl. superiorem, quae appellanti significat, ut infra viginti dies defensorem constituat. Superior in pertractanda causa pariter juxta normas recensitas procedere debet. — Notanda etiam est Instructio s. C. de Propag. fide d. 20. Jul. 1878 (*Vering* Archiv. t. 41. p. 401 seq.; cfr. ib. t. 42. p. 283 seq.) de modo servando ab Episcopis Americae Septemtr. in cognoscendis causis criminalibus et disciplinaribus clericorum, in qua praesertim ratio habetur *rectorum missionariorum*, qui non sunt beneficiati et nihilominus permanenter constitui debent. Quoad hoc in dictis causis pertractandis peculiares normae praescribuntur, quae tamen ex parte etiam in aliis locis applicari possunt.

*) *Mamachi* del diritto libero della chiesa di acquistare e possedere beni temporali, si mobili che stabili III. tom. in 5 Vol. Rom. 1770. *Helfert,* von dem Kirchenvermögen. Prag 1834. 3. Auflage. *Loberschiner,* das Kirchenvermögen etc. auf Grundlage des österr. Concordates etc. Budweis 1862. Ad hos libros remitto lectores, quia ad specialia excurrere non possum. Videantur etiam constitutiones dioecesanae hanc materiam concernentes.

[1]) *Schulte,* System p. 469. Vide supra § 36. 2. Jurisconsulti «liberales» moderni negant, ex missione divina ecclesiae, aut ex facto receptionis illius jus ullum sequi acquirendi vel possidendi bona, sed hoc jus omnino pendere a gratia guberniorum civilium. Ita *Hübler,* der Eigenthümer am Kirchengut etc. Leipzig 1868, p. 151. Similiter *Schulte* in opusculo: «Die jurist. Persönlichkeit der kathol. Kirche, ihre Institute und Stiftungen.» 1869. p. 7. propositionem defendit: «An ecclesia cum suis institutis sit persona jurium capax, omnino pendet a jure civili.» Haec sententia sequenti falso nititur

ad informandam ecclesiam loculos habuit (Joan. 13, 29), quos *fiscum reipublicae Domini* adpellat s. Augustinus.[2]) Christi exemplum Apostoli sunt secuti, horumque successores pari modo a fidelibus oblata in aerarium ecclesiae contulerunt, ut suis et ecclesiarum necessitatibus inde proviserent.[3]) Horum bonorum praecipui fontes seu partes erant: *a) Oblationes* scil. panis, vini, olei, leguminum aliarumque rerum fungibilium, quae statis diebus (oblationes quotidianae, hebdomadales, menstruales) vel ad altare admovebantur vel in episcopi domum mittebantur.[4]) *b) Primitiae,* seu primi cujusvis anni fructus, qui Judaeorum more, hortantibus Patribus, ecclesiae ministris pendebantur, paulatim tamen ex usu recesserunt. *c)* Denique *decimae,* quae, cum pariter in republica judaica, imo jam ante legem Mosaicam in usu fuissent, jam pridem etiam a christianis praestari consueverunt.[5]) Tunc temporis etiam bona immobilia non prorsus defuisse, ex edicto Licinii (313) fit manifestum, quo ethnici sunt jussi bona restituere, quae christianis eripuerant. Data christanis pace a Constantino, ecclesia bonis immobilibus abundare coepit ex donationibus et testamentis vel etiam ethnicorum templis, quorum reditus ipsi addicebantur. Tunc temporis omnes ecclesiarum reditus et oblationes in communem veluti massam colligebantur, cujus cura et administratio penes episcopum erat, sic tamen, ut haec administratio per oeconomum ex proprio clero selectum ex canonum praescripto gerenda

---

supposito: «Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus» (Syll. n. 39). Tantum enim abest, ut status civilis omnium jurium fons sit, ut status potius jus tum naturale tum positivo-divinum supponat, illudque omni modo intactum servare atque tueri teneatur. Jus divinum a statu civili non potest immutari, quia «Dei *minister* est» (Rom. 13. 4). Atqui *jus* legitimis titulis *acquirendi* ac modo proprietario *possidendi* bona, iisque utendi est jus ecclesiae *nativum,* i. e. jus eclesiae coëxistens, ad ipsius naturam et missionem divinam necessario pertinens, ac propterea jus *legitimum* (Syll. n. 26) seu a statu civili necessario agnoscendum ac tuendum. Quodsi status civilis jus istud non admittit, ecclesiam scil. non agnoscendo ut personam juridicam, tunc jus laedit divinum non minus quam jus naturale infringeretur, si personam singularem pro lubitu non permitteret esse subjectum juris. Juris siquidem capacitas non potest adimi personis (sive individuis sive moralibus), quae hac capacitate praeditae sunt jure sive naturali sive divino. Cfr. *Hirschel,* zur Kritik von *Schulte*'s jurist. Persönlichkeit der Kirche in *Vering* Archiv. t. 27. p. 1 seqq.

[2]) In Psalm. 146. n. 17. Cfr. c. 17. C. 12. qu. 1.

[3]) Act. 2, 44; ib. 4. 34. seqq. Cfr. Rom. 15. 26; Gal. 2. 10; I. Cor. 16. 1. Justin. Mart. Apol. I. c. 67. Tertull. Apol. c. 39.

[4]) Can. Apost. 3 et 4; Bened. XIV. de syn. dioec. l. 5. c. 8. *Phillips* Lehrbuch p. 657.

[5]) c. 65. (Hieron.) c. 66. (Augustin.) c. 68. C. 16. qu. 1. Cfr. Const. apost. II. 25, 35. VII. 29.

esset.[6]) Ex uno bonorum cumulo quatuor plerumque portiones separabantur, ut scilicet una pars cederet episcopo, altera clericis, tertia pauperibus et quarta fabricae ecclesiae.[7]) Sed cum deinceps plures parochiae erectae essent, haec omnium redituum in unum veluti cumulum congestio perdurare non potuit; nam oblationes et reditus penes singulas ecclesias remanere coeperunt, veluti tanquam massa separata, sub episcopi inspectione administranda, et in clericos illius ecclesiae, in pauperes ejusdem loci et pro divino cultu ibidem obeundo impendenda. Tractu temporis, cum nempe beneficia seu praebendae constitutae essent, haec massa localis in duas partes stabiliter dissecta est, ita, ut una pars beneficio pro clerici sustentatione, altera pars ecclesiae fabricae attributa sit. Sic igitur factum est, ut, dum episcopi jam peculiarem dotationem habent mensalem, pro pauperibus vero pariter propriae fundationes sunt erectae, ex antiquis quatuor portionibus duae massae principales et separatae remanserint: bona beneficialia et bona fabricarum.[8])

2. Jus ferendi leges quoad bona temporalia ecclesiae.

2. Quaeritur jam, cujus sit leges quoad bona ecclesiae temporalia ferre? Respondeo, olim *omnes* leges isthaec bona respicientes unice ab ecclesia fuisse conditas, quae hasce normas partim ex jure civili (tum Romano tum Germanico) desumpsit, partim propria auctoritate constituit. Sic e. gr. medio aevo ab ecclesia leges sunt latae quoad modos acquirendi bona ecclesiastica, veluti quoad testamentorum valorem quoad formam donationum in favorem ecclesiae faciendarum etc.[9]) Cum vero deinceps ecclesiae jurisdictio arctius constringeretur, factum est, ut potestas ipsius legislativa in hac quoque materia coarctaretur. Hodie sequens in hoc capite disciplina reperitur. Quoties agitur de bonorum temporalium pro ecclesia *acquisitione,* vel si lis est de legitima eorundem *possessione* et *dominio,* juxta leges civiles regionis res definienda est. Ratio est, quia ecclesia, dum acquirit vel possidet bona temporalia, tanquam persona privata in territorio civili consideratur, et proin iisdem plane legibus ligatur, ut aliae personae sive singulares sive morales. Econtra normae, quae horum bonorum *dispensationem* et *administrationem* attin-

---

[6]) c. 21. C. 16. qu. 7. (Conc. Chalced. 451). Cfr. c. 4. D. 89.

[7]) c. 23. 25. 26. 27. 28. 30. C. 11. qu. 2.

[8]) *Phillips* Lehrbuch § 219. — Ceterum pauperibus opem ferre ex bonis ecclesiasticis clericis ipsis relinquitur. Ad hoc tacite jam antiquitus iis in regionibus obligati erant, in quibus (e. g. in Hispania) tres tantummodo portiones ex oblationibus fieri consueverunt; nempe subventio pauperum ipsis clericis exercenda relinquebatur.

[9]) Cfr. c. 10. 11. 13. X. de testam. et ult. volunt. (III. 26). *Fagnani* ad c. 10. h. t., Bened. XIV. Inst. eccl. 105.

gunt, ab ecclesia sunt constituendae et ad exitum perducendae. Nam modus dispensandi et administrandi bona nullum ad potestatem civitatis publicum habet respectum, ideoque unice ab ecclesia definiri potest eodem plane modo, quo ceteris civibus integrum esse debet, proprio arbitrio res suas et impendere et administrare.[10])

3. Cum jure ecclesiae competente possidendi bona eo ipso connexum est jus lites agendi in judicio, nempe tum actiones instituendi contra debitores tum se defendendi coram judice contra bonorum aggressores. Ecclesia cum suis institutis et fundationibus est (prout dici solet) *persona legitima standi in judicio.* Ex hoc jure ulterius fluit, quod ecclesiastica instituta in lite gerenda possunt constituere sibi defensorem, seu causae promotorem, qui *procurator* seu (quando idem est mandatarius personae moralis) syndicus vocatur et ab *advocato* plane distingui debet. Iste causae promotor necessaria *legitimatione* pro lite suscipienda instructus sit oportet. Litem intuitu beneficiorum ipse beneficiatus, intuitu vero fabricarum ecclesiae legitimi administratores peculii ecclesiastici gerere tenentur.[11]) Et hi quidem, ut litem licite suscipiant, ex jure potius particulari (licet ubique fere vigente) quam universali, autorisatione Ordinarii indigent.[12])

Praefata lites gerendi habilitas (Processfähigkeit) in quovis territorio, in quo ecclesia admissa seu recepta est, a gubernio civili pariter agnosci debet, eoquod ista habilitas ex receptione necessario sequitur. Pariter ecclesiae integrum esse oportet defensorem in gerenda lite sibi constituere. Hic defensor est vel

---

[10]) *Schulte* System §§ 92, 93. — Principia, quae apud nos vigent, ad haec possunt reduci: a) Ecclesiae bona adinstar aliarum fundationum status tutela gaudent. Sed eidem attribuitur suprema *invigilantia* et *inspectio* intuitu substantiae bonorum ad ecclesias et ad instituta eccles. pertinentium (L. d. 7. Maj. 1874, § 38); idcirco gubernio notabiles mutationes circa substantiam confestim intimari debent (§ 49). b) Ecclesia in bonis suis acquirendis, e. g. per donationes, contractus, testamenta etc. *legibus civilibus* prout omnes cives, adstringitur, et proinde omnes conditiones ac solemnitates legales observare debet, quae quoad bonorum acquisitionem in codice Austriaco praescribuntur, proindeque omnia privilegia juris canonici in hoc capite prorsus sunt abrogata. Hoc jam ex artic. 29. Concord. elucet, quo ecclesiae jus addicitur quovis justo titulo bona acquirendi. — c) Hinc etiam lites quoad dominium bonorum istorum a judice civili deciduntur (§ 38). — d) Administratio bonorum eccles. generatim quidem pertinet ad superiores ecclesiasticos; sed normae in peculio administranda servandae a statu sunt adprobatae, imo ex parte etiam a statu constitutae (infra § 225). Cfr. L. d. 7. Maj. 1874 § 38. seq. et *Gautsch,* die confessionellen Gesetze etc. p. 91 seq.

[11]) *v. Scherer,* die Processfähigkeit der kirchl. Institute. Mainz 1882. pag. 1—17.

[12]) *v. Scherer,* l. c. p. 18. — Cfr. leges dioeces. de bonis eccl. administrandis. — Conc. prov. Vienn. 1858 de bonorum eccles. administratione § 7.

persona privata vel publica seu a lege constituta, qualis in imperio Austriaco nunc est *procurator fiscalis* (Finanz-Procurator), qui *ex officio* quorundam institutorum lites gerere tenetur.[13]) Praeterea apud nos ecclesiastica instituta, ut liti se immiscere valeant, in praxi obtinere debent consensum instantiae politicae.[14]) Et per hoc ecclesiae habilitas lites gerendi haud parum restringitur,[15]) quatenus arbitrio gubernii relinquitur, an in certo quodam casu causae controversae circa bona ecclesiastica justis mediis defendi possint, nec ne.

§ 233. Quis dominium bonorum ecclesiae temporalium habeat.

Dominium istorum tribui solet vel imperio saeculari, vel communitati civili, vel communitati parochianorum religiosae, vel Deo, Christo aut sanctis, vel ecclesiae generali vel singulis ecclesiae institutis. Dominium bonorum ecclesiasticorum spectat:

1. Inprimis contendo, horum bonorum dominium *non* esse *a)* penes potestatem saecularem. Nam cum publica ecclesiae receptione, prout ea obtinet in Germania et aliis ditionibus, etiam jus comparandi, retinendi, administrandi bona temporalia conjungitur, proin famosum illud civitatis *dominium eminens* intuitu 1. Non ad potestatem saecularem.

[13]) Scilicet procurator fiscalis (syndicus publicus) *ex officio* et modo obligatorio lites gerit pro quibuscunque *fundis publicis* vel etiam administrationi publicae subjectis e. g. pro fundo tum religionis tum studiorum, item pro ecclesiis patronatus caesarei vel fundi religionis; attamen pro ceteris ecclesiis, beneficiis et institutis non ex officio, sed ad instantiam petentium et proin facultative seu *ex beneficio* defensionem in se suscipit. Nam istarum ecclesiarum, beneficiorum et institutorum lites etiam a patronis vel a legitimis administratoribus geri possunt, prout Concil. prov. Pragense 1860 (tit. VIII. cap. I. Lit. A. n. 2) statuit: «Causam ecclesiae liti implicatae aget vel patronus suo aere, salvo episcopi jure advocatum ab ipso assumtum adprobandi, vel administratores peculii intra limites facultatis ab episcopo definitos, vel si ecclesia sit jurisp. caesarei ad fundum religionis seu studiorum spectantis, syndicus publicus, quo casu emergente Ordinarius cum gubernio civili de causa agenda conferet.» — Ergo quia *benificia nemini sunt obtrudenda,* non in omnibus casibus pro lite suscipienda procurator fiscalis *necessario* est adeundus, sed etiam alius defensor eligi potest praeterquam in casibus, quibus *ex officio* (prout dictum est) certa jura tueri ac defendere tenetur.

[14]) Id patet tum ex doctrina jurisconsultorum tum ex decionibus tribunalium. *(Scherer,* l. c. p. 38 seq. p. 45 seq.) Sed laudatus auctor probat, necessitatem exigendi consensum politicum pro inchoanda et gerenda lite legibus nostris, si res rite ponderetur, *non* requiri (p. 36 seq.).

[15]) Causa istius restrictionis ex eo deduci solet, quod ecclesia cum suis institutis in legibus nostris (§ 21 C. C. A.) pupillis aequiparanda sit, qui ad sui defensionem inhabiles, ideoque sub speciali status tutela constituti sunt; hinc (ajunt) status tenetur agendi inhabilitatem pupillorum sua cura et actione supplere. Sed hoc a veritate abhorret, eoquod instituta ecclesiastica jam habeant suos legitimos defensores et administratores. *Scherer* l. c. p. 6. 10.

horum bonorum cum omnibus suis practicis corollariis omnino exclusum est.[1]) *b)* Non penes communitatem parochialem; *α.* quia coetus parochianorum non est pars ecclesiae per se subsistens seu universitas cum juribus collegialibus;[2]) *β.* quia laici sive tanquam singuli sive collegialiter in jure omnino prohibentur de bonis ecclesiae disponere, eadem administrare atque possidere;[3]) *γ.* quia secundum canones solus episcopus est bonorum ecclesiasticorum suae dioecesis administrator et supremus rector, et quidem non parochianorum sed ecclesiae nomine, qui sine eorum consensu potest peragere beneficiorum uniones, divisiones et alias dispositiones infra terminos suae potestatis.[4]) Ex quo fluit, dictum dominium tanto minus communitati politicae tribui posse, quia rationes communitatis civilis et communitatis religiosae quam maxime ab invicem differunt. *c)* Summum Pontificem tanquam personam non recte dici posse bonorum ecclesiae dominum, alibi significatum est (§ 106). *d)* Assertio, dominium istud ad Christum, ad Deum vel ad sanctos spectare, a veritate quidem non abhorret, quia, sicut in Veteri jam Testamento decimae, primitiae, oblationes ipsi Deo dicatae et sacratae dicebantur,[5]) ita in Novo quoque Foedere res a Fidelibus in Dei cultum erogatae *res dominicae, res Deo sacratae, substantia Christi, patrimonium Crucifixi* adpellantur. Sed hae phrases non sunt strictae ad terminos juris, quia in hac nostra indagatione non tam quaeritur, cujus servitio res ecclesiae sint consecratae, quam quis in commercio humano earum dominus considerandus sit. Ex quibus apparet, istam proprietatem unice vel ecclesiae generali vel singulis institutis attribui oportere, — quae duae sententiae sic ad invicem conciliari possunt:

Neque ad communitatem parochialem.

Eo minus ad communitatem civilem.

Improprie ad Christum spectare dicitur.

2. Sed ex disciplina nunc vigente ad particularia instituta,

2. Quamdiu unum erat bonorum ecclesiasticorum aerarium, jus proprietasque ad ecclesiam generalem, nimirum ad summum

---

[1]) Vix amplius quisquam est, cui cum *Eybelio* (Introductio in jus eccl. tom. 2. l. 2. c. 4) *jus supremi dominii* quoad bona ecclesiae civitati attribuat, quod tanto magis absurdum esset, quia leges omnium fere civitatum bona ecclesiae ceu inviolabilia solemniter declarant. *Schulte,* l. c. p. 494. n. 2.

[2]) Vide supra § 426. 2. e.

[3]) c. 5. D. 89; c. 1. D. 96; c. 22. 24. C. 16. qu. 7. c. 10. X. (I. 2). Laici sine sacrilegio *possidere* bona eccles. non possunt: in eorum *administratione* quidem partes suas conferre permittuntur, sed ex hoc ullum proprietatis jus tam parum fluit, quam parum curatores pupillorum vel administratores fundationum dominium bonorum suae curae commissorum habent. Vide *Schulte,* de rerum eccles. domino secundum praecepta juris eccles. catholicorum communis. Berol. 1851 et System p. 479.

[4]) *Dr. Maas,* Ueber das Rechtssubject, die Vertretung des Kirchen-, Schul- und Stift-Vermögens etc. in *Moy* Archiv. tom. 4. § 5. p. 658 seqq.

[5]) Lev. 27, 30; Num. 3, 13; ib. 18, 8. Sicut ethnici Deos haeredes instituere consueverant, ita dein christiani Jesum Christum vel s. martyres haeredes scribere solebant. L. 26. Cod. I. 2.

Pontificem et episcopos procul dubio pertinebat.[6]) Sed cum deinceps, fide christiana latius propagata, dioeceses, ecclesiae parochiales, diversaque loca pia et religiosa exoriri coepissent, communis bonorum massa in partes divisa et sua cuique instituto pars attributa est. Unde factum est, ut hisce ecclesiae membris, collegiis et institutis jura personarum, cum capacitate dominii addicerentur.[7]) Jam vero 1. *penes ipsa loca pia et religiosa, tanquam personas juridicas, dominium proximum et immediatum esse quoad bona ipsis adscripta,* evincitur: *a)* Ex *fine* iisdem praestituto, quem nonnisi tum cum securitate assequi poterunt, cum adinstar individui perenniter viventis capacitate dominii fruuntur, bonaque ipsis data in perpetuum iis addicuntur. Et talis revera praxis est in ecclesia; vi cujus nempe singulis institutis certam bonorum substantiam fixe assignatam conspicimus, quae haudquaquam pro mero lubitu neque ab ipsis ecclesiae praesulibus inde potest auferri vel ad alia loca transferri. *b)* Ex *jure positivo.* Nam in C. J. C. pia loca et religiosa nunc *universitates* dicuntur, nunc iis possessio vel quasi-possessio vindicatur. Porro ecclesiarum bona per usucapionem vel ad alias ecclesias vel etiam ad laicos transire possunt; singula instituta haereditatum capiendarum capacia declarantur; inter duas ecclesias causae agitari contractusque fieri possunt. Denique (ut reliqua personalitatis indicia praetermittam) singularum ecclesiarum res tam in C. J. canonici quam in C. J. civilis dicuntur *res propriae, res ad jus et proprietatem ecclesiae spectantes, bona monasterio vel asceterio addicta, res* vel *possessiones ad ecclesias pertinentes, res quarum ecclesia omnem proprietatem et plenam possessionem habeat.*[8]) Ex quibus elucet, in *jure communi* singula instituta tanquam personas juris capaces considerari iisque verum dominium eorum bonorum attribui, quae fini, cui inserviunt, assignata sunt.[9])

Ast 2. haec proprietas singulis institutis asserta neutiquam est illimitata sed quasi divisa inter ipsa et ecclesiam universalem. Nam cujusvis generis loca pia ac religiosa nonnisi pars sunt organismi ecclesiae, per quam et in qua unice subsistunt, cujusque fini universali omnium institutorum finis specialis subesse debet.

sed mediante ecclesia universali, quae est vel subjectum dominii mediatum,

---

[6]) *Phillips,* Lehrbuch §§ 224. 225.

[7]) Vid. supra § 143.

[8]) *Schulte,* cit. dissert. et System. p. 486, ubi plurimi loci ex utroque jure congesti reperiuntur.

[9]) Id non minus in iis quoque regionibus obtinet, in quibus jus commune vigere desiit. *Schulte,* l. c. p. 490. Hoc idem observatur in Austria, ubi agitur de bonorum eccl. intabulatione. *Vering* Archiv. t. 42. p. 305. Etiam ecclesiae incorporatae sunt personae juridicae per se stantes ib. 306. Cfr. de jure proprietatis quoad parochias incorporatas Archiv. t. 48 p. 452 et tom. 52. p. 217.

Proin sicut ipsa localia instituta nonnisi membra sunt universalis ecclesiae, in qua unice subsistunt et a qua ex integro pendent; ita plane eorundem substantia temporalis ab ejus suprema inspectione et dispositione nullatenus potest subduci. Unde ista relatio sic exprimi potest: Subjectum *immediatum* et *proximum* proprietatis (sc. intuitu bonorum ecclesiasticorum) est institutum locale, subjectum vero *remotum* et *mediatum* est ecclesia generalis, quae mediante isto instituto ea bona possidet.[10]) Vel etiam, ut alii volunt, simpliciter piis locis proprietas, ecclesiae vero generali jus quoddam *superioritatis* et *dispositionis* attribui potest.[11]) Ex modo dictis sequitur, praesules ecclesiae posse innovationes et translationes bonorum ab uno pio loco ad alterum ex justis causis servatisque servandis perficere; item si ejusmodi institutum e. g. ordo religiosus vel monasterium ab ecclesia legitime, aut a civili potestate illegitime supprimitur, bona ejusdem instituti non desinunt esse bona ecclesiastica, ideoque minime *nullius* domini bona censenda sunt, tantoque minus ad civitatis jus et proprietatem transeunt. Pari modo, si incolae cujusdam parochiae deficiant, vel ad haereticos transeant, bona illius ecclesiae pergunt ad ecclesiam universalem pertinere, cui incumbit eadem alii cuidam fini ecclesiastico addicere.

vel saltem superioritatis et dispositionis jus habet.

§ 224. De bonorum ecclesiasticorum acquisitione.

1. Favores ecclesiae olim concessi.

(1. Ecclesia, quam ethnici inter vetita collegia adnumeraverant et ideo nihil ei donari vel testamento relinqui permiserant, a primis imperatoribus christianis non solum jus omnis generis bona acquirendi, sed plurima insuper in acquirendo privilegia obtinuit,[1]) quae postmodum haud parum ampliata sunt. Nam ex saeculo jam 6. plura concilia sanxerunt, ultimas voluntates pro pia causa, etiam non servatis solemnitatibus in jure civili prae-

---

[10]) *Kathol. Wochenschrift.* Würzburg 1856, p. 151 seqq. In hac sententia unice evanescit illa contradictio, quae inter diversa juris loca esse videtur, dum dominium nunc singulis locis (vid. not. 8) nunc toti ecclesiae adscribitur. *(Dr. Maas,* l. c. p. 646 seqq.)

[11]) *Schulte,* l. c. — *Schmalzgrueber* (l. 3. t. 25. n. 3 seqq.) piis locis *dominium particulare,* ecclesiae vero *dominium universale* quoad ea bona attribuit. Sed in praxi parum differt, utrum una vel altera formula usurpetur, modo jus supremae dispositionis quoad haec bona intactum maneat ecclesiae.

[1]) Sic e. g. haeredes adstricti erant *legata pia* infra semestre erogare, nisi omnes fructus post mortem defuncti obvenientes restituere, vel monente episcopo etiam hoc neglecto, duplum pendere vellent. Porro quibuscumque piis legatis *quartam Falcidiam* detrahere prohibitum erat. *Phillips,* Lehrbuch pag. 666.

scriptis, tanquam validas esse habendas.[2]) In foro ecclesiastico quaevis ultima dispositio etiam *informis* facta ad piam causam, sive testamentum sive codicillus fuerit, dummodo certitudo aderat de voluntate testatoris, pleno valore constabat, ac eadem praxis etiam in foro civili servari praecepta est. Quod attinet *jus decretalium,* Alexander III. lege ad universam ecclesiam extensa declaravit, testamenta, *ad pias causas* coram duobus vel tribus testibus condita, omnino valida esse.[3]) Et hi testes probabilius non solemnitatis sed unius probationis causa adesse jubentur; ex quo sequitur, in tali casu etiam testes non rogatos, imo et mulieres plenam facere fidem. Porro sequitur, duorum testium loco quamvis aliam probationem subrogari posse. Denique sequitur, legata ipsa, siquidem de voluntate testatoris non sit dubium, etiam in testamento ob defectum formae infirmo, valorem suum omnino retinere. *Donationes* inter vivos, *ad pias causas* factae, ex jure Romano et ecclesiae receptione haec praesertim singularia habent, quod *primo* acceptationem haud requirunt, sed sola pollicitatione valida esse incipiunt, et *secundo,* quod dominium rei donatae per solam donationem ipso jure sineque traditione in ecclesiam transit.[4]) Aliud denique privilegium in jure Rom. concessum et a jure canonico confirmatum est illud quo ad *praescriptionem* (exstinctivam) rerum et jurium ecclesiarum tempus solito longius praefixum fuit.[5]) Contra ecclesiam vero Romanam ex antiquissima consuetudine et summorum Pontificum constitutionibus nonnisi *centenaria* praescriptio currit, quod spa-

quoad ultimas voluntates.

quoad donationes

quoad praescriptionem.

---

[2]) E. g. Aurelian. IV. a. 441. c. 19. Parisiens. III. a. 557. c. 1. Lugdun. II. a. 567. c. 2. et alia, quae referuntur a *Schulte,* System. p. 473. n. 5.

[3]) c. 11. Relatum X. de testam. et ultim. volunt. (III. 26): «Tribus aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: «In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.» c. 10. „cum esses" X. h. t. idem Pontifex ad valorem testamentorum ad profanas causas pertinentium praesentiam parochi et duorum vel trium testium requirit. Bened. XIV. Instit. 105.

[4]) L. 4. ff. de pollicit. et l. 23. Cod. de sacr. eccles. Unde si res, donata ecclesiae, sed nondum tradita, alteri donata fuit, hic ejus rei dominium non nanciscebatur, etsi is, cui res tradita est, praeferri alioqui soleat. L. 15. de rei vindic.

[5]) Nimirum actiones, quae dicuntur *perpetuae,* i. e. quae alias 30 annis durant, vi supra dicti privilegii durant annis 40. *Actiones in rem,* sc. contra usucapientes bona ecclesiarum immobilia, similiter praeterlapsis 40 annis exstinguuntur. Rerum autem mobilium tam praescriptioni quam usucapioni spatium ordinarium 3 et 4 annorum praefixum est. Cfr. Auth. *Quas actiones* ad. l. 23. Cod. de sacr. eccles. (I. 2): «Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis praescriptio excludit; hae si loco religioso competant, 40 annis excluduntur: usucapione triennii vel quadriennii praescriptione in suo robore durantibus.»

tium etiam pro usucapione rerum ad Romanam ecclesiam pertinentium constitutum est.[6])

2. Sed nunc sunt sublati.

2. Sed successu temporis haec tanta privilegia in plerisque ditionibus accisa[7]) aut omnino abrogata sunt. Quod tamen *contra* jus ecclesiasticum accidit. Et enim hodiedum doctrina doctorum in curia Romana atque praxis tribunalium pontificiorum, antiqua privilegia in hoc capite sarta tecta servanda esse, et proinde in testamentis ad causas pias considerandum esse solummodo jus naturale et divinum, legales autem solemnitates non esse aestimandas, et hujusmodi testamenta ad causas mixti fori, imo a potiori ad judicem ecclesiasticum, quam ad laicum pertinere. Quoniam vero privilegia antiqui juris propter obstantes leges civiles obtinente hominum voluntate pro *foro externo* in praxim deduci non possunt, tribunalia Romana ea saltem pro *foro interno* observanda esse definiri solent.[8]) Sed tamen illud etiamnum ecclesiae integrum manet, ut fere ubique gentium legibus civilibus ut persona juridica et bonorum capiendorum habilis, licet *cum quibusdam limitationibus* recognoscatur.[9]) Etenim

a) Non solum in jure canonico ac in jure Romano haec facultas ecclesiae addicitur, sed etiam legibus civilibus moderni temporis, veluti in imperio Austriaco, in territoriis Germaniae, in Gallia etc. Ex publica siquidem ecclesiae in statu receptione ultro fluit, eidem bonorum acquirendorum facultatem attribuendam esse. Addicta vero est dominii capacitas per leges tum ecclesiae generatim tum variis illius institutis, seu partibus. Sunt autem instituta, quae adinstar personae juridicae etiam in jure civili considerantur: 1. Episcopatus (non autem Ordinariatus), quem repraesentat Ordinarius; 2. mensa episcopalis, ecclesia cathedralis, mensa capitularis, seminarium, domus emeritorum vel corrigendorum etc.; 3. ecclesiae parochiales, quae ceu filiae ecclesiae

---

[6]) L. c. ita pergitur: «Sola Romana ecclesia gaudente centum annorum spatio vel privilegio.» — c. 17. C. 16. qu. 3 (Joann. VIII. a. 872—882) c. 14. 17. de praescriptionibus X. (II. 26). *Zallinger,* ad h. tit. *Phillips,* Lehrbuch p. 672 not. 1. Bened. XIV. Constit. «Ad honorandam» a. 1752 § 30. — Quia ecclesiis competit restitutio in integrum adversus cursum praescriptionis, terminus praescriptionis pro iisdem proprie loquendo 44 annos complectitur. *Schulte,* System p. 475.

[7]) Non *omnia* recensita privilegia in omnibus ditionibus sublata sunt, sed nonnulla hodiedum subsistunt. Sic e. gr. hodiedum tempus solito longius praescriptionis favore ecclesiae ubique fere requiritur. Cfr. *Schulte,* l. c. p. 472. n. 6.

[8]) Acta II. 356. 369. Cfr. decisionem s. Poenitentiariae apud *Gury* I. p. 575. n. 818.

[9]) Cfr. opusc. cit. *Schulte,* Die juristische Persönlichkeit der kath. Kirche.

cathedralis considerandae sunt,[10]) beneficia etc.; 4. conventus religiosi, piae sodalitates; 5. denique omnes piae causae seu fundationes, quae legis civilis approbatione gaudent.[11])

b) Dixi: *cum quibusdam limitationibus,* quae ubique fere ecclesiae libertatem in bonis acquirendis restringunt. Nam 1. quaedam instituta a guberniis non sunt publice ut talia auctorisata; 2. etiamsi publice agnoscantur, tamen ex dispositione legis civilis bonorum acquisitio in singulis casibus a gubernii licentia pendet; 3. saltem bona ultra certam ac determinatam summam sine ejusmodi licentia non possunt comparari. (Cfr. § 36 2. a.)

c) Quod in specie attinet imperium Austriacum (ac imprimis occidentalem ejus partem), ex C. A. C.,[12]) ex legibus politicis, ex Concordato, ex legibus imperii fundamentalibus, tum denique ex facto intabulationis bonorum ecclesiasticorum quotidie occurrente manifestum est, ecclesiam, ceu personam juridicam, omnis generis bona libere acquirere posse. Et hoc quidem jus tum expresse in ipsa lege imperii fundamentali d. 21. Dec. 1867 (artic. 15) pronuntiatur tum lege d. 7. Maj. 1874 (§ 38) clare supponitur. Facultas acquirendi bona 1. extenditur ad omnia instituta ecclesiastica (modo recensita), et nominatim ad omnes *societates licitas,* quae (vi § 26. C. C. A.) iisdem plane juribus fruuntur, quae personis singularibus competunt. Efficitur autem societas licita per adprobationem gubernii, qua obtenta eo ipso societas etiam jurium capax evadit.[13]) In specie religiosi conventus et congregationes diversi generis, ad normam legis (supra § 142) erectae, possessiones sibi comparare possunt, si episcopus gubernio contestetur, illos religiosos vi regulae dominii acquirendi capaces esse. Nec refert, utrum monasterium superiori extraneo, nec ne, subjaceat. — 2. Saepe dictum jus vi Concordati *sine omni restrictione,* prioribus amortisationis legibus (art. 29) abrogatis, erat concessum, ita tamen,

---

[10]) Cfr. casum juridicum in *Vering* Archiv. t. 20. p. 128 seq. ubi Ordinariatus Limburg. solide probat, non communitatem parochianorum (more protestantico), sed ecclesiam, seu fabricam esse subjectum dominii intuitu bonorum temporalium.

[11]) *Schulte* l. c. p. 27 seq., 59 seq. Dicta ecclesiae capacitas etiam in pace Westphal. nec non in conclusis ab imperii deputatis a. 1803 solemniter pronuntiata est. l. c. p. 63. 67. Cfr. *Hirschel,* qui contra *Schulte* probat, Ordinariatus seu vicarios generales non esse haereditatum capaces. (Archiv. t. 27. p. 1. seq.)

[12]) § 26; in §§ 1472, 1485 jus ecclesiae supponitur, quia pro praescriptione et usucapione in favorem ecclesiarum etc. tempus solito longius constituitur. Idem dicendum de §§ 694, 778, 849, ubi privilegia piis testamentis tribuuntur. Cfr. litt. p. 4. Mart. 1849; 31. Dec. 1851. Litt. «Ecclesia.»

[13]) Vi legis associationes concernentis (Vereinsgesetz dd. 15. Nov. 1867, § 7), datur earundem etiam approbatio tacita, quoties nempe infra 4 hebdomades post factam societatis erectae denuntiationem responsum non datur.

ut gubernio quaevis novae bonorum ecclesiast. acquisitiones indicandae essent.[14]) Attamen vi art. 6 legis imperii fundamentalis nihil obstat, quominus imposterum novae amortizationis condantur leges (cfr. supra p. 106 not. 10).

4. Tituli acquirendi: a. Per actus inter vivos.

3. Acquiruntur itaque bona ecclesiastica:

a) Per actus inter vivos, ad quos spectant 1. diversi generis *contractus* sive gratuiti sive onerosi.[15]) 2. *Collectae* sive *ordinariae* pro ecclesiae ministris sive *extraordinariae* v. gr. pro exstruenda ecclesia, pro quibus et episcopi et gubernii provinciae licentia requiritur. 3. Oblationes in ecclesia, seu illa donaria, quae a fidelibus spontanee et absque mensura determinata ad Dei cultum impenduntur. Hae secundum intentionem expressam vel tacitam adplicari debent; si vero de speciali offerentis intentione non constet, nec loci consuetudo aliud ferat, in ecclesiis parochialibus factae parocho obveniunt, qui ad percipiendas, quae intra limites parochiae fiunt, oblationes fundatam in jure habet intentionem. At vero receptior et apud nos quoque vigens consuetudo vix aliud genus oblationum, quam quae in altari reponuntur, parocho permittit. Quae vero in arculis truncisve, ut vocant, reponuntur, aut quae sacculo sonante per ecclesiam circumferri solito colliguntur, fabricae et aliis ecclesiae usibus impendi solent.

b. Per actus mortis causa.

b) Per actus mortis causa, quo spectant 1. testamenta *pia,* quibus nempe haeres instituitur causa pia. Haec, ut vim habeant, ad normam legum civilium condi oportet.[16]) 2. *Successio ab intestato,* quae ecclesiae nunquam suffragatur, nisi beneficiatus sine testamento decedat. (§ 232.) 3. *Pia legata,* quibus in jure Austriaco certi favores conceduntur. Nimirum legata ad pias causas confestim repeti possunt. Quodsi eorum praestatio protrahatur, census a lege definiti huic spatio correspondentes pendi debent.[17]) Imo haereditas insinuari haeredibus ante vetatur, quam pia legata persoluta fuerint, vel solutionis faciendae cautio sit praestita.[18])

[14]) Lit. minister. super Concordati exequutione d. 25. Jan. 1856. Vi edicti minister. d. 13. Jun. 1858 publici officiales quasvis intabulationes bonorum immobilium a religiosis conventibus acquisitorum gubernio provinciae denuntiare debent. Similiter (litt. patent. 9. Aug. 1854) instantiae judicialis est, pia legata et haereditates notabilis quantitatis confestim gubernio provinciae intimare, ad quod minorum quoque legatorum catalogus quovis semestri transmittendum est.

[15]) Vid. C. A. C. II. Theil 17—24. Hauptst., III. Theil. 4. Hauptst. Von der Verjährung und Ersitzung.

[16]) C. C. A. §§ 564 seqq.

[17]) C. C. A. §§ 685, 1333, 1334.

[18]) Litt. patent. 9. Aug. 1854, §§ 1, 59. Reichsgesetzblatt Nr. 208. Idem cautum est quantum ad s. Missas, pro quibus persolvendis testator certam pecuniae summam assignavit. Atvero tum legata pia in genere, tum quae in specie sive pro pauperibus, sive pro Missis perpetuis aut aliis s. functionibus

c) Per actus inter vivos et mortis causa. Quo pertinent: c. Per actus inter vivos et mortis causa.
a. donatio mortis causa, quae vel legato aequipollet, quando nempe traditio post mortem donantis secutura est, vel contractus gratuitus censetur, si donatarius acceptationem declaravit, donans vero juri donationem revocandi renuntiavit, et quidem in documento manibus donatarii tradito.[19]) *β. Fundationes piae,* quo nomine veniunt dispositiones, quibus bona quaedam beneficio, ecclesiae aut collegio ecclesiastico cum obligatione certas functiones sacras quotannis obeundi, donantur aut legantur. Sunt contractus cum ecclesia vel loco pio ex una parte et cum fundatore aut ejus haeredibus ex altera parte initi. Quaevis fundatio pia, ut valorem nanciscatur, ab episcopo vel acceptari vel saltem confirmari debet.[20]) Piae causae nonnisi a R. Pontifice immutari possunt, propterea quod ultima testatoris voluntas inviolabilis esse debet (supra § 104. 3). Episcopi a Concilio Tridentino (Sess. XXII. c. 6. de ref.) sunt quidem constituti piarum voluntatum executores, ita ut eaedem non solum prima vice, sed etiam per decursum temporis rite executioni mandentur; sed propria auctoritate neque in melius mutare pias voluntates valent.[21])

destinantur, taxa, quae dicitur percentualis, onerantur. (Cfr. leg. d. 13. Dec. 1862 Tar. P. 96 et edict. minist. d. 18. Jul. 1860. *Vering,* Archiv. t. 19. p. 455). Ab hac neque legata pro missis manualibus liberantur. Decis. minist. 9. Maj. 1884 N. 14, 684. Dantur in nonnullis Austriae provinciis etiam legata *necessaria* seu lege praescripta, quae a testatore vel fundo scholarum elementarium vel aegrotantium aut pauperum institutis assignari debent. *Loberschiner* l. c. p. 23.

[19]) C. C. A. § 956.

[20]) Urban. VIII. in Decret. Congr. Conc. confirm. ab Innoc. XII. in Const. «Nuper» a Congreg. 23. Dec. 1697. Cfr. Bened. XIV. Inst. 56. sub voce *His peractis,* ubi ex decretis authenticis s. C. C. probatur, ab episcopo esse statuendam eleemosynam, quae respondeat oneribus Missarum perpetuarum. — Leges civiles modernae fundationibus minime favent. Sic lex Badensis 5. Maj. 1870 illas dumtaxat fundationes tanquam eccles. agnoscit, quae cultui divino inserviunt, et has ipsas supremae inspectioni gubernii subjicit, pro qualibet singulari fundatione gubernii consensum requirit. Legibus *Austriacis* quoque fundationes, quae pro egenis sunt destinatae, ecclesiae subtractas esse, § 143. n. 3. dictum est. Item fundationes, quae *etiam* pro personis saecularibus destinantur, non ceu fundationes ecclesiasticae considerantur ideoque administrationi *civili* subduntur. Resol. 2. Junii 1880 (apud *Wolski* p. 407). Cfr. *Rosshirt,* Badische und österr. Gesetze über das Stiftungswesen in *Vering* Archiv. t. 25. p. 101, 107, 114. — Causae de acceptandis vel immutandis fundationibus *spiritualibus* cum consensu Ordinariatus, qui etiam consentire debet, ubi conditiones erigendae alicujus fundationis statuendae sunt (nisi fors ipse fundator eas praescripserit. Resol. 28. Sept. 1883 *(Wolski* l. c.) — Ceterum fundationis alicujus erectio tunc perfecta censetur, cum fundatio ab Ordinariatu est acceptata. Edict. ministri pro cultu et Instr. ex anno 1873, *Vering* Archiv. t. 30. p. 472.

[21]) Acta II. 369. IV. 212; ibid. I. 610, ubi pius quidem testator exclusis consanguineis, capellaniam ex haereditate relicta fundasse narratur. Cum vero

§ 225. De bonorum ecclesiasticorum administratione.

Hac § nonnisi de iis agetur, quae administrationi bonorum tum fabricarum tum beneficiorum communia sunt.

1. Disciplina antiquior.

1. In veteri ecclesia bona dioecesis ab episcopo [1]) per oeconomum, laicis penitus exclusis, administrata reditusque in quatuor vel tres portiones distributos fuisse legimus.[2]) Sed posteaquam ex una bonorum substantia tot quasi partes per se subsistentes separatae erant, quot beneficia ecclesiae in dioecesi exstabant, episcopi parochis locorum aliisque ad hunc finem selectis administrationem committere coacti sunt, ipsis solummodo inspectione circa administrationem remanente. Denique disciplina invaluit, vi cujus bona beneficialia ab ipsismet beneficiatis, bona vero ecclesiarum a parocho, adscitis nonnullis laicis, administrentur. Et haec disciplina per artic. XXX. Concord. in Imperium etiam

---

consanguinei, in summam egestatem redacti, pro immutatione ultimae voluntatis favore sui supplicarent, haud annuendum petitioni censuit s. C. C. eoquod voluntas testatoris clara et distincta mutationem non admitteret. — Modus procedendi in erigendis fundationibus non huc, sed potius ad stilum ecclesiasticum pertinet. Unde sufficit puncta principalia *summarie* indicare: 1. Curandum, ut reditus fundationis sufficientes sint juxta statuta uniuscujusque dioecesis. In dioecesi Brixin. pro Missa cantata sors saltem 88 fl. mon. Austr., pro Missa vero sine cantu 53 fl. ad minimum requiritur. (Vid. Dioecesan-Blatt 1860, pag. 31, 65. 2. Curandum, ut summa pecuniae pro fundatione assignata fiat frugifera. Quoad hoc quadruplex diversitas enascitur: a) Si fundator enumeratam pecuniam dederit, ea elocari debet. b) Si publicam syngraphen dederit, eam ecclesiae vel beneficio, in cujus favorem fundatio cedit, adscribi oportet. Potest vero fundator etiam c) debiti alicujus cessionem facere favore beneficii aut ecclesiae, cui persolutio fundationis injungitur; aut d) se ipsum debitorem declarare erga ecclesiam, ita tamen, ut bonum aliquod immobile tanquam hypothecam specialem oppignoret. 3. His peractis specimen literarum fundationis conficitur et ad Ordinariatum revisionis causa transmittitur. Post hanc demum correctionem verae et validae fundationis literae conficiuntur, quarum forma interna quadruplex est juxta praedictos quatuor modos, quibus fundator sumtibus pro fundatione necessariis providere potest. Ceterum tria earum exempla conscribi oportet, quorum unum apud Ordinariatum, alterum apud provinciae gubernium, tertium apud locum pium, cui fundatio est facta, reponendum est. Vid. *Loberschiner*, l. c. p. 37 seqq. Pro nostra dioecesi ea res exactissime explanatur Brixn. Dioec.-Blatt 1861, p. 9—42. — Ceterum per decreta PP. Urbani VIII. et Innoc. XII. praecipitur, ut affigatur in sacristia tabella, in qua Missae perpetuo celebrandae describantur. Bened. XIV. Instit. cit. sub voce *Non minorem*. De influxu ecclesiae in administrationem piarum fundationum recole quae supra (p. 432 not. 3) nec non quae sub finem § 145 dicta sunt. Cfr. etiam art. XX. not. «Ecclesia», ubi solummodo cura spiritualis in dirigendis piis institutis ecclesiae addicitur (edict. minist. 24. Mart. 1860. Archiv. t. 19. p. 442).

[1]) § 222. 1. c. 23. 24. C. 12. qu. 1. (Conc. Antioch. a. 341 et can. Apost.)

[2]) *Loberschiner*, p. 51 seqq.

nostrum invecta est,[3]) cum antehac bonorum ad fabricas pertinentium administratio penes potestatem saecularem exstitisset.

2. Quantum ad principia, juxta quae administratio fieri debet, haec potissimum decidenda sunt: *a) Administratores* ad ecclesias se habent, ut curatores ad pupillum, ideoque damnum, quod eorum culpa bona ecclesiastica ceperint, resarcire tenentur.[4]) *b)* Episcopus tanquam summus administrationis inspector, ejusdem modum determinare et, quatenus canones permittunt, necessarias quoad isthaec bona dispositiones facere potest. Ille solus valet permittere, ut res ecclesiasticae minoris pretii alienentur, item elocationem bonorum immobilium suis legibus restringere, nec non licentiam dare, ut administratores liti de juribus ecclesiae exortae sese immittant, vel ut aliqua controversia, quae de iisdem juribus agitatur, per amicabilem conventionem componatur. Praesertim vero praescribitur, ut episcopo gestae administrationis quotannis ratio reddatur et hunc in finem rationarium ipsi exhibeatur.[5]) *c) Patronis* de jure non competit bonorum sui patronatus administratio, sed *cura* tantum *providentialis* (§ 93. 4. a.); legibus nostris (cfr. not. 10. 3.) eorum jura respectiva ad haec ferme capita recte revocantur:[6]) *a.* Patronis libere relinquitur, vel per se ipsos vel per delegatos interesse consessibus, in quibus de bonorum fabricae administratione agitur, nec non petere, ut ea episcopo dijudicanda

2. Principia, quae nunc vigent.

---

[3]) «Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat.» Cfr. supremam resol. d. 3. Oct. 1858 et edict. minister. d. 28. Jun. 1860, quo officialibus politicis intimatur, curam et periculum bonorum ad fabricas et beneficia pertinentium, deinceps ad instantiam ecclesiasticam translatum iri, salva tamen manente suprema status civilis invigilantia, quae vero seposito spiritu diffidentiae ac omni minutiarum studio debeat exerceri. Licet autem ecclesiae libertas administrandi bona sua dicto modo fuerit restituta, nihilominus multa remanent capita, quae legislationi civili adhucdum sunt obnoxia. Unde ab anno 1856 jam ultra 200 leges seu praescriptiones caesareae relate ad bona ecclesiastica prodierunt, quae collectae reperiuntur in *Moy-Vering* Archiv. a. tom. 14—50.

[4]) c. 2. § 1. de religios. domibus Clem. (III. 11): «Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committetur, ad *instar tutorum et curatorum* juramentum praestare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere et Ordinariis, seu aliis, quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua tencantur reddere rationem.»

[5]) Not. praec. et Conc. Trid. Sess. XXII. c. 9. de ref.

[6]) Suprema resol. Caes. 3, Oct. 1858. (Brixn. Dioec.-Bl. 1860. p. 57.) — Conc. prov. Viennens. 1858. §§ 4, 9, 10, 11, 12, 22, 25, 27. tit. VII. c. 6. — Vorschriften über die Verwaltung des Kirchenvermögens der Dioecese Brixen. Dioec.-Blatt 1860. p. 60, 61. — Pro commissariis patronatus caesarei exstat: Amts-Instruction der k. k. Patronats-Commission für Tirol und Vorarlberg vom 25. Nov. 1867 in *Vering* Archiv. t. 24. p. 48 seq., ubi normae a commissario caes. reg. observandae ad amussim designantur. Brixn. Dioec.-Blatt 1867. p. 83.

proponantur, quae administratores quidem intra facultatum suarum terminos gerunt, sed tamen ex patroni sententia ecclesiae utilitati obesse videntur. Eidem porro liberum est postulare, ut ipso vel delegato ejus praesente, bona ecclesiae revideantur aut aedificia inspiciantur a viro, quem episcopus designare censeat. *β.* Si patronus hisce congressibus neque ipse, neque per delegatum facile interesse possit, sententia scriptis ab eo significanda requiri debet, quoties agitur vel de bonorum alienatione aut notabilis oneris impositione[7]) vel etiam de negotio, ad quod peragendum administratores absque potestatis superioris licentia et adprobatione procedere nequeunt. Eidem petenti rationarium annuum, cui conficiendo commode adesse non potest, simul cum documentis illustrantibus transmittendum est. *γ.* «Si lite quadam superveniente patronus beneficii vel ecclesiae causam suis sumtibus agere paratus sit, advocati tamen ab eo seligendi personam episcopus ratam habeat oportet.»[8]) *δ.* Similiter adscisci debet, ubi vacante parochia a decano perquiritur, an res in beneficii et ecclesiae inventarium relatae rite conservatae adsint. *ε.* Si patrono vi fundationis relate ad bonorum ecclesiae administrationem ampliora competant jura, probatione praestita eadem omnino possunt ab ipso exerceri. *d) Potestati saeculari per se* et a *priori* quantum ad res ecclesiae jus ullum administrationis vel dispositionis non competere, alibi (§ 36. 2. a. b.) jam commemoratum est. Nihil tamen obstat, quominus gubernium civile certa jura vel saltem jus inspectionis quoad eam administrationem legitime acquirere et ad effectum perducere possit. Ejusmodi jura fundantur vel in pactis, vel in contributione aerarii publici ad ecclesiae fabricas aut ministrorum sustentationem, vel denique in protectione eminentiori, quae bonis ecclesiasticis prae reliquorum civium bonis impenditur.[9]) In imperio Austriaco occidentali potestas civilis non solum supremam inspectionem et vigilantiam in administrando peculio ecclesiastico exercet, sed etiam tum legibus tum actibus administrationis participem se reddit.[10])

---

[7]) Non tamen ex jure communi in bonorum eccles. alienatione requiritur patroni consensus, quando contra alienationem gravis causa ab eo non opponatur, et ceteroquin observentur leges pro alienatione praescriptae (§ seq.) Acta I. 228.

[8]) Conc. prov. Viennen. cit. § 22. p. 186. Cfr. supra § 222. 3.

[9]) Vid. *Schulte,* System p. 498, ubi auctor ad rem advertit, ex dicta aerarii contributione nullum resultare jus pro principe, si contributio restitutionis loco praestetur, ac nisi praeterea ex mala istorum bonorum administratione novae aerario creentur expensae.

[10]) En summa principia: Libera peculii eccles. administratio ecclesiae addicta est artic. 15. legis fundam. imperii d. 21. Dec. 1867, ita tamen ut ecclesia simul legibus status subjecta declarata sit. Et haec quidem administratio pro fundamento habet articulos 29—33 Concordati. Vigore Concordati

§ 226. De bonorum ecclesiasticorum alienatione.

Ne bona Dei servitio consecrata administratorum incuria aut malitia distrahantur, iisdem bonorum ecclesiasticorum alienatio

---

per supremam resol. d. 3. Oct. 1858 juxta petitionem episcoporum Viennae congregatorum (16. Jun. 1856) officialibus publicis tum intimatae sunt praescriptiones ab episcopis quoad hanc administrationem sancitae, tum etiam ratio et mensura definita est, qua abhinc status civilis ad administranda bona ecclesiae concurrere deberet. Ex hoc tempore jam omnes provinciae (exceptis Bohemia et Gallicia) suas praescriptiones pro peculii ecclesiastici administratione habent, quae etiam post editam legem d. 7. Maj. 1874 sunt in vigore. Sed hac lege major in hac re potestas gubernio vindicata est et haud pauca noviter constituta sunt. Summarium hujus legis (§§ 38—60) est hoc: 1. Peculium fabricarum a peculio beneficiorum ab invicem separari debet (quod nondum in effectum perductum est in Gallicia et Bukowina). — 2. Pro debitis persolvendis *primario* reditus, *secundario* substantia bonorum eccles. impendi oportet. — 3. Administratores destinandi sunt tum parochi, tum deputati ex illis qui in casu insufficientiae peculii eccles. necessarios sumtus pro expensis ferre tenentur, cujusmodi sunt communitas parochialis et patronus. Consequenter fabricarum bona a parocho, a deputatis ex communitate parochiali et a patrono sunt administranda (Patronis in hac lege longe amplior potestas, quam quae eisdem ex jure canonico competit, vindicatur. Et hic quidem excessus illis provinciis aequius vindicatur et fors ex consuetudine tolerari potest, in quibus patronis majora et ampliora praestant, quam quae de jure praestare deberent. — Status rerum in variis provinciis est varius. Nam in Bohemia et alibi ille nunc est patronus, qui antea simul fuit *dominus* et *advocatus* et qua talis prorsus singularem habuit relationem ad ecclesias sui patronatus [§ 89 not. 7]). — 4. Episcopi libere leges ferre possunt huc spectantes, sed salvis praescriptionibus civilibus (not. 3). — 5. Bona beneficialia a beneficiato sub inspectione patroni, nec non sub suprema inspectione status administrantur. — 6. Fundationes ecclesiasticae administrantur ab ecclesia. In dubio, sint ne ecclesiasticae, decisio est ultimatim apud ministrum pro cultu. (Sed acceptatio, persolutio, immutatio et conservatio talium fundationum est penes ecclesiam.) — 7. Documentis juridicis favore ecclesiae subscribi debet a parocho et a duobus saltem aliis administratoribus (3). — 8. Notabiles mutationes quoad substantiam bonorum tam fabricarum tam beneficialium gubernio intimari debent. — 9. In elocatione pecuniarum quantum ad conditiones et securitatem regulae servari debent quae favore pupillorum, aliorumque similium sunt constitutae. Sed ejusmodi securitas (uti dicitur) pragmaticalis non exigitur, ubi una ecclesia ab alia pecunias mutuo accipit (Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. de ref.; decret. aul. d. 21. Jan., 1. Apr., 10. Maj., 19. Aug. 1783. Hoc ultimum in usu est praesertim per Bohemiam, ubi plures ecclesiae eidem patrono subjectae quasi communem bonorum massam [peculium concretale] habent). — 10. Fructus superexstantes non necessarii ad usum, ad quem destinantur, auditis superioribus eccles. a gubernio ad alium finem ecclesiasticum applicari possunt, salvis semper juribus, quae fors tertio quoad istos fructus hoc tempore competunt, salvisque legibus fundationis aliter statuentibus. — 11. Speciales ordinationes respiciunt lites et controversias, quae emergunt quoad debitas praestationes ad cultum divinum faciendas (§§ 55—57), ubi limites competentiae definiuntur, intra quos instantiae politicae et judiciales agere tenentur. — 12. Reliquas harum §§ praescriptiones suo loco exhibebimus. Vide

generatim tum per s. canones[1]) tum per principum constitutiones[2]) omnino prohibita vel saltem certis regulis coërcita fuit, eodem fere modo, quem leges civiles observant in bonis reipublicae, pupillorum, minorum aliorumque, qui sub tutela sunt. Sub hac ratione, haec tria exponenda veniunt:

1. Quid sit alienatio.

1. *Quid nomine alienationis intelligatur?* Intelligitur quilibet actus, quo bonum aliquod vel reapse ex dominio ecclesiae transfertur in alterum, vel periculo amissionis exponitur, vel saltem per longius tempus directae possessioni ecclesiae subtrahitur. Hinc alienatio comprehendit: *α.* actus per quos *transfertur jus in re,* cujusmodi sunt: donatio, venditio, permutatio, datio in solutum, et quantum ad jura incorporalia, cessio litis, juris, actionis jam quaesitae;[3]) *β.* actus, qui alienationem *praeparant,* uti sunt pignus, hypotheca specialis,[4]) compromissum, transactio; *γ.* actus, per quos transfertur *dominium* etiam *minus plenum,* cujusmodi sunt infeudatio, contractus emphyteuticus, locatio diuturna, constitutio usus, ususfructus, servitutis etc.; *δ.* actus, per quos ecclesiae in rebus temporalibus *gravantur,* uti si ipsae aut earum bona im-

---

Gautsch v. Frankenthurn, die confession. Gesetze (p. 91—110). — § 60 administratio cultus jubetur invigilare, ut viri ecclesiastici, infra limites suae competentiae manentes, hujus legis ordinationibus nec non ipsis ordinationibus pareant, quae vigore ejusdem legis per officiales publicos ipsis insinuantur. Et hoc sub comminatione mulctae pecuniariae vel alterius poenae praecipitur!

In *Hungaria* eadem fere obtinent. Etenim bona ecclesiastica ab ecclesiae superioribus administrantur, sub inspectione et cum influxu gubernii. Regula primitiva erat lex s. Stephani (Lib. II. c. 2): «Ut episcop habeant potestatem, res ecclesiasticas providere, regere et gubernare atque disponere secundum canonum authoritatem.» Inspectio regia legibus d. a. 1715 et a. 1790/91 clare regimini asserta est. In hac ultima lege § 12 dicitur: «Fundationes catholicorum pro catholicis, evangelicorum autem pro evangelicis tantum convertantur.» (*Vering,* Archiv. t. 23. p. 264.) Peculium ecclesiasticum, scholarum et fundationum in dioecesi a capitulo cathedrali administratur. In administrandis bonis singularum ecclesiarum quidam deputati ex communitate parochiali ex multo jam tempore partes suas interponere consueverunt. (Cfr. Archiv. t. 43. p. 101.)

[1]) Vid. tit. *de rebus ecclesiae alienandis, vel non* X. (III. 13); de rebus eccles. non alien. in VI. (III. 9); Clem. (III. 4); Xvag. comm. (III. 4). — Jus antiquius continetur in C. 12. qu. 2.

[2]) L. 14. Cod. de ss. Eccles. (I. 2); Nov. 7. et 120. His accesserunt leges regum Carolingicae stirpis et imperatorum Germanicorum e. g. Conradi 1039. Friderici I. 1153 et II. aliorumque.

[3]) E. g. si lite pendente jus ecclesiae competens alteri relinquatur, quia actio pretio aestimabilis est. Huc etiam locationes fructuum et redituum, nec non anticipatae solutiones in praejudicium successorum pertinent. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 11. de ref. Quoad *permutationem,* quaeritur, an sustineantur permutationes inter duas ecclesias, vel inter duo monasteria, absque solemnitatibus factae. Doctores controvertunt, sed s. C. C. decreta declarant, *non sustineri* ac transgressores incidere in poenas juxta Conc. Trid. Sess. XXII. c. 10. de ref. et Extrav. «Ambitiosae». *Penacchi* l. c. p. 124. seq.

mobilia vel jura laicis subjiciantur, quod fit, si hi ceu patroni ecclesiarum perpetuo vel ad tempus non modicum constituantur.[5]) At sola omissio aut repudiatio lucri v. gr. legati vel haereditatis non pertinet ad actus alienationis.[6])

2. *Alienatio bonorum ecclesiae regulariter prohibetur; licita autem fieri potest accedente justa causa et servatis debitis solemnitatibus.* 2. Quando licita.

a) *Justa causa* est *α. ecclesiae necessitas,* cui nempe alio modo subveniri non potest, aut si lex, judex, expressa testatoris voluntas alienandi necessitatem imponit. Sed cavendum, ne ultra necessitatem procedatur; hinc primum res minus necessarias alienare convenit vel etiam laborandum est, ut per locationem, oppignorationem necessitas levetur. *β. Evidens ecclesiae utilitas*, qua nempe status ipsius reapse fit melior, vel incommoditas quaedam aufertur e. g. si res alienanda longe distet.[7]) *γ. Pietas* e. g. pro redimendis captivis, sustendandis pauperibus vel aegrotis gravi inopia laborantibus.[8]) a. Ex justa causa.

b) Ad *solemnitatem* seu *formam* pro alienatione requisitam haec pertinent: *α. Vocatio* eorum, quorum interest. In ecclesia, quae capitulum habet (e. g. in ecclesia cathedrali, collegiata, regularium) necessarius est praevius capitularium tractatus, eorum consensus per actum capitularem praestitus, subscriptione praelati et quorundam saltem de capitulo firmatus.[9]) Pro alienandis rebus ecclesiae cathedralis, mensae episcopalis, capitulorum etc. ab Ordinario capituli consensus expeti debet. Pro vacante ecclesia defensorem constituere oportet, qui super hac re audiri debet, quod etiam de patrono dicendum est. *β. Decretum alienandi* post factam supplicationem capituli, praelati non exemti, parochi etc. editum ab Ordinario (cui pro minorum quoque rerum alienatione supplicari oportet),[10]) vel a praelato nullius, quando agitur de alienatione facienda in territorio exemto. *γ. Beneplacitum apostolicum,* praeterquam in casibus, in quibus ex juris dispositione 1. solius episcopi consensus sufficiens est, quales sunt locatio, conductio non ultra triennium,[11]) alienatio rei, quae sine damno b. Servata debita forma.

---

[4]) Neque hypothecae *generali* subjici possunt ecclesiae bona, si pignus sit constitutum pro magna quantitate. *Schmalzgrueber* h. t. n. 20. 21.

[5]) Quoad actus recensitos vide c. unic. *Ambitiosae* Xvag. comm. (III. 4); c. 2. 9. X. (III. 13); c. 2. in VI. (III. 9).

[6]) *Schmalzgrueber* h. t. 13. seqq. Nota tamen, non licere legata repudiare sine causa. *De Angelis* t. II. p. 273.

[7]) *Phillips* Lehrbuch § 240.

[8]) c. 15, 16, 70. C. 12. qu. 2.

[9]) *Phillips* l. c. § 231. *Schenkl,* Instit. § 722. *Zallinger,* h. t. § 156.

[10]) *Phillips* l. c. § 241. IV. 2. Etiam praelati, qui non sunt proprie *nullius,* praeter sui conventus consensum, episcopi quoque consensu indigent.

[11]) Locatio bonorum primum *ad modicum tempus* concessa est (c. 1. h. t. Clem.); in cap. *Ambitiosae* ad triennium usque permittitur, quod tamen

servari non potest, porro alienatio in casu evidentis necessitatis aut utilitatis, quando licentia Pontificis non statim exspectari potest, alienatio rei mobilis *non* pretiosae,[12]) aut etiam immobilis sive *inutilis* sive *exigui valoris,*[13]) alienatio boni immobilis monasterio donati, quod non est capax acquirendi res immobiles, ut sunt Capuccini;[14]) aut 2. nulla omnino licentia requiritur, uti si agatur de rebus carentibus omni pretio, item de rebus quae *servando servari non possunt,* seu quae brevi tempore corrumpuntur, de arboribus maturis, quae possunt caedi, aliis in earum loco insertis. In rescriptis beneplaciti Apostolici communiter praescribitur, ut pretium alienatae rei investiatur per emtionem vel praediorum vel juris percipiendi annuos fructus. (Et quidem investimentum proprie dictum communiter *primario* intelligitur in *stabilibus tutis et fructiferis praediis,* sed *secundario* dumtaxat et modo subsidiario *in censu.*[15]) Disceptatur quidem, utrum Constitutio Pauli II.

---

intelligendum est cum quibusdam exceptionibus. Post Constit. «Apostolicae» locationes ad sexennium etc. non amplius permitti videntur *(Penacchi* Commentar. II. p. 140). Sed quoad imper. Austr. vid. not. 17. Verum sola promissio locationis ad aliud triennium non est locatio ac propterea excommunicationem non inducit. Hoc etiam valet, si locator facultatem sibi reservavit a locatione discedendi singulis trienniis. l. c. p. 141.

[12]) Bona *mobilia pretiosa* (ait *Ferraris* s. v. *alienare)* sunt quae vel in thesauro ecclesiae continentur, vel quae propter artem, raritatem et *antiquitatem* conferunt ecclesiae specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum et similia excedentia (juxta declarationem s. C. C. valorem 25 ducatorum aureorum de camera seu scutorum roman. circ. 40 vel circ. 220 lir. italic.); item insignes reliquiae, quia etsi pretio non aequentur, sunt tamen supra omne pretium. Res corporales *immobiles* pretiosae censentur, ac proinde sine licentia Papae alienari non possunt, quae superant valorem 25 ducatorum aureorum seu 225 francos (s. l. l. 1. Maj. 1840. *Penacchi* Commentar. II. p. 149); ex vigente consuetudine saltem quadragenaria sufficit episcopi licentia, si res alienanda immobilis non excedat pretium 50 scutorum romanorum seu summam $268^3/_4$ francorum *(Penacchi* l. c. p. 149).

[13]) c. *Terrulas* 53. C. 12. qu. 2. (conc. Agath. a. 506).

[14]) Legata minoribus Observantibus et Capuccinis facta alienari possunt sine beneplacito Apostolico; non autem absque hoc beneplacito possunt alienari *mobilia pretiosa,* quinimo etiam libri manuscripti antiqui ac pretiosi, itemque picturae magni valoris s. C. C. 23. Febr. 1647. *Petra* Commentar. t. IV. p. 100. n. 8.

[15]) Cfr. Bened. XIV. Instit. eccl. 69; *De Angelis,* lib. III. tit. 13. p. 270. 273, 281. *Ciolli,* Commentario prat. delle Censurae latae sent. ed. 2. Siena 1878. p. 80. — Juxta extrav. «Ambitiosae» *non* requiritur licentia Pontificis quoad res et bona in emphyteusim ab antiquo concedi solita. Sed hodie haec limitatio non procedit, quia jam dudum per ordinationes et rescripta Pontificum est retractata et abrogata. *De Angelis,* l. c. p. 284. Card. *Petra,* Commentar. ad Constit. Apostol. t. 5. sect. 2. num. 69. — Casus per leges tum universales tum dioecesanas prohibitus sed haud infrequens est ille, quo parochi aliique res ob antiquitatem pretiosas ad ecclesias pertinentes judaeis

Ambitiosae (1467) in Germania recepta et in vigore sit; sed advertendum est, episcopos in sententiam et verba hujus decretalis jurare, porro a scriptioribus Romanis eidem vim universos obligantem attribui.[16]) nominatim autem monasteria eadem comprehendi.[17]) Denique pro Austriaco Imperio necessitas beneplaciti Apostolici in artic. XXX. Concordati clare expressa, proindeque res decisa est.[18]) *δ*. In pluribus ditionibus sive ex jure pactitio, sive ex mera legis civilis dispositione requiritur principis quoque annutus, id quod juxta artic. allegatum in nostro quoque imperio obtinet.[19])

---

aliisque vagantibus pretio saepe minimo vendunt, haud parum contra prohibitionem ecclesiae impingentes. In dioecesi Brixinen. haud semel (Dioec.-Blatt 1860, p. 36) severe interdictum est, picturas, statuas, vasa, res sculptas, documenta aliasque antiquitates vendere, injuncta obligatione damnum ecclesiae illatum resarciendi.

[16]) *Ferraris* v. *Alienatio* art. 6; Bened. XIV. de syn. l. 12. c. 8. n. 9.

[17]) S. C. C. 7. Sept. 1624. apud *Ferraris* art. 4. n. 30.

[18]) In cit. articulo sermo est *de venditione* et *de oneris impositione*. — Cfr. Brixn. Dioec.-Bl. 1862, p. 24, ubi Const. Pauli II. d 11. Maj 1465 refertur, in qua praecipitur, ut commissarii specialiter designati *quamcunque* alienationem bonorum eccles. in exitum perducant. Iisdem severe injungitur, imo sub comminatione excommunicationis conscientia eorum gravatur, ut in causis alienationum diligenter consulant utilitati ecclesiarum. Hodie (saltem in nostris regionibus) talium commissariorum loco tum alienationis causam tum etiam onus conscientiae administratores peculii eccles. ac praeterea decani in se suscipiunt, qui causam alienationis sibi propositam examinare tenentur. — Novissime Leo XIII. (Archiv. t. 50. p. 444) declaravit, decretalem *Ambitiosae* ubique ceu validam agnosci debere.

[19]) Ratio etiam determinata est, qua in singulis casibus venia alienandi bona eccles. tum a Pontifice tum a Caesare obtineri debeat. 1. *Pontifex* 3. April. 1860 pro ditionibus Austriacis (exceptis provinciis Italicis) Breve ad decennium valiturum edidit («De majori eccles.» Brixn. Dioec.-Bl. 1860, p. 44), a. alterum Breve d. 6. Maj. 1870 iterum ad decennium (Dioec.-Blatt 1870, p. 53, cfr. etiam Dioec-Bl. 1882, p. 15), in quo s. Sedes potestatem fecit ad decennium concedendi has facultates: a) Archiepiscopis alienandi bona eccles. usque ad summam 8000 fl. m. A., episcopis vero et praelatis nullius dioec. usque ad summam 6000 fl., sive stabilia ea bona sint, sive in publicis nominibus consistant, ea tamen lege, ut ex pretio inde percepto alia bona vel census adquirantur aut pretium istud fructuose et secure collocetur. b) Archiepiscopis impertiendi facultatem bonis ecclesiasticis onera imponendi quae non excedant summam 15000 fl., episcopis et supradictis praelatis usque ad summam 12000 fl. rationem tamen et terminum praefiniendo, quo aes alienum a pia causa contractum dissolvatur. Si pro faciendis necessariis instaurationibus vel melioramentis in aliquo fundo ecclesiastico aes alienum contrahi nequeat, etiam venditione boni alicujus eccles. huic necessitati provideri potest, cum conditione: ut pars ex pretio fors residua fructuose collocetur. c) In cap. «Terrulas» (not. 13) episcopis quidem generatim conceditur jus alienandi bona immobilia exigui valoris; sed tamen hoc cap. non comprehenditur etiam jus onera exigua imponendi. Sedes autem Apost. etiam istud jus, sc. imponendi bonis eccles. onera usque ad summam 1000 fl. in-

3. Effectus alienationis legitimae.

et illegitimae.

3. *Effectus* alienationis rite factae est, ut rei alienatae dominium legitime transferatur in acceptantem, ipsaque alienatio pro legitima habeatur, donec in forma juris quis eam impugnet. Sed alienatio illegitime facta, nempe deficiente vel causa gravi vel solemnitate, non modo pro foro externo, sed et pro interno nulla

---

dulsit. d) Possunt episcopi concedere locationes et conductiones ad 15 annos et facultatem impertire, solutiones ex conductione in antecessum, sed tamen quoad fundos urbanos pro semestri tantum, quoad bona vero rustica pro uno dumtaxat anno percipiendi. e) In casibus urgentis necessitatis vel utilitatis, in quibus *absque mora* alienatio vel oneris impositio perficienda esse videtur, tum alienatio tum oneris impositio archiepiscopis usque ad summam 16,000 fl. conceditur, episcopis vero usque ad summam 12,000 fl. f) Ubi agitur de bonis ad mensam episcopalem pertinentibus, episcopi archiepiscopo proprio, archiepiscopi vero Nuntio Apost. postulata sua deferre jubentur; semper tamen liberum est, ipsum summum Pontificem adire. Hoc ipsum servandum est in casibus, in quibus non urgeat necessitas, et quando agatur de alienationibus sive oneribus praescriptas superius summas excedentibus. — 2. Modus, quo *potestas civilis* in hac re auctoritatem suam interponit, explicatur in resolutione caesarea 9. Jun. 1860 (R.-G.-Bl. Nr. 162. Brixn. Dioec.-Blatt 1860, p. 47), cujus praecipua capita haec sunt: a) Ubi agitur de alienanda re ultra pretium 100 fl. M. A. usque 8000 fl., petitio per Ordinariatum ad regimen provinciae dirigi debet, cui potestas facta est, ejusmodi alienationes concedendi. Casu quo vel Ordinariatus non consentit alienationi, vel ubi de summa ultra 8000 fl. agitur, tunc preces ad Ministerium deferre opus est, illudque Caesaris resolutionem expetere debet, si pretium boni alienandi summam 20,000 fl. exsuperet. b) *Notabilis oneris impositio* adesse censetur, quae summam 1000 fl. excedit; talis etiam est locatio, conductio ultra triennium nec non stipulatio solutionis ejusmodi anticipatae ultra debitum unius anni. Concedere impositionem oneris, quae summam 15,000 non excedit, vel locationem, conductionem non ultra 15 annos, est penes regimen provinciae politicum. Pro alienatione seu oneris impositione, quae mensam episcopalem respicit, specialia statuuntur. — Precibus praeter alia documenta etiam patroni sententia scriptis declarata adjici debet. Tum quoad alienationem tum oneris impositionem canonicae sanctiones exacte observandae sunt, neque alienandi licentiam politicam dare permittitur, nisi superior ecclesiast. antea eandem impertierit, vel constet, ejusmodi veniam ex parte ecclesiae haud requiri. — *Quaelibet alienatio aut oneris impositio, non servatis hujus legis praescriptis facta, invalida censetur.* — In Brevi: «Per alias Nostras» 16. April. 1861 (Brixn. Dioec.-Bl. 1861, p. 64) Nuntio Apost. Viennensi atque archiepiscopis et episcopis indultum est, ut quoad regularium bona permittant *alienationem* usque ad summam 8000 fl., *oneris vero impositionem* usque ad summam 12,000 fl. Ubi de summa majori agitur, vel ipse Pontifex, vel Nuntius Vindob. adiri debet. Quoad locationes et conductiones valent, quae supra (l. d.) sunt constituta. In casibus urgentibus in antecessum usque ad summam legalem consentire possunt, ea tamen lege, ut deinceps referant vel Nuntio vel sedi Apost. At in omnibus casibus praecedentibus superior religiosus, respective capitulum, audiri debet. Praeterea, in quantum quaeritur de necessitate vel utilitate, alii viri prudentes consulendi sunt. *Loberschiner* l. c. p. 271. Leges civiles antefatae circa alienationem bonorum ecclesiasticorum confirmantur § 51 legis d. 7. Maj. 1874 exceptis illis ordinationibus, per quas antehac curiae Romanae consensus requisitus erat.

esse cognoscitur.[20]) Ubi tamen notandum, illum, qui cum ecclesia contraxit, si praelatus tamen contractum deinceps ratihabere velit, a contractu resilire non posse. Male alienantes gravibus multantur poenis, nimirum iisdem fere, quae generatim contra bonorum ecclesiasticorum invasores decretae sunt.[21]) Denique male facta alienatio variis modis reparatur. Nam *a)* si *nulliter* facta est alienatio, ecclesiae jus est bona sua vindicandi; et quidem isthoc jus habent: ipsemet praelatus alienans, ejus successor, capitulum, imo quaelibet persona ecclesiastica aut etiam patronus ecclesiae.[22]) Item datur actio ecclesiae adversus alienantem ad damnum ex suo patrimonio reparandum. *b)* Facta etiam cum solemnitatibus alienatione, ecclesia fors damnum passa juvatur *beneficio restitutionis in integrum,* modo restitutio intra quadriennium factae vel cognitae laesionis petatur, restituensque indemnis habeatur.[23]) Hujus reparatio.

§ 227. De oneribus tum personis tum bonis ecclesiasticis imponendis.

1. Ex natura societatis ecclesiasticae sequitur, praesules ecclesiasticos, titulo subventionis ad ferenda onera et expensas in bonum publicum faciendas, onera praestationum a suis subditis exigere posse. Hujusmodi onera praesertim bonis ecclesiasticis atque clericis, qui exinde victum percipiunt, imponi solent.[1]) Et 1. Onera ab ecclesia imposita.

[20]) c. 52. C. 12. qu. 2. — c. 1. 2. 3. 6. X. (III. 10.) — c. 1. (III. 9) in VI. — c. 1. (III. 4) in Clem. — c. *Ambitiosae.*

[21]) c. *Ambitiosae.* Juxta hanc decretalem tam alienans, quam res alienatas recipiens excommunicationem latae sententiae incurrunt. Episcopus vel abbas sine venia Pontificis alienantes ingressu ecclesiae interdicuntur etc. Vi Const. «Apost. Sedis» (n. 3) excommunicationi (nemini reservatae) subjacent: «Alienantes et recipere praesumentes bona eccles. absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis «Ambitiosae» de reb. eccles. non alienandis.» Acta s. Sedis t. V. p. 368; cfr. Comment. *Aegidii Mauri* p. 74. *Avanzini* l. c. p. 119. *Ciolli* l. c. p. 81, ubi tamen haud recte episcopi alienantes interdictum ingressus in ecclesiam incurrere dicuntur, quia haec censura sublata est per Const. «Apost. Sedis.» Quaeritur vero, num episcopi alienantes nunc pariter, ut ceteri excommunicationem incurrant, an vero ab omni censura immunes sint? Hoc ultimum putat *De Angelis,* sed e contrario etiam dici potest: Cum lex non distinguit inter *alienantes,* nec nos distinguere debemus. — Denique omnes, qui illicitae alienationis se reos fecerunt, ad restitutionem tenentur.

[22]) c. 4. 6. X. (III. 13); c. 2. 9. de donat. X. (III. 24.)

[23]) c. 1. X. de rest. in integr. (I. 41); c. 1. 2. in VI. (I. 21.)

[1]) De tributis, quae olim a laicis dabantur e. gr. de *denario s. Petri,* de *censibus,* quos principes tanquam vasalli sedis Apostolicae vel urbes et religiosi conventus aliique ob protectionem ab ecclesia Romana perceptam pendere consueverunt, vix operae pretium est disserere, quia istae contributiones jam diu ex usu recesserunt. Unde de clericorum et ecclesiarum tantum oneribus hic tractandum est.

quidem *a) Pontifices* variis ex causis varii generis tributa olim perceperunt, quo spectabat: *jus spolii,* seu jus partem ex bonis decedentium clericorum percipiendi: *jus deportus,* seu jus reditus beneficiorum vacantium tempore vacaturae sibi attribuendi; *jus annatarum,* seu jus percipiendi dimidiam redituum unius anni partem ex beneficiis minoribus, quae extra consistorium a Papa conferuntur. Has taxas ob amaras nationum querelas concilium Constantiense moderandas censuit, ideoque beneficia, quae valorem 24 florenorum de camera non excedunt, ab annatis excepit. Quoniam vero dein ex consuetudine omnia beneficia in Germania, Gallia, Hispania, Belgio, Polonia ultra 24 aureos non sunt taxata, ea omnia, utut pinguia sint, hodieque ab annatis eximuntur. Verum aliud annatarum genus etiamnum in usu est, illud nempe quod jam antiquitus occasione ordinationis ministris in ea fungentibus pendi consuevit, postmodum vero nomine *servitiorum communium* Romano Pontifici ex ecclesiis cathedralibus et abbatiis consistorialibus persolvi coepit.[2]) Proprie fructus unius anni pendi deberent; sed summa certa et determinata longe infra istum valorem per Concordata pro singulis regionibus, imo etiam pro singulis episcopatibus constituta est. In hac summa simul comprehenduntur *servitia minuta,* seu taxae minores minoribus Papae officialibus solvendae.[3]) Denique quia quindennia seu taxae singulis 15 annis camerae apostolicae ex beneficiis incorporatis olim pendendae (ne scilicet Pontifex propter unionem jure suo privaretur), pariter ex usu recesserunt, illae tantummodo largitiones commemorandae sunt, quas occasione *accepti pallii vel obtentarum dispensationum* pendi oportet. *b) Episcopis* pariter jus competit a subditis tributa exigendi, quod jus communiter *lex dioecesana* nuncupatur (§ 114. 4). Huc pertinent: *cathedraticum* (ex eo, quod ad synodum dioecesanam olim quotannis deferebatur, etiam *synodaticum* dictum), seu pensio a singulis beneficiis et ecclesiis (exceptis tantum monasteriorum ecclesiis) juxta dioeceseon consuetudinem episcopo in signum subjectionis et in honorem ecclesiae cathedralis pendenda; sed nunc haec contributio consuetudine contraria passim exulat. Porro *seminaristicum* seu *alumnaticum*

---

[2]) Clemens V. (1305), Joannes XXII. a. 1319 (c. 11. Xvag. comm. III. 2) temporum necessitate compulsi annatas primum nonnisi ad tempus exegerunt. Sed auctore Bonifacio IX. (1399) in determinatam, eamque stabilem formam transierunt.

[3]) *Bangen,* die röm. Curie p. 454, ubi sequens distributionis exemplum refertur: Si summa *omnium servitiorum* efficiat 1500 aureos, tunc $3^1/_2$ % ergo $52^1/_2$ aurei pendi debent titulo servitiorum minutorum. Dein reliqua summa ($1447^1/_2$ aur.) nomine *servitiorum communium* in tres partes distribuitur personis, ad quas pertinet.

i. e. annua largitio ad fundum seminarii dioecesani praestanda;[4]) *procurationes* (§ 118. 1); *subsidium charitativum*, in necessitate dioecesis publica e. gr. pro reparatione ecclesiae cathedralis *cum charitate* postulandum, *taxae cancellariae episcopali* pro documentis ab officialibus in bonum partium conscriptis solvendae.[5]) In nostro Imperio hae taxae ibi in fundum religionis influunt, ubi officiales episcopi ex isto fundo annuum salarium percipiunt; ubi vero episcopus eos sustentat, episcopo cedunt.

2. Onera a potestate civili imposita.

2. Quod vero attinet onera a potestate civili imponenda, haec duo discernenda sunt: a) *Quid de jure sibi vindicet ecclesia?* b) *Qua ratione hoc jus in usum semper fuerit deductum?*

a) Quantum ad *juris* quaestionem, permulti canones, scilicet tum conciliorum generalia decreta, tum summorum Pontificum constitutiones *immunitatem tam realem quam personalem* (supra § 70. 3) claris et distinctis verbis ecclesiae vindicant.[6]) Inter hos canones sunt aliqui, qui non solum prohibent, ne ejusmodi onera a regnantibus imponantur, sed etiam ne a sponte dantibus recipiantur, et hoc quidem, sub excommunicatione latae sententiae nec non aliis poenis. Nihilominus tamen canones haud absolutam praetendunt immunitatem. Praeterquam enim quod ecclesia generatim subvenire necessitatibus reipublicae tenetur, huicque obligationi pro viribus semper satisfacere adlaboravit; sub certis quibusdam conditionibus bona ecclesiastica ad finem saecularem oneribus ex ipsa juris canonici concessione gravari possunt. Hae conditiones, a concilio Lateran. III. et IV.[7]) statutae, sunt: 1. ut adsit reipublicae *necessitas* vel *utilitas;* 2. ut haec necessitas sit *communis;* 3. ut ad ipsam relevandam *non suppetant laicorum*

[4]) Conc. Trid. sess. XXIII. c. 18. de ref. In nostra dioecesi ex anno 1838 alumnaticum cuivis beneficiato, imo et aliis sacerdotibus ad curam animarum deputatis impositum est, etiam illis, qui ordini religioso adscripti sunt. Sed lege d. 7. Maj. 1874 (de contributionibus ad fundum religionis faciendis) seminaristicum § 25 prorsus abrogatum est.

[5]) Conc. Trid. sess. XXI. c. 1. de ref. *Ferraris* s. voce Taxa.

[6]) c. *non minus* 4. de immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium X. (III. 49.) (Alex. III. in conc. Lat. III); c. 7. eod. (Innoc. III. in conc. Lat. IV.); c. *Clericis laicos* 3. (III. 23) in VI. (Bonif. VIII.); cap. «Quod olim» X. vag. comm. (III. 13.) (Bened. XI.); cap. «quoniam» (III. 17) in Clem. Tum Bonifacius VIII. tum Leo X. etiam sponte dare tributa clericos vetabant. Conc. Trid. (sess. XXV. c. 20. de ref.) omnia hujusmodi decreta innovavit, et exacte ab omnibus observari praecepit. Cfr. Syllab. n. 30): «Ecclesiae et personarum eccles. immunitas a jure civili ortum habuit.» Negatur hic origo immunitatis ex jure civili, sed non definitur num ex jure divino, an naturali, an ecclesiastico derivetur. Ex thesi reprobata id solum evincitur, eam derivari ex jure ecclesiae *proprio*, seu a Deo concesso.

[7]) c. cit. *non minus* et c. 7. cit. *Rosshirt*, canon. Recht p. 515. *Reiffenstuel* h. t. p. 405. 406.

facultates; 4. ut episcopus cum clero praevie de hac re *deliberet;* 5. ut, si fieri possit, *beneplacitum Sedis apostolicae* impetretur; 6. denique ut tributum concedatur *absque ulla exactione,* sed libera tantum ecclesiae voluntate. — Praeterea fieri potest, ut imperantes in vim privilegii Apostolici ejusmodi tributa imponant.

b) Praxin quod attinet, annales *historiae* quidem plurima immunitatis privilegia nobis ostendunt, quae ex parte jam in jure Romano concessa,[8]) et latissime a Francorum regibus extensa[9]) deinceps ab Imperatoribus ac praesertim a Friderico II.[10]) confirmata sunt atque innovata. Sed neque hae leges, neque sanctiones Pontificiae immunitatem decernentes, ubique ex integro sunt usu receptae. Unde epocha non reperitur, in qua ecclesia tributa et vectigalia non praestiterit tum ordinaria tum maxime extraordinaria.[11])

Hodie vero haec immunitas in omnibus locis vel omnino sublata vel ad arctissimos limites redacta est. Et sane, quia modernae respublicae in stabili quasi necessitate versantur, quae nonnisi unitis omnium viribus potest relevari: item quia bona ecclesiastica non minus ac ceterorum civium bona, publico tutelae politicae beneficio fruuntur; denique quia privilegia in favorem ecclesiae concessa rebus ita comparatis invidiam laicorum crearent: ideo ipsi ecclesiae praesules hodie immunitatis privilegio non rigorose insistunt, neque impedire conantur, quominus bona ecclesiastica communibus civium oneribus et tributis subjiciantur.[12]) Nihilominus tamen (ut parum dicam) summa aequitas suadet, ut bona, quae annuos reditus non ferunt e. g. aedificia, res mobiles pretiosae etc., item bona ecclesiarum dotalia, quae earum usibus sunt plane necessaria, immunia declarentur. Ceteroquin imperantibus catholicis, ex rationibus alibi (§ 70) adductis, haud licuit inconsulta Sede apostolica privilegium istud antiquum e medio tollere. Denique superfluum est advertere, justum omnino esse, ut ecclesia, eoquod paria cum ceteris civibus ferre jam teneatur onera, paria itidem sentiat commoda, ut nimirum bona acquirere libere permittatur et acquisita inviolabilia habeantur, adinstar reliquorum civium.

---

[8]) L. 1. Theod. de annon. et trib. (X. 1); Novell. 131. n. 5. ecclesias tum a sordidis functionibus tum ab oneribus extraordinariis immunes declaravit.

[9]) *Thomassin* P. III. l. 1. c. 33—44.

[10]) Frid. II. Auth. ad L. 2. Cod. de episc. (I. 3).

[11]) *Walter* K.-R. § 256. *Phillips* Lehrb. p. 676. *Schulte* l. c. p. 501.

[12]) Concordata novissima de *immunitate reali* vel altum silent vel onera publica et vectigalia imponi bonis eccles. conceptis verbis concedunt (Concord. Badens. d. 29. Jun. 1859, art. 12); quin et episcopi in publicis consessibus haud semel declararunt, sese nolle impedire, quominus bona ecclesiae adinstar reliquorum oneribus publicis graventur.

3. In nostro Imperio sequentes praestationes ex bonis ad ecclesias vel ad viros ecclesiasticos pertinentibus in publicum aerarium influunt: Praeter taxas fundationibus et piis legatis impositas (§ 224. not. 21. 23). *a)* Tributum, quod ex *praediis* exigi solet (Grundsteuer).[13]) — *b)* Tributum aedificiis impositum (per litt. pat. de 23. Febr. 1820) ac in pluribus mutatum et *auctum* lege d. 9. Febr. 1882 (R.-G.-Bl. n. V. p. 19). Sed ab hoc tributo (praeter instituta *publica* instructioni inservientia) liberantur 1. parochi, capellani, aeditui aliique inferioris ordinis ministri ecclesiae inservientes, quatenus omnes modo nominati jus habitationis in *partem salarii* habent et quatenus iidem ex locatione habitationis censum non percipiunt. Secus enim *pro rata* census percepti ad hoc tributum tenentur. 2. Episcoporum aedes residentiales. 3. Conventus mendicantium (resol. supr. d. 20. Octobr. 1829) sed stricte talium. Nam ab hoc beneficio excluduntur Dominicani, qui etiamsi alias mendicantibus adnumerentur, post Conc. Trid. bona immobilia possidere valeant (Decr. cancell. aul. d. 13. Maj. 1830).[14]) — *c)* Pecuniae in beneficiorum aut officiorum acceptione, vel in confirmatione canonice electorum pendendae. Scilicet portio nunc in aerarium deferenda, eruitur ex annuo salario beneficii decies sumto, sic ut juxta scalam lege determinatam tributum vel majus vel minus pro quantitate proventuum sit praestandum.[15]) — *d)* Ex bonis ecclesiasticis tam immobilibus quam mobilibus annuus canon dandus est, ut compensentur illae taxae, quae alias a quolibet novo possessore ea bona obtinente pendi debent,[16]) Tributa in imp. Austr. solvenda.

[13]) Regelung der Grundsteuer l. d. 24. Maj. 1869; l. d. 20. Jan. 1876; l. d. 6. April. 1879. Ueber Regelung der Grundsteuer l. d. 28. Mart. 1880. (R.-G.-Bl. Nr. 34.)

[14]) Zusammenstellung der Gesetze über die Gebäudesteuer. Wien 1881.

[15]) Cfr. Gebührengesetz. Wien 1864. T.-Post 40. a. et § 16. hujus legis juxta Scalam III. Hoc tributum a. 1862 substitutum est loco taxarum, quae antea in beneficiorum collatione et electionum canonicarum confirmatione pendi debuerunt. Solvi nunc debet etiam a monasteriorum superioribus et superiorissis, et quidem $^1/_4$ % ex puris proventibus annuis domus religiosae T.-Post 40. Adnot. 4. Si beneficiatus ab eodem collatore vel ejus successore deinceps novum beneficium vel munus acceperit, tunc hoc tributum solummodo *in tantum* est ferendum, *in quantum* hoc novum beneficium reditus habet ampliores prae beneficio antea possesso. (Excipe semper modicas expensas pro plagulis signatis). In hoc advertendum est, *collatorem* officii vel beneficii eccles. semper esse episcopum, non *patronum*, qui quoad beneficium quidem *praesentat* sed illud non confert. (Anmerkung 3. ad T.-Post 40).

[16]) Gebührengesetz vom 9. Febr. 1850. Gebührengesetz vom 13. Dec. 1862. T.-Post 106. Vollzugsvorschrift vom 20. Dec. 1862, Punkt 10. Erlass des Finanzminist. 28. Febr. 1864. — Liberantur ab hoc tributo inter alia: 1. res mobiles ecclesiarum cultui divino addictae; 2. res mobiles, quae ad fundum instructum rei immobilis pertinent; 3. beneficiati, quorum annui reditus summam 500 fl. mon. Austr. non excedunt. (Cfr. Wiener Dioec.-Blatt

intuitu vero bonorum ecclesiasticorum raro dantur, quia isthaec bona haud de facili ad alium possessorem transeunt (Gebühren-Aequivalent). Scilicet dimetiendum est hoc tributum non ex bonorum proventibus annuis sed ex pretio ipsius substantiae, et quidem singulis decenniis exiguntur 3 % veri et justi pretii bonorum immobilium, mobilium vere $1^1/_2$ %.[17]) Subjiciuntur huic tributo *personae juridicae,* sc. fundationes, beneficia, ecclesiae, communitates, societates etc. — *e)* Anno 1849 lex data fuit, quo proventus annui ecclesiarum, beneficiorum, piarum causarum etc. certo canone gravabantur (Einkommensteuer), quae lex, postquam varias mutationes subiit,[18]) hodie hujus tenoris est. Sc. quatenus hoc tributum solvi debuit ex syngraphis publicis, gubernium simul et semel universum hoc tributum per hanc rem praeoccupavit, ut pretium syngrapharum per conversionem 20. Jun. 1868 effectam imminueret. Quod vero attinet pecunias apud privatos elocatas, debitori concessum est jus ex solvendis annuis censibus 5 % detrahere debitori, quae detractio indirecte in bonum aerarii publici cedit. Denique percipientibus salarium ex fundo publico hoc tributum ex summa ipsis debita detrahitur. Et quidem clerici tunc ad illud persolvendum adstricti sunt, si ipsorum annuum salarium

---

1863 et 1865 n. 3. Archiv. t. 23. p. 103 seq.) — Vi ordin. minist. d. 28. Febr. 1864 tributo huic quidem non subjacent: oblationes parocho ex accidenti obvenientes, reditus stolae, Missarum stipendia et supplementa congruae; sed ad dimetiendam summam congruae (500 fl.) etiam hi recensiti reditus in calculum referri debent. Archiv. t. 23. p. 108. — Vi leg. d. 15. Febr. 1877 (R.-G.-Bl. Nr. 98. Brixn. Dioec.-Blatt 1877 p. 53) beneficiati, quorum annui reditus summam 500 fl. non superant a persolvendo tributo taxis aequivalenti *personaliter* liberantur; quodsi vero fundo alicui obligatio incumbit congruae supplementum praestare, istud tributum ab hoc fundo ferri debet. — Cum dictum tributum solvendum sit ex reditibus *purificatis,* i. e. ex eis qui detractis omnibus oneribus beneficiato *pure* remanent (§ 512 cod. C. A.), convenienter ad decisionem summi tribunalis pro administratione d. 24. Febr. 1880 (*Vering* Archiv. t. 44. p. 148) sequitur, omnia onera *passiva* e. g. tributa, passivos canones annuos etc. ex summa congruae esse deducenda. — Dictum tribunal d. 16. Jan. 1883 sententiam tulit, ubi agatur de congrua definienda (intuitu taxae aequivalentis), eoquod tributum hoc sit *personale,* ex ea deduci posse salarium cooperatoris a parocho dandum, obventiones stolae, taxas cancellariae, nec non remunerationes ex fundationibus percipiendas etc. (Linzer Quartal-Schrift 1883 p. 726.) Summa taxae aequivalentis *indebite* persoluta restitui debet, si repetatur infra triennium a die solutionis computandum. Dec. supr. tribun. pro admin. d. 8. Jul. 1883 Nr. 1497 (Linz. Qu.-Schr. 1885 p. 462).

[17]) Sic e. g. si fabricae res mobiles pretio 10,000 fl. aequivaleant, pro decennio 150 fl. pendi debent, quovis anno 15 fl.

[18]) Einkommensteuer-Patent vom 29. Oct. 1849; ordin. caes. d. 28. April. 1859; edict. minist. d. 20. Jun. 1868. Archiv. t. 23. p. 116. Brixn. Dioec.-Bl. 1869 pag. 83. Lex haec distincte exponitur in Linz. Qu.-Schr. 1884 p. 459.

630 fl. M. A. excedit.[19]) Ecclesiae vero, instituta, fundationes etc. ad hoc tenentur, si census annui ex capitalibus 315 fl. M. A. exsuperant. Cum propter onus hujus tributi (Einkommensteuer) multorum sacerdotum proventus infra congruam legitimam deprimerentur, ministerium caesar. iterata vice declaravit, gubernium, hoc tributum decernendo, in animo non habuisse, congruam cleri legibus determinatam imminuere: hinc damnum ex hoc tributo emergens reparandum esse vel ex fundo, ad implementum congruae insufficientis obligato, vel ab illis, qui alioquin congruam sufficientem procurare tenentur.[20]) — *f)* Lex peculiaris d. 7. Maj. 1874 est lata, qua contributiones ad levandas indigentias cultus catholici determinantur (Religionsfondsteuer). Hoc onere tum sacerdotes in cura animarum laborantes tum communitates regularium gravantur. Et quidem gravatur *substantia* peculii, inclusis etiam fundationibus. Quantitas contributionis juxta scalam, quae § 9 hujus legis ob oculos ponitur, determinanda est. Liberantur ab hoc onere, qui certam summam proventuum suo beneficio vel suae dignitati, proportionatam (quam dicunt *competentiam)* non haberent, si hoc tributum, aut ejusdem partem solvere deberent.[21]) Tributum hoc prae scopo habet congruam indeficientem aliorum sacerdotum augere, et aes alienum a fundo religionis contractum et aerario debitum eliminare. Ex his contributionibus sic dicta annua *subventio status* ad relevandam inopiam sacerdotum conquiritur, quae ad annuam summam 500,000 vel 600,000 fl. hactenus increvit. Episcopi Austriaci haud immerito de hoc agendi modo conquesti sunt, eumque laesionem juris proprietatis invol-

---

[19]) In summam 630 fl. non computantur fructus ex praediis, habitatio concessa intuitu officii, vel ejus loco pecunia attributa, denique remunerationes accessoriae ad salarium (Functionszulagen). Linz. Qu.-Schr. l. c.

[20]) Edict. minist. d. 12. Maj. 1864; d. 19. Febr. 1867; d. 26. Oct. 1868. Archiv. t. 23. p. 119. Supra dicta etiam locum habent, quando congrua imminuta fuerit propter decretam syngrapharum conversionem. Praeterea vi edictorum cit. hi favores etiam parochos antiquioris fundationis respiciunt, quorum intuitu generatim regula viget, ex fundo religionis resarciendum esse, quidquid titulo tributi publici erogare debeant. Dioec.-Bl. 1869 p. 83. Hinc animarum curatoribus etiam conceditur tributum ex annuis proventibus solvendum referre inter expensas fassionum. Edict. minist. pro cultu d. 27. Maj. 1869. Archiv. t. 24. p. 70.

[21]) *Competentia* non ubique est eadem. In dioecesi Brixinen. cui competentia (vi edict. minist. d. 4. Apr. 1875) determinata est summa: pro episcopo 15,000 fl.; pro dignitario capituli cathedralis 2,400 fl.; pro canonico ejusd. capituli 1800 fl.; pro parochis locorum insigniorum 800 fl., aliorum autem locorum 600 fl.; pro abbate conventus 2,400 fl.; pro conventuali 500; pro clerico vel novitio 300 fl. etc. — Regulae ad mensurandam istam contributionem continentur in ordin. ministr. executoria d. 25. Mart. 1875. (R.-G.-Bl. Num. 51.)

vere dixerunt ac propterea, ut clerici hanc subventionem licite percipiant, Sedis Apostolicae veniam impetrarunt. Nunc haec subventio ob legem d. 19. April. 1885 (§ 231) ex usu recessit.

§ 228. De bonorum ecclesiasticorum inviolabilitate.

Bonorum eccles. inviolabilitas probatur:

De hac inviolabilitate, cum ex praecedentibus satis clarescat, pauca dumtaxat supersunt dicenda. Consistit autem in eo, ut excludatur potissimum omnis bonorum ecclesiasticorum usurpatio per laicos, seu translatio dominii ecclesiastici ad quoscunque fines saeculares. Igitur excluditur tum quae dicitur *saecularisatio* in genere, tum etiam institutorum ad ecclesiam pertinentium suppressio et direptio. Non minus excluditur jus illud hinc inde praetensum, quo status civilis de bonis ecclesiasticis disponit, vel omnino bona suppressarum societatum, communitatum etc. religiosarum ceu *caduca* aerario publico vindicat. Probatur vero dicta inviolabilitas: 1. Ex jure naturali et divino. 2. Ex jure ecclesiastico. 3. Ex jure civili.

1. Ex jure nat. et divino.

1. *Ex jure naturali et divino.* 1) Si enim ecclesia *jure divino* potest acquirere et possidere bona temporalia, eidem etiam dominium proprie dictum competit. Atqui ecclesia, utpote divinitus instituta, *jure divino* potest bona acquirere et retinere (§ 36. 2. § 222), ergo plenum etiam eorum dominium habet. Consequens est, rerum ecclesiasticarum invasionem vel applicationem ad fines saeculares involvere alieni juris violationem non minorem, quam quae alias rapina vel furtum dicitur, adeo ut fures et raptores ex justitia ad restitutionem teneantur. — 2) Si dominium ecclesiasticum est *sacrum,* ejus violatio est praeterea rapina qualificata, seu crimen Deo specialiter exosum, quod *sacrilegium* dicitur. Atqui haec est conditio bonorum ecclesiasticorum; sunt enim Deo dicata, in finem sacrum tradita, in ditione societatis spiritualis posita, et ad usus sacros destinata. Ergo sacrilegus est, qui ex rebus sacris aliquid abstulerit aut rapuerit.

2. Ex jure ecclesiastico.

2. *Ex jure ecclesiastico.* 1) Ecclesiae legibus statutum est, ut bona Deo dicata nonnisi servatis praescriptis cautelis alienentur vel ad alium finem *ecclesiasticum,* quam cui ex voluntate benefactorum servire debent, per ipsos *ministros ecclesiae* applicentur. Tanto minus *laicis,* quibus *nulla disponendi de rebus ecclesiae attributa est potestas,*[1]) fas est, res ecclesiae ex ipsius dominio eripere et convertere ad usus profanos. 2) Canones a priscis temporibus usque ad nostra tempora ejusmodi actis notam furti, injustae depraedationis, et sacrilegii inurere nunquam cessarunt, horumque

[1]) c. 12. X. de reb. eccles. alienand. (III. 13.)

criminum reos censuris et poenis ecclesiasticis subjecerunt, atque ad restitutionem obligarunt.[2])

3. *Ex jure civili.* Et quidem 1) generaliter ex publica ecclesiae receptione, quae exigit, ut status civilis bona ecclesiae, *qua talia,* saltem non minus tueatur, quam singularium personarum bona. Atqui huic obligationi bonorum istorum usurpatio e diametro repugnat. Dixi: *qua talia:* nam reipublicae civili praeterea incumbit, pias voluntates civium, qui ad fines ecclesiasticos de suis facultatibus plenissima libertate contulerunt, sanctas et inviolatas habere, id quod pariter vetat haec bona ecclesiae subducere. 2) Sed specialibus quoque legibus omnium fere ditionum inviolabilitas bonorum ad ecclesiam pertinentium solemniter declarata est (§ 224). Quod nominatim Austriacum imperium attinet, vi Concord. (art. XXIX.) ecclesiae «proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, *inviolabilis solemniter erit.* Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis «Apost. Sedis.» Quo spectat etiam art. XXXI., quo tum fundus religionis tum studiorum (§ seq.) fini suo ecclesiastico solemniter addicitur. Etiam in lege imperii fundamentali (art. 15) declaratur, ecclesiam *manere* in possessione et usu suorum institutorum, fundationum et fundorum ad fines cultus, instructionis aut beneficientiae erectorum. Et haec quidem promissio, inde a 4. d. Martii 1849 trina jam vice[3]) pronuntiata, satis aperte indicat, ipsam ex animo et serio esse factam, et propterea oportere validam firmamque persistere. Nihilominus tamen postremis hisce temporibus multa in nostro imperio sunt peracta, quae cum inviolabilitate tam solemniter promissa haudquaquam possunt conciliari.[4])

3. Ex jure civili.

Ceterum, si aliquod institutum ecclesiasticum supprimi contigerit, bona ipsius non *vacantia* aut adespota evadunt, ita ut

---

[2]) Cfr. § 36. 2. § 221. not. 25. Praeterea: c. 2 et 21. § 2. C. 12. Q. 2. Conc. Pist. ann. 862 can. 4. et conc. Troslej. 909. can. 4. apud Hardouin Conc. t. V. col. 565. 613. Conc. Trid. Sess. XXII. c. 11 de ref.

[3]) Justinianus Imp., quum codicem suum repetitae lectionis publicaret, dixit: «Cum nemini venit in dubium, quod repetita praelectio probavit, hoc satis validum, satisque esse formosum.» De emend. Cfr. *Pachmann,* über den legitimen Fortbestand des Kirchenvermögens in Oesterreich. Archiv. t. 19. p. 286 seq.

[4]) Sic e. g. lex d. 7. Maj. 1874, qua decretae sunt contributiones ad fundum religionis (§ praec. infin.), manifeste repugnat isti inviolabilitati ipsique supra allegato articulo 15. legis imp. fundam., prout clare exposuerunt episcopi provinciae Salisburg. in suis litt. ad ministrum pro cultu d. 1. Dec. 1880 (apud *Martini,* zur Congrua-Frage. Graz 1883, p. 277 seq.). Huc etiam novissima conamina in *Hungaria* attentata ad saecularizandas fundationes ecclesiasticas.

status civilis jus aliquod habeat sive successionis sive occupationis *(Heimfallsrecht, droit d' épave),* sed dispositioni ecclesiae universali subsunt (§ 223). Igitur in ejusmodi casu fieri licite non potest proprie *saecularisatio,* sed potius *conversio* seu mutatio finis proximi, quae etiam considerari potest velut *unio cum suppressione,* qua nimirum bona instituti exstincti cum bonis universalis ecclesiae uniuntur sed novo fine speciali pro ipsis determinato. Haec doctrina tum auctoritate insignium juris doctorum probatur, tum etiam ex natura rei deducitur. Quodvis siquidem institutum solummodo in ecclesia et propter ecclesiam existit, ac propterea duplici fini ecclesiastico inservit, generali uni, alteri speciali (§ 223). Proinde speciali fine cessante, solus generalis restat, cui bona ipsius manere debent, ita tamen, ut solis praesulibus ecclesiasticis competat, haec bona alteri fini, qui approximative similis sit priori, assignare. In ejusmodi assignatione nihil prorsus negotii est, potestati civili tantoque minus praedicta bona ceu *nullius domini* a fisco occupari possunt.[5])

§ 229. De fundis communibus, in specie de fundo religionis et studiorum.

Ad subveniendum necessitatibus ecclesiasticis communibus in multis ditionibus, provinciis, dioecesibus constituti sunt fundi communes, seu fundi *centrales, intercalares, dioecesani.* Hi fundi, etsi per se privative ad ecclesiae dominium et administrationem spectent, plus minusve a gubernii inspectione vel dispositione pendere solent. In nostro imperio

1. Fundus religionis.

1. Inprimis a Josepho II. pro unaquaque provincia constitutus est *fundus religionis,* cujus reditus universi in bonum religionis pro eadem provincia impenduntur. Fundum hunc efficiunt bona ex sublatis monasteriis, ex ecclesiis clausis, ex suppressis beneficiis simplicibus et abolitis confraternitatibus adquisita, et in unum complexum coacervata. Continuae vero hujus fundi accessiones proveniunt ex fructibus intercalaribus beneficiorum vacantium, ex taxis cancellariae in iis locis, in quibus officiales episcopi a fundo religionis sustentantur, denique ex contributionibus, quae

---

[5]) *Schulte,* Lehrb. p. 489. 498. Vid. decisionem supremi tribunalis Dresdens. in ejusmodi casu Archiv. t. 11. p. 93 seq.; *Vering,* K.-R. p. 773. 783. — Vi legis d. 7. Maj. 1874 bona communitatis aut instituti esse desinentis fundo religionis accrescunt, nisi litterae fundationis aliter statuant (§ 53). Haec dispositio est una ex pluribus, quibus potestas civilis proprio arbitratu, auctoritate eccles. prorsus inconsulta, dominium peculii ecclesiastici de uno subjecto in alterum transferre sibi sumit. — S. C. C. in causa Tolet. (Thes. resol. t. I. p. 54) declaravit, bona monasteriorum suppressorum devolvi ad Sedem Apostolicam.

ex lege d. 7. Maj. 1874 tum a beneficiis tum a monasteriis favore fundi religionis pendi debent. (§ 229. 2. f.) Administratio fundi religionis antehac regimini provinciae cujusvis commissa erat, episcopis fere ex integro exclusis. In artic. XXXI. Concord. inter alia sancitum est, bona quae fundos tum religionis tum studiorum constituant, eoquod ex eorum origine *ad ecclesiae proprietatem* spectent, *nomine ecclesiae* esse administranda, episcopis *inspectionem ipsis debitam* exercentibus. Et haec quidem principia, quae justitiae omnino conveniunt, etiam Concordato abolito urgere non desinunt.[1])

2. Fundus studiorum.

2. *Fundus studiorum* maxima ex parte ex bonis societatis Jesu a Clemente XIV. suppressa efformatus est, ut ipsius ope juventutis catholicae institutioni in scholis tum mediis tum sublimioribus provideretur. Unde et hic fundus «ex origine bonorum

---

[1]) Inter alia art. XXXI. etiam statuitur, ut *fundus ipse dividatur in stabiles et ecclesiast. dotationes.* Quod tamen in exitum non est perductum. — Ab initio, ubi fundus relig. est creatus *(Martini,* zur Congrua-Frage ed. 3. p. 26 seq.), gubernii mens erat plures fundos religionis instituere, scil. pro singulis quibusque provinciis, ac reapse pro quavis provincia peculiares quoque administratores sunt constituti. Sed quia nonnullae provinciae proventus superexstantes habebant, isti fundi religionis aliis provinciis in necessitate versantibus ex lege applicari coeperunt. Itaque factum est, ut modo de *uno* modo de *pluribus religionis fundis* esset sermo. Sed bona ista fundorum religionis, etiam cumulative consideratorum tam parum expensis ferendis sufficiebant, ut aerarium ex longo jam tempore regulariter *mutuum* dare debuerit fundo religionis, vix amplius reddendum. Sed neque obligatio adest, hoc mutuum aerario refundendi propter ingens detrimentum, quod ecclesia accepit ex alienatione et mala administratione istius fundi per gubernium facta *(Martini* l. c. p. 27 seq.; p. 50 auctor advertit, mutuum praedictum jam a. 1870 ad 36 circiter milliones flor. ascendisse). — Quod attinet administrationem fundi religionis episcopi haud semel postularunt, ut et ipsis participatio debita concederetur. Sic e. gr. Concil. prov. Viennense postulavit: 1. ut episcopis recensio bonorum ad fundum religionis et studiorum pertinentium communicetur; 2. ut iidem edoceantur de ratione, juxta quam praedicti fundi administrentur, ut et ipsi sententiam suam de hac re dicere possint; 3. ut ad sumtuum descriptionem quotannis conficiendam etiam deputati episcoporum adhibeantur, sed et ut ipsa haec descriptio tempore opportuno episcopis proponatur eum in finem, ut ipsi quoque mentem suam aperire queant; 4. ut impensae, de quibus praevie conventum haud fuerit, episcopo dioecesano inconsulto haud fiant et vicissim episcopo non negentur ea, quae impraevisa aliqua necessitas postulaverit. Sed gubernium haec justissima postulata non attendit. Equidem mittuntur ab episcopis deputati ad praevias consultationes de faciendis expensis. Sed iisdem non communicantur rationaria, nec conceditur ulla cooperatio sive quoad administrationem sive quoad dispositionem fundi religionis, qui propterea quodammodo dici potest *manus mortua,* seu manus abscissa a corpore ecclesiae *(Martini* l. c. p. 6). Auctor [p. 251—279] probat, utilissimum fore, si fundi religionis juxta dioeceses dividantur, et ad stabiles dotationes pro singulis parochiis applicentur [juxta Concord. stipulationem]).

ad ipsum pertinentium ad ecclesiae proprietatem spectat» (artic. XXXI. Conc.) et in Conventione jure merito stabilitum est: «Pari modo reditus fundi studiorum unice impenduntur in catholicam institutionem et juxta piam fundatorum mentem.»[2]) Verum enimvero lege pro scholis 1867 lata (§ 8) reditus tum hujus fundi, tum ejus qui pro scholis *normalibus* est destinatus, absque ullo religiosi cultus discrimine applicari praecipiuntur, nisi probetur, eosdem pro determinatis cujusdam cultus sociis esse destinatos.[3])

Articulus II.

De bonis ac reditibus clericorum.

§ 230. De singulis proventuum clericalium speciebus.

Proventuum clericalium species:

Fontes, ex quibus reditus clericorum proveniunt, sunt (praeter oblationes voluntarias et distributiones quotidianas jam alibi [§ 87 in fin.] commemoratas): Census ex elocatis pecuniis vel syngraphis publicis vel alias ex fundatione in enumerata pecunia pendendi, fructus ex praediis beneficialibus redundantes, decimae, reditus stolae et Missarum stipendia. Hoc loco nonnisi tres species ultimo nominatae explicandae veniunt:

1. Decimae.

1. *Decimae,* hoc est decima pars fructuum terrae, vel etiam rerum, quae industria humana acquiruntur,[1]) apud Hebraeos divina lege fuerunt ordinatae. Jure tamen evangelico decimae qua *tales* indictae non sunt; tamen fideles ministris ecclesiae necessaria vitae subsidia praestare jubentur. Et haec quidem clericos alendi obligatio est *juris divini;* modus tamen praecise per deci-

---

[2]) Art. XXXI. Fundus studiorum ecclesiae catholicae scholis hactenus inserviebat. Bona suppressi Ordinis societatis Jesu a Papa episcopis administranda et impendenda tradebantur. Sed hoc decretum obnitente Caesare ad exitum non est deductum. Conc. prov. Viennens. p. 190: «Expositio redituum, qui ex fundi studiorum bonis percepti fuerint, et institutorum catholicorum, quorum in usum sunt conversi, episcopis quotannis communicetur.» At vero huic petitioni non est satisfactum. Sed reditus hujus fundi annuatim adeo sunt imminuti, ut iidem a. 1882 dumtaxat 18,365 fl. efficerent, cum a. 1876 summam 349,667 aequassent (*Martini* p. 43).

[3]) Recte animadvertunt justitiae patroni (Leo *Thun* in Kathol. Stimmen aus Oesterreich t. I.; *Martini* l. c. p. 42) fundum studiorum prorsus injuste ex ecclesiastico in civilem mutatum esse. In art. 31 Concordati fundus hic claris verbis addicitur ecclesiae. Neque abrogatio Concordati quaestionem juris aliquo modo tangere et immutari potuit, sed subjectum dominii etiam in aera moderna idem permansit. Quo ergo jure civilis potestas potuit fundum, pro catholica institutione juxta piam fundatorum mentem destinatum, abhinc impendere pro scholis civilibus, nullo habito religionis respectu?

[1]) Decimae vel praediales, vel personales, vel mixtae sunt. *Praediales* debentur ex fructibus praediorum; *personales* ex rebus, quas sibi quisquis acquirit opera et industria sua; *mixtae* ex rebus quidem ipsis, sed nonnisi adhibita industria percipiuntur, ejusmodi sunt foetus pecorum, lac, lana etc.

mas hoc ipsum exequendi, juxta s. Thomam, non ab ipso jure divino procedit, sed progressu temporis Ecclesiae legibus determinatus fuit.[2]) Decimae debentur parocho, qui juxta axioma juris fundatam in jure ad percipiendas decimas habet intentionem, ubi ejusmodi jus decimarum viget; quod sic intelligendum est, favore parochi jus decimarum ita militare, ut probatio non solvendi decimas ei incumbat, qui ab hoc onere se solutum existimat. Possunt vero decimae ab aliis quoque clericis aut ecclesiis acquiri tum privilegio R. Pontificis, tum praescriptione. Laici quidem per se *titulo ecclesiastico* decimarum jure potiri nequeunt; sed tamen tum de jure, tum ex laicorum usurpatione plurimae decimae originitus ecclesiasticae, factae sunt postea *laicales* sive *saecularisatae.*[3]) Solutio decimarum omnes generatim, et quidem sub poenis (Conc. Trid. Sess. 25. c. 12. d. ref.) obstringit. Debentur decimae tum ex praediis *(decima praedialis)* tum ex animalibus *(decima animalium* seu *carnativa),* et quidem (ubi agitur de praedialibus) ex fructibus integris, nulla facta impensarum vel tributorum deductione. Verum hae juris canonici dispositiones haud ubique receptae, in aliis vero regionibus abrogatae sunt. Quin in omnibus fere territoriis decimae exoleverunt, vel legibus civilibus omnino sunt sublatae. Idque factum est vel sine ulla compensatione v. gr. in Gallia, vel assignatis quidem compensationis titulo aliis dotibus, sed decimarum valore longe inferioribus. Decimarum abolitioni in terris Austriacis, *quatenus jam ad exitum fuit perducta,* summus Pontifex artic. XXXIII. Concord. quidem connivet, sed tamen cavet, ut sublatarum decimarum loco aliae dotes secure assignentur, *titulo oneroso* et eodem jure, a legitimis decimatoribus percipiendae atque tenendae.

42

2. *Jura stolae,* seu honoraria et sportulae, quae occasione functionum spiritualium in recognitionem jurisdictionis parochialis et pro beneficiatorum sustentatione penduntur, nempe tunc, cum 2. Jura stolae.

---

[2]) S. Thom. 2. 2. qu. 87. art. 1. Concil. Matiscon. II. can. 5; Cabillon. II. c. 19; Turon. ann. 813. c. 16; Capitul. regum Franc. ann. 804.

[3]) Post plura synodorum decret. Conc. Lateran. III. sub Alexandro III. prohibuit, ne laici decimas (ecclesiasticas) detinerent vel in alios laicos aliquo modo transferrent, imo receptas restituerent. Hoc tamen decreto non obstante, decimae ad hoc usque tempus a laicis possessae in eorum manibus permanserunt. Quod etsi ecclesia non probaverit, tamen vulgo creditum est, laicis concessum esse decimas retinere, in quarum possessione ante hoc decretum fuerant. «Hodie», ait *Devoti* l. II. tit. 16., «recepta sententia est, eas tantum decimas infeudatas a laicis recte detineri, quae ante Lateran. synodum acquisitae sunt.» c. 19. *de decimis* (III. 30). Cfr. de hac materia hodie parum practica *Schulte,* System p. 510. *Permaneder,* die kirchliche Baulast, 2. Aufl., § 3. § 18. seqq. *Birnbaum,* die rechtliche Natur der Zehnten. Bonn. 1831.

parochus in cujusdam favorem *stola* utitur. Ab initio haec donaria mere voluntaria erant, sed tractu temporis, quia partem congruae sacerdotum sustentationis efficere censebantur, facta sunt necessaria seu *de jure* praestanda. Pertinent ad solos parochos vel ad eorum vicarios apud ecclesias filiales constitutos, non vero ad cooperatores, nisi ex parochorum concessione, vel ex statuto aut episcopi dispositione. Qua occasione et in quanam quantitate haec honoraria sint praestanda, ex locorum usu et ex legibus particularibus dimetiendum est. Communiter penduntur occasione proclamationum, copulationis, exequiarum, administrationis quorundam Sacramentorum, veluti baptismi, confessionis paschalis et provisionis infirmorum. Sed stola danda in tribus his ultimis casibus lege stolae Austriaca abrogata est.[4]) Quia

[4]) 20. Jan. 1783. Verum in nostra provincia neque haec abrogatio neque ipsa lex stolae vim obtinuit, sed unusquisque hac in re eam normam sequitur, quam usus localis invexit et quam propria auctoritate et inconsulto Ordinario nemo potest deserere. Cfr. Decret. Gubern. d. 28. Maj. 1820. — Sic dictus *ordo stolae* legibus caesareis statutus fuit: pro *Bohemia* 30. Maj. 1750; pro *Stiria* 12. Nov. 1774; pro *Austria inferiori* et quidem ruri 27. Jun. 1781; pro urbe *Vienna* et suburbiis 25. Jan. 1782; pro *Austria superiori* 20. Jan. 1783, sc. idem omnino inductus est ordo, qui ex a. 1781 valuerat pro Austria inferiori; pro *Galicia* et *Bukowina* 1. Julii 1785; pro *Carinthia* 6. Jun. 1799 ordo in Stiria vigens fuit inductus etc. Hi stolae ordines per ministerium status d. 8. Maj. 1856 tandem de jure validi sunt declarati. Sed successu temporis ejusmodi ordines, mutatis circumstantiis ac praesertim mutato pecuniae valore, practice servari vix possunt. Potestas civilis Austriaca stolae donaria ceu partem salarii pastorum tueri et modo *executorio* et *coactivo* exigere ab obligatis ad illa decrevit et jamdiu consuevit. Sed eandem ob causam ordinem stolae sua auctoritate constituere sibi sumsit, etiamsi haec res per se, utpote res *interna* spectet ad competentiam ecclesiae. In lege d. 7. Maj. 1874 haec habentur: «Pro solvendis contributionibus ad finem aliquem ecclesiasticum, quae ecclesiae asseclis consentiente gubernio impositae fuerunt, executio *politica* praebetur. Hoc etiam valet de donariis fixis, quae intuitu proclamationum, copulationum et funerum (sc. obventiones stolares) nec non pro exarandis quibusdam documentis parochialibus dari solent. Personae, quae *jure* pauperum fruuntur a praestatione dictarum contributionum liberantur (§ 23). Mutatio quantum ad ordinem stolae competit gubernio audito Ordinario (§ 24). Regulariter non licet actum parochialem negare vel suspendere sub conditione, ut solutio stolaris in antecessum praestetur. Solutio in antecessum nonnisi tunc exigi potest, ubi actus a parocho praestandus excedit ordinem stolae e. g. si solito plures sacerdotes haberi volunt ad associandum funus. Plagula tamen signata (Stempel), si fors necessaria sit pro exarando documento parochiali, jam praevie exigi potest (§ 25). Contraventiones (sacerdotum) contra fixos ordines stolae, audito Qrdinariatu, mulctis pecuniariis usque ad summam 100 fl. accrescentibus subjiciuntur, imo et actio criminalis intuitu earum quandoque institui potest. Quin etiam restitutio contravenienti est imponenda et, si opus sit, vi extorquenda. In casu reincidentiae iteratae gubernium postulare potest, ut talis clericus (juxta § 8 hujus leg.) a munere suo amoveatur (§ 26).»

praestationes ex jure stolae non dantur tanquam pretium *pro* functione spirituali sed tanquam congruae clericorum sustentationis pars, omnino licite accipiuntur, dummodo absit omnis simoniaci quaestus et avaritiae species, et functiones non denegentur iis, qui has oblationes dare vel renuunt vel ob paupertatem dare non possunt.[5])

3. Missarum stipendia.

3. *Missarum stipendia* partim tanquam surrogatum oblationum antiquorum (scilicet primum panis et vini et deinde ex tempore saeculi octavi pecuniae), quo offerens singulari quodam modo sacrificii Missae particeps fieri intendit, partim tanquam eleemosyna ad sacerdotum sustentationem collata considerari debent. Circa usum stipendiorum has regulas servari oportet: *a)* In iis accipiendis sollicite evitanda sunt, quaecunque simoniam, turpem quaestum aut inhonestam negotiationem sapiunt. Hinc ultra stipem Missarum ab episcopo aut consuetudine taxatam nemini quidpiam exigere fas est, neque etiam licet minorem (regulariter) acceptando veluti auctionis more stipendia colligere. *b)* Juxta decreta Urbani VIII. (21. Jun. 1625) et Innocentii XII. (d. 23. Dec. 1697) non licet onera missarum manualium accipere, nisi quae infra modicum tempus adimpleri possint. Excipitur casus, quo illi consentiunt, qui eleemosynas tribuunt. Nec licet missas perpetuas accipere, quarum satisfactioni sacerdotes impares fuerint.[6]) *c)* Ex eadem causa vetitum est Missarum obligationes, reservata sibi quadam stipendii parte, in alios sacerdotes transferre.[7]) Pius IX.

---

[5]) Ad evitanda *pericula* simoniae conc. Eliberitanum sancivit, ut catechumeni baptismum suscepturi de more nummos non mitterent in concham (can. 18) et s. Carolus Borrom. sacerdotem Sacramenta administrantem nihil etiam eleemosynae loco datum, accipere voluit. *Giussano* vita di S. Carlo. l. 8. c. 4. — In Austria pauperes sumptibus vel communitatis politicae vel fundi pro pauperibus destinati sepeliendi sunt. Corresp.-Bl. 1885. Nr. 9.

[6]) Acta s. Sedis t. 8. p. 67 seq. *Modicum tempus* s. C. C. 17. Jul. 1655 intelligendum esse resolvit *infra mensem*, si agatur de sanctuariis, quae aliis Missarum oneribus gravantur; *duo* vero *menses* juxta s. Alphonsum aliosque theologos intelligendi sunt, ubi agitur de singulis sacerdotibus, quibus celebratio committitur. Neque in ecclesiis magnae devotionis et concursus licet plures missas accipere, quam quae infra breve tempus persolvi possunt. Ut huic decreto facilius satisfiat, s. C. C. (prout observat Bened. XIV. Instit. 56. n. 14) praecipere solet, ut palam in templo tabella exponatur, quae declaret, sacra quae inibi infra certum tempus persolvi nequeunt, in alia ecclesia esse celebranda. Hoc pacto nemo dans missae eleemosynam in errorem inducitur.

[7]) Dantur tamen hujus regulae exceptiones, in quibus scil. sacerdos, tradens alteri sacerdoti eleemosynam missae, ejus excessum (super stipendium ordinarium) sibi potest retinere. Hoc fieri licet, quoties occurrunt alii tituli celebrationi forinseci, quibus existentibus sufficit, si stipendium commune celebranti tradatur. Ejusmodi tituli sunt: *a)* Si Missae inhaereant beneficio aut capellaniae. Missae enim fundatae pro parochis, beneficiatis et capellanis a piis benefactoribus destinari solent etiam titulo augendi eorum

in Const. «Sedis Apost.» excommunicationi R. Pontifici (simpliciter) reservatae subjecit «colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.»[8])

---

salarium. *b)* Idem obtinet, si missa perpetua quidem non inhaeret beneficio, sed tamen certo cuidam sacerdoti demandatur, ita ut ipsi cura incumbat consulendi persolutioni. Hoc onus pretio aestimabile est et separabile ab onere persolutionis. *c)* Idem dicendum, si cui legatum relinquitur gravatum certo et determinato numero missarum. Sed secus sentiendum est, si quis in testamento non designatus sit ceu legatarius, sed nonnisi ceu executor legati missarum. *d)* Eadem exceptio valet, si quis majorem stipem non tam intuitu missae daret, quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis. *e)* Alius titulus retinendi excessum taxae consuetae est, si stipendium pinguius detur ratione *stolae* vel officii *parochialis,* seu *dignitatis,* ut in missis nuptialibus et exequialibus. Quodsi parochus impediatur has missas personaliter persolvere, tunc satis est si taxa pinguiori sibi retenta, sacerdoti celebraturo communem retribuat. Sed quoad Missas *cantatas* adventitias s. C. C. declaravit (25. Julii 1874, Acta s. Sedis t. 8. p. 84) «integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosinae oblatum fuisse intuitu personae ipsius parochi.» S. Alphons. l, c. l. 6. n. 321; Acta s. Sedis l. c. cum auctoribus p. 72. 73. allegatis. Cfr. etiam *Martini* l. c. p. 156. not. 2. Auctor recte distinguit inter missas *beneficiales* et mere *ecclesiasticas* i. e. quae certo beneficio non sunt adjunctae sed separatim existunt. Probat ex multis decisionibus eccles., excessum stipendii missarum *ecclesiast.* non spectare ad parochum, sed ad celebrantem. Id quidem recte per se; sed fieri potest, ut vel a fundatore parocho attribuatur missa, vel ut fors intret titulus sub b) notatus.

[8]) Attamen ut hujusmodi turpem mercaturam exercentes (sive clerici sive laici) praeter furti reatum etiam excommunicationem incurrant necesse est, ut hi 1. colligant Missarum stipendia manualia sc. more collectorum; non incurrit excommun. is, cui Missae dantur a se celebrandae; nec is, qui eas colligit ab uno vel altero tantum; 2. ut colligant quaestus causa; 3. ut faciant eas celebrari, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. Hinc excommun. non incurrit, qui eas dato minore stipendio celebrare facit eodem quo collegerat loco, vel qui peccuniam celebratione prorsus omissa intervertit in suum commodum. Talis quippe magis fur est, quam mercator. Commentar. *Aeg. Mauri* p. 63. Quaeritur 1.: utrum possit sacerdos ex stipendio solito *pinguiori* in gratiam pii operis partem detrahere, et substituto sacerdoti ordinarium stipendium dare, quo substitutus cum omnimoda libertate contentus est? 2. Utrum sacerdos possit sibi alium sacerdotem substituere, ea lege, ut aliquam partem stipendii *ordinarii* in gratiam pii operis determinati relinquat? Ad has quaestiones (juxta s. Alphons. Moral. L. 6. n. 321., et Bened. XIV. de synod. dioec. l. 5. c. 9. et ejus Const. «Quanta cura» 30. Jun. 1741) sic breviter respondetur: Ad 1. *affirmative,* α. si substitutus omnimodo libere consentiat; β. si Missarum celebratio certae ecclesiae ex dantis voluntate non adstringatur; γ. nisi tota manualis eleemosyna ex voluntate pii largitoris praecise intuitu celebrandae Missae data sit. — Ad 2. cum distinctione: *Affirmative,* ubi agitur de *paucis* numero casibus in quibus nempe sacerdotes quaerantur, ut ad pium aliquod opus concurrant, quadam velut societate constituta sub conditione, ut partem eleemosynae ordinariae favore alicujus boni operis prorsus libere remittant. *Negative,* si de

§ 231. De portione congrua cleri.

Summa proventuum ad convenientem vitae sustentationem clericis necessaria, *portio congrua, sustentatio congrua* seu *competens,* vel simpliciter *congrua* dicitur.

1. Portio congrua juxta canones tanta esse debet, ut *exinde vicarii sive rectores ecclesiarum competentem sustentationem habere et episcopalia jura solvere valeant, aliaque debita onera supportare.*[1]) Cum autem generaliter quid sufficiat, determinari nequeat, sed ex plurimis circumstantiis mutationi obnoxiis pendeat; necesse est, ut determinatio congruae arbitrio episcopi fiat, qui debet atten- 1. Congrua.

---

re non parva agatur, sed de re, quae per suam amplitudinem suasque adnexas leges speciem accipiat *publicae negotiationis.* Ejusmodi mercaturae species, utpote in se valde indecens, legibusque exosa, ab Ordinariis locorum omnino esset abolenda. (Acta s. Sedis III. p. 555 seq.) — S. C. C. 9. Sept. 1874 (Acta s. Sedis t. 8. p. 107) decrevit: 1. Illicitum esse bibliopolis et mercatoribus missarum eleemosynas colligere ac sacerdotibus has celebraturis loco pecuniae libros vel merces rependere, etiam tunc cum lucrum inde perceptum ad pias causas impenditur. 2. Turpi mercimonio concurrere tam eos, qui stipendia missarum tradunt bibliopolis seu mercatoribus, tam qui libros aliasve merces ab iisdem recipiunt pro missis celebrandis. 3. Sed illicite non agere, qui pro missis *celebratis* recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiatione vel lucri specie. 4. Non licere episcopis sine s. Sedis venia ex stipendiis, quae celebrioribus sanctuariis tradi solent, aliquid pro eorum ornamento vel decore detrahere. — Sed non illicitum censuit eadem s. C. C. d. 24. April. 1875 (Acta s. Sedis t. 8. p. 659), si non ipsi bibliopolae vel mercatores, sed viri ecclesiastici, quibus sponte a fidelibus missarum eleemosynae traduntur, easdem ad bonos libros vel diaria religiosa divulganda, celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco libros vel ephemerides; item nec illicite agere hujusmodi sacerdotes, tali modo missas petentes aut acceptantes, ut inde queant *pro missis jam celebratis* earum stipendii loco libros vel diaria acceptare aut petere. — Idipsum a s. C. C. conceditur religiosarum ephemeridum administratoribus, scil. ut sacerdotibus missas celebrandas committant, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu. Sed NB. adjectis plurimis cautelis in hac re observandis l. c. p. 659 ad VI. — Vide plures casus quoad missarum stipendia a s. C. C. diremtos l. c. p. 650 seq. — In statutis nostrae dioecesis stabilitum est: 1. ne Missarum stipendia propria auctoritate in alias dioeceses transmittantur; 2. ne plures obligationes suscipiantur, quam quae infra duos menses persolvi possint (Syn. Brixin. tit. 6. n. 14); 3. ut pecuniae pro Missis manualibus separatim adserventur, quin cum aliis pecuniis, praesertim privatis respectivi sacerdotis commisceantur; 4. ut obligationes certo libello consignentur, adjecta earum persolutione, ita, ut pagellae etiam persolutarum Missarum serventur; 5. ut sacerdotes numerum Missarum, quae adhucdum persolvendae supersunt, sive manualium, sive fundatarum stato tempore ad Ordinariatum transmittant.

[1]) c. 2. § 2. de decimis in VI. (III. 13.) — Congruae notio praesertim tunc clarius definita est, cum episcopi et synodi decernerent, ut ecclesiis incorporatis praeficerentur vicarii perpetui. Nam ea occasione iidem episcopi atque synodi curabant, ut vicario ex proventibus ecclesiae incorporatae *portio congrua* assignaretur.

dere ad locum, tempus et beneficii qualitatem.[2]) Congruam majorum beneficiorum decernere est penes Romanum Pontificem. (In nostro Imperio *a.* congrua *episcopis* obvenienda ex determinatione legis civilis est summa 12,600 fl. M. A., *archiepiscopis* 18,900 fl. quotannis attribuuntur. *b.* Congrua assignata pro *catechetis* gymnasiorum est summa 525 fl.; pro catechetis apud scholas principales et reales 420—630 fl.; pro *theologiae professoribus* in Seminariis 840 fl. *c.* Congrua sacerdotum apud *militiam* inservientium pro varietate classis, cui sunt attributi, variat. *d.* Congrua sacerdotum in cura animarum laborantium ante legem prov. d. 19. Apr. 1885 adeo tenuis erat, ut pro solis parochis recentioris fundationis summa dumtaxat 420 fl. M. A. destinata fuerit, congrua vero reliquorum independenter curam animaram gerentium tantum summam 315 fl., subsidiariorum autem ac deficientium congrua summam 210 fl. efficeret. (In quibusdam tamen provinciis et urbibus congrua praedictâ major, in aliis vero provinciis minor assignata fuit.) Haec provisio sustentationis cleri in cura animarum occupati, jam ab initio apud omnes prorsus insufficiens recognita est, ac propterea tum episcopi[3]) tum ipsi reipublicae moderatores per plura decennia ad congruam cleri augendam animum intenderunt juxta temporis indigentias et dignitatem status clericalis.[4]) Fructus horum conatuum erat lex d. 19. Apr. 1885, qua tum congrua sacerdotum curatorum et deficientium ad majorem summam evecta est, tum etiam regulae pro fassionibus concinan-

---

[2]) Concil. Trident. sess. VI. c. 2. de ref. · sess. VII. c. 5. de ref.; sess. XXI. c. 4. de ref.

[3]) Ipsimet episcopi cum clero in omnibus fere dioecesibus peculiares fundos ad subveniendum sacerdotibus indigentibus, et praesertim aegris ac deficientibus, constituere coeperunt (Archiv. t. 27. p. 195; t. 28. p. 29. 98. 114. 119), ita ut unaquaeque fere dioecesis ejusmodi fundum habeat. Cfr. Statuta haereditatis s. Adalberti pro archidioecesi Pragensi Archiv. t. 14. p. 88.

[4]) Imperatores Franciscus I. et Ferdinandus I. inde ab a. 1816—1841 de congruae incremento solliciti erant. Episcopi Austriaci a. 1849 et a. 1856 Viennae congregati augmentum congruae a regimine expostularunt, ac pro eadem re a. 1859 in comitiis nobilium perorarunt (Archiv. t. II. p. 292 seq.). Articulo 26. Concordati augmentatio congruae fuit appromissa. Inde ab a. 1871 in camera deputatorum saepius de hac materia pertractatum est. A. 1872 modo *provisorio* meliori cleri dotationi provisum est in eo, ut ex aerario summa annua 500,000 vel 600,000 fl. ad cleri inopiam sublevandam concederetur. Deinde de hac re gubernium cum episcopis pertractare coepit, qui tum necessarias dilucidationes tum sua consilia, gubernio communicarunt, donec tandem lex d. 19. April. 1885 prodiit, Imperatoris sanctione munita. Cfr. Ordinatio executoria huj. leg. d. 2. Jul. 1885, qua certae quaedam regulae pro conficiendis fassionibus ad determinandam congruam praescribuntur, quarum aliquae clerum nimis gravantes ac vix non legi 19. Apr. 1885 contrariae esse videntur. — Cfr. etiam edict. minist. 13. Jul. 1885 Nr. 9182 quoad cooperatores.

dis sunt sancitae. Juxta duo schemata huic legi adjecta portio congrua *parochis* assignata pro provinciarum diversitate varia est, ita ut maxima coaequetur 800 fl., minima vero 500 fl. M. A. Congrua pro *subsidiariis* i. e. pro cooperatoribus, capellanis, expositis, beneficiatis curatis constituta summam 300—350 fl. haud superat. Attamen in urbibus insignioribus aliisque locis sacerdotibus curatis congrua solito major attributa est. *Deficientium* congrua proportionata est tum tempori praestitorum in cura animarum servitiorum tum congruae legitimae illius beneficii, quod tempore immediate elapso habuerunt. Denique in hac lege (§ 5) etiam *provisorum* congrua pro tempore vacaturae determinatur.

Lex d. 19. Apr. 1885 principiis superstructa est, quibus gubernio civili aequo amplior vis et potestas tribuitur circa dispositionem rerum et bonorum ecclesiasticorum. Nihilominus tamen episcopi Austriaci tum universim eo tempore (19. Febr. — 2. Mart. 1885) Viennae congregati, tum speciatim illi, qui comitiis nobilium interfuerunt, legi praedictae consenserunt tum ut aliquando levarentur cleri necessitates, tum ex eo quod nonnisi de lege provisorie condenda agebatur. Sed non omiserunt protestationem in comitiis nobilium alta voce emittere, qua ecclesiae jura sarta tecta servarunt, fundum religionis ceu fundum ecclesiae proprium asseruerunt, edixeruntque, sumtus ad augendam congruam necessarios ab aerario dari oportere, in quantum fundus religionis, salva ejusdem substantia, eos ferre nequeat.

2. Si *deficiat* congrua i. e. si nec ipsam summam legibus statutam adaequet, canones eam ex proventibus ecclesiarum parochialium (non tantum specialiter in usum fabricae destinatis) desumi praecipiunt. Ubi vero ecclesiae reditus adeo tenues sunt, ut non sufficiant, synodus Tridentina primo loco provideri vult per beneficiorum unionem.[5]) Si neque tali ratione sufficienter provideri possit, vult synodus, ut primitiarum aut decimarum assignatione provideatur, et ulterius, ut ad parochianorum symbolas et collectas recurratur.[6]) In terris Austriacis congrua legibus fixa adeo certa reddita erat clericis per decret. 24. Oct. 1783, ut quod ipsis defuerit, ex fundo religionis expleri opertuerit. Sed lex haec

2. Congruae insufficientis augmentum.

---

[5]) Sess. XXI. c. 5; XXIV. c. 13. de ref.

[6]) Omnibus tentatis nil aliud restat, nisi ut pii fideles, reditus fundationum a fundatoribus relictos, sed temporum injuria attenuatos, pro viribus augeant. Conc. prov. Prag. a. 1860 ad levandam hanc necessitatem provocat: 1. ad patronos; 2. ad parochianos; 3. et fodinarum et fabricarum possessores; 4. ad singulares episcoporum conatus; 5. vult, ut congrua parochorum assurgat ad 600 fl., cooperatorum ad 300 fl.; 6. proponit, ut una saltem domus emeritorum in tota provincia constituatur; 7. ut creetur fundus, qui urgentibus cleri indigentiis aliquam saltem opem ferat.

tam favorabilis ob tenuitatem fundi religionis in praxi valde coarctata est. Nam raro integrum congruae deficientis supplementum ex fundo religionis praestari consueverant, sed *subsidia* tantum data sunt, nunc regulariter, nunc modo precario et titulo aequitatis.[7]) Sed nunc supplementum congruae (de quo antea sermo erat) titulo et nomine fundi religionis datur et percipitur. Sed quia dictus fundus ad incitas fere redactus est, maxima pars ab aerario contribui debet.[8])

3. De fassione.

3. Ceterum utrum reditus infra, an supra congruam sint, ex *fassione* legitime confecta perspicitur. Est vero fassio, uti vocant, accurata recensio omnium beneficii proventuum onerumque, ita, ut detractis impensis beneficio inhaerentibus adpareat, quanta annui stipendii summa beneficiario salva permaneat. Fassiones sincera et accurata fidelitate exarari oportet.[9]) Postulari solent tum aliquando ab auctoritate ecclesiastica v. gr. pro obtinenda Missarum fundatarum reductione, tum multoties a potestate laica, quando ista influxum habet in administrationem peculii ecclesiastici.[10]) Si quaeritur, quaenam obventiones computandae sint in

---

[7]) Edict. minist. pro Cultu 27. Dec. 1867; 9. Febr., 11. April. 1868; 15. Jun. 1869. *Vering*, Archiv. t. 24. p. 54. 55. 72. — Ubi parochus etiam munus *vacantis cooperaturae* explet, vi edict. minist. 9. Jul. 1872 (Archiv. t. 28. 114) potest impetrare remunerationem 10 fl. pro singulis mensibus, si cooperatura fixe et modo stabili erecta est. At 22. Oct. 1872 declaratum est, istam remunerationem ex fundo relig. eatenus dumtaxat suppleri, quatenus fontes locales deficiant. Archiv. t. 29. p. 180. In regno Bavariae vi edict. ministri pro cultu d. 23. Maj. 1872 congrua omnium parochorum tenuis dotationis usque summam 900 fl. est aucta. In Magno ducatu *Badensi* congrua *infima* parochorum aequalis est summae 800 fl., vicariorum omnium 400 fl. (M. A.) In *Alsatiae* provincia usque ad a. 1870 parochi primae classis accipiebant 900—960 fl.; secundae classis 720—780 fl ; parochi succursales 540—780 fl., vicarii (capellani) 240 fl. Item in regno Borussiae saltem usque ad a. 1872 congruam habuerunt majorem prae ea, quam gubernium nostrum pro futuro tribuere intendit multis parochis, respective capellanis. *Martini* p. 231. not. 1.

[8]) Quaestio mota est, utrum annuae praestationes aerarii pro augmento congruae faciendae considerari debeant ceu *subsidia* aerarii qua talis, quibus indeficientia fundi religionis suppletur, an vero sint solutiones adinstar *mutui*, quae suo tempore aerario ex fundo religionis restitui debeant? Quodsi, gubernio, uti videtur, hoc ultimum placeat, consequens est, ut fundus religionis propter restitutiones aerario faciendas brevissimo tempore exhauriendum sit. Hinc eppi in sua protestatione d. 23. Mart. 1885 (supra n. 1) altum reclamarunt, pecuniam, quae hunc in finem ab aerario quotannis datur, a fundo relig. haud unquam esse repetendam. Id quod apprime congruit phrasi «dotatio civilis» (staatliche Dotation) a lege d. 19. Apr. 1885 (§ 1) usurpata.

[9]) Brixn. Dioec.-Bl. 1857. p. 37 seqq.

[10]) Apud nos continuo et data quavis occasione, et interdum etiam quin rationabilis causa urgeat, fassiones ex parte officialium postulantur; id vero

summam congruae, quaenam omittendae, distinguendum est inter legem canonicam et civilem. Ex *lege canonica* in portionem congruam computandi sunt inprimis omnes fructus certi beneficiato obvenientes; tum vero etiam incerta accidentalia, ita, ut haec incerta plurium annorum computatione, secundum mediam aestimationem ad certam summam redigantur. Illa tamen incerta omittuntur, quae ad aliquam certitudinem reduci nequeunt et quae sunt mere industrialia, vel prorsus fortuita, prout e. gr. obventiones ex jure stolae, missarum stipendia et dona mere gratuita.[11]) — In fassionibus *nostra lege civili* d. 19. April. 1885 (Cfr. etiam ordinationem minist. pro hac lege exequenda d. 2. Jul. 1885) praescriptis omittendae sunt voluntariae oblationes, dona gratuita, nec non Missarum stipendia manualia[12]). Idem etiam de Missis funeralibus et de obventionibus constitutum est ex Missarum aliarumque s. functionum fundationibus, factis *post* d. 15. Jun. 1885.[13]) Vicissim inter onera recenseri possunt expensae majores

---

quod rem hanc difficillimam reddit, est, quod pro fassionibus conficiendis non eaedem sunt normae et formae, sed diversae pro diversitate causae ob quam exiguntur. Sic aliae sunt normae, pro obtinendo congruae augmento (juxta leg. 19. Apr. 1885), aliae ubi de tributo ad fundum religionis dando agitur, aliae si fassio conficienda est ad liberandum se a tributo taxis aequivalenti, vel pro adprobandis rationibus intercalaribus. *Martini* l. c. p. 72. Vide ibi de molestiis et vexationibus quibus clerici in conficiendis fassionibus subjiciuntur p. 79 seq.

[11]) Equidem s. Pius V. Const. «Ad exequendum» praecipit etiam incerta emolumenta imputari in congruam vicarii, sed s. C. C. d. 28. Oct. 1585 respondit, pro emolumentis incertis intelligi solum ea, quae habent quandam certitudinem, ut sunt decimae frumenti, vini etc. seu quae solum sint incerta ratione summae et quantitatis; non autem intelligenda esse emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynae altaris, funerum et similium. Similiter s. C. C. in *Papiensi* d. 2. Mart. 1772 declaravit, Bullam Pii V. complecti tantum in portione congruae «incerta, quae certa sint,» non vero illa incerta, quae semper sunt incerta, et dependet a labore personali, uti sunt eleemosynae altaris, et funerum atque similium.» *De Angelis* ad L. I. tit. 28. p. 43.

[12]) 22. Maj. 1798. Decret. gubern. Tirol. 24. Maj. 1827. — *Voluntariae* praestationes pro dotatione cleri, etsi longo jam tempore et in certa quadam mensura in usu fuerint, pecunia redimi nequeunt (adinstar praestationum, quae *juris* titulo nituntur) Corresp.-Bl. 1885 Nr. 11. p. 244. Imo tales collectae omnino illis rebus ecclesiae internis accensentur, in quas civilis potestas sese nequaquam ingerit, nisi fors locum habeat lex d. 7. Maj. 1874 (§§ 55 et 56). Supr. tribunal. pro admin. 7. Febr. 1885 (Corresp.-Bl. l. c. p. 245).

[13]) § 3. 2. g. leg. 19. Apr. 1885 nec non ord. min. d. 2. Jul. 1885. — Praedicti generis fundationes *ante* d. 15. Jun. 1885 factae computari debent in congruam. — Domus canonica sub portione congrua regulariter non comprehenditur. (*Van-Espen* l. c. Part. II. tit. 35. c. 8.) Id quod apud nos quoque usu receptum (Decret. gubern. Tirol. 22. Jan. 1818) et aequitati omnino consentaneum est, quia antiqua congruae taxatio aliunde aetati nostrae ob aucta adeo rerum pretia minime convenit.

pro sartis tectis; *tributa* titulo imperii, provinciae, districtus, communitatis civilis aut pro alio fine publico ex legis praescriptione pendenda, nec non taxae aequivalentes tributo, quod alias in bonorum translatione in alium possessorem exigitur (Gebühren-Aequivalent); missarum fundatarum stipendia, quae numerum sic dictum *normalem* (200) superexstant, utpote quae, cum a sacerdote, ad quem pertinent, commode persolvi non posse praesumantur, alteri sacerdoti persolvenda tradi debent.[14])

§ 232. De juribus beneficiatorum intuitu beneficii sui.

Peculium clericorum[1]) quadruplicis generis bona in se comprehendit. *a) Patrimonialia,* quae eis obveniunt ex haereditate, ex donationibus etc. *b) Quasi-patrimonialia* vel *industrialia,* quae percipiunt ex labore in functionibus ecclesiasticis exercendis, aliisque intuitu status clericalis ipsis obvenientibus, prout eleemosynae missarum, lucra praedicationis, reditus stolae, distributiones chorales. *c) Beneficialia,* quae titulo beneficii ipsis obveniunt, et quae subdividuntur in *necessaria et superflua. Necessaria* sunt, quae inserviunt honestae clericorum sustentationi, scil. illi, quae spectatis omnibus prudenter attendendis, nec excedit nec deficit in iis, quae expendere solent homines probi et prudentes ejusdem conditionis.

---

[14]) Lex cit. et ordin. min. cit. Sed pro fassione conficienda, quae requiritur ad eruendam congruam, cum agitur de dimetiendo tributo taxis aequivalenti, haec notanda sunt: 1. In tali fassione vi decisionis supremi tribun. pro administr. d. 24. Febr. 1880 (Archiv. t. 44. p. 128) inter expensas inferri possunt *omnia tributa,* ita ut *purum* salarium beneficiato remanens adpareat juxta § 512 C. C. A. — 2. Si quis personaliter a tributo taxis aequivalenti liberatur, eoquod purum ipsius salarium non exaequet 500 fl., is neque pro quota sustentationis, quam expendere debet cooperatori, dictum tributum pendere debet. Decis ejusd. tribun. d. 14. Jun. 1881. Archiv. t. 47. p. 295. — 3. Inter accepta non sunt computanda donaria stolae (cfr. ordin. minist. d. 26. Jul. 1880 *Martini* p. 142,) — 4. Vi decis. ejusd. tribun. d. 16. Jan. 1883 (Linzer Quartal-Schrift 1883, p. 726) nec proventus ex Missis fundatis sunt in congruam computandi, quodsi isti sunt objectum separatum tributi taxis aequivalentis. — Notare juvat, tributum taxis aequivalens pro tempore *vacaturae* beneficii semper in aerarium infundendum esse etiam eo casu, quo beneficiatus liberatur ab onere hujus tributi (Edict. minist. 18. Febr. 1885. Nr. 37,138).

[1]) Tit. 25. libri III. decretalium inscribitur: *de peculio clericorum.* Peculium dictum est apud Romanos quasi pusilla pecunia, quam ii, qui in potestate patris vel domini erant, separatam habebant a rationibus paternis vel dominicis. (L. 5. § 3. *de peculio* D. 15. 1.) Hoc peculium servus quidem administrabat, sed ita, ut proprietas apud dominum maneret, peculium pariter servo fructificaret et servo moriente ad dominum reverteretur. Peculium clericorum vel itidem in hoc sensu strictiori sumitur vel late, nempe quatenus significat quodcunque patrimonium, sive bona alicujus, etiam qui sui juris est.

Quae autem iis demtis supersunt ex reditibus beneficii, *superflua* dicuntur. *d) Parsimonialia,* quae ex reditibus mere ecclesiasticis ad congruam sustentationem sibi competentibus, parcius vivendo sibi subtrahunt et congregant. Bonorum patrimonialium, industrialium et quasi patrimonialium clerici verum habent dominium; sed intuitu *beneficii* sui medium locum tenent inter vasallos et usufructuarios, ita ut partim horum partim illorum jura participent.[2]) In specie beneficiatis haec jura competunt: Jura beneficiati:

1. Ratione *substantiae* beneficii sui *a)* non habent *dominium,* sed hoc ad piam causam, scil. ad ipsum beneficium spectat. Ad substantiam pertinent etiam emolumenta extraordinaria, v. gr. thesaurus in fundis beneficialibus inventus, statuae, aliaeque antiquitates pretiosae e solo erutae, magna et extraordinaria effossio lapidum, arenae, toffi etc. Pecunia in ejusmodi rerum pretium soluta non ad beneficiatum spectat, sed favore beneficii investiri debet. Etenim tales res e solo effossae non censentur esse in fructu beneficii, sed potius partes ex substantia separatae, quae frugiferae pro beneficiatis fieri possunt et debent.[3]) Silvas quod attinet, arbores nocivae et minoris pretii eum in finem succisae, ut cetera ligna magis silvescant, beneficiato attribui possunt. Ubi vero arbores majoris numeri caeduntur, pecunia exinde acquisita pariter nomine beneficii elocanda est.[4]) *b)* Attamen beneficiatus per canonicam institutionem verum *jus in re* intuitu beneficii ad- 1. Intuitu substantiae beneficii.

[2]) Jura beneficiati in multis aequiparantur juribus vasalli intuitu feudi *Walther* § 260. *Phillips,* Lehrbuch p. 727), sed in multis etiam datur differentia inter utrumque, quae ex eo potissimum enascitur, quod beneficium solummodo ad dies vitae confertur, feudum autem etiam in haeredes transit. Pariter beneficiatus est quidem usufructuarius, sed tamen in pluribus differt ab usufructuario, in sensu juris Romani. Ex parte enim beneficiatus est superior usufructuario, ex parte eodem inferior. Satis erit, si sequentes differentiae notentur: 1. Merus usufructuarius reficere et restaurare quidem potest, sed non de novo aliquid facere; atvero beneficiarius potest de novo facere, v. g. plantare vineam, domos exstruere vel ampliare. 2. Usufructuarius fructus omnino facit suos, ita, ut prorsus libere disponere possit, quod non ita prorsus potest beneficiarius. 3. Cessante usufructu e. g. per mortem, fructus adhuc pendentes non spectant usufructuario vel haeredibus, id quod ceu regula non observatur quoad beneficia. Cfr. *Schmalzgrueber* l. III. tit. 39. n. 148.

[3]) Cfr. *Lingen,* Recht des Beneficiaten am Benefic. Grundstück in *Vering* Archiv. t. 20. p. 87, ubi casus enarratur apud s. C. Episc. et Regul. deductus et de 6. Mart. 1868 decisus. Cfr. ibid. p. 90, 91. alias duas similes s. C. C. decisiones d. 17. Dec. 1796 et d. 28. Jan. 1854.

[4]) Cfr. decis. S. C. Episc. et Regul. d. 10. Dec. 1841 et approb. a Pontifice 17. Dec. 1841. l. c. p. 84, 85. not. 1. Optime in hac re Conc. Vindob. (1858 p. 186) sancivit: «Si beneficium silvas habet, eae statuantur arborum succidendarum vices, quibus lucrum inter praesentem et futuros beneficii possessores pro rata temporis dividatur; statutae religiose serventur.» Cfr. Brixn. Dioec.-Bl. 1877, p. 30.

ipiscitur, quemadmodum vasalli per investituram intuitu feudi jus in re accipiunt. Idcirco beneficiatus concipi debet *tanquam dominus* et *defensor* beneficii sui, qui tenetur et potest res et jura beneficii tueri, ac propterea actiones tum in possessorio tum in petitorio instituere. Sed litem de beneficii juribus inire sine episcopi licentia saltem per multas leges particulares prohibetur.[5]) Siquidem jus istud defensionis per hoc restringitur, quod ecclesia beneficiatum seu *tutorem* et *curatorem* considerat, qui patrimonio sui pupilli, i. e. beneficii cum singulari circumspectione consulere teneatur. Nam et bona beneficiaria in jure canonum tum favore restitutionis in integrum,[6]) tum reliquis privilegiis, quae minorennibus conceduntur, gaudent. *c)* Est *administrator* substantiae beneficii, ut tum ipse, tum ejus successores de fructibus inde percipiendis vitam sustentare possint. Tanquam administrator superficiem praediorum suo arbitratu quidem immutare, at non item pecunias foenori datas exigere potest. Omnis deterioratio a beneficiario ex propriis resarciri debet. E converso si possessiones ejus expensis et labore meliores sunt redditae, ipsi, si velit, sumptus ex beneficio refundi oportet. Ex eo quod beneficium post obitum beneficiati redit ad ecclesiam, sequitur, possessionum locationes ultra dies vitae beneficiati non esse obligatorias, nisi locationis contractus episcopi auctoritate ad longius tempus initus fuerit.[7]) Imo vero legibus particularibus etiam ad tempus brevius restringi potest. Et quoniam quivis usufructuarius tenetur rem in usum concessam in suo statu servare, haud minus etiam beneficiato incumbit, expensas pro sartis tectis servandis atque aedificiorum beneficialium reparationes saltem minores ferre (nisi statutis particularibus vel pactis alius mos sit introductus). — Pro explendo tum defensionis tum administrationis officio *inventarium*[8]) ingredienti beneficiato tradendum est, quo omnia beneficii bona, addita appretiatione et natura, recensentur, ita, ut omnis mutatio, quam beneficium subire contingit, sedulo successive adnotetur. Eveniente

---

[5]) Conc. provinc. Vienn. 1858 p. 186; Conc. provinc. Prag. tit. VIII.

[6]) c. 1. 2. X. d. in. integr. rest. (I. 41; Alex. III.); c. 4. X. de fidejuss. (III. 22). Jure Austriaco non conceditur restitutio in integrum § 1450. C. C. A Attamen beneficiatus culpam praestare tenetur intuitu bonorum beneficii sui. Cfr. etiam § 228 et seq. C. C. A.

[7]) Hinc non ligatur successor in beneficio pacto locationis, conductionis a suo praedecessore inito, etiamsi solutiones fuerint antecipatae. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 11. de ref.

[8]) In inventario consignare oportet: aedificia, agros, fundum instructum, paucis mobilia et immobilia simul cum pecuniis frugifere elocatis. Decennio aut alio termino a legibus particularibus definito novum inventarium confici debet. *Loberschiner* l. c. p. 152. *Helfert*, Geschäftsstyl p. 475. Ab inventario differunt: 1. praediorum parochialium consignatio; 2. recensio capitalium ad beneficium pertinentium. Brixn. Dioec.-Bl. 1857 p. 34.

vacatura inquirendum, num res in inventario relatae exstent. In Imperio Austriaco quaelibet immutatio beneficii possessiones concernens regimini significari debet. Hunc in finem summario rationum ecclesiae gubernio exhibendo parochus incrementi vel decrementi, quod in beneficio parochiali forsan contigerit, significationem superaddat necesse est.[9])

2. Ratione fructuum.

2. Fructus quod attinet, eos a praebendae substantia separatos beneficiatus *facit suos,*[10]) ideoque *tanquam procurator in rem suam* propria auctoritate eos exigere, imo et litem propter eos movere potest. Attamen in usu fructuum et dispositione clerici non prorsus liberi sunt, sed certis limitibus constricti. Ad hos definiendos distinctio supra allata adhibenda et clarius explananda est. Etenim *a)* de bonis *patrimonialibus* i. e. de iis, quae titulo profano obtinentur a clericis perinde ut a laicis, viri ecclesiastici juxta omnes libere disponere possunt tam inter vivos quam mortis causa. Nam vi status sui nec dominium eorum amittunt, neque ut novum acquirant, fiunt incapaces. Idem probabilius[11]) dicendum de *omnibus* bonis *quasi patrimonialibus* i. e. non solum de iis, quae clerici ex artificio aliquo acquirunt sed de iis quoque, quae ex ecclesiasticis functionibus sine beneficio (h. e. non stricte titulo beneficii) ut ex concionibus, Missis, reditibus stolae et distributionibus choralibus redundant. Imo juxta s. Alphonsum clericus libere potest disponere etiam de bonis *parsimonialibus,* quae nempe clericus ex reditibus ecclesiasticis subtraxit de sua substantia vivendo parcius, quam honeste vivere potuisset.[12]) Attamen intuitu

[9]) L. d. 7. Maj. 1874 § 49, Conc. prov. Vienn. l. c. *Loberschiner* l. c. p. 151. Imo vi ordin. min. d. 2. Jul. 1885 jam identidem allegatae semper nova fassio concinnanda est, quoties substantia bonorum benefic. crescit vel decrescit (§§ 11 et 13), ubi etiam pro aliis occasionibus fassiones fieri jubentur.

[10]) Conc. Trid. (Sess. XXIII. c. 1. de ref.; Sess. XXIV. c. 12. de ref.) dicit, clericos non residentes *fructus* haud *facere suos.* — In c. un. de cler. non res. in VI. (III. 3) de eo, qui divino non interest, enuntiatur, quod distributionum quotidianarum fors receptarum *dominium non acquirat nec faciat eas suas.*

[11]) Sunt, qui reditus stolae, funeralia, distributiones quotidianas, stipendia Missarum bonis beneficialibus, non patrimonialibus adnumerent. Cf. *Zallinger* h. t. §. 264. Sed sententiam oppositam tenent: *S. Alphons.* Lig. Theol. Moral. l. IV. n. 111, 490, 491. L. *Ferraris* Prompta Bibliotheca s. voce *Beneficiatus* art. 3. n. 19, 22, 23. aliique. Et sane tum *oblationes* fidelium tum *distributiones quotidianas* ad bona quasi patrimonialia pertinere, a s. Poenitentiaria decisum est 9. Aug. 1821 et 9. Jan. 1823. Cfr. supra § praec. 3. Vide dissertationem: Wie sollen und dürfen Weltgeistliche ihr zeitliches Vermögen verwenden, und wozu sind sie bei Errichtung eines Testamentes berechtigt und verpflichtet? Leitmeritz 1853.

[12]) Theol. Moral. l. c. n. 491. Alii tamen parsimonialia ab aliis bonis beneficialibus distinguenda non putant, eopuod, ajunt, reditus ecclesiastici non transierunt in profanos ex eo solo capite, quod clericus iis ad suam sustentationem usus non est, *Zallinger* l. c. § 274. *Zechius:* De peculio clericorum.

redituum beneficialium[13]) clerici stricte obligantur ea, quae in congruam sustentationem non impenduntur, erogare in pias causas ac praesertim in pauperes, idque citra ullum respectum illius controversiae, utrum clerici juxta aliquos redituum beneficialium domini, an dispensatores vel administratores tantum adpellandi sint.[14]) Ratio petitur *a)* ex intentione offerentium bona sua ecclesiis et ex oblationum formulis, quae aperte manifestant, eas donationes non esse profanas, in commodum et luxum clericorum factas sed spectari debere tanquam *vota fidelium, res Dei, peculium Christi, pretia peccatorum, alimenta pauperum. b)* Ex antiqua ecclesiae disciplina, vi cujus portio a clerico percepta, licet pro pauperibus alia portio segregata erat, nihilominus ut res ad ecclesiam pertinens et ceu patrimonium pauperum haberi consuevit. Id tanto magis pro nostra aetate statuendum est, eoquod pauperibus propria portio ex reditibus ecclesiasticis haud amplius segregetur. Quaestio, utrum, qui male expenderunt proventus ecclesiasticos, ad restitutionem teneantur, varie ab auctoribus deciditur. Eos teneri, ex dictis evidens est, quia praeceptum cui satisfactum nondum est, semper impleri debet, quamdiu adhuc potest. Quaeri solummodo potest de origine istius obligationis, utrum ex stricto jure an ex praecepto ecclesiae tantum vel ex charitate derivetur.[15])

[13]) Ex declarat. s. Poenitent. 19. Jan. 1819 etiam bona, quae titulo supplementi a gubernio civili solvuntur pastoribus et canonicis, accenseri debent ecclesiasticis. Idem haud immerito creditur de salario professorum Theologiae aliorumque clericorum ex bonis ecclesiast. assignato.

[14]) Celebrem hanc controversiam, cujus decisionem in synodo dioecesana dissuadet Bened. XIV. (de syn. dioec. l. 7. c. 2. n. 13) ad exemplum Tridentini, quod hanc quaestionem indecisam reliquit (*Pallavic.* hist. dict. conc. l. 24. c. 3. n. 4), vaga dominii notio peperit. Nam antiquiores maxime doctores, canonum et veteris disciplinae auctoritate suffulti negarunt, clericos redituum suorum habere dominium. Recentiores autem, certis quibusdam loquendi modis, quibus ipsa concilia usa sunt e. g. quod *clerici fructus faciant suos,* permoti ipsis dominium tribuerunt. Sed in hac quaestione caput controversiae proprie non est figendum. Parum enim refert quoad praedictam obligationem, utra ex his duabus sententiis praeferatur. Quodsi clerici redituum beneficialium dispensatores tantum sunt, obligatio erogandi superflua in pauperes aperte occurrit in oculos. Sed etiam si eorundem dominium habent, non sequitur, eos ab hoc deobligari. Nam idea dominii non excludit obligationem personalem praestandi quidquam. etiam ex justitia, prout e. g. etiam haeres totius quidem haereditatis dominium acquirit, etsi eadem legatis vel debitis onerata sit.

[15]) Notanda sunt verba, quae (apud Bened. XIV. l. c. n. 14) Cardinalis Bellarminus in epistola ad Theanensem episcopum, nepotem suum desuper scripsit: «Non disputo, inquit, quaestionem illam, an praelati sint veri domini redituum ecclesiast., et an teneantur restituere, quae male expenderunt. Parum enim refert, utrum damnetur praelatus ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas. Solum quaero, in quos usus debeat suas expendere ecclesiast. facultates, ut non amittat vitam aeternam.»

Si prius, ex justitia; si posterius, ex alio titulo restitutio facienda est.[16])

§ 233. De defunctorum clericorum haereditatibus.

Successio in clericorum haereditatem

Eaedem regulae, quibus clerici in dispensando suo peculio per actus inter vivos ligantur, etiam servandae sunt, cum in defunctorum clericorum bona succeditur, sive ex testamento id fiat sive ab intestato.

1. Ex testamento.

1. Quod primo attinet clericorum *testamenta* faciendi facultatem, iidem antiquo ecclesiae jure de bonis patrimonialibus, etiam de iis, quae post ordinationem supervenerant, prorsus libere disponere valebant.[1]) At bona, quae beneficiatus ex proventibus ecclesiasticis adquisierat, ad ecclesiam reverti debuerunt; unde clerici de iis ultima voluntate disponere omnino vetabantur.[2]) Idcirco bona profana a bonis per ecclesiam adquisitis separari oportebat.[3]) Postea tamen ex consuetudine universali[4]) iis concessum est, ut de bonis ex beneficii fructibus comparatis testarentur, sed ad pias causas tantummodo et servatis solemnitatibus pro testamento praescriptis. Demum in multis orbis catholici partibus et in nostris quoque regionibus immemorialis temporis consuetudo invaluit, ut quaecunque clericorum testamenta *in foro externo* robur habere censeantur, etsi de bonis etiam ecclesiasticis ad causas profanas testentur, propterea quod bona intuitu ecclesiae et aliunde comparata discernere saepe impossibile est, nec statim semper adparet, num facta dispositio causae piae rationem habeat, vel non habeat, cum nempe clericus saepe occultas familiarum necessitates pernoscat, aut aliunde debita fors solvat. At

---

[16]) Quibusnam pauperibus superflua donanda sint, an etiam clerico consanguineis? has et alias quaestiones decisas reperies in can. Apost. 37. c. 16. D. 86; c. 22. C. 12. qu. 1; Conc. Trid. Sess. XXV. c. 1. de ref. *s. Alph. Lig.* Theol. Moral. l. IV. n. 491. *Ferraris* l. c. n. 10, 11. et in dissert. supra (not. 11) allegata.

[1]) c. 9. 12. X. de testam. (III. 26). At Concil. prov. Pragense (1605) prohibuit, ne clerici concubinis aut filiis spuriis quidquam legarent.

[2]) c. 7. 12. de testam. l. c.

[3]) can. Ap. 39; c. 1. de testam. — Si autem clerici pauperes ordinati fuissent, aut alias dubium existeret, quo titulo post ordinationem quidpiam adquisierint, profano an sacro; totum ab ecclesia adquisitum praesumebatur c. 1. de testam.

[4]) Haec consuetudo primum nonnisi particularis fuit, sed quodammodo adprobata est ab Alexandro III. (in c. 12. X. [III. 26]) atque deinceps evasit universalis. Et profecto! *rationabilem* esse hanc consuetudinem pluribus argumentis probari posset. Si clericis integrum est, bona ecclesiastica dispensare per actus inter vivos, eccur idem per actus mortis causa, qui a clericis, dum mortem ob oculos habent, consideratius religiosiusque fieri sperantur, non sit integrum?

pro *foro interno* beneficiatus testari ad causas profanas non potest de bonis ecclesiasticis in notabili quantitate, neque vi consuetudinis, quia solida ratio assignari nequit, ob quam beneficiati per actus mortis causa possint bona ecclesiastica superflua ad causas profanas adplicare, non vero etiam per dispositionem inter vivos. Unde talis consuetudo, cum sit contra *invariatam* indolem bonorum ecclesiasticorum et contra jus naturalis justitiae, non est rationabilis, nulloque temporis cursu induci potest.[5]) Igitur testamenta ad causas profanas de bonis ecclesiae facta illicita ad minimum sunt, etiamsi in foro externo ad majora mala et continuas lites evitandas tolerentur.

Articulo XXI. Convent. Austriacae *in cunctis Imperii partibus* (ergo etiam per Hungariam, ubi episcopi jure testandi antea haud fruebantur) *archiepiscopis, episcopis et viris ecclesiasticis omnibus liberum* esse declaratur, *de his, quae mortis tempore relicturi sint, disponere juxta sacros canones, quorum praescriptiones et a legitimis haeredibus ab intestato successuris diligenter observandae erunt.* Haec verba exprimunt: *a)* Clericos (saeculares) de omnibus bonis suis testamentum condere posse. Ex artic. XIII. Concord. evidens est, in eo condendo formam legis civilis servari oportere. *b)* Dispositionem testamentariam pro foro interno ad canonum normas fieri debere, quibus scilicet bona ab ecclesia profecta ecclesiae adplicari jubentur. *c)* Testamenta clericorum plane praescriptis canonicis consentanea (et facta in legitima forma civili) agnosci debere a legitimis haeredibus, adeo, ut haeredes, qui dicuntur necessarii, litem movere nequeant ex capite partis legitimae, eo-quod juxta canones de bonis clerici solummodo profanis non item de ecclesiasticis pars legitima haeredibus attribuenda est. Unde beneficiatus in testamento, dummodo juxta canones agat, respicere non tenetur parentes, aut (casu quo quis ut maritus legitime ad ordines promotus sit) uxorem aut filios. His omnibus actio non conceditur ex eo quod parte legitima privati sint.[6])

---

[5]) *Ferraris* l. c. art. III. n. 3—5. *Neller* de cleric. saecul. testamenti factione n. 20. 23. in *Schmidt* thesaurus t. 6. p. 418. 441. Conc. prov. Vienn. p. 178. ubi inter alia monetur: «Cumprimis caveat, ne ancillam haeredem scribat, a quo scandalum difficile abest.» — Neque obstat, quod leges *civiles* testandi libertatem viris ecclesiasticis concedunt, prout in Galliis ex parte jam saeculo 15. et in terris Austriacis per plura saecula partialiter et per Ordinat. 18. Apr. 1772 et decr. aul. 14. Febr. 1784 plene inductum est. *Singer,* Die Behebung der für Ordenspersonen bestehenden Einschränkungen im commercium mortis causa etc. Innsbruck 1880. p. 110. seq.

[6]) Sic articulum hunc explicat *Schulte* (in *Moy,* Archiv. t. 3. p. 284. tit. 7. seq.). Et sane ista interpretatio egregie confirmatur per conc. prov. Vienn. Cap. IV. et V. p. 177 et 178. — In articulo XXI. Concord· peculiaris exceptio statuitur quoad episcoporum ornamenta et vestes pontificales, quae omnia (sicut et libri, ubi usu receptum est), ad mensam episcopalem deferenda

2. Bona titulo ecclesiastico a clericis comparata, ceu dictum est, iis defunctis pertinebant ad ecclesiam et quidem, quamdiu bonorum ecclesiae communio erat, ad cumulum bonorum communem, qui sub administratione episcopi fuit. Sed postmodum inductum est *jus,* quod dicitur *spolii,*[7]) vi cujus bona ecclesiastica decedentium clericorum *per abusum* non solum ab episcopis, sed etiam a principibus, imo et a patronis, ecclesiae advocatis aliisque occupabantur. Ad re secandos hos abusus non ceteri tantum sed et episcopi severe a canonibus prohibiti sunt, *jus* spolii (rectius dixeris *corruptelam*) exercere sancitumque est, rem a clerico relictam non ad episcopum, sed vel ad collegium clericorum, vel ad successorem (sc. in bonum illius beneficii) devolvi; si vero quis plura habuerit beneficia, haereditatem inter ipsorum ecclesias esse dividendam.[8]) Variis Romanorum Pontifium (sc. Pauli III., Julii III., Pii IV., s. Pii V., Bened. XIV.) constitutum est, ut beneficiatorum bona derelicta, de quibus testari nequibant, applicarentur *camerae Apostolicae* in usum s. Missionum, ita ut quae olim cedebant particularibus ecclesiis, deinceps cedere deberent in usum ecclesiae generalis. Sed hoc in nostris regionibus in usum haud est perductum. — Bona vero titulo *profano* adquisita non aliter ad ecclesiam deferebantur, quam si clericus haeredes necessarios non reliquisset.[9]) Verum recentiore aetate, praesertim iis in locis, in 2. Ab intestato.

sunt. S. Pii V. Const. d. 3. Cal. Sept. 1567 «Romani Pontificis». Quaenam res inter haec ornamenta numerari debeant ex Brevi Pii IX. 1. Jun. 1847 cognoscitur. Scil. excipiuntur annuli, cruces pectorales aliaque utensilia, quae legitime probantur ab eppis defunctis comparata esse bonis non ecclesiasticis, neque constat, ecclesiae donata fuisse. Cfr. ordin. Minist. d. 7. Febr. 1859 *Moy,* Archiv. t. 4. p. 216. Num ea, quae art. 21. Conc. statuta sunt quoad jura haeredum necessariorum etiam abolito Concordato valeant in foro civili, merito dubitatur. — De jure testandi praelatorum Hungariae vid. *Vering,* Archiv. t. 51. p. 349.

[7]) Dici vix potest, quantum negotii ecclesiae fecerit depraedatio illa, quae *spoliorum* nomine percrebuit. Plura concilia sub anathemate spolia prohibuerunt; reges et principes ad renunciandum spoliis haud de facili a Pontificibus induci potuerunt. Ad ultimum etiam episcoporum et archidiaconorum avaritiam coërceri opus erat, qui nimirum spolia haud raro in privatam utilitatem convertebant, vel etiam ad consanguineos ditandos adplicabant. Unde factum est, ut Sedes Apostolica jus spolii ad cavendum bonorum ecclesiast. dilapidationi sibi vindicaret, illudque per *spoliorum collectores* in provinciis constitutos exerceret. Licet vero ne sic quidem abusus haud ex integro cessarent, tamen jus spolii a Pontificibus per se juste exercebatur, quia aliud non intenderunt, nisi ut bona, quae ad clericos venerunt, conferrent in illos usus, in quos clerici conferre debuissent. *Devoti* Instit. p. II. t. 18. n. 5, ubi plures Rom. Pontificum const. circa hanc rem allegantur. *Phillips* Lehrb. § 234.

[8]) c. 12. cit. X. (III. 26).

[9]) L. 42. § 2. Cod. de episc. (I. 3); Novell. 131. c. 13; L. 20. Cod. cit.; c. 7. C. 12. qu. 5.

quibus clericis facultas testandi etiam de reditibus per ecclesiam acquisitis conceditur, usu receptum est, ut clericis intestatis proximi consanguinei sine bonorum discrimine succedant.[10]) Aliis tamen in regionibus certae regulae legibus particularibus statutae sunt, ad istiusmodi haereditatem quam aequissime dividendam. In nostris partibus ex consuetudine et legis civilis determinatione[11]) sequentes regulae servatae et a Concilio provinciali Viennensi de novo quoad substantiam adprobatae sunt:[12]) *a)* Haereditas clericorum, qui beneficium quoddam modo *definitivo* et in perpetuum obtinebant, ita ut nonnisi per resignationem aut per privationem illud amittere possint, sine ullo discrimine bonorum in tres partes dividitur, quarum una ecclesiae, altera pauperibus, tertia propinquis cedit. Portiones tum pauperibus tum ecclesiae destinatae, pauperibus (sc. instituto pauperum) et ecclesiae illius loci attribuendae sunt, ubi defunctus supremo vitae tempore sacro munere functus est, licet alio in loco sive quiescentem vitam agens, sive aliam ob causam obierit. Si defunctus beneficium tenuit simulque praebendam in capitulo vel generatim si duo beneficia *simul* habuit, pars ecclesiae obveniens inter ecclesias respectivas dividenda est. Si plura *successive* beneficia habuit, haec tertia pars ecclesiae, cui ultimo loco deservierit adscribatur, nisi opulenta sit, quo casu ad alias merito transfertur. Hac proportione retenta, altera tertia bonorum pars obvenit pauperibus locorum, ubi beneficia tenuit, ita tamen ut ecclesiae opulentioris intuitu nihil eis detrahatur. Tertia demum pars cedit consanguineis, ex lege ab intestato succedentibus. Consanguinei valde egentes portionem quoque pauperum, proinde duas tertias e bonis relicitis, si speciaLiter supplicent, impetrare possunt, (Decr. aul. 6. Febr. 1792), sed exclusis (ab *hac* tertia parte) consanguineis *non* indigentibus et cum hac moderatione, ut singuli pauperes consanguinei plus ex ista legali tertia parte non possint percipere, quam quod percepissent ex communi et ordinaria successione in bona defunctis alicujus ab intestato (Decr. cancell. aul. 16. Sept. 1824).[13])

[10]) Quia id tantummodo toleratur propter *odia litium*, ideo bona eccles. ad haeredes devolvi sub eadem conditione et onere, quibus fuerunt apud defunctum, non immerito inferunt auctores. *Van-Espen.* P. II. Tit. 32. c. 8. *Zallinger* lib. 3. tit. 27. § 356.

[11]) Hofcanzl. Decr. 19. Jun. 1833; Hofdecr. 27. Nov. 1807; Hofcanzl. Decr. 16. Sept. 1824. — § 58 leg. d. 7. Maj. 1874 leges vigentes confirmatae sunt.

[12]) Conc. prov. Vienn. p. 179. — Addit. Concil.: «Pars, quae ex antistitis sine testamento defuncti haereditate ecclesiae metropolitanae sive cathedrali debetur, si opus fuerit, Seminario vel majori vel puerorum assignari potest.» Cfr. *Stubenrauch,* Commentar zum A. B. G. ad § 761. not. 4.

[13]) Si locus, ubi defunctus est sacerdos plures habeat fundos pro pauperibus destinatos, instantia quae dividit haereditatem, potest decidere, cuinam ex istis fundis tertia pars sit addicenda. Litt. pat. d. 9. Aug. 1854 § 125 et 126. Utrum ille sit vere *pauper,* qui vult duas tertias sibi acquirere,

b) Quodsi defunctus beneficium ecclesiasticum nunquam habuit in perpetuum, consanguinei duas tertias, unam vero pauperes loci capiunt,[14]) ubi clericus supremum diem obiit.

3. Quoad res a *religiosis* relecta praeter ea, quae supra (p. 471 not. 13) de eorum facultate acquirendi bona praenotata sunt, haec vi juris communis sunt animadvertenda: *a)* Quia religiosi sibi non possunt quidquam acquirere, ideo si quando haereditas eis, sive ab intestato sive per testamentum deferatur, eadem ad ipsam religionem, vel si haec jure bona possidendi careat, ad haeredes legitimos devolvitur (p. 471 l. c.). — *b)* Si regularis evectus est *ad episcopatum* vel cardinalatum, bona post consecrationem acquisita ad propriam ecclesiam pertinent.[15]) — *c)* Regularis, *qui ex indulto Apostolico beneficium saeculare obtinuit,* illud potest administrare, sustentationem inde percipere, sed testari non potest, quia quidquid acquirit, monasterio acquirit.[16]) — *d)* Monachus etiam *perpetuo saecularisatus,* quia non potest de bonis disponere (supra p. 478, 4), nec etiam potest testari, sed bona ab eo relicta, quae egrediens e monasterio attulerat, item bona quomodocumque ex eo provenientia, suo monasterio manent. Cetera vero bona a tali monacho extra claustra acquisita juxta Const. Gregorii XIII. «Officii nostri 21. Jan. 1577 (Bull. Rom. ed. Luxemb. t. II. p. 440) camerae Apostolicae applicari debent. In locis, ubi haec Const. non viget, res ex consuetudine erit decidenda. Jus succedendi haereditati monachi *ad tempus saecularisati* ad ejus monasterium spectat (Archiv. t. 8. p. 464). — *e)* Religiosus professus, qui *indultum Apost.* obtinuit, bona acquirendi, vel testandi, hac facultate uti debent juxta tenorem indulti.[17]) —

dijudicari debet ab instantia administratoria. Sic declaravit minist. pro reb. internis 1875. *Vering*, Archiv. t. 34. p. 215.

[14]) Vi decr. aul. 18. Jul. 1772 et decis. min. 8. Jul. 1885 (Oesterr. Zeitschrift f. Verwaltung) in hoc casu *pauperes* consanguinei non solum duas tertias partes, sed et ultimam tertiam i. e. integram haereditatem obtinere possunt (Brixn. Dioec.-Bl. 1885 p. 99.) — Per *Hungariam* vi Concord. clerus pariter libere testari potest. Ex jure statutario certa quaedam contributio ad pia legata testamento assignari debet (Archiv. t. 2. p. 380). Libri, indumenta sacerdotalia, vasa sacra, altarium ornamenta beneficiis, fundus instructus successori relinqui debent. Episcopis *ab intestato* decedentibus, $^1/_3$ pars pro ecclesia ad sarta tecta, pro Seminario et pro dotandis parochiis destinatur; $^1/_3$ pro fisco Regio; $^1/_3$ pro consanguineis. Quoad reliquos ex clero $^1/_3$ ecclesiae, $^1/_3$ consanguineis, $^1/_3$ pauperibus obvenit. Mortuo clerico, qui nunquam habuit officium vel proventus eccles., pro successione *ab intestato* jus civile attenditur. *Cherrier* II. p. 246. 248.

[15]) Hoc licet minus recte (*Singer* l. c. p. 83. seq.) deducitur ex can. *Statutum* unic. c. 18. qu. 1. — Cfr. c. 14. X. (V. 33). Constit. «Custodes» Bened. XIII. ap. Bened. XIV. de syn. l. 13. c. 16. *Richter* ed. Conc. Trid. p. 399.

[16]) *Singer* l. c. p. 108.

[17]) Cfr. resolutiones Congr. Card. particulariter deputatae a Leone XII. 26. Jun. 1829 ap. *De Angelis* ad l. III. tit. 26. tom. II. p. 393.

f) Religiosi *expulsi* pariter monasterio acquirunt; si vero hi saecularisationis perpetuae fruantur indulto, ea prorsus obtinent, quae modo (sub *d*) de perpetuo saecularisatis annotata sunt. — *g)* Religiosi ordinum seu conventuum ab ecclesia suppressorum bona acquirere et de iis inter vivos et mortis causa disponere possunt, nisi aliter statuatur. — Verum de praedictis sanctionibus saeculi leges haud parum recedunt.[18])

Articulus III.

De bonis ac reditibus ecclesiarum.

§ 234. De personis, a quibus ecclesiarum bona administrantur.

Postquam beneficia exorta bonaque propria iis attributa erant, ecclesiae, seu aedes sacrae, adsignatis reditibus propriis

[18]) *Ex jure Austriaco* 1. professi non possunt mortis causa quidpiam acquirere (§ 538 C. C. A.) ergo non possunt haereditates aut legata accipere. Sed tamen ex lege civili dominii non sunt prorsus incapaces. Nam § 182 litt. pat. d. 9. Aug. 1854 statuitur, ut si professus bona in saeculo reliquerit, de quibus non disposuit ante professionem, curator intuitu eorum constituendus sit. Haec bona, quae industria curatoris augeri possunt, servantur eorum domino sc. professo, ita ut in casibus § 573 C. C. A. expressis de ipsis testari possit vel haeredes ab intestato eadem bona percipiant. Si de dictis bonis *ante* professionem testatus fuerit, testamentum eo demum mortuo vigere incipit. — Religiosi licet paupertatem professi, nulla lege *Austriaca* prohibentur sive circa res, quae in eorum possessione sunt, pacta contrahere vel res sibi acquirere. Sic resolvit suprem. justit. tribunal 1. Oct. 1879 Nr. 6266 *(Riehl* Suppl. p. 2). — 2. Ex speciali concessione apud nos (vi § 573 C. C. A.) libere *testari* possunt: a) Membra talis ordinis qui favorem seu *privilegium* testandi obtinuit. Huc spectant: equites ordinis s. Joannis (Melitenses), membra ordinis Teutonici (decr. aulic. 11. Dec. 1795), nisi degant in conventibus (Litt. pat. 28. Jun. 1840); Congregatio ss. Redemt. (Decr. aul. 9. Jan. 1843), virgines Anglicanae (decr. aul. 1774). Sed de his duabus congregationibus libertas testandi per se intelligitur. Denique capellani militares religiosi (Dienstreglement für die k. k. Infanterie 1860) de peculio quasi-castrensi i. e. quod durante eorum officio militari acquisierunt disponere possunt. b) Regulares perpetuo saecularisati (falso isti ex terminologia juris consultorum, quae in ipsam legem (§ 573) irrepsit, *soluti a vinculo votorum* dicuntur. Dispensatio super votis regularium atque saecularisatio sunt duo diversa [supra § 139]). c) Membra ordinis seu monasterii suppressi. d) Si religiosi in tali munere sunt constituti, ut *vi legum politicarum* non amplius ceu membra ordinis vel monasterii alicujus considerentur, sed pleni dominii capaces sint effecti. In horum censum computantur illi regulares, qui vel beneficium saeculare obtinuerunt, vel etiam qui forte tanquam vicarii aut cooperatores extra claustra in stationibus pro saecularibus destinatis inserviunt. (Decr. aul. 21. Jan. 1786 et 22. Dec. 1788 *Singer* l. c. p. 115.) Etiam regulares episcopos hac facultate gaudere non tam litterae quam spiritui legum nostrarum civilium convenit. *Singer* p. 121. Bona regularium, qui ceu vicarii penes ecclesias pleno jure incorporatas sunt constituti, obveniunt eorum monasterio. — In regno tam *Bavariae* quam *Borussiae* religiosi in saeculo degentes aliis civibus aequiparantur.

e. g. de oblationibus, fundationibus, legatis, decimisque, proprias adeptae sunt facultates a bonis beneficii sejunctas, quae peculium ecclesiae in sensu strictiori vel etiam bona *fabricae* vocantur. Haec bona *per se* ad solos sumtus aedificii ac supellectilis sacrae sustinendos destinata sunt, sed saepe per accidens etiam alios sumtus ferre debent.

Fabricae administratio: 1. Ex jure generali.

1. Peculii ecclesiae administratio primum ad ejusdem ecclesiae rectorem unice spectabat, qui tamen episcopo vel archidiacono praesertim visitationis occasione ejus rei rationem reddere debuit. Paulatim tamen factum est, ut parochis pro ejusmodi administratione alii inferiores curatores e plebe cujusvis parochiae adjungerentur,[1]) quibus quaedam ejus generis negotia, ac praecipue proventuum exactiones committebantur. Hi adjutores nuncupabantur: *procuratores, vitrici, magistri fabricae* etc. Cavent tamen concilia, ne his laicis solis, sed potius cum ipsis parocho, veluti principali, officium fabricae seu procuratio ecclesiae committatur.[2]) Porro administrationis in singulis locis gestae ex praescriptione Concilii Tridentini[3]) episcopo etiam tunc ratio fieri debet, cum ex consuetudine aut privilegio aut ex consuetudine aliqua loci alii ad id deputati ejusmodi rationem exigere possunt. Ex quo adparet, quam aliena sit a spiritu canonum illa quarundam legum civilium dispositio, per quam tota fabricarum administratio sive magistratibus politicis sive deputatis ex communitate concreditur. — Denique quia in jure causae piae (ad quas pertinent ecclesiae) aequiparantur causis pupillorum et minorum, potest episcopus administratores, legitimis concurrentibus causis sc. ob usurpationes, ob violatam fidem, ob negligentias, denique ob idoneitatis carentiam ab exercitio administrationis suspendere, quemadmodum removentur male administrantes tutores pupillorum atque minorum curatores.[4])

2. Ex jure particulari Austriaco.

2. Episcopi Austriaci 1856 Viennae congressi in sequentes generales normas communibus consiliis convenerunt, a quovis

---

[1]) Conc. Colon. 1300. c. 14. (*Hartzheim* conc. t. IV. p. 42); conc. Magdeb. 1266. c. 23. (Ib. t. III. p. 802): Laici parochialium ecclesiarum provisores seu vitrici, qui altirmani vulgari vocabulo nuncupantur. — Juxta quosdam auctores *Ferraris* s. v. Capitulum; *Huller* (in libro p. 399 cit.) p. 149; *de Herdt* (Praxis capit. c. 14 § 1. n. VIII.) administratio ecclesiae cathedralis ejusque bonorum pertinet simul ad episcopum et capitulum. In praxi plurima Germaniae capitula solent quidem administrare bona ecclesiae cathedralis. Sed ex jure communi id probari non potest, sed illud capitulo nonnisi per modum *consilii* cooperari permittit, nec non ut capitulum episcopum moneat, si bona fabricae non rite administrentur. (*Schneider*, die bischöfl. Domcapitel p. 360.)

[2]) Conc. Mogunt. a. 1549, quod ex *Hartzheim* citat *Phillips* Lehrb. p. 750.

[3]) Sess. XXII. c. 8. 9. de ref. Cfr. Acta s. S. II. p. 369.

[4]) Conc. Trid. l. c. Cfr. l. 3. § 5. ff. de suspectis tutor. et curat.; l. 4. § 4. ff. eod. tit.; Acta s. S. V. p. 192. 196.

Ordinario accuratius juxta suae dioecesis exigentiam definiendas.[5]) *a*) Bona ecclesiarum parochialium seu filialium, nec non fundationum piarum apud istas ecclesias exstantium administrabuntur a spirituali earundem rectore, in curarum socios adhibitis parochianis, sed regulariter duobus tantum et salvis juribus patrono (§ 225) competentibus. Administratores detrimentum, quod ecclesiae bona eorum culpa ceperint, resarcire tenentur. *b)* Ecclesiae vitrici nunquam non viri pietate ac integritate conspicui sint; in quantum fieri potest, praeterea tales, qui bonis temporalibus non egeant, seligantur. Ab ecclesiae rectore proponuntur, attentis desideriis, quae parochiani intra justi et aequi limites patefaciunt, ab episcopo vel ejus delegato nominantur.[6]) Ordinarie ad triennium assumuntur; eo tamen tempore elapso denuo proponi et nominari possunt. Decanus praemissa admonitione de obligationum, quas suscipiunt, natura et gravitate sponsionem ab eis exigit, fore, ut ad ecclesiae bonum tuendum et conservandum pro virili parte contribuant. Ubi annuum stipendium iisdem non est constitutum, eos gratis officium isthoc exequi oportet. *c)* Administratores locorum subsunt decano (vel alii Ordinarii commissario), qui in hoc quoque negotio sicut in ceteris rebus commercium sustinet inter episcopum et administratores subordinatos. Decano incumbit revidere rationaria (nisi labor hic ipsis remittatur ab episcopo), vitricos instituere vel adprobare, beneficio vacante perquirere, an res in beneficii et ecclesiae inventarium relatae adhucdum exstent, ad beneficium promotis bona ejusdem tradere, cetera, quae episcopus ordinavit, peragere. *d)* Suprema cura et inspectio circa administrationem peculii ecclesiastici in tota dioecesi episcopo competit, qui ad istud munus laboriosissimum peragendum, ac praesertim ad revidenda rationaria collegium officialium in sede episcopali constituere debet. Advocatiae ecclesiasticae, quae in pluribus Austriae provinciis haud parum in administrationem peculi ecclesiastici influebant, ob temporum conditionem prorsus mutatam e medio sunt sublatae.[7])

---

[5]) Vix erit dioecesis in nostro Imperio, quae praescriptiones peculiares non acceperit a suo antistite. Hasce leges ad amussim addiscere tum Theologiae studiosis tum pastoribus absolute necessarium est. Sed quia his pagellis statuta singularum dioecesium inserere impossibile est, aliud non restat, quam ut principia generalia sive ab episcopis Austriacis adoptata, sive alias vigentia summarie perstringantur. Vid. etiam conc. prov. Vienn. 1858. p. 180 seq.

[6]) In dioecesi Brixin. pastoris et plebis consensu eliguntur, a decano nomine episcopi confirmantur. Pro dioec. Brixin. «Vorschriften» etc. Dioec.-Bl. 1860. p. 60 seq.

[7]) § 41 et 42 legis d. 7. Maj. 1874 administratio fabricae ecclesiae haud parum immutatur, sc. quoad *personas* administrationem procurantes. Nam vi § 41 administratio fabricae competit a) animarum curatori b) quibusdam deputatis ex iis, qui pro casu insufficientiae peculii ecclesiastici necessarios sumtus ferre tenentur. § 42 insuper clarius explicatur, penes parochum, communitatem et patronum esse oportere bonorum fabricae administrationem.

§ 235. De modo administrandi ecclesiae peculium.

Inferiorum administratorum munera:

(*Inferiorum curatorum* et *administratorum munus* generatim eo redit, ut pro sua quisque officii parte bonis ecclesiasticis tuendis, servandis, augendis riteque impendendis curam operamque sedulam navent. Unde regulas ipsorum munus respicientes accurate observent, necesse est. Detrimentum, quod ecclesiae res ipsorum culpa ceperint, resarcire tenentur. In specie debent

1. Quoad inventarium.

1. *Inventarium* legibus praescriptum[1]) summa cura conficere cum sedula omnium mutationum subin contingentium adnotatione.

2. Quoad armarium.

2. *Armarium* fideliter custodire sub tribus diversis clavibus, quarum una in parochi, aliae duae in vitricorum manibus sint. Asservandae ibi sunt pecuniae residuae exceptis iis, quae pro occurrentibus expensis quotidianis necessariae videntur, dein syngraphae, inventaria, litterae fundationum, rationaria jam censurae subjecta, aliaque majoris momenti instrumenta.

3. Quoad proventus et impensas.

3. *Proventus et impensas procurare,* quod proprie vitricorum est munus. Quantum ad *proventus* permittendum non est, ut usurae ex elocatis pecuniis debitae aliaeque praestationes, ultra biennium vel spatium ab Ordinario determinatum restent;[2]) secus executio judicialis imploranda. *Impensae,* ex reditibus tantum faciendae (salva semper peculii ecclesiastici substantia), erogari

---

Ex quibus fluit: tum patrono jura ampliora addicta esse, quam ei competunt de jure ecclesiastico, tum alios, ceu mandatarios communitatis parochialis ad hoc munus eligendos esse. Et hi non amplius a parocho, habito respectu ad vota communitatis, sed a communitate ipsa pro futuro erunt eligendi. Et quidem juxta motivorum expositionem eligendi erunt plures quam duo. Cum juxta § 43 lex particularis exspectanda sit ad modum determinandum, quo §§ 41 et 42 executioni dari debeant, quaestio exoritur, utrum vitrici seu camerarii modo hactenus consueto sc. a superioribus ecclesiasticis, an vero (juxta § 41) a communitate parochiali *nunc statim* h. e. antequam condita sit dicta lex executoria, eligi debeant? Decidit supr. tribunal pro admin. d. 19. Jan. 1881 n. 115 (*Vering* Archiv. t. 47. p. 284): *Nunc statim* vitricos eligendos esse a communitate. Sed d. 26. Nov. 1885 *(Budwinski* p. 690) idem tribunal (n. 2684) respondit, veterem eligendi morem servari oportere, eoquod alius modus nulla adhucdum lege sit determinatus. — Non meretur vituperium, si l. d. 7. Maj. 1874 § 35 communitatem parochialem catholicam stricte discernit a communitate politica, ut per hoc etiam jura et obligationes cultuum distincte secernantur. Sed meminisse semper juvat, parochianis jura corporativa non competere (supra § 126, 2), ac non ipsos sed ecclesiam parochialem constituere subjectum juris (*Vering,* K.-R. p. 599).

[1]) Const. Pii V., Sixti V. et Bened. XIII. in conc. Rom. 1725. — Conc. prov. Vienn. p. 180 (quod inventarium singulis decenniis jubet renovari). Vorschriften der Dioec. Brixen § 9. Formulare exhibetur in *Helfert,* Geschäftsstyl lit. OO. PP.; item in Brixn. Dioec.-Bl. 1860. p. 75. — Quaenam sint attendenda in conficiendis inventariis ecclesiarum, beneficiorum et communitatum ecclesiasticarum exponitur in edicto Minist. pro cultu 8. Jan. 1880 N. 17,721 *Vering,* Archiv. t. 44. p. 265.

[2]) Brixn. Dioec.-Bl. 1860. Instruction für die Seelsorger (p. 73); für die Kirchenpröbste (p. 87).

debent in fines, in quos destinatae sunt, nempe in sumtus pro cultu divino necessarios, in stipendia clericorum, in remunerationes ex dicto peculio quotannis pendendas et similia; non vero in res extraordinarias, quarum sumtus summam ab episcopo constitutam [3]) excedunt, nisi praehabita episcopi licentia. Porro administratoribus absque eadem episcopali licentia fas non est, ecclesiae peculium elocatum renuntiare, vel liti de ecclesiae juribus se immittere. Bene tamen iisdem conceditur sine episcopi venia sortem, cujus legitime renuntiatae persolutio difficultates experitur, vel census annuos aliasve praestationes ecclesiae debitas judice interpellato vindicare, modo de jure ipso lis non moveatur.[4]))

4. Quoad pecuniarum elocationem.

4. *Pecunias* acceptas majoris summae confestim *foenori dare* cum cautionibus, quas relate ad pupillorum bona lex tum ecclesiastica tum civilis praescribit. Juxta *canones* iteratasque s. Congreg. Episc. et Reg. praescriptiones bona ecclesiastica *investienda sunt in bonis stabilibus tutis ac frugiferis,* eademque s. Congreg. nonnisi in subsidium admittit investimentum in tabulis publici debiti. Hodie rebus pecuniariis adeo vacillantibus et quasi in aëre pendentibus ecclesia quoad hanc rem in summis ubique fere angustiis versatur. Vi legis *civilis* Austriacae[5]) sequentes modi elocandi pecunias pupillorum, ad quas etiam bona tum beneficiorum tum s. aedium pertinent, ceu legitimi declarantur: *a)* Emtio rerum immobilium. *b)* Contractus fenebris cum hominibus privatis, cui concessio juris ex debito tertii provenientis (Cession) aequipollet. Pro tali contractu securitas in § 230. C. C. A. requisita adsit oportet. *c)* Emtio syngrapharum titulo debiti publici Austriaci, vel aliarum publicarum syngrapharum, quae prioribus quoad pretium aequiparantur. Syngrapha coëmta, ut tanquam res ad ecclesiam pertinens cognoscatur, modo praescripto per officiales publicos respectivae ecclesiae vel fundationi adscribenda est (Vinculirung).[6]) Ubi syngrapha publica minori pretio emitur,

---

[3]) Summa, quae ex reditibus superfluis liberae administratorum dispositioni committitur, in nostra dioecesi pro una eademque re 30 fl. non excedat, necesse est. In archidioecesi Viennensi pro *omnibus* anni expensis extraordinariis nonnisi 50 fl. Ordinario non rogato impendere licet. Quid in aliis dioecesibus vigeat, videri potest apud *Loberschiner* l. c. p. 111.

[4]) Inducere novas expensas annuatim faciendas administratoribus vel omnino prohibitum est (Vorschr. der Dioec. Brixen § 13) vel usque ad certam summam tantummodo conceditur. *Loberschiner* l. c. p. 111.

[5]) Lit. patent. 9. Aug. 1854. *Vering,* Archiv. t. 24. p. 94. Wiener Dioec.-Bl. 1870. n. 11.

[6]) Concurrend. Consist. Brix. 30. Oct. 1854. Id quod etiam de syngraphis loco decimarum etc. acceptis obtinet, quas respectivo beneficio adscribi oportet. Decr. minist. d. 15. Nov. 1858. Archiv. t. 16. p. 237. — De modo adscribendi syngraphas pro pluribus fundationibus destinatam vid. Edict. minister. d. 6. Apr. 1860 in Archiv. t. 19. p. 443 vel in Brixn. Dioec.-Bl, 1860. p. 28. De taxis pro adscriptione solvendis ibid. 1861. p.

lucrum inde emergens ecclesiae reddi debet. Pro obtinendis usuris ex syngraphis annuatim deciduis apochae, legitime confectae et sigillo parochiali munitae, exhibendae sunt. Quoties agitur de solvendo vinculo syngraphae publicae (Devinculirung), leges circa alienationem bonorum ecclesiasticorum decretae attendantur, necesse est.[7]) *d)* Emtio litterarum hypothecariarum (Pfandbriefe) quae editae sunt a cassa fiduciaria ordinum Galiciae (der galizisch-ständischen Credit-Anstalt). *e)* Elocatio apud cassas quae dicuntur parsimoniales, si hae cum venia publica sint constitutae.[8]) *f)* Vi legis d. 14. Mart. 1870 emi etiam possunt illae syngraphae ex viis ferreis Austriacis redundantes, quibus jus prioritatis competit (Prioritäts-Obligationen von Eisenbahnen), si tum sortis tum censuum inde derivantium securitas a gubernio praestetur.[9])

5. Quoad rationaria.

5. De acceptis et expensis peculii ecclesiastici *librum rationum* quotannis justo ordine *conficere,* cui tum parochus tum vitrici subscribunt. Rationes a locorum administratoribus examinatae, adjectis apochis aliisque instrumentis veritatem demonstrantibus ulterioris censurae causa ad decanum mittuntur. Decanus eas antistiti exhibet, qui earum adprobatarum summarium gubernio imperiali communicat simulque significat, in quantum ecclesiae peculium aut incrementa ceperit, aut imminutum sit.

6. Quoad defensionem peculii eccles.

6. Denique defensio peculii ecclesiastici in regula pariter curatoribus incumbit, sed salvis juribus patrono competentibus et obtenta semper ad litem movendam Ordinarii facultate. Defensio autem intuitu ecclesiarum, quae patronatui caesareo vel derivanti ex fundo religionis aut studiorum subsunt, a procuratore fisci nomine Imperatoris suscipi,[10]) alibi (§ 222. 2) jam diximus.

---

[7]) Vi edicti minist. d. 10. Aug. 1860 (Archiv. t. 20. p. 319).

[8]) Sed vi edicti minist. 24. Mart. 1860 talis elocatio nonnisi modo transitorio fieri debet (Archiv. t. 19. p. 440).

[9]) Pro pecunia foenori elocanda ante tempus Concordati necessaria erat (praeterquam in Tiroli), licentia gubernii provinciae, cautumque fuit, ne in Tiroli administratores peculii eccles. pecunias ipsi pro se foenore acciperent (Lit. pat. d. 18. Oct. 1792). Porro interdictum erat, ne iidem administratores pecuniam modicam absque hypotheca et ad breve dumtaxat tempus e. gr. duorum vel trium mensium elocarent. Hoc ultimum certo hodiedum valet.

[10]) Suprem. resolut. 3. Oct. 1858 in Brixn. Dioec.-Bl. 1860. p. 58. Unde quoties aliqua ecclesia in bonorum possessione perturbatur, ea res confestim ab administratoribus procuratori fisci denuntiari debet. Cfr. notificationem procuratoris Liciens. ad Ordinariatum 28. Jan. 1870 (*Vering,* Archiv. t. 24. p. 88). — Aedituorum bona pro natura officii ipsorum sunt bona ecclesiae. Anno 1870 collegium pro scholis Austriae inferioris definivit, donaria, quae pro pulsandis campanis ingruente tempestate a parochianis contribuuntur, abhinc ludimagistris esse vindicanda, exclusis aedituis. Quam decisionem, licet reclamante Ordinariatu tum Viennensi tum Sanhypolitano confirmavit minister pro cultu 29. Mart. 1872. Archiv. l. c. t. 28. p. 66.

§ 236. De reparandis aedificiis ecclesiasticis.

I. Ex jure communi.

1. Principia juris antiqui.

1. Onus instaurandi ecclesias ex rei natura ipsi peculio ecclesiastico incumbit, quippe quod praecipue ad sumtus pro sacro apparatu et pro *reparationibus* necessarios destinatum est. Hunc in finem, uti alibi jam dictum,[1]) ex oblationibus,[2]) decimis[3]) aliisque proventibus[4]) quarta pars pro ecclesiae fabrica separata est, severeque episcopi prohibiti sunt, ne hancce partem sibimet-ipsis vindicarent.[5]) Cum deinceps ista partitio exoluisset, onus reparationum ad ceteros omnes, quicunque bona ecclesiastica aut eorum reditus perciperent, naturali devolutione devenit. Hinc jure merito ab ecclesia praeceptum est, ut laici bona ecclesiastica detinentes, etiam in feudum tantum, item decimas ecclesiasticas percipientes nec non beneficiati, verbo omnes ad quos reditus ex bonis ecclesiae proveniunt, ad aedificia sacra vel reficienda vel de novo excitanda contribuerent.[6]) Et quia praesertim laici, qui potissimum ante medium saeculi 11. bona ecclesiarum atque decimas iis debitas frequenter usurpaverant, hujus obligationis immemores erant, eadem haud semel per leges tum sacras tum civiles in ipsorum memoriam revocata est.[7]) Sed notandum varios usus diversis locis invaluisse, quia reparationum onera inter tot concurrentes distribuere negotium arduum evasit. Nimirum vel illi, qui ad concurrendum obligabantur, per turnum emergentes reparationes in se suscipere debuerunt, vel singulae aedificii partes singulis concurrentibus reparanda addicebantur.[8]) Itaque consuetudinis vis in hac parte effecta est maxima.[9])

2. Sanctiones eccles. inde a concilio Trid.

2. His principiis disciplina etiam post concilium Tridentinum vigens inaedificata est. Dictum concilium, sicut consuetudines legitime inductas non sustulit e medio, ita quoad ecclesias tum cathedrales tum collegiatas nihil innovavit. Hinc

---

[1]) § 222. not. 7.

[2]) c. 1. C. 10. qu. 3. (*conc. Bracar.* II. a. 572).

[3]) *Carol.* Magn. Capit. (*Stat. Rhisp.* a. 799. c. 13.) «Ut decimae populi dividantur in quatuor partes ... quarta in ecclesiae fabricis applicetur, sicut in decretis papae Gelasii continetur.»

[4]) c. 2. C. 10. qu. 3.

[5]) c. 3. C. 10. qu. cit. (*conc. Tolet.* XVI. a. 693).

[6]) c. 1. X. de eccl. aedif. vel repar. (III. 48): «Quicunque ecclesiasticum beneficium habent, ad tecta ecclesiae restauranda vel ipsas ecclesias emendandas omnino adjuvent.» *Beneficium eccles.* hic latius sumendum esse videtur, quatenus nempe etiam feudatarii ipso comprehenduntur. *Permaneder,* die kirchliche Baulast etc. München 1838. 2. Aufl. p. 28.

[7]) Vid. text., quos allegat *Permaneder* l. c. p. 22. n. 1.

[8]) Sic e. gr. quandoque clerus chorum, populus navem turrimque reficere alibi decimatores id totum partemve praestare tenentur. *Van-Espen* p. II. tit. 16. c. 5. n. 26. 27.

[9]) *Phillips,* Lehrbuch p. 755.

a) hodieque *cathedrales* ab episcopis, salva tamen portione congrua, refici ac restaurari oportet.[10]) Episcopi insufficientiam canonici primum, dein ceteri clerici ecclesiae cathedrali adscripti sublevare tenentur;[11]) tum peti etiam potest subsidium charitativum a clero dioecesano.[12]) Similiter etiam *collegiatae* in defectu pecuniae pro reparatione et fabrica assignatae, a capitulo instaurari et aedificari debent, adeo, ut canonici etiam nuper ingredientes ad contribuendum de superabundantibus suis fructibus compelli possint.[13]) Ecclesiae *non parochiales* atque *capellae* ex peculio ipsis attributo, in ejus vero defectu ab iis, quorum interest, quive aliunde ad hoc tenentur, reficiendae sunt. Inprimis hoc onus incumbit patrono, qui etiam tenetur ad utensilia altaris et capellae necessaria suppeditanda, sicut etiam ad eorundem et capellae manutentionem, nisi sufficiens dotis reditus ad hunc finem ab ipsis assignatus fuerit.[14]) Quodsi earum inopiae occurri nequeat, episcopo fas est, servatis servandis beneficia simplicia ex istis ecclesiis pene collapsis ad matrices aut alias ecclesias transferre (supra § 79. in fin.).

a) Quoad ecclesias cathedrales,

collegiatas,

non parochiales,

b) Ecclesiarum *parochialium* intuitu, distinguendum est, utrum liberae collationis episcopalis sint, an patrono subjiciantur.[15])

b) Quoad parochiales

α. Parochiales ecclesias, quas episcopus libere confert, non idem propterea tenetur suis sumtibus reficere aut exstruere; ratio est, quia liberae beneficiorum collationi ejusmodi onus annexum esse ex jure probari non potest.[16]) Sed in his reficiendis has

α. liberae collationis.

---

[10]) c. 27. C. 12. qu. 2. *(Gelas.)* In Italia et insulis adjacentibus vi Const. Bened. XIV. (1725) pro fabrica ecclesiarum cathedralium et collegiatarum a recens suffectis canonicis et beneficiatis media annata, i. e. medietas proventuum primi anni solvenda est. Acta II. 93.

[11]) *Nicollis,* Praxis canonica t. I. lit. E. n. 44—46.

[12]) Facta saecularisatione restauratio ad eum pertinet, qui episcopatum suppressit vel ejusdem bona modo habet. Unde respectivi Germaniae principes *ex justitia* pollicili sunt, fore, ut a se fundi pro cathedralium refectione creentur vel sumtus ex aerario publico praestentur. *Phillips,* Lehrb. p. 756.

[13]) *Phillips* l. c. 757; *de Albertis,* De sacris utensilibus t. I. c. 12. p. 129.

[14]) S. C. C. d. 28. Febr. 1665; 28. Maj. 1864. Acta I. 150. *De Angelis* h. t. p. 375.

[15]) Conc. Trid, Sess. XXI. c. 7. de ref.: «Parochiales vero ecclesias, etiamsi juris patronatus sunt, ita collapsas refici et instaurari procurent (episcopi) ex fructibus et proventibus quibuscunque ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus: qui si non fuerint sufficientes, *omnes patronos* et *alios,* qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quodsi nimia egestate omnes laborant» etc. Cfr. not. 30. hujus §.

[16]) Hoc nonnihil indignabundus exponit *Prosper Lambert.* (Bened. XIV. Inst. 100) adversus plurimorum parochorum opinionem, qui praedictum onus ad episcopum beneficia libere conferentem pertinere censebant, quem errorem neque invincibilis ignorantiae causa excusari posse existimat. Libros, inquit, de his rebus agentes percurrere possent, lingua non Sinensi neque Cophtica sed latina conscriptos.

regulas sequi oportet: a) Si vel constitutio aliqua aut statutum intercedat, vel certa ac vetus consuetudo et observantia afferatur, ob quod vel ob quam privati aliqui cives suis sumtibus ecclesiam reficere vel dirutam excitare tenentur, tunc eidem statuto vel consuetudini parendum est. b) Si neque statutum, neque ulla consuetudo interveniat, tum s. aedificia principaliter et ante omnia (juxta citat. Trident. decretum) ex proventibus ipsius ecclesiae sive reparari sive a fundamentis condi debent. Id tamen nonnisi de iis *proventibus* intelligendum est, qui ceteris impensis factis supersunt. Nam ipsa *dos* seu *substantia* peculii alienari nequit, nisi ecclesia sit dives et simul reliquorum, qui cogi possunt, contributio insufficiens.[17]) Idcirco neque aes alienum contrahere fas est, nisi spes adsit, fore, ut sine ecclesiae periculo quam citissime dissolvatur. Si etiam ecclesia sit pauper, illi *modo subsidiario* contribuere tenentur, qui in jure ad hoc obligantur. Et quidem horum duplex classis distinguitur. Prior comprehendit eos, qui *emolumenta temporalia* ab ea ecclesia percipiunt, quia congruum est, ut qui commodum ecclesiae sentiunt, sentiant onus. Ad hos pertinent: parochus,[18]) omnes ejusdem ecclesiae beneficiati,[19]) pensionarii (nisi forte pensiones, ait Bened. XIV. prorsus immunes concessae fuerint), denique decimatores, nempe illi, qui decimas ecclesiasticas titulo lucrativo percipiunt.[20]) His adnumerandi sunt principes, ad quos decimae ex sublatis monasteriis devenerunt. Apud ecclesias incorporatas parochus *primitivus* seu *habitualis* (§ 129. 1. b) sumtus sustinere debet,[21]) licet nonnunquam etiam vicarius perpetuus, cujus reditus congruam excedunt, ad contribuendum compelli possit.[22]) Ceterum parochus et beneficiati eos

---

[17]) Ea tamen dos, quae praecise pro sartis tectis destinata est, reparationi utique impendi potest, uti per se intelligitur. *Phillips* l. c. p. 758. n. 16.

[18]) Con. Trid. l. c.; c. 4. X. de eccles. aedif. et rep. (III. 48).

[19]) Cfr. Conc. Trid. ed. a *Richter* et *Schulte* p. 120. 1. 2.

[20]) *Permaneder* l. c. p. 56. In Bavaria hodiedum omnes decimatores, etiam decimas laicales possidentes, ad s. aedium structuram concurrere tenentur (ib. p. 139. seq.). In nostris regionibus decimatores jam antehac nonnisi tanquam parochiani contribuebant; id quod post decimarum redemtionem eo magis debet locum habere.

[21]) Edit. Conc. Trid. cit. p. 121. «Monasterii sumtibus reparanda est ecclesia parochialis, si eidem monasterio illius bona fuerunt incorporata.» S. C. C. *Clusin.* 22. Sept. 1725. (Haec decisio facta est *per modum provisionis* a s. C. C., quaestione remissa ad s. C. epp. et Reg. Vide Thesaur. Resolut. III, p. 220). Cfr. *Nicollis,* l. c. n. 77. Puta, si monasterium ex incorporatione percipiat emolumenta, quod tamen de jure praesumitur. Cfr. not. seq. — Facta monasterii saecularisatione fiscus succedit in onus reparationis. *Vering,* Archiv. t. 24. p. 112.

[22]) *Phillips* l. c. p. 759, ubi haec decisio s. C. C. in *Capuan.* 1634. affertur: «S. Congr. censuit onus restaurationis ecclesiae parochialis s. Rufi atque alia onera eidem ecclesiae incumbentia, secundum ea, quae proponuntur, non ad monasterium Cassinense, cui ecclesia est unita, sed ad duos vicarios de vicariis perpetuis in ea provisos, pertinere.»

tantum fructus tenentur impendere, qui congruam excedunt. — His deficientibus, qui sunt in *secunda classe,* in subsidium evocantur, nimirum parochiani, quippe qui *spiritualia emolumenta* ab ecclesia percipiunt. Tenentur vero parochiani ad praedictam reparationem non per capita hominum nec per capita domorum, sed juxta facultates singulis competentes (seu *per aes et libram,* ut ajunt).[23]) Item tenentur contribuere ad eam structuram etiam *exteri* (seu forenses) ratione bonorum stabilium, quae possident in territorio ecclesiae reparandae. Horum tamen contributio ex aequitate aliquatenus mitigari potest.[24]) Similiter hoc onus incumbit etiam illis, qui habitant apud ecclesias, quae dicuntur *filiales,* quia hi quoque parochianis accensendi sunt. Neque refert, quod apud ecclesiam filialem capellanus resideat; quamdiu filialistae in ecclesia parochiali ad divina conveniunt, imo illuc veniendi jure fruuntur, ad reparationem ecclesiae matricis de jure obligantur. Nonnulli tamen advertunt, quantitatem contributionis quoad hos moderandam esse; quin etiam in casibus singularibus totum onus iisdem ex *jure particulari* vel *ex consuetudine* locorum remitti potest.[25]) Attamen si duae communitates per unionem aequalem uni rectori subjiciuntur, suam tantummodo utraque ecclesiam reparare tenetur. — Insuper iidem parochiani, etiamsi sumptibus constructionis provisum sit, ex *consuetudine ubique fere recepta* compelli possunt, ut operas manuum et curruum juxta uniuscujusque patrimonii quantitatem gratis praestent, etiam tum,

---

[23]) Ab isto onere nemo excusari potest; unde pauperes et nobiles, imo et clerici omnes, qui bona patrimonialia habent, contribuere tenentur. *Permaneder* l. c. p. 67. *Nicollis* l. c. n. 59. — Cfr. decis. s. C. C. in *Spoletana* d. 18. Dec. 1847 (apud *De Angelis* h. t. p. 372), in qua ordo contribuentium determinatur ut supra in textu, excepto quod *substantia* ecclesiae divitis *ultimo* demum loco alienari permittitur. Ceu remedia extraordinaria, ope s. Congr. obtinenda, indigitantur: capellaniarum suspensio, census impositio super bonis ecclesiae, missarum reductio etc.

[24]) *Permaneder* l. c. p. 68. Cfr. *de Albertis* de s. utensil. c. 12. n. 217. 225. — Bened. XIV. Inst. 100 ubi s. Congr. in tali casu decrevit, ut inquilini pro dominis pecuniam ad id necessariam impenderent, ac deinde, quidquid ob hanc causam expendissent, sibi retinerent ex pretio, quod pro domo conducenda persolvunt. Cfr. Conc. Trid. ed. *Richter* et *Schulte* l. c. n. 8 et 9 in *Spoletana* d. 20. Martii 1824, ubi s. C. C. declaravit, forenses *teneri prudenti arbitrio episcopi.* Negant tamen plures forensium in hac re obligationem, eoquod isti membra societatis parochialis non sint, atque onus istud non sit reale, sed personale. Cfr. decisionem tribunalis Bonnens. 5. Apr. 1870. *Vering* l. c. p. 302 et infra leges novas Austriacas. Maxima est legum particularium et praxeos varietas, ut patet ex annotat. 13. in *Vering,* K.-R. p. 803.

[25]) *Permaneder* l. c. p. 73. Existimat auctor cum aliis, satis esse, si filiastae juxta proportionem populi apud filialem habitantis unam ex tribus partibus eorum sumtum ferant, qui ferendi sunt a parochianis. Sed *generatim* haec mitigatio vix poterit admitti.

ubi sumtus vel ex solo ecclesiae peculio vel a solis primae classis concurrentibus praestari possunt.[26]) — Si praedictis modis necessariae pecuniae congeri nequeant, tum praeterquam quod collectae generales institui vel donationes a benefactoribus peti possint, episcopo permittente reditus ex aliis fundationibus superextantes e. g. piarum sodalitatum ad structuram impendi poterunt. An episcopo etiam reditus ditioris ecclesiae hunc in finem sine beneplacito Apostolico assignare liceat, non est extra controversiam positum.[27]) Quodsi denique a praedictis omnibus expensae pro reparatione haberi non possunt, episcopus juxta concilium Tridentinum (l. c.) potest ejusmodi ecclesias restauratione indigentes ad ecclesias matrices transferre, cum facultate dirutas ecclesias in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

β. Patronatus.

β. Ad reficiendas ecclesias juris patronatus etiam patronus contribuere tenetur *in subsidium.* Sed differentia statuenda est inter patronos tum quoad ordinem tum quoad quantitatem contributionis. Extra dubium est, patronos *fructuarios* i. e., qui *fructus aliquos ex ecclesia* reficienda *provenientes percipiunt,* proin patronos decimatores, item collegia, quibus bona illius parochiae sunt incorporata, ad concurrendum adigi posse, et quidem eodem jure et ordine, quo parochi, beneficiati, pensionarii concurrere tenentur.[28]) Imo, ajunt, ille patronus ante omnes reliquos concurrentes ad subeundas reparationis expensas obstrictus est, qui ab initio dotem ad hoc onus sufficientem non assignavit; attamen praesumendum est, dotem in fundatione a patrono constitutam fuisse sufficientem pro adimplemento omnium necessariorum; ideo, si asseratur contrarium, hoc per parochum aliosque oportet probari.[29]) Sed controvertitur, an etiam *patronus simplex,* qui nullos ex reficienda ecclesia percipit fructus, ad reparationes concurrere teneatur? Equidem ex textu concilii haec controversia nequit definiri;[30]) ast

---

[26]) *Barthel.* annot. ad univ. jus can. p. 304. *Permaneder* l. c. p. 78.

[27]) Cfr. supra § 104. not. 7 et § 107. not. 10. — Affirmat hoc *Amostazo* de piis causis l. V. c. 6. n. 59, sed negat *Barbosa* de officio episcopi alleg. 64. n. 17. — *De Albertis,* quem citat *Phillips* (Lehrb. § 238. not. 35) putat, ejusmodi redituum exuberantium translationem *pro casu transeunte* sine beneplacito Apostolico ab episcopo decerni posse, minime vero ubi agitur de translatione permanenter valitura. Cfr. *Permaneder* l. c. p. 37. 38.

[28]) *Phillips* Lehrb. p. 762.

[29]) *Phillips* l. c. p. 763. n. 45. qui citat inter alia decisionem Rotae Rom. (Vid. supra not. 21. 22.)

[30]) Locus cit. Conc. Trid. (not. 15) varie interpungitur et intelligitur. In antiquissima concilii editione interpunctio est: *omnes patronos, et alios qui* etc; in aliis editionibus legitur: *omnes patronos et alios, qui.* In priori interpunctione pronomen «qui» ad *alios* tantummodo referunt; in secunda idem pronomen «qui» tum ad *patronos* tum ad *alios* pari ratione pertinere videtur, ita ut patronorum nomine tantum *fructuarii* denotentur.

ex decisionibus tribunalium Romanorum[31]) et ex naturali aequitate illud tanquam probabilissimum consequi videtur, patronum simplicem, ubi agitur de totali reconstructione ecclesiae, vel de reparatione, quae novae constructioni aequipollet, non quidem *absolute* (praecise) sed *causative*[32]) ad concurrendum teneri, et quidem intermedium inter fructuarios atque parochianos. Nimirum patronis congruum temporis spatium proponitur, quo *aut* templum restaurent, vel, si necessitas postulet, illud rursus aedificent, *aut* jus praestandi dimittant.

c) quoad domus parochiales,

c) Haec omnia, quae de reparatione et reaedificatione ecclesiarum dicta sunt, non solum valent de singulis partibus ad ecclesiam pertinentibus e. g. de turri, sacristia (*Schmalzgr.* III. tit. 48 n. 44 seq.) sed locum etiam habent: *α.* de aedificatione ac refectione domus parochialis (nisi quod minores reparationes ab ipso rectore tanquam usufructuario fieri debeant).[33]) *β.* De aliis aedificiis ad ecclesiam pertinentibus e. gr. de aedituorum famulorumque ecclesiae domibus. *γ.* De coemeteriis, nisi legibus particularibus, consuetudine vel alio modo eorum refectioni provisum sit, vel constet, eadem ad dominium communitatis civilis pertinere (quod quidem esse non oportet § 205 not. 3). Siquidem regu-

aedificia aedituorum etc.,

[31]) Not. 28; s. C. C. 1779 apud *Permaneder* l. c. p. 46; item Inst. 100 s. v. apud Bened. XIV. «Sexto.»

[32]) Bened. XIV. l. c. *Reiffenstuel* h. t. n. 24. *Zallinger* h. t. *Nicollis* l. c. n. 52. *Rosshirt,* Canon. Recht p. 511. *Phillips* l. c. aliique etiam patronum simplicem ad concurrendum obstrictum esse existimant. Sed in assignando titulo hujus obligationis D. D. non consentiunt. Alii eam ex emolumentis ortam esse putant, quae patronus ex jure patronatus percipit, puta ex honore, ex praesentatione, ex jure alimentorum. Sed alii haud immerito opponunt, ista emolumenta *remunerationis* titulo ab ecclesia patronis concessa esse, unde novum onus nullatenus possit fluere. Hinc alii *causative* patronos obligari ajunt, quatenus nempe jus patronatus retinere velint. Idque potissimum de majoribus reparationibus valet. Si enim ecclesia corruerit et patronus eam non reexstruat, sed alius, tum reexstruens acquirit jus patronatus; ergo patronus quod suum est praestare tenetur, si jus patronatus retinere velit. Sed idem quodammodo etiam de minoribus refectionibus dici potest, quia iis neglectis majorum necessitas emergere assolet. *Permaneder* l. c. p. 42. Consonat decisio s. C. C. d. 27. Jul. 1861. Scil. propositis dubiis I. An patrona (N. N.) teneatur restaurare ecclesiam parochialem oppidi (N.); et quatenus «negative»: II. An, a quo, et quomodo sit providendum restaurationi in casu; — responsum prodiit: Ad I. «Affirmative praefixo patronae termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso, esse locum amissionis juris patronatus. Ad II. In casu amissionis teneri populum et possidentes per aes et libram.» Acta II. 464. not. Prorsus idem decisum esse a s. C. ep. et reg. in Bononien 15. Jun. 1855, refert *De Angelis* h. t. p. 373.

[33]) Quod Conc. Trid. statuit circa ecclesiarum refectionem, s. C. C. d. 10. Junii 1595 et in cit. causa *Spoletana* (not. 23) declaravit etiam locum habere in refectione vel aedificatione domus parochialis. *Giraldi* Expos. juris pontificii p. 881. — *Zallinger* ad h. t. n. 478 excipit (sed forte immerito) «horrea aut stabula, quae ex emolumentis oeconomicis reparari debent.»

lariter coemeteria tanquam res sacrae (§ 205. 2) et partes ecclesiae *accessoriae* ad proprietatem ecclesiae spectant, ac propterea ipsorum instauratio ab iisdem fieri debet, quibus templorum refectio incumbit. *δ*. Idem *per se* et ex rei natura etiam de paramentis et s. utensilibus dicendum est, eoquod fabrica ecclesiae et praeparatio ornamentorum in jure parificantur.[34]) «Attamen patronatum, quem *scholae* dicunt, canones nesciunt. Ex eo igitur, quod parochiae quis patronus sit, juris titulus, quo eidem patronatus scholastici onera imponantur, derivari nequit.»[35]) Unde merito patronatus intuitu scholarum cum omnibus tum juribus tum oneribus eidem adnexis quatenus non alio quam *legis* titulo fundatur, legibus novissimis abrogatus est.[36])

paramenta etc.

§ 237. 2. Ex jure particulari.

1. Leges particulares generatim.

1. At leges modo expositae vix ullibi ex integro vigent; sed earum locum occupant vel consuetudines vel leges particulares a guberniis saecularibus decretae.[1]) Causae siquidem structuram

[34]) *Reiffenstuel* l. c. n. 26 ubi auctor carpit parochos, canonicos, beneficiatos, qui abundantibus provisi redditibus nil contribuere volunt pro paramentis illius ecclesiae pauperis, cui adscripti sunt. *Pignatelli* t. 6. consult. 15; *Ferraris* s. v. Capella. — Putant aliqui, quoad β. γ. δ. patronorum onus relevandum, aut omnino remittendum esse. *Kutschker*, die neue Kirchenbau-Concurrenzgesetzg. in Oesterreich in Archiv. t. 12. p. 108. seq. p. 127. Et hoc quidem quoad β. et δ. concedi deberet, si dos congrua pro iis, quae necessaria sunt ad cultum divinum, a patronis ab initio fuisset assignata. — Campanae pariter sunt pars rerum ad ecclesiam pertinentium: proin earum comparatio et conservatio iisdem plane regulis subest. — Idem de turrium horologiis dicendum est, si jure particulari praescribantur; nam nulla lege generali necessariae declarantur. *Schulte*, Lehrb. p. 524. 535.

[35]) Ita episcopi Austriaci a. 1856 Viennae congregati. Nr. 73.

[36]) Schulbau-Concurrenz-Gesetze 1863 für Kärnthen, Schlesien, Istrien, Mähren etc. Archiv. t. 13. p. 119. seq.

[1]) In regno *Borussico* pro varietate regionum variae vigent leges particulares et consuetudines, ut puta in dioecesibus Warmiensi, Wratislaviensi, Posnaniensi, in ducatu Guestphaliae etc.; ubi tales non sunt, leges (A. Preus. Landrecht) absque respectu ad praescriptiones ecclesiasticas statuunt, onus reparationum patrono una cum parochianis in supplementum ecclesiae peculii ferendum esse. Et quidem ruri patronus duas tertias, in civitatibus tertiam partem sumtuum dare tenetur. Sed ruri populus operas manuum et curruum numquam non praestare debet. Parochiani vero *omnes* obligantur, etiamsi exemti sint a vinculo parochiae; sed si duae parochiae sint conjunctae per unionem aeque principalem sua utrique dumtaxat ecclesia reparanda venit. Ceterum ecclesiarum refectio in regno *Borussico* in eo sensu est res ecclesiastica, ut tum reparatio ipsa tum contributiones ab Ordinario decerni et determinari debeant. Lites tamen partium apud judicem civilem agitantur. *Schulte*, Lehrb. p. 530. Res ad supellectile ecclesiae pertinentes, deficiente ecclesiae peculio, parochiani praeparare tenentur. Filialistae, qui proprio sacerdoti et aedituo providere debent, non adstringuntur succurrere ecclesiae parochiali. *Vering*, K.-R. p. 809. — In regno *Bavariae* in defectu ecclesiae concurrentes secundarii evocantur: patronus emolumenta ab ecclesia perci-

s. aedium concernentes, nec non onerum distributiones ubique pene gentium ad magistratus politicos pertinent, itemque controversiae inter concurrentes exortae apud judicem saecularem agitantur. Licet enim structura et conservatio templorum *per se* ad *res ecclesiasticas* pertineat, tamen gubernia civilia has causas ad suum forum trahendas esse putabant eo potissimum ducti motivo, quia sola potestas civilis concurrentes cogere valet, ut officio suo satisfaciant.

2. In imperio Austriaco.

2. Nostrum imperium quod attinet, ob mutata temporum adjuncta et signanter ob sic dicta dominia ex anno 1848 sublata, leges civiles in hoc capite in longe pluribus provinciis quidem reformari contigit, sed in quibusdam aliis statuum provincialium decreta imperatoris confirmationem non sunt consecuta. Idcirco hoc duplex, seu potius attenta Hungaria, triplex discrimen notandum est:

a) Provinciis Austriacis, quae nuperrime legem *provincialem* peculiarem circa construenda et reparanda aedificia ecclesiastica obtinuerunt,[2]) hae sanctiones sunt fere communes: 1. Expensas pro excitandis et conservandis aedibus sacris et beneficialibus, item pro comparandis paramentis, supellectili, (in lege Vorarlberg.

---

piens, decimatores (nunc fundis ex decimis redemtis constitutus). Patroni nihil ab ecclesia percipientes, indirecte tantum obstringuntur. Casu, quo secundarii vocantur, parochiani semper obligantur ad operas manuum et curruum praestandas. Si haec non sufficiant, supplicari poterit pro obtinendis fructibus superexstantibus aliarum fundationum. Quae autem his suppeditatis praeterea necessaria sunt, a parochianis sunt contribuenda. *Permaneder* § 511. *Diendorfer,* die Baupflichtfrage bei den organisirten Pfarreien in Baiern in *Vering,* Archiv. t. 47. p. 353 seq. — In regno *Württembergico* onus reparationum ab obligatis ad concurrendum pecunia redemtum est et ad gubernium transiit. — In regno *Saxoniae* sumtus, qui a superioribus ecclesiasticis ex aerario ecclesiae haud conceduntur ferendi sunt a parochianis. — In jure *Gallico* (decret. 30. Dec. 1809 chap. 4) deficiente peculio ecclesiastico onus reparationum ad communitatem civilem devolvitur (Cfr. legem *Borussicam* d. 14. Mart. 1880 [*Vering,* Archiv. t. 44. p. 186], qua quoad territorium borussicum situm trans Rhenum onus reparationum a civilibus communitatibus transfertur ad ecclesiasticas).

[2]) Hae sunt: *Carinthia* d. 28. Maj. 1863; *Vorarlberg* d. 25. Junii 1863 et 16. Mart. 1866; *Istria* d. 9. Jul. 1863 et 18. Oct. 1868; *Carniola* d. 20. Jul. 1863; *Silesia* d. 15. Nov. 1863 et 18. Jan. 1867 et 27. Sept. 1868; Comit. *Gorit.* et *Gradisc.* d. 29. Nov. 1863; *Moravia* d. 2. Apr. 1864; *Stiria* d. 28. Apr. 1864 et 23. Mart. 1866; *Gallicia* et *Cracov.* d. 15. Aug. 1866 et 2. Febr. 1867 (Archiv. t. 12. 13. 16. 19). — Provinciae vero *Austriae* et *inferioris* et *superioris, Bohemiae, Dalmatiae* et *Tirolis* legem novam provincialem non obtinuerunt et proinde in iisdem antiquae leges adhuc vigent, sive universales sive particulares. — Leges sic dictae concurrentiae immutatione indigere, jam a. 1849 animadverterunt Austriae episcopi, ipsumque gubernium animum intendit, ut tum antiquae leges particulares in unum colligerentur (vid. eas collectas in Archiv. t. 9. p. 70 seq.; p. 212 seq.; p. 370 seq.), tum nova lex universalis pro toto imperio rogaretur. (Archiv. t. 12. p. 98 seq. Sed leges ejusmodi condere relictum est statibus provinciarum, qui ex a. 1863 reapse in iis condendis desudarunt. Cfr. de hac materia *Mayrhofer,* Handbuch für d. polit. Verwaltungsdienst etc. Wien 1880, 1881. t. 2. p. 979 seq.

etiam *coemeteria* nominantur) nec non pro cultu divino necessarias *principaliter* ferre debent, qui ex fundatione, pacto, aliove juris titulo ad hoc obligantur. 2. His omnino aut ex parte deficientibus, proventus ecclesiae superexstantes, et in casu insufficientiae, etiam ecclesiarum filiarum, nisi obest peculiaris conventio, impendi debent. Quin et ex substantia peculii ecclesiarum (et quidem etiam filialium), si necesse fuerit, ea pars desumi poterit, quae ad specialem finem non est destinata, vel ceteroquin pro annuis expensis ferendis haud necessaria.[3]) 3. Intuitu aedium beneficialium ipse beneficiatus tum illas reparationes praestare tenetur, quae sive ipsius, sive ex domesticorum culpa vel negligentia sunt causatae, tum etiam omnes minores reparationes, quae generatim conductori aut usufructuario incumbunt. Ad ceteras vero reparationes contribuere debet, si salarium ejus annuum summam 500 fl. mon. Austr. excedat, et quidem partem sumtuum $^1/_{10}$, $^1/_9$, $^1/_8$, $^1/_7$, $^1/_6$, $^1/_5$, $^1/_4$, $^1/_3$, $^1/_2$ ferre debet, prout annui salarii superexstantia 100, 200, 300, 400, 500, 600, 700, 800, 900 florenos efficit. 4. Si praedicti (1—3) fontes non sufficiant, residuorum sumtuum partem *tertiam* (alibi V. vel VI.) *patronus* (quin juribus patronatus renuntiando patronatus oneribus se possit expedire) ferre tenetur, exclusis tamen impensis pro opera manuum et vectura requisitis.[4]) Neque ab hoc onere liberatur patronus acatholicus, si jus patron. sit *reale.*[5]) Econtra episcopus

---

[3]) Tum in Tiroli (decr. aul. 1800) tum in Vorarlberg. (d. 25. Jun. 1863) expresse statutum est, etiam peculium filiabus non necessarium oportere applicari pro reparatione ecclesiae matricis. Et hoc in ceteris quoque provinciis praescribitur. Juxta declar. minist. pro cultu d. 8. Febr. 1878 (in casu Tirolensi) ecclesia filialis ex eo non liberatur a contributione ad matricem, quod oggeratur, mox reparationes ipsius ecclesiae filialis necessarias esse futuras. — Si in proximo instet dismembratio filialis, erigendae in parochiam, juxta ordinat. minist. pro cultu d. 29. Nov. 1874 N. 16, 944 1. reparationes ecclesiae et domus parochialis. quantum fieri potest, omittendae sunt. 2. Si vero nequeant differri, pacifica conventio tentanda est inter partes, quarum interest. 3. Si hoc tentamen non prospere succedat, res decidi debet juxta § 20 legis d. 7. Maj. 1874, vi cujus dismembratio vel parochiarum nova limitatio tunc demum perfecta habetur, postquam auctoritas tum ecclesiastica tum civilis consensum legitime declaravit.

[4]) Supremum tribunal pro administr. in infra (not. 9) citanda decisione d. 11. Jun. 1881 principium enuntiavit, opera manuum et vecturae a solis parochianis esse praestanda, *excluso patrono,* si idem habeat bona immobilia in eadem communitate et *excluso parocho,* eoquod aequum non sit, quod idem subjectum *dupliciter* contributioni subjiciatur. — Immunitas praedicta ab hoc onere jam statuta fuit in decis. minist. pro cultu et Instr. d. 4. Mart. 1855 N. 2849, imo parochus jam decreto aul. d. 24. Jun. 1840 a praedicto onere immunis fuerat declaratus. (Corresp.-Bl. 1884. p. 333 N. 16.)

[5]) Ubi ecclesia e. gr. ob incrementum populi ampliatur, patronus plus contribuere non tenetur, quam praestare debuisset, si ecclesia patronata eo quem antea habuit ambitu reaedificanda esset. Edict. minister. 14. Oct. et 27. Sept. 1872. (Archiv. t. 29. p. 178.) — Hoc etiam expresse statuitur I.

ex titulo liberae collationis ad nihil tenetur. 5. Corporationes ecclesiasticae intuitu ecclesiarum, quae pleno jure ipsis sunt unitae, vel omnes omnino reparationum sumtus (ut in Carinthia et Gallicia), vel dimidiam earum partem, deductis tamen operis manuum et curruum (ut in Moravia et Stiria), in se suscipere tenentur.[6]) 6. Quodsi praedictorum omnium expensae pro reparatione non sufficiant, defectus a parochianis *catholicis* suppleri debent eodem plane modo, quo pecuniae pro communibus loci exigentiis

d. 7. Maj. 1874 § 32, ubi enuntiatur, onera patroni restringi ad ecclesiam parochialem, prout illa existit *in concreto* neque extendi ad casum, quo ob populum numerosiorem necessitas emergit ampliandi ecclesiam. Huic legi consona est decisio supr. tribun. pro administr. d. 11. Jun. 1881 (*Vering*, Archiv. t. 47. p. 291). Hoc principium enuntiarunt etiam episcopi Austriaci a. 1856, hoc declaravit Card. Rauscher lit. 12. Nov. 1872 ad Austriae gubernatorem datis, qui praeterea ad rem advertit, neque patrono, neque parochianis qua talibus onus gravius imponi debere, quam quod ante a. 1848 illis impositum erat (Archiv. t. 29. p. 291). — Vi juris *canonici* alii episcopo dicunt incumbere ampliationem ecclesiae, ita tamen, ut ad ecclesiae sic ampliatae reparationem obligentur ii, qui ad reparationem veteris ecclesiae tenebantur; alii onus ampliationis rejiciunt in eos, ad quos spectat necessitas reparationis. *Schmalzgrueber* III. tit. 48. n. 44.

[6]) Ratione obligationis, quae corporationibus (e. gr. conventibus) incumbit quo ad ecclesias *pleno jure* incorporatas, leges nostrae sibi non constant. Decretis aulicis pro Austria superiori d. 6. Mart. 1774 (cfr. Circulare d. 3. Jul. 1807), item pro Moravia d. 27. Jul. 1774, ac d. 1. Oct. 1784 emissis *(Kutschker,* in Archiv. t. 9. p. 92. 95; t. 12. p. 139) hisce corporationibus onus imponitur, ut titulo incorporationis *omnes* sumtus ferant. In decr. aul. d. 1. Oct. 1784 haec ratio affertur: Peculium ecclesiae incorporatae pertinere ad monasterium; sed hoc vicissim obligari ad omnes restaurationes tum ecclesiae tum domus parochialis (Archiv. t. 9. p. 92). Idem statuitur in Circulari 3. Jul. 1807 (l. c. p. 94). Decr. aul. 19. Jan. 1797 gubernio Tirolensi communicatum est, parochos habituales ceu veri nominis patronos considerandos esse, ac proin ad onera patroni subeunda teneri, nisi beneficio privari velint (Archiv. t. 12. p. 140). — Sed aliis decretis e. gr. aul. 29. Nov. 1796; 26. Jun. 1774 (pro Moravia et Silesia), decr. aul. d. 19. Jan. 1797 (pro Tiroli) patronis prorsus pares habentur, pariaque onera cum iisdem imponuntur. Hodie quantum ad provincias supra (not. 2) recensitas res decisa est — sed perfecto haudquaquam favore piorum corporum. Quoad ceteras autem provincias in praxi ea sententia jam praevalere videtur, vi cujus corporationes eccles. tanquam *patroni* ecclesiarum pleno jure sibi unitarum considerantur. In hoc sensu decidit supr. trib. pro adm. d. 6. Apr. 1883 («Vaterland» N. 109); sc. communitatem parochiae monasterio Göttweig plene unitam obligari operas manuum et vecturarum praestare ad reparandas aedes parochiales, asserens per Normale d. 27. Jul. 1805 priores leges concurrentiae sublatas esse. — Sed nec hoc veritati et aequitati convenit. Unice verum et aequum est, quod jus canonicum desuper constituit, scil. pia corpora vi juris canonici obligari in tantum, in quantum bona ex incorporata ecclesia percipiunt. Intuitu *patronatus* ad nihil tenentur, quia non sunt patroni, nisi ecclesia jam tempore incorporationis fuerit patronata. — Vi decreti aul. 5. Mart. 1783 N. 4880 Ordo Teutonicus propter rationes et circumstantias prorsus singulares quoad reparationes in parochiis huic ordini incorporatis non tenetur contribuere, nisi ut *simplex* patronus (Archiv. t. 9. p. 220).

necessariae congeri solent. Si parochia pluribus constet communitatibus civilibus, contributiones ad normam tributorum directorum inter singulas commnnitates distribuendae sunt, vel per modum conventionis inter ipsas ineundae, vel mediante consilio quinque deputatorum (Comité) ex iisdem communitatibus ad triennium eligendorum. Hoc consilium causas omnes pertractat, quae contributiones ad structuram necessarias concernunt, ita tamen, ut ab ejusdem decretis ad consilium deputatorum illius provinciae (Landes-Ausschuss) adpellari possit.[7]) 7. Ecclesiae filiales ac aedificia capellani vel expositi, nisi adsint, quibus onus reparationis ex speciali obligatione incumbit, ab incolis loci catholicis, in defectu peculii illis ecclesiis proprii, reparari debent, sic tamen, ut propterea ab onere etiam contribuendi pro ecclesia matrice nullatenus liberentur, nisi specialis obstet conventio.[8]) 8. Eaedem leges etiam obtinent quantum ad aedituorum habitationem; ubi tamen aedituis una est ludimagister, altera contributionis pars danda est ab iis, quibus obligatio incumbit domum pro schola destinata reparare.[9])

---

[7]) Cfr. *Mayrhofer* l. c. p. 990. Selecti ex communitate nomine parochianorum omni meliori modo commodis ecclesiae construendae prospicere, praeviam sumtuum computationem conficere, pecunias exigere ab obligatis ad contribuendum etc. tenentur. — Animadvertendum est, obligationem parochianorum concurrendi ad aedificia ecclesiastica nulla exstingui praescriptione (Dec. suprem. tribun. pro admin. d. 28. Maj. 1879 N. 991 ap. *Wolski* p. 51).

[8]) Quoad filiales leges antiquiores Austriacae sic destinxerunt: 1. filialistae independentes a parochia (e. gr. curatiae cum propria jurisdictione) ad nihil tenentur quoad reparationes in antiqua parochia faciendas; 2. filialistae a parochia dependentes sarta tecta propriae ecclesiae inopis soli ferre tenentur; quatenus vero ad templa aedesque parochiales concurrere debeant, leges pro tempore et regione varia statuerunt. Filialistae tunc ad contributiones obligati sunt, cum vel apud ecclesiam filialem residet capellanus dependens et *amovibilis*, vel eidem capellanus (cooperator) excurrendo providere solet. Ita sentit (cum canonistis Austriacis *Helfert*, K.-R. p. 675; *Pachmann* II. p. 505) suprem. tribunal pro admin. in sua decis. d. 30. Dec. 1880 (*Vering*, Archiv. t. 47. p. 283). Filialistas in hoc sensu ad contribuendum pro aedificiis reparandis teneri, declaratur in decretis aul. d. 20. Nov. 1786; 28. Oct. 1791; 9. Dec. 1785; 20. Maj. 1820; decis. cit. supremi tribun. d. 30. Dec. 1880 (*Vering*, Archiv. t. 9. p. 370 seq.). — Item variae sunt leges quoad suppeditandum supellectile ecclesiarum. In aliquibus provinciis sub hac ratione patronis nulla stricta obligatio est imposita (in Tiroli, in provincia littorali et Salisburg.), in aliis vero (in Austria et inferiori et superiori, in Stiria, Moravia, Silesia, Gallicia) aut ex observantia aut ex lege in subsidium reliquorum fontium necessaria praestare debent (Arch. l. c. p. 375). — Horologia turrium (ubi rei divinae regulandae inserviunt) considerari possunt sive ut partes aedificii integrales, sive ut pertinentia ad supellectilem. In priori casu leges concurrentiae veniunt adplicandae; in posteriori horologium adinstar reliquae supellectilis censeri debet. Edict. minist. 4. Jul. 1867 (Archiv. t. 24. p. 38).

[9]) In multis tamen rebus majoris minorisve momenti leges singularum provinciarum ab invicem differunt, propterea quod comitia uniuscujusque provinciae in iis statuendis locorum observantias et leges particulares, uti par erat, ob oculos habuerunt. Nominatim vero lex pro *Gallicia* haud pa-

b) In ceteris imperii provinciis occidentalibus, eoquod statuum provincialium sententiae cum gubernii caesarei propositionibus haud congruerent in unum, leges priores maximam partem adhuc vigent,[10])

rum in pluribus discrepat a rogatione legis per gubernium proposita. Cfr. Archiv. t. 19, p. 274 seq.

[10]) En, quid potissimum differant provinciarum leges: 1. In provincia *Austria inferioris* parochus vi decr. aulici 22. Maj. 1805 et Circul. gubernii Austr. inferioris 27. Jun. 1805 (pro hac solum provincia editi Arch. t. 9. p. 87 et p. 221) ad solas reparationes aedium parochialium in subsidium deficientis peculii ecclesiastici tenetur ex proventibus congruam excedentibus. Plura urbis Viennae templa parochialia ab iis refici debent, quibus hoc onus ex speciali titulo seu conventione incumbit, populo parochiano ab omni onere exemto. (Cfr. sententiam supremi tribunalis pro rebus administr. d. 11. Dec. 1880 Z. 2460 [*Vering,* Archiv. t. 47. p. 276 vel Wiener Dioec.-Bl. 1881 n. 3], qua deciditur, reparationem aedium parochialium non juxta cit. Normale 27. Jun. 1805 sed juxta conventionem particularem, si talis alicubi vigeat, fieri oportere.) — 2. In *Austria superiori* caesareae leges non ante annum 1782 vigere coeperunt, ita, ut ibidem peculiaria quaedam statuta sint. Sub. d. 3. Jul. 1807 pro hac provincia Circulare prodiit, quo normae quaedam generales statuuntur; quoad structuram aedium parochialium ibi viget Normale d. 21. Apr. 1807. Nempe aedes parochiales apud antiquiores parochias, nisi agatur de reparatione extraordinaria, deficiente peculio eccles., ab ipso parocho et in ipsius subsidium a patrono et a communitate sunt reficiendae; verum apud parochias recentiores et capellanias locales sumtus ad normam consuetae concurrentiae determinari oportet (Archiv. l. c. p. 93). Monasteria autem ecclesias sibi incorporatas ex integro restaurare debent. — 3. In regno *Bohemiae* leges anteriores (Archiv. l. c. p. 79. seq.) per edictum ministeriale d. 10. Jun. 1849 (l. c. p. 16. p. 126) sunt suspensae, leges vero a statibus provincialibus (a. 1863) conclusae regimini caesareo haud sunt probatae (Cfr. l. c. p. 118 seq. et Dr. *Borowy* Kirchenbau-Concurrenz etc. in Böhmen ibid. p. 139; supr. trib. pro admin. d. 16. Febr. 1882 Archiv. t. 47. p. 460). — 4. In *Dalmatia* vi decreti gubernii gallici 30. Dec. 1809 ecclesiae ex fabricae peculio atque a parochianis (sublato jure patronatus) sunt reficiendae, subsidium ferentibus confraternitatibus et fundo religionis. Instaurationes domus parochialis minores ipse parochus facere tenetur, majores fiunt a parochianis. — 5. Pro *provincia Tirolensi* in decreto cancell. aul. d. 15. Sept. 1800 haec statuuntur: a) *Ecclesiae* principaliter ex suis reditibus superfluis sunt reparandae, et quidem ex his solis, si sufficiant. Attamen ad aedes parochiales reficiendas peculium ecclesiae etiam superfluum, adplicari nequit. (Hoc denuo decr. aul. 21. Maj. 1805 et 3. Aug. 1820 confirmatum est. Archiv. t. 9. p. 232). b) Deficiente ecclesia, si patronum habeat, onera sic distribuuntur: Operas manuales vecturasque parochiani praestare tenentur. Reliquorum sumtuum duas partes pariter dant parochiani, tertiam vero partem patronus ferre tenetur, qui juxta eandem proportionem etiam ad aedes parochiales concurrere debet. Primo loco peculium superfluum tum ecclesiae tum filiarum applicari debet, ita, ut si proventus superexstantes sufficiant, reliqui a contributione liberentur (Decr. aul. 13. Apr. 1826; Arch. t. 9. p. 231). Lex obligans parochos, ut *domus* suas ex superfluis congruae cum aliis concurrentibus instaurent, in nostra provincia haud viget (ex decimis vero et censibus ex fundo provenientibus (Grundzinsen) more ceterorum contribuere obligati sunt). c) Intuitu ecclesiarum, quae neque patronum, neque peculium superfluum habent, leges nostrae nihil decernunt; ipsae proin opera parochianorum et ex piis collectis sunt reficiendae. Quoad *filiales* in decr. cancell. aul. d. 31. Maj. 1827

praeterquam in archidioecesi Salisburgensi,[11]) in qua haec res ab Ordinariatu a. 1861 composita est. Sed tum leges antiquiores tum leges provinciales latae ab a. 1863—1868 (not. 2) eatenus tantum vigore suo pollent, quatenus cum lege nova d. 7. Maj. 1874 concordant. In quantum discordant, iisdem per eam derogatum esse censeri debet ex § 57, ubi leges concurrentiae hactenus vigentes nonnisi *salvis praecedentibus* determinationibus validae esse declarantur.[12])

---

et d. 8. Jan. 1841 (*Moy,* Archiv. t. 9. p. 372) distinctio fit inter filiales per se stantes et dependentes a matrice. Soli filialistae posterioris generis obligantur ad contribuendum pro matrice. Quoad aedificia parochi et cooperatoris omnes parochiani tum ad haec tum ad illa aedificanda adstringuntur. (*Moy* l. c. p. 372.) d) Ad paramenta et utensilia ecclesiae contribuere patroni non tenentur. Resol. suprema d. 30. Jul. 1842 (quae ad quasdam alias etiam provincias fuit extensa) et d. 11. Jul. 1846. Archiv. t. 9. p. 379. 380 c. Cfr. acta in comitiis Tirolensibus a. 1863. Archiv. t. 13. p. 137; a. 1865 et 1866. t. 16. 271 seq.

[11]) Nimirum pro decanatibus extra Tirolim sitis aerarium peculiare pro ferendis reparationum sumtibus constitutum est, quod ex annuis ecclesiarum, capellarum, beneficiorum etc. reditibus superexstantibus sustentatur. Ex hoc fundo dantur sumtus pro aedificandis et reficiendis ecclesiis domibusque parochialibus, quatenus in loco respectivo media non adsint, vel non sufficiant, minime vero etiam pro comparandis utensilibus et paramentis. Neque ecclesiae filiales non curatae ex hoc aerario quidquam percipiunt. Expensae annuae ab hoc fundo ferendae summam circ. 11,000 fl. exaequant.

[12]) Ex dicto principio haec sequuntur: 1. Nunc, quoties in lege sermo est de obligatione respectiva *communitatis,* non amplius intelligitur communitas *civilis* sed intelliguntur soli *parochiani catholici* (§ 35. l. d. 7. Maj. 1874) exclusis omnibus aliis cultibus. — 2. Et quidem intelliguntur soli catholici in loco degentes (eo quod hi soli sint parochiani), non vero *forenses,* seu bona immobilia in illo loco possidentes, ubi agitur de ejusmodi structura. Sic repetitis vicibus declaravit supr. tribun. pro administr. e. gr. d. 11. Jun. 1881 (*Vering,* Archiv. t. 47. p. 291) ubi neque possessor bonorum immobilium in aliena parochia, neque eorum conductores, pariter extra locum commorantes, ad onus reparationis ferendum adstringebantur, ex eo quod *parochiani* non essent. Atque ita decisum est eo non obstante, quod communitas parochialis in sensu § 35 nondum est formaliter constituta, sed vi § 37 remanet constituenda. Eadem sententia lata est d. 19. Maj. 1881 (Archiv. t. 47. p. 294). Idem decisum in quadam controversia, mota in Moravia, et quidem *contra* tenorem recentis legis concurrentiae pro Moravia d. 2. Apr. 1864 constitutae (N. freie Presse, Oct. 1879). — 3. Si communitas civilis plures parochias in se complectitur (prout est in magnis urbibus) tunc non *omnes,* sed solummodo *parochiani respectivi* obligantur ad sumtus ferendos pro reparanda ecclesia sua (Dec. supr. tribun. pro adm. d. 28. Jun. 1879 Archiv. t. 43. p. 216). Vice versa si parochia comprehendit plures communitates civiles, contributio singulorum *catholicorum* pro rata tributorum, quae (ut ajunt) *directe* aerario debentur, computanda est. — Peculiaria quaedam quoad *coemetria* sunt notanda. Scilicet: Juxta leges antiquiores *coemetria* (Cfr. supra § 205) erant ecclesiarum *accessoria,* unde generatim leges consuetae concurrentiae ad coemeteria applicabantur, adjecta tamen determinatione, conservationem ac reparationem coemeterii illi incumbere, qui percipit obventiones stolares pro locis sepulturae. Quodsi ab ecclesia percipiantur, nec peculium ecclesiae sufficiat pro reparatione, tum intuitu hujus reparationis eaedem prorsus normae valent, quae pro reparandis aedificiis ecclesiasticis generatim sunt

c) In regno *Hungariae* terrisque ei adnexis ecclesiarum parochialium constructio primo his ipsis, in defectu vero peculii, patrono incumbit, qui etiam aedes pro parochi habitatione destinatas resarcire tenetur, si annuum salarium parochi 500 florenos non excedat. Si vero hanc summam excedat, parochus quoque ad suam domum reparandam contribuere tenetur. In casu incendii soli patrono sine parochi concursu reaedificatio incumbit. Aedificia vero ad oeconomiam pertinentia parochus, ultra congruam (500 fl.) dotatus, parochianis operas manuales et currules praestantibus (a quo onere isti nunquam liberantur) conservare et reficere

---

statutae (*Ginzel,* K.-R. II. p. 639) vi decr. cancell. aul. 23. Maj. 1834. Cfr. *Rieder* I. 298. — Vi alleg. decreti communitas tunc solum juxta usum legalem obligari potest, ubi ecclesia taxas pro sepulchris non percipit. Vi legislationis modernae ac praesertim vi legis d. 30. Apr. 1870 (§ 3. lit. d) tum quaestio de opportunitate erigendi coemeterium, tum erectio ipsa ac onus erectionis pertinet ad communitatem (civilem), suprema vero invigilantia spectat ad administrationem status. Si ex causis *sanitatis publicae* erigi debeat coemeterium *communitas civilis* hoc aggredi tenetur, sumtusque ad hoc necessarii, nisi tertius aliquis ex contractu vel alio titulo ad eos ferendos obstringatur, suppeditandi sunt ex pecuniis communitatis. Etiamsi vero dictis legibus erectio coemeterii ceu res *communalis* declaratur, tamen coemeteria *confessionalia* erigi non prohibentur. Sed tamen coemeterii confessionalis erectio decerni et in effectum deduci oportet ab iis, qui per leges concurrentiae ad reparationem aedium ecclesiasticarum tenentur. Minister pro cultu edicto d. 22. Maj. 1874 declaravit, coemeteria confessionalia, lege d. 30. Apr. 1870 non obstante, considerari oportere ceu accessoria ecclesiae et legibus consuetis concurrentiae esse obnoxia. Consonat decis. suprem. trib. pro admin. 30. Sept. 1885 N. 2477. (Juxta eandem decis. ad ampliandum coemeterium confessionale personae juridicae e. g. societates viae ferreae contribuere non tenentur *Budwinski* p. 504). Non tamen (prout hoc secum fert genius legislationis modernae) benedictio coemeterio impertita illud efficere potest, ut coemeterium ex hominum commercio subducatur, aut judex civilis causas controversas quoad coemeteria dirimere impediatur. — Coemeteria confessionalia *ampliari* debent per communitatem parochialem; quodsi vero haec ampliationem non praestet, communitas civilis ejus defectum supplere tenetur in casu, quod ratio sanitatis ampliationem postulet. Liberum est omnibus catholicis in coemeterio catholico suae parochiae sepeliri, si praeterea adsit coemeterium communale. Vi decreti aul. 23. Maj. 1834 (*Rieder* I. 298) etiam *patroni* ad reparanda coemeteria confessionalia obligati esse videntur; sed res non est omnino extra dubium (Archiv. t. 12. p. 113). In Tiroli tamen a gubernio ad coemeteria quoque contributiones fiunt, quoties fundo publico e. g. religionis competit jus patronatus. *Mayrhofer* t. 2. p. 371. In Bohemia coemeteria hodiedum habentur pro confessionalibus ib. not. 2. — Sepulchra gentilitia nonnisi cum venia instantiae politicae erigi possunt l. c. p. 375. Vid. ib. de religiosorum sepultura. — Coemeterium benedictum nonnisi pluribus annis (post ultimam hominis sepulturam) elapsis, auctoritate ecclesiastica interveniente, ad usus profanos (nunquam tamen in usum sordidum) applicari potest. Vi legis politicae supra allegatae (d. 30. Apr. 1870) procul dubio ad communitatem politicam spectat judicare, quando coemeterium ex rationibus *sanitatis publicae* tradi possit viventium usui. Corresp.-Bl. n. 21. 1883 p. 302. Coemeterium posse ab episcopo [Trid. Sess. 21. c. 7. de ref.] profanari censuit s. C. 8. Aug. 1515. *Nicolis* V. 39. n. 255. Decreto aul. d. 24. Jan. 1785 quoad coemeterii profanationem cautum est, exhumationem universalem cadaverum non esse permissam, nisi post annos decem praeterlapsos; item ante hoc tempus aedificia erigi non licere; sed tamen confestim coemeterium posse converti in hortum, agrum aut pratum l. c. p. 374.

debet; si vero istam congruam non habeat, haec obligatio vel ad patronum, vel ex consuetudine ad parochianos spectat.[13])

3. Vi leg. d. 7. Maj. 1874 § 57 competentia harum causarum est penes instantias administrativas, ad quas spectat, si fundus publicus contribuere debet, *ex officio,* secus vero ad instantiam partium, necessaria praesertim quoad sumtus praeparare. Hunc in finem semper praevia pertractatio eorum praecedere debet, qui ad contribuendum obligati sunt. Iis omnibus vocatis, disserendum erit, de necessitate structurae, de sumtibus ad eam requisitis; porro conspiratio partium amicabilis procurari debet ad onera per singulos dispertienda. Resultatum pertractationis, primo oretenus instituendae, deinde in scriptis redactum mittitur Ordinario, cujus est structuram adprobare, nec non ad gubernium, praesertim ubi agitur de ecclesiis patronatus publici.[14]) Si lis inter partes quoad onus obligationis oriatur, dirimi debet per *instantias politicas,* quoties litigatur, utrum quis ex titulo appertinentiae ad communitatem parochialem ad contribuendum teneatur nec ne. Ubi vero agitur de titulo aliquo speciali e. gr. de conventione vel pacto,[15]) tunc lis per *instantias judiciales* dirimenda est. Selecti vero ex communitate supra dicti (Bau-Comité) nec non summi provinciae deputati (Landes-Ausschuss) tunc rem decidunt, ubi litigatur, quomodo summa contributionis, jam legitime determinata, inter membra communitatis sit dispertienda.[16]) — Nemini licet proprio arbitratu constructionem aliquam aut reparationem inchoare. Qui hoc fecerit, suo periculo suisque mediis opus perficere tenetur, etiamsi evidens sit constructionis necessitas.[17]) Nec licet in constructione summam sumtuum praevie concessam vel minimum excedere, sed majoris summae indigentia statim instantiae significari debet.[18]) — Denique in contractu cum constructore ecclesiae ineundo paciscendum est,[19]) eundem pecuniam oppignoratam amisurum esse, nisi tempore condicto opus ad finem perduxerit.

---

[13]) Vid. artic. 71. leges Hungaricae d. a. 1723 § 1 (*Moy,* Archiv. t. 12. p. 109; decr. aul. cancell. Hungar. d. 4. Nov. 1808 et d. 23. Dec. 1808. — Vi leg. d. 1787 parochias concernentis possidentes *dominia* in vicem fundi religionis omnis generis expensas in finem curae animarum necessarias fere tenebantur. Sed post *dominiorum* abolitionem hoc onus sublatum fuit (supr. resol. d. 11. Aug. 1860. Archiv. l. c. p. 140). Cfr. etiam Statutum normale ministri Hungarici pro cultu quantum ad onera patronatus, quae incumbunt bonis fundationum publicarum administrationi praedicti ministri subjectis in *Vering,* Archiv. t. 43. p. 102.

[14]) Cfr. Instr. Ordin. Gurcen. Archiv. t. 12. p. 305 et 455.

[15]) Supr. trib. pro administr. 12. Mart. 1879 (Archiv: t. 43. p. 208).

[16]) *Mayrhofer* l. c. p. 993.

[17]) Supr. trib. pro administr. 14. Jun. 1879 (*Vering,* Archiv. t. 43. p. 211).

[18]) Ordin. gubernii Tirol. 4. Nov. 1825. Prov. G. S. t. 12. p. 773 et 18. Jan. 1830. t. 17. p. 331; 17. Apr. 1875.

[19]) Ordin. gub. pro Austr. infer. 18. Sept. 1880 (Archiv. t. 47. p. 88).

APPENDIX

CONTINENS

DOCUMENTA NOTATU DIGNISSIMA.

I.

CONCORDATUM AUSTRIACUM.

CONVENTIO

inter Sanctitatem Suam Pium IX. Summum Pontificem et Majestatem Suam Caesareo-Regiam Apostolicam Franciscum Josephum I. Imperatorem Austriae.

(Cui subscriptum Viennae die 18. Aug. 1855, ratificationes mutuo traditae ibidem die 25. Sept. 1856.)

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX. et Majestas Sua Caesareo-Regia Apostolica Franciscus Josephus I. Austriae Imperator, concordibus effecturi studiis, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae Imperio conservetur et augescat, de Ecclesiae catholicae statu in eodem Imperio solemnem conventionem inire decreverunt.

Quapropter Sanctissimus Pater in Plenipotentiarium Suum nominavit: Eminentissimum Dominum Michaëlem Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Viale-Prelà, ejusdem Sanctitatis Suae et Sanctae Sedis apud praefatam Apostolicam Majestatem Pro-Nuntium, et Majestas Sua, Imperator Austriae, Celsissimum Dominum Josephum Othmarum de Rauscher, Principem Archiepiscopum Viennensem, Solio Pontificio Adsistentem, Caesarei Austriaci Ordinis Leopoldini Praelatum et magnae Crucis Equitem, nec non ejusdem Majestatis Caesareae a consiliis intimis.

Qui post plenipotentiae ipsis collatae instrumenta mutuo sibi tradita atque recognita de sequentibus convenerunt:

Art. I. Religio catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio et singulis, quibus constituitur ditionibus, sarta tecta conservabitur semper cum iis juribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

Art. II. Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris quam jurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam jure divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.

Art. III. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii cum Clero et populo dioecesano pro munere officii pastoralis libere communicabunt, libere item suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt.

Art. IV. Archiepiscopis et episcopis id quoque omne exercere liberum erit, quod pro regimine Dioecesium sive ex declaratione sive ex dispositione sacrorum Canonum juxta praesentem et a Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac praesertim:

a) Vicarios, Consiliaros et adjutores administrationis suae constituere ecclesiasticos, quoscunque ad praedicta officia idoneos judicaverint.
b) Ad statutum clericalem assumere et ad sacros ordines secundum Canones promovere, quos necessarios aut utiles Dioecesibus suis judicaverint, et e contrario, quos indignos censuerint, a susceptione ordinum arcere.
c) Beneficia minora erigere atque collatis cum Caesarea Majestate consiliis praesertim pro convenienti redituum assignatione, Parochias instituere, dividere vel unire.
d) Praescribere preces publicas, aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut status populive postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicere, funera aliasque omnes sacras functiones servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus moderari.
e) Convocare et celebrare ad sacrorum Canonum normam Concilia provincialia et Synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare.

Art. V. Omnis juventutis catholicae institutio in cunctis scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae Religionis catholicae; Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus institutionis locis et publicis et privatis atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae Religioni, morumque honestati adversetur.

Art. VI. Nemo sacram Theologiam, disciplinam catecheticam vel Religionis doctrinam in quocunque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missionem tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano, cujus eandem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem theologicae facultatis professorum quidam ab Episcopo ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum doctoris Theologiae vel sacrorum Canonum

adspirant, dimidiam partem examinantium Episcopus dioecesanus ex doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.

Art. VII. In gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis pro juventute catholica destinatis nonnisi viri catholici in professores seu magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam instructionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De religionis magistris pro publicis gymnasiis mediisque scholis deputandis firma manebunt, quae hac de re salubriter constita sunt.

Art. VIII. Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas Sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni religiosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum ecclesiasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. In ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

Art. IX. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros, Religioni morumque honestati perniciosos censura perstringant et fideles ab eorundem lectione avertant. Sed et Gubernium, ne ejusmodi libri in Imperio divulgentur, quovis opportuno remedio cavebit.

Art. X. Quum causae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones nec non officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet judex ecclesiasticus, qui perinde de causis quoque matrimonialibus juxta sacros Canones et Tridentina cumprimis decreta judicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad judicem saecularem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica judicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis, quae idem Concilium Tridentinum et Apostolicae Litterae, quarum initium: «Auctorem fidei» constituunt.

Art. XI. Sacrorum Antistitibus liberum erit, in Clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes aut quomodocunque reprehensione dignos poenas a sacris Canonibus statutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes judicaverint, infligere eosque in monasteriis, Seminariis aut domibus ad id destinandis custodire. Iidem nullatenus impedientur, quominus censuris animadvertant in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum et Canonum transgressores.

Art. XII. De jure patronatus judex ecclesiasticus cognoscet; consentit tamen Sancta Sedes, ut quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia judicare possint de successione quoad

eundem patronatum, seu controversiae ipsae inter veros et suppositos patronos agantur seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut Clericorum causas mere civiles, prout contractuum, debitorum, haereditatum judices saeculares cognoscant et definiant.

Art. XIV. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Imperii legibus animadvertuntur, ad judicem laicum deferantur; cui tamen incumbet, Episcopum ea de re absque mora certiorem reddere. Praeterea in reo deprehendendo et detinendo ii adhibebuntur modi, quos reverentia status clericalis exigit. Quodsi in ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, Episcopo nunquam non acta judiciaria communicabuntur, et condemnatum audiendi facultas fiet, in quantum necessarium sit, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem Antistite petente praestabitur, si minor poena decreta fuerit. Clerici carceris poenam semper in locis a saecularibus separatis luent. Quodsi autem ex delicto vel transgressione condemnati fuerint, in monasterio vel alia ecclesiastica domo recludentur.

In hujus articuli dispositione minime comprehendentur causae majores, de quibus Sacrum concilium Tridentinum sess. XXIV. c. 5. de reform. decrevit. Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Caesarea, si opus fuerit, providebunt.

Art. XV. Ut honoretur Domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea, quae justitia exigit, fieri sinant.

Art. XVI. Augustissimus Imperator non patietur, ut Ecclesia catholica ejusque fides, liturgia, institutiones sive verbis, sive factis, sive scriptis contemnantur aut Ecclesiarum Antistites vel Ministri in exercendo munere suo pro custodienda praesertim fidei ac morum doctrina et disciplina Ecclesiae impediantur. Insuper efficax, si opus fuerit, auxilium praestabit, ut sententiae ab Episcopis in Clericos officiorum oblitos latae executioni demandentur. Desiderans praeterea, ut debitus juxta divina mandata sacris Ministris honor servetur, non sinet quidquam fieri, quod dedecus eisdem afferre, aut eos in contemptum adducere possit, imo vero mandabit, ut omnes Imperii Sui Magistratus et ipsis Archiepiscopis seu Episcopis et Clero quacunque occasione reverentiam atque honorem eorum dignitati debitum exhibeant.

Art. XVII. Seminaria episcopalia conservabuntur, et ubi dotatio eorum haud plene sufficiat fini, cui ad mentem sacri Concilii Tridentini inservire debent, ipsi augendae congruo modo providebitur. Praesules dioecesani eadem juxta sacrorum Canonum normam pleno et libero jure gubernabunt et administrabunt. Igitur praedictorum Seminariorum rectores et professores seu magi-

stros nominabunt, et quotiescunque necessarium aut utile ab ipsis censebitur, removebunt. Adolescentes et pueros in iis efformandos recipient, prout Dioecesibus suis expedire in Domino judicaverint. Qui studiis in Seminariis hisce vacaverint, ad scholas alius cujuscunque instituti praevio idoneitatis examine admitti nec non servatis servandis pro qualibet extra Seminarium cathedra concurrere poterunt.

Art. XVIII. Sancta Sedes, proprio utens jure, novas Dioeceses eriget ac novas earundem peraget circumscriptiones, cum id spirituale fidelium bonum postulaverit. Verumtamen quando id contigerit, cum Gubernio Imperiali consilia conferet.

Majestas Sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus suis ad Ipsam devoluti a Sancta Sede canonice instituendos praesentat seu nominat, imposterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium consilio utetur.

Art. XX. Metropolitae ac Episcopi, antequam Ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, coram Caesarea Majestate fidelitatis juramentum emittent sequentibus verbis expressum: «Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Caesareo-Regiae Apostolicae Majestati et Successoribus Suis; juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum nullique consilio interfuturum, quod tranquillitati publicae noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra Imperii limites conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum.»

Art. XXI. In cunctis Imperii partibus Archiepiscopis, Episcopis et viris ecclesiasticis omnibus liberum erit, de his, quae mortis tempore relicturi sint, disponere juxta sacros Canones, quorum praescriptiones et a legitimis eorum haeredibus ab intestato successuris diligenter observandae erunt. Utroque tamen in casu excipientur Antistitum dioecesanorum ornamenta et vestes pontificales, quae omnia veluti mensae episcopali propria erunt habenda et ideo ad Successores Antistites transibunt. Hoc idem observabitur quoad libros, ubi usu receptum est.

Art. XXII. In omnibus Metropolitanis seu Archiepiscopalibus suffraganeisque Ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad caeteras dignitates et praebendas canonicales Majestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime adquisito subjacent. In praedictarum Ecclesiarum Canonicos non assumentur, nisi sacerdotes, qui et dotes habeant a Canonibus generaliter praescriptas et in cura animarum aut in negotiis ecclesiasticis seu in disciplinis sacris tradendis cum laude versati fuerint. Sublata insuper erit natalium nobilium sive nobilitatis titulorum necessitas, salvis tamen conditionibus, quas in fundatione adjectas

esse constet. Laudabilis vero consuetudo, Canonicatus publico indicto concursu conferendi, ubi viget, diligenter conservabitur.

Art. XXIII. In Ecclesiis Metropolitanis et Episcopalibus, ubi desint, tum Canonicus Ponitentiarius tum Theologalis, in Collegiatis vero Theologalis Canonicus juxta modum a sacro Tridentino concilio praescriptum (sess. V. c. 1. et sess. XXIV. c. 8. de reform.), ut primum fieri potuerit, constituentur, Episcopis praefatas praebendas secundum ejusdem Concilii sanctiones et Pontificia respective decreta conferentibus.

Art. XXIV. Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu et servatis Concilii Tridentini praescriptionibus. Pro parochiis ecclesiastici patronatus praesentabunt patroni unum ex tribus, quos Episcopus enuntiata superius forma proposuerit.

Art. XXV. Sanctitas Sua, ut singularis benevolentiae testimonium Apostolicae Francisci Josephi Imperatoris et Regis Majestati praebeat, Eidem atque catholicis Ejus in Imperio Successoribus indultum concedit, nominandi ad omnes Canonicatus et Parochias, quae juri patronatus ex fundo Religionis seu studiorum derivanti subsunt, ita tamen, ut seligat unum ex tribus, quos publico concursu habito Episcopus ceteris digniores judicaverit.

Art. XXVI. Parochiis, quae congruam pro temporum et locorum ratione sufficientem non habeant, dos, quam primum fieri poterit, augebitur et parochis catholicis ritus orientalis eodem ac latini modo consuletur. Ceterum praedicta non respiciunt Ecclesias parochiales juris patronatus sive ecclesiastici sive laicalis, canonice adquisiti, quarum onus respectivis patronis incumbet. Quodsi patroni obligationibus eis a lege ecclesiastica impositis haud plene satisfaciant, et praesertim, quando parocho dos ex fundo Religionis constituta sit, attentis pro rerum statu attendendis providendum erit.

Art. XXVII. Cum jus in bona ecclesiastica ex canonica institutione derivet, omnes, qui ad beneficia quaecunque vel majora vel minora nominati seu praesentati fuerint, bonorum temporalium eisdem annexorum administrationem nonnisi virtute canonicae institutionis assumere poterunt. Praeterea in possessione Ecclesiarum cathedralium, bonorumque annexorum, quae in canonicis sanctionibus et praesertim in Pontificali et Ceremoniali Romano praescripta sunt adcurate observabuntur, quocunque usu sive consuetudine in contrarium sublata.

Art. XXVIII. Regulares, qui secundum Ordinis sui constitutiones subjecti sunt Superioribus Generalibus penes Apostolicam Sedem residentibus, ab iisdem regentur ad praefatarum constitutionum normam, salva tamen Episcoporum auctoritate juxta canonum et Tridentini praecipue Concilii sanctiones. Igitur praedicti Superiores Generales cum subditis cunctis in rebus ad ministerium ipsis incumbens spectantibus libere communicabunt, libere quoque visitationem in eosdem exercebunt. Porro regulares absque impedimento respectivi Ordinis, Instituti seu Congregationis regulas

observabunt, et juxta Sanctae Sedis praescriptiones candidatos ad novitiatum et ad professionem religiosam admittent. Haec omnia pariter observabuntur quoad moniales in iis, quae ipsas respiciunt.

Archiepiscopis et Episcopis liberum erit, in propriis Dioecesibus Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus juxta sacros canones constituere; communicabunt tamen ea de re cum Gubernio Imperiali consilia.

Art. XXIX. Ecclesia jure suo pollebit, novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones ejusque proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino episcopis tributis.

Art. XXX. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum Canones spectat. Attentis autem subsidiis, quae Augustissimus Imperator ad Ecclesiarum necessitatibus providendum ex publico aerario benigne praestat et praestabit, eadem bona vendi vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea aut iis, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint.

Art. XXXI. Bona, quae fundos, uti appellant, Religionis et studiorum constituunt, ex eorum origine ad Ecclesiae proprietatem spectant et nomine Ecclesiae administrabuntur, Episcopis inspectionem ipsis debitam exercentibus juxta formam, de qua Sancta Sedes cum Majestate Sua Caesarea conveniet. Reditus fundi Religionis, donec collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis fundus ipse dividatur in stabiles et ecclesiasticas dotationes, erunt erogandi in divinum cultum, in ecclesiarum aedificia et in Seminaria et in ea omnia, quae ecclesiasticum respiciunt ministerium. Ad supplenda, quae desunt, Majestas Sua eodem, quo hucusque, modo imposterum quoque gratiose succurret: immo si temporum ratio permittat, et ampliora subministraturus est subsidia. Pari modo reditus fundi studiorum unice impendentur in catholicam institutionem et juxta piam fundatorum mentem.

Art. XXXII. Fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum fuit, inferentur fundo Religionis, eique Majestas Sua Caesarea proprio motu assignat quoque Episcopatuum et Abbatiarum saecularium per Hungariam et ditiones quondam annexas vacantium reditus, quos Ejusdem in Hungariae regno Praedecessores per longam saeculorum seriem tranquille possederunt. In illis Imperii provinciis, ubi fundus Religionis haud extat, pro quavis Dioecesi instituentur commissiones mixtae, quae juxta formam et regulam, de quibus Sanctitas Sua cum Caesarea Majestate conveniet, tam mensae episcopalis quam beneficiorum omnium bona vacationis tempore administrabunt.

Art. XXXIII. Cum durante praeteritarum vicissitudinum tempore plerisque in locis Austriacae ditionis ecclesiasticae decimae civili lege de medio sublatae fuerint, et attentis peculiaribus circumstantiis fieri non possit, ut earundem praestatio in toto Imperio restituatur, instante Majestate Sua et intuitu tranquillitatis publicae, quae Religionis vel maxime interest, Sanctitas Sua permittit ac statuit, ut salvo jure exigendi decimas, ubi de facto existit, aliis in locis earumdem decimarum loco seu compensationis titulo ab imperiali Gubernio assignentur dotes seu in bonis fundisque stabilibus, seu super Imperii debito fundatae iisque omnibus et singulis tribuantur, qui jure exigendi decimas potiebantur; itemque Majestas Sua declarat, dotes ipsas habendas omnino esse, prout assignatae fuerint, titulo oneroso et eodem ac decimae, quibus succedunt, jure percipiendas tenendasque esse.

Art. XXXIV. Cetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur juxta Ecclesiae doctrinam et ejus vigentem disciplinam a Sancta Sede adprobatam.

Art. XXXV. Per solemnem hanc Conventionem leges, ordinationes et decreta quovis modo et forma in Imperio Austriaco et singulis, quibus constituitur ditionibus, hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur, ipsaque Conventio ut lex Status deinceps eisdem in ditionibus perpetuo vigebit. Atque idcirco utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Majestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. XXXVI. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet intra duorum mensium spatium a die hisce articulis apposita aut citius, si fieri potest.

In quorum fidem praedicti Plenipotentarii huic Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignaverunt.

Datum Viennae die decima octava Augusti anno reparatae Salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

Mich. Card. Viale-Prelà m. p.

(L. S.)

Joseph. Othmar. de Rauscher m. p.
Archiepiscopus Viennensis.

(L. S.)

II.

Litterae a Celsissimo et Reverendissimo Principe Archiepiscopo Viennensi qua Majestatis Suae Caesareae Plenipotentiario ad Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Mich. S. R. E. Cardinalem Viale-Prelà qua Sanctissimi Plenipotentiarium datae.

Eminentissime ac Reverendissime Domine!
Domine Colendissime!

Ecclesia catholica nunquam non est arca, ad quam confugiunt omnes qui salvi fiunt in vitam aeternam; nostris autem temporibus Dominus mundum, promissionum Christi oblitum clarissimis argumentis edocuit, temporalis quoque vitae bonis pessimam imminere ruinam, nisi Ecclesiae salutaris influxus societatis civilis fundamenta confirmet. Vicissim tempestates, quibus agitati sumus, haud obscure innuerunt, quanti pro Ecclesia Dei momenti sit, ut potestas civilis effrenem cupidinum licentiam manu forti compescat; quippe nostro aevo Ecclesiae res est cum factione, quae non tantum fidem divinitus infusam, sed etiam naturalem religionis sensum funditus evertere conatur, freta commentis prava arte ita adornatis, ut animum, quae sua sunt, quaerentem vehementer commoveant.

Ubi perversitatis praeconibus liberum est, ad populos fascinandos cuncta componere, nunquam deerunt, qui sana ratione frustra reclamante in magistrorum verba jurent, atque renovabitur abominatio desolationis, quae ante aliquot annos in ipso loco sancto, Principis scilicet Apostolorum sede, stare coepit.

His ita compositis magis quam unquam exoptandum est, ut Imperium cum sacerdotio ad tuendum Dei in terris regnum fideliter conspiret. Augustissimus vero Austriae Imperator avita pietate ductus nihil sanctius habuit, quam ut concordiam sacrae atque civilis potestatis in latissimis ditionibus sceptro Ejus subjectis intemeratam inconcussamque stabiliret. Regnator omnium Deus incrementum benigne dedit eis, quae ad Ipsius sanctificandum nomen suscepta sunt, et conventum est de articulis, quos tam a Sanctissimo Patre, quam a Majestate sua ratos esse habendos, addubitari vix potest. Quum autem in tantae molis gravitatisque opere nonnulla supersint, quae meminisse juvet, Augustissimus Imperator mihi in mandatis dedit, ut, quae sequuntur, Eminentiae Vestrae Reverendissimae communicem.

I. Majestati Suae cordi omnino est, ut in studiorum Universitatibus fides floreat et pietas. Multifaria, quam scientia humana parit, utilitas praesertim ex saeculo XVIII. multifariis erroribus quasi nubibus obducta est, quae ut veritatis luce dissipentur, ipsius societatis humanae quam maxime interest. Tantae rei in studiis generalibus ordinandis diligentissime rationem habere Majestati Suae propositum est. Multa sunt, quae suadeant, ut sacrorum Antistites in Universitatibus Archicancellarii seu Cancellarii

partes agant; quatenus difficultates obstent, in facultatem tamen theologicam secluso Cancellarii, ubi adest, officio peculiarem influxum exercebunt.

II. Ad examinandos laureae theologicae sive juris canonici candidatos per Austriam nullo non tempore viri catholici exclusive sunt adhibiti, sed et adhibebuntur.

III. Quodsi expediat, ut Episcopis nonnullis laureas theologicas conferendi facultas auctoritate apostolica tribuatur, Augustissimus facile consentiet; communicatis tamen inter Sanctam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis negotium pertractetur.

IV. Liberum erit Episcopis, studiorum Universitatem catholicam sub eorum dependentia constitutam fundare. Quum autem necesse est, quoad res politicas et jura civilia ejusmodi instituto assignanda cautiones pro rerum et locorum varietate adhibere, consilia cum Gubernio Caesareo praevie conferenda erunt.

V. Antequam professor facultatis juridicae ad jus canonicum tradendum deputatus constituatur, Episcopi dioecesani de ejus fide et doctrina sententia expetetur.

VI. Universitas Pestinensis originem debet fundationi ecclesiasticae, quae Maria Theresia Augusta regnante bonis ecclesiasticis adaucta est. Nihilominus ex saeculi praeteriti fine rarissimis quibusdam casibus accidit, ut viri acatholici ad scientias profanas in Universitate praedicta tradendas admitterentur. Augustissimus vero Imperator aequum esse agnoscit, ut in ejusdem professores catholici tantum assumantur, quin tamen derogare intendat juribus virorum ab ecclesia catholica alienorum, qui ad docendi munus deputati jam fuerint.

VII. Theologiae studentes, quodsi ab Episcopo in seminarii sui alumnos suscepti vel vestem religiosam induti sint, nec non monasteriorum ab Ecclesia approbatorum novitii in cunctis Imperii partibus a servitiis militaribus praestandis immunes erunt.

VIII. Secundum leges in Austria vigentes pro gymnasiis mediisque scholis a potestate civili institutis religionis magistri ita seliguntur, ut Episcopus dioecesanus concursum habeat, et quem dignissimum censeat, Gubernio adjectis concursus actis significet: qui et de regula ad magisterium vacans deputatur. Quando sub peculiaribus rerum adjunctis eum declinari contigerit, nunquam non vir nominatur, quem Episcopus ad munus obeundum habilem enuntiaverit.

IX. In reprimendis libris religioni morumque honestati perniciosis communis est Ecclesiae civitatisque causa et Augustissimus imperator nihil itentatum relinquet, ut, quantum fieri possit, ab Imperio excludantur. Curabit igitur, ut ad scriptorum licentiam refrenandam leges, quarum districtae cautiones non desunt, debito vigore executioni mandentur et desideriorum, quae sacrorum Antistites hoc de negotio exposuerint, ratio diligentissime habeatur. Multa tamen pro re nata cautione opus est, ne pejora contingant. In plerisque Europae partibus classes animi cultioris et scientiae

laude gloriantes morbo intimo laborant, quem medici prudentis adinstar tractare oportet. Annum usque 1848 in Austria exercebatur censura praeventiva et quidem rigore plena. Conquerebantur, qui liberales se haberi amabant, quod patrocinium a Gubernio Ecclesiae catholicae exhibitum omnes justi et aequi tramites excederet. Revera autem censura, qualis tunc obtinebat, malo praeveniendo vel reprimendo impar plane erat. Nimis late patent Austriae fines et innumerae praesto sunt artes, quibus inspectio a politia exercita eludatur. Igitur bibliopolis nunquam deerat copia libros prohibitos invehendi, et quo gravius essent interdicti, eo avidius quaerebantur et perlegebantur, et majori pretio divendebantur ita, ut tali mercimonio operam dantes mulctas, quibus deprehensi punirentur, facile praestare possent et exultarent exterarum partium librarii, quando opus eorum sumtibus editum in Austria proscriberetur. Non eadem tamen in cunctis Imperii partibus rerum conditio est. In ditionibus Venetis et Longobardicis facilius est, perversos libros excludere, quam in Germanicis, quibus tot principum protestantium dominia vicina sunt, vel in Hungaria et Transsylvania, ubi tantus habetur incolarum acatholicorum numerus. Praeterea in Italia multa, quae in Germania taedium jamjam pariunt, utpote innumeris vicibus repetita, nova adhuc sunt et majorem seducendi vim exserunt.

X. Quando ecclesiasticus vir a judice saeculari in jus vocetur propter crimen seu delictum ad religionem pertinens, quod poenalibus Imperii legibus animadvertitur, Majestas Sua difficultatem non facit, ut a tribunali civili primae instantiae, antequam ad sententiam ferendam procedat, Episcopo acta exhibeantur et ipse reum audiat, omniaque peragat, quae ad causam juxta canones cognoscendam requiruntur. Postquam Episcopus in foro suo sententiam tulerit, eandem communicabit judici saeculari, qui subinde de legis civilis violatione legis civilis ad normam judicabit.

XI. Caeterum articuli XIV. de clericorum causis dispositiones eos respiciunt, qui a judiciis ordinariis condemnati fuerint; exceptiones occurrant necesse est, ubi de crimine agatur, in quod ad tempus extraordinarius procedendi modus, quem «Standrecht» (judicium instantaneum) vocant, statutus est. Insuper Majestas Sua exspectat, fore ut Episcopi ad custodiendum virum ecclesiasticum, qui a judice civili de delicto vel transgressione condemnatus fuerit, domum ecclesiasticam seligant, quae Gubernio haud displiceat. In quantum ad ecclesiasticam aliquam domum custodiendi remitti possint, qui criminis rei judicati fuerint, pendebit a casus natura et gratia Imperatoris.

XII. In provincia, quae sub limitum militarium nomine venit, peculiaris plane res administrandi modus statutus est; quippe unus idemque et militum praefectus et judex et magistratus civilis. Igitur judices ordinarii, ad quos clericorum causae civiles per ordinationem d. d. 7. Augusti 1852 remissae fuerant, militiam simul regunt. Quum autem in pluribus limitum militarium partibus

acatholici frequentissimi habitent, non contingere non potest, ut hi magistratus aliquando viri ab Ecclesia catholica alieni sint. Quapropter Majestas Sua clero catholico ab ordinariis districtuum singulorum judicibus exemto Zagabriae, ubi rerum civilium et militarium per Croatiam et Slavoniam gubernator residet, forum speciale delegatum constituit. Pari modo in ceteris quoque limitum militarium partibus providebitur.

XIII. Quum Majestas Sua desideret, ut disciplinae ecclesiasticae vigor conservetur, paratum semper se exhibuit et exhibebit, ad executioni mandandas sententias ab Episcopis in clericos eis subditos latas brachii saecularis auxilium praestare. Exspectat autem fore, ut Episcopi brachium saeculare imploraturi congruas afferant dilucidationes, si quas ab ipsis peti contigerit, quo quidem eveniente casu Augustissimus consilio utetur commissionis sub Episcopi cujusdam praesidio ex sacrorum Antistitibus seu aliis viris ecclesiasticis compositae.

XIV. Leges Austriacae qua regulam statuunt, ut testes, quorum domicilium a sede judicii inquisitionem peragentis ultra duo milliaria distat, coram judice districtus, in quo habitant, testimonium ferant. Praeterea et legum tenori et Majestatis Suae voluntati plane consentaneum est, ut in expetendis testimoniis sacerdotum, quantum rei natura sinat, caveatur, ne persolvendis muneris sacri officiis impedimenta ponantur. Quodsi accidat, ut judex quidam indiscretius agat, Episcopi Augustissimum adeant, qui curabit, ut negotium secundum Ipsius voluntatem et legis ad mentem pertractetur.

XV. Quum anno 1849 militum in domibus collocandorum cura communitatibus politicis concrederetur, non infrequenter accidit, ut parochis, qui neque ampliori habitatione neque reditibus congruam superantibus fruerentur, milites in sua recipiendi necessitas imponeretur. Quantum hoc ab aequitate alienum sit, Episcopi plus una vice exposuerunt et medelam afferri Imperatoris voluntas est, cumque hoc ipso tempore de reformando toto militum collocandi negotio agatur, jussit, ut in dispositionibus condendis clero debito modo provideatur.

XVI. Quoad ratas habendas personas ad beneficia ecclesiastica promovendas Majestas Sua intendit, cuncta in eo, quo nunc sunt, statu relinquere, et sperat, nunquam futurum, quod necessitatem inferat, ejusmodi cautionem amplius, quam hucusque factum sit, adhibendi.

XVII. Summi per Austriam Imperantes jure patronatus coronae vel fundorum publicorum nomine exercendo constanter ita usi sunt, ut curae animarum efficacius gerendae benevolam curam haberent, et Majestas Sua, quae de hac re ab Antecessoribus Ejus constituta sunt, pro pietate et sapientia Sua proprio motu confirmavit. Voluntas ejus est, ut haec eadem imposterum quoque salva conventione articulo XXVI. inita firma maneant; quippe desiderat, ut ad parochialem animarum curam optimus quisque

deputetur; et probe scit, quanti in seligendis sacerdotibus ceteris dignioribus Antistitis dioecesani judicium faciendum sit.

XVIII. Si forsan eveniat, ut corporatio quaedam ecclesiastica legitima supprimitur, beneficia, ad quae praesentaverat, liberae collationi episcopali reddentur, id quantum id canonum sanctiones praescribunt.

XIX. Majestas Sua nullo modo obstacula ponere intendit, quin Confraternitates sive Sodalitates, quales Ecclesia probat et commendat, constituantur et pietatis operibus unitis viribus incumbant. Attamen praecavendum est periculum, ne sodalitatum piarum titulo molitiones obtegantur in civitatis sed et Ecclesiae perniciem vertentes. Itaque cautiones quasdam adhibere necesse est; magni tamen Episcopi dioecesani de Sodalitate quadam constituenda judicium fiet.

XX. Archiepiscopi et Episcopi minime impediuntur, quin in institutis piis ea, quae religionem et vitae Christianae integritatem attinent, vi muneris pastoralis eis proprii dirigant. Quantum vero Majestas Sua exoptet, ut in omnibus quibuscunque institutis cuncta recte ac pie componantur, ex eo patet, quod etiam, qui carceris poenam luunt, novissime magnam partem congregationum religiosarum curae demandati fuerint.

Ceterum mihi concessum sit, denuo exponere sensus summae venerationis, quacum permaneo

Eminentiae vestrae Reverendissimae

Viennae, die 18. Augusti 1855.

humillimus et obsequentissimus servus
Archiepiscopus Viennensis.

III.

Facultates a s. Poenitentiaria pro foro interno episcopis concedi solitae.[1])

SS. DD. nostri Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Vobis Ven. in Christo Patri Episcopo ad Quinquennium duraturas infra scriptas communicamus facultates, quibus, non obstante Constit. *Apostol. Sedis, pro Foro Conscientiae* per Vos, sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, *etiam extra Sacramentalem*

---

[1]) Hae facultates hodie pariter ad quinquennium concedi solent. — Facultatibus pro foro conscientiae concessis uti non potest episcopus pro foro externo et vice versa facultates pro foro externo obtentas nequit exercere pro foro interno, nec etiam tunc, quando impedimentum e. g. consanguinitatis, publicae honestatis ex accidenti aliis est occultum. In tali casu episcopus vel dispensabit vi acceptae potestatis pro foro externo, vel dispensare non poterit. *Feije* de imped. et disp. matr. n. 624.

Confessionem pro Grege Vobis commisso, et intra fines Vestrae Dioecesis tantum,[2]) atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostol. Auctoritate Vobis delegata, uti valeatis; easque Canonico Poenitentiario, necnon Vicariis Foraneis pro foro pariter Conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Vobis placuerit: aliis vero Confessariis cum ad vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

I. Absolvendi ab Excommunicatione ob manus violentas injectas in Clericos, aut Presbyteros, vel in Regulares, dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio, seu letale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo Casus ad Forum externum deducti non fuerunt, injunctis injungendis, et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis, in Casibus dumtaxat ad Forum Ordinarii non deductis: injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscunque Poenitentes sive Viros, sive Mulieres (exceptis Haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis Sententiis, Censuris, et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob Infidelitatem, et Catholicae Fidei abjurationem private admissas, Sortilegia, ac Maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob Daemonis invocationem cum pacto donandi Animam, eique praestitam Idololatriam, ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa Dogmata incursis, postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat, prout de jure, denuntiaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo fieri poterit; et postquam in singulis Casibus coram Absolvente haereses secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto Daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem Absolventi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis,

---

[2]) Haec phrasis significat: 1) eppum indulto utentem eo momento non debere intra dioecesim esse; 2) illius vero, cum quo directe dispensatur existentiam intra dioecesim requiri (*Feije* l. c. n. 629 p. 547 ed. 3; s. Off. 2. Maj. 1877). Consonat *Zitelli* qui (de dispens. matrimonialibus p. 51. IX.) haec habet: «Si in indulto contrarium non exprimatur, uti eo poterit episcopus etiam extra dioecesim existens, et licet subditus, quem dispensat extra illam sit. Si vero addatur ut in formula 1ª s. C. de Prop. Fide «nec illis uti possit extra suae dioecesis fines» (cfr. num. 22. form. seq.), episcopus exercere tantummodo illas poterit erga suos subditos, qui tempore, quo dispensandi sunt, in propria dioecesi commorantur, quamvis ipse extra eam degat. C. s. Offic. 19. Jan. 1881.»

ad omnia comburenda, seu destruenda; injuncta pro modo excessuum gravi Poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem Clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad Forum Externum deducti, cum congrua Poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris, et poenis Ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem Clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant: injuncta gravi Poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et Conventum, seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a Censuris ob retentionem, et lectionem Librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari. nec non firma obligatione tradendi prout de jure, sive per se, sive per alium absque ulla mora, et quantum fieri poterit ante absolutionem, libros prohibitos, quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus; injuncta poenitentia, et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutorum non excedunt, aliqua eleemosyna Absolventis judicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de Bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de Bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi intra terminum Absolventis arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos, vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus et Censuris in sua Religione reservatis, dummodo Religiosi legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem extra proprium Ordinem.

VIII. Dispensandi ad petendum debitum Conjugale cum Transgressore Voti Castitatis, qui Matrimonium cum dicto Voto contraxerit: hujusmodi Poenitentem monendo, ipsum ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito, seu Uxori respective supervixerit.

IX. Dispensandi cum Incestuoso, sive Incestuosa, ad petendum debitum Conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea, vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae Uxoris, seu respective Mariti: remota occasione peccandi: et injuncta gravi poenitentia salutari, et Con-

fessione Sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

X. Dispensandi super occulto[3]) Impedimento primi, necnon primi, et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnalis copula provenientis, quando agatur de Matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: et quatenus agatur de copula cum suae putatae Uxoris Matre,[4]) dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione Consensus cum sua putata Uxore, aut suo putato Marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius Poenitentis delictum nusquam detegatur:[5]) et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas: remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item. Dispensandi super dicto occulto Impedimento, seu Impedimentis Affinitatis ex Copula illicita etiam in Matrimoniis contrahendis,[6]) quando tamen omnia parata sint ad Nuptias, nec Matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravi scandali differri queat; remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum Matre Mulieris hujus nativitatem non antecedat; Injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XI. Dispensandi super occulto Criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de Matrimonio jam contracto: monitis putatis Conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione: ac injuncta gravi Poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

XII. Dispensandi super Impedimento Tertii, seu Tertii et Quarti, vel Quarti simplicis Gradus, sive Graduum Consanguinitatis, vel Affinitatis, super quo, seu quibus obtenta fuerit Dispensatio ab Apostolica Sede, et in Litteris hujusmodi Dispensationis reticita fuerit incestuosa copula,[7]) quae tamen occulta remaneat. Ac etiam dispensandi, seu revalidandi ejusmodi literas irritas, ac nullas redditas ex Incestu, sive post petitam Dispensationem, sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem, patrato, ac iterato usque ad eamdem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto: monitis in Matrimonio contracto putatis Conjugibus de necessaria

---

[3]) Cfr. dicta p. 629 et not. 2.

[4]) Haec conditio addi solet, «ut caveatur periculum, ne quis propriam filiam in matrimonium ducat. At satis impleta conditio censeri potest, si copula cum matre eo tempore praecesserit, ut illud periculum prorsus absit.» *Ballerini* p. 573. not. (a).

[5]) Cfr. supra p. 660. not. 13.

[6]) Etiam si in tali casu affinitas *multiplex* sit — ex decl. s. Poent. 30. Jul. 1873 (*Vering* Archiv. t. 31. p. 381. 382). — [7]) Cfr. supra p. 631,

mutui Consensus secreta renovatione; injuncta in singulis casibus congrua Poenitentia salutari.

XIII. (alias VII.) Absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis eos, qui Sectis vetitis, Massonicis, aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt,[8]) aut favorem praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abjurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus Absolventis tradant ad Ordinarium quamqrimum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis: nec non absolvendi eos, qui ejusmodi Sectarum duces et magistros occultos [9]) denunciare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis vel aliis, ad quos spectat, prout de jure denunciandi.

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 2. Dec. 1884.

IV.

Facultates,[1]) quae a s. Congregatione de Propaganda Fide episcopis remotioribus ad quinquennium[2]) concedi solent.

1. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscunque etiam ecclesiasticos, tam saeculares, quam regulares,

[8]) Cfr. Const. Clement. XII. «In eminenti» a. 1738; Bened. XIV. «Providas» a. 1751; Pii VII. «Ecclesiam» a. 1821; Leon. XII. «Quo graviora» 1825; Gregor XVI. 1832; Pii IX. Encycl. 7. Nov. 1846; Alloc. 25. Sept. 1865; Decret. s. Inquis. 13. Jul. 1865. His ultimis duobus documentis declaratur, societates occultas, de quibus in Pontificiis Constit. sermo est, eas *omnes* intelligi, quae adversus ecclesiam vel gubernium seu palam seu clandestine machinentur. Id quod etiam in nuperrima Pii IX. Const. «Apost. Sedes» exprimitur, ubi excommunicatio Papae reservata in eos statuitur, qui hujusmodi sectis nomen dant, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando. Acta I. 278. 290. Drei Fragen in Betreff der Freimaurer. Archiv. t. 13. p. 445. seq. Novissime Leo XIII. Const. edidit d. 20. April. 1884 «Humanum genus». Subsecuta est Instructio s. C. Inquis. d. 10. Maj. 1885, cujus haec est summa: 1. Pastores distinguere oportet sectas in sensu proprio *massonicas* et sub excommun. censura prohibitas ab aliis sub gravi peccato vitandas. 2. Eosdem praeter consuetum concionandi genus abhinc etiam *apologeticum* sc. frequenter defendendo veritates catholicas adhibere oportere. 3. Promoveant praesertim confoederationes et uniones juvenum, patrum et matrum familias ac praecipue pauperes artifices et operarios arcere studeant a laqueis sectae massonicae. 4. Congressus seu conventus publici lectissimorum hominum (Katholiken-Versammlungen) frequenter habeantur. 5. Commendantur *precum et operum* societates. 5. Studia episcoporum ad haec omnia perficienda excitantur.

[9]) Non tamen est obligatio denuntiandi 1. ob metum cadentem in constantem virum, cum probabili periculo mortis, infamiae, gravis damni etc. 2. Quanto nulla est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur. — *Ballerini* not. (a) ad num. 975. t. II.

[1]) Vid. facultates quinquennales pro episcopis Americanis *Archiv.* t. 7. p. 301; de facult. vicarii Apost. militiarum Austr. apud *Ginzel* K.-R. t. 1. Cod. 14; cfr. *Feje* p. 526. not. 1.

[2]) Initium quinquennii computandum a die *receptionis*, non a die datae s. C. de Prop. Fid. 22. Jan. 1759 (*Zitelli* de disp. matr. p. 48. not. 1.)

non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint; nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem, illuc reversi, in haeresim fuerint relapsi, et hoc in foro conscientiae tantum.[3])

2. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis sacerdotibus sive laicis, quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupui, Volney, M. Reghelini, Pigault, le Brun, De Potter, Bontham, J. A. Dulaure, Fétes, et Courtisanes de la Grece, Novelle di Casti, et aliis operibus de obscoenis, et contra Religionem ex professo tractantibus.

3. Dispensandi in 3. et 4. simplici, et mixto non tantum[4]) cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus et divitibus in contrahendis et in contractis[5]): cum haereticis vero conversis, etiam in 2. simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem, et levatum.

7. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 3. 4. 5. et 6. non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse, illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.[6])

---

[3]) Animadvertas, quod quemadmodum haereticus est vel publicus vel occultus, ita si de illo agatur necesse est, ut in danda illi reconciliatione ritus adhibeatur, qui in Rom. Pontificali praescribitur, quique aliquam prae se fert publicitatem; si vero de alio sermo fiat, seu de occulto, reconciliatio in foro sacramentali modo consueto dari debet facta tamen mentione de Apostolica Auctoritate. S. Congr. de Prop. 4. Sept. 1858. *Moy,* Archiv. V. 470. — Vid. supra p. 182. not. 3.

[4]) Congr. s. Officii d. 25. Junii 1670 declaravit, facultates, quae conceduntur per formulam s. Congr. de Prop. fide «dispensandi in 3. 4. simplici et mixto tantum debere intelligi de 3. et 4. simplici, videlicet ab uno stipite futuris sponsis communi, ac insuper de 3. et 4. mixto ex altero stipite, cum quarto, nullatenus autem cum secundo. *Kutschker,* Eher. V. p. 43. Sed in casibus urgentibus, tum super praedicto gradu consanguinitatis, tum etiam in secundo simplici consanguinitatis et affinitatis gradu Nuntius Apostolicus Viennensis dispensare potest l. c. 45. — De usu hujus facult. cfr. *Feje* n. 630.

[5]) Juxta hanc interpunctionem authenticam facultas ista refertur etiam ad matrimonia jam *contracta.* Quod secus erat priori tempore cfr. edit. 5. p. XX. not. 3.

[6]) Ordinarius facultate extraordinaria instructus dispensandi super impedimento mixtae religionis, concurrente alio impedimento (scil. uno ex supra n. 3—6 incl. positis), super quo pariter dispensandi veniam accepit, non

8. Dispensandi in irregularitatibuus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera exceptis votis Castitatis et Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo in Bulla «Apostolica Sedis» diei 12. Octobris 1869 Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi.[7])

11. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio, et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab episcopo benedicta, et in casu necessitatis etiam aqua non benedicta ab episcopo.

12. Conferendi ordines extra tempora, et non servatis interstitiis usque ad sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super defectu aetatis unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint.

14. Conficiendi olea cum quinque saltem sacerdotibus, non tamen extra diem coenae Domini, nisi necessitas aliud urgeat.

---

potest conjunctim hisce facultatibus uti, nisi specialiter id a Sede Apost. concessum ipsi sit. Decr. s. Inquis, d. 12. Sept. 1866. Archiv. t. 17. p. 175 seq. — Item de 16. Junii 1868 Card. Praef. Barnabo episcopo Moguntino ad quaestionem: «Utrum vigore facultatum, quae S. Sedis mediante s. Congr. de Prop. fide episcopis Germaniae ad quinquennium concedere solet, etiam tunc dispensari possit cum nupturientibus siquidem, duo vel plura simul concurrunt impedimenta canonica, super quibus singulis, separatim tamen spectatis, dispensandi facultas ibidem explicite tribuitur?» — sic respondit (quamvis non decisive, nam Cardinalis verbis utitur: «sequenti ratione reponi posse videtur):» «Attentis declarationibus s. Inquisitionis tribunalis perspectum est, facultates concessas dispensandi supra singula impedimenta extendi non posse ad casum, quo haec eadem impedimenta simul concurrant, et cumulentur.» Archiv. t. 21. p. 172. — Haec tamen hodie tum solum valent, cum impedimenta cumulata *generice* sunt diversa; aliter tenendum si sint ejusdem *speciei* e. g. si multiplex occurrat consanguinitas. Nam cum vicarius generalis episcopi s. Ludovici a s. C. Inquis. quaesiisset, utrum episcopus vi quinquennalium (sc. n. 3) cum consanguineis etiam dispensare possit, cum ex multiplici stipite (intra gradus in concessione expressos) conjuncti sunt, eadem s. C. *Affirmative* d. 15. Jun. 1875 respondit (*Vering*, Archiv. 36. p. 184). Etsi haec responsio directe pro eppis Americanis tantum sit data, procul dubio, quia solummodo est legis *interpretativa*, etiam pro nobis est applicabilis et revera ab Ordinariatibus applicari solet e. g. a Monacen. Colonien. et Viennen., prout folia dioecesana testantur. — In praedicta responsione s. C. Inquis. etiam edixit, validas esse dispensationes ita dictas *informes* e. g. si tenor facultatis a s. Sede delegatae, vel tempus *ad quod* expressa non sint, vel si telegraphice paucis verbis, vel oretenus tantum concessae sint. Edixit nempe, clausulam quidem de raptu de valore exprimendam esse, ceteras vero clausulas servandas quidem esse ad amussim, sed quantum rerum, temporum, locorumque adjuncta ferre possint. — Hoc ex eo confirmatur, quod verba n. 7. finaliter ante hac apposita: *alias nullae sint* nuperrime omitti soleant (Archiv. t. 38. p. 126 seq.).

[7]) Cfr. Decret. s. C. Inquis. d. 17. Jun. 1866; Acta II. 673. accedit absolutio a peccato falsae denuntiationis de sollicitatione (Acta s. Sedis II. 673).

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus, et excommunicatis, si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne praedicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis in die aliter, quam ex gravissimis causis,[8]) et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiae injungitur, ut paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae, ac zeli, et qui absolute necessarii sint, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet, aut respective causas approbet.[9])

---

[8]) S. C. C. d. 22. Febr. 1862 ceu normas prae oculis habendas in concedenda facultate missam iterandi indicavit Constitutionem Bened. XIV. «Declarasti nobis» et c. 5. et 6. operis «de Sacrif. Missae» ejusdem Pontificis Cfr. Acta. I. 7. 50.

[9]) Quibusdam dubiis ab episcopo Brixinensi propositis (Brixn. Dioec.-Blatt 1858 p. 55. 56.) s. Congr. de Prop. fide inter alia respondit: Adjecta conditio «si aliter celebrari non possit» afficit non quidem missae iteratam celebrationem, aut quod in ea servandum est jejunii non fragendi causa, sed modum, quo sacrum celebrari debet, adeo ut nisi urgeat necessitas, et aliter fieri non possit, factis dispensationibus celebrandi scilicet sine ministro, sub dio etc, Tibi uti non liceat.

Praeterea non ea est earundem facultatum extensio, qua Ampl. Tua quibusvis sacerdotibus etiamsi aegrotis valeat permittere, ut in privatis aedibus super altari portatili sacrum faciant. S. Congr. de Prop. Fide 30. Junii 1858. Adjecta fuit Instructio Cong. Ss. Rituum de die 11. Martii 1858 quoad usum Calicis, dum Missa in die iterato celebratur, seq. tenoris:

Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat: «Quod ore sumpsimus etc.» et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens «Corpus tuum» et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta palla cooperiat, ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, ac completo ultimo Evangelio rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat, an aliquid divini sanguinis nec ne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae quae circum sunt undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumtus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et super existentibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet. Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem liberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum Purificatorio linteo abstergat ac demum cooperiat uti alias fit, et ab Altari decedat. Depositis s. vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem dimittatur, vel

16. Deferendi sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis, aut infidelibus sit periculum sacrilegii.

17. Induendi se vestibus saecularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in ipsis permanere non poterunt.

18. Recitandi rosarium, vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

19. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum, et de quadragesimae.

20. Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec sedes apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit per delegatos, aut per unum ex iis, alio modo provideat.[10])

21. Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et ad quinquennium tantum concessae intelligantur.

22. Utendi iisdem facultatibus in locis tantum Dioecesis N.[11])

---

gossipio aut stupa absorpta comburatur vel in Sacrario, si sit, exsicanda relinquatur, vel demittatur in piscinam. Cum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit. De quibus omnibus facta postmodum Ss. Dmn. Nr. Pio IX. per subscriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas sua resolutionem S. C. cum adnexa Instructione adprobare dignata est.

[10]) Proposito dubio, utrum Vicarius Generalis easdem facultates ab Episcopo communicatas cum potestate subdelegandi obtineat, et quatenus negative, ut detur extensio facultatis s. Congr. de Prop. 4. Sept. 1858 rescripsit: Beatissimus Pater *permisit,* ut eaedem facultates Vicariis Generalibus communicari possint cum facultate subdelegandi per eos alios Sacerdotes praesertim animarum curam habentes, ea tamen sub lege, ut facultate subdelegandi non utantur intra peripheriam viginti leucarum a Residentia Episcopali, et nisi paucis sacerdotibus, iisque maturioris prudentiae et zeli, et qui absolute necessarii sint. *Moy,* Archiv. V. 471. Ista *permissio* est nova concessio, quae in ipsa facultate (n. 20) non continetur (*Feje* l. c. p. 514). — Eos, quibus communicatae sunt facultates ab episcopo dum viveret, non posse uti post mortem episcopi, nisi durante quinquennio jam inchoato et de consensu expresso vel tacito Vicarii generalis s. C. de Prop. Fide 22. Jan. 1759 (*Zitelli* l. c. p. 48).

[11]) Proposita quaestione, quaenam sit relatio mutua inter facultates impressas Episcopis concedi solitas tam a s. Poenitentiaria quam a S. Congr. de Prop. Fide responsum fuit: Illud Tibi significandum habeo, quod nimirum cum a Ss. Domino nostro dentur facultates sive per S. Congr. de Prop. Fide, sive per S. Poenitentiariam, cumque Ipse attentis locorum, personarum et temporum adjunctis eas ampliores vel arctiores concedat, neutra ex Congregationibus facultates per alteram datas coarctare dicenda est, nisi expresse id in rescripto cautum sit. *Moy* V. p. 471.

V.

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae IX. Constitutio qua ecclesiasticae censurae latae sententiae liminitantur. Pius Episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coërcendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscunque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae Sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Omnes a Christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.[1])

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obediendia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium juridictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.[2])

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum Tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones[3]): item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

---

[1]) Juvat quasdam adnotationes ad loca difficiliora hujus Constitutionis adjungere, quas tamen non ex proprio ingenio, sed ex publicis dumtaxat documentis et factis depromimus; qua in re in usum nostrum convertimus animadversiones in Ephemerid. «Acta» t. 5. p. 289 seq. contentas. — Hoc articulo cessant omnes reliquae censurae (praeterquam heic memoratae), ob lectionem librorum, qui in indicem sunt relati, inflictae. Quare ceterorum hujusmodi librorum lectio, etsi culpa gravi non vacet, tamen censuram non attrahit. Item excommunicati sunt, sed tamen excommunicatione nulli reservata, qui imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes sine venia Ordinarii. Cfr. Conc. Trid. Sess. IV. de editione et usu sacrorum librorum (supra § 150. not. 17).

[2]) Intelliguntur hoc articulo, qui declinata ecclesiastica potestate causam judicandam deferunt tribunali laico, et ab hoc (juxta textum Bullae Coenae) «prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis aut delegatis (judicibus) decerni, et contra illos exequi *procurant.*» Haec vox innuere videtur, non opus esse, ut ejusmodi mandata seu inhibitiones reapse obtineantur, sed sufficere (uti etiam praxis ss. Congregationum docet), ut quis studeat obtinere. Acta I. p. 567.

[3]) Per verba, «praeter canonicas dispositiones» allusio fit ad Concordata guberniorum cum Apost. Sede, quae in vigore permanent Acta V. p. 290.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.[4])

9. Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.[5])

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum, pertinentes.[6])

12. Invadentes, destruentes, per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.[7])

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen

---

[4]) E. gr. si curia episcopalis imploraret auctoritatem laicam praetextu legum civilium, ne resolutio aliqua Sedis Apost. executioni mandetur; hoc enim perinde esset, ac jus appellationum ad Sedem Apost. denegare. Acta IV. p. 147 in adnotatione.

[5]) Cfr. supra p. 758. not. 40.; item instructionem S. Inquisitionis Acta III. 499 seq. Illum etiam confessarium subjici excommunicationi, qui complicem in peccato turpi absolvere *fingit,* sed reipsa non absolvit, declaravit s. Poenitentiaria 1. Mart. 1878 (Linz. Quartal-Schrift 1885 p. 461).

[6]) Cujus rei exemplum publicum habemus in iis, quae in Italia per gubernium patrantur. (Cfr. Allocut. d. 20. Sept. 1867 «Acta» III. 113.) — De connexione censurae hujus cum simili, quae a Concil. Trid. sess. 22. c. 11. de ref. pronuntiata fuit (vid. infr. p. XXII. I. 1.) cfr. *Vering,* Archiv. t. 38. p. 84.

[7]) Cfr. responsa S. Poenitentiariae in Ephem. «Acta» I. 557 et 567.

firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae Sententiae Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi latae Sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

1. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745; *Ubi primum* 2. Junii 1746; *Ad eradicandum* 28. Sept. 1746.[8])

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.[9])

4. Nomem dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae,* aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denuntiantes, donec non denunciaverint.[10])

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

---

[8]) Bened. XIV. in Constit. «Suprema» ad Lusitanos scribens praxim inquirendi nomen vel individuam complicis personam reprobavit tanquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum quam ipsi Sacsamento injuriosam et tendentem ad s. s. sigilli sacramentalis violationem etc. — In Constit. «Ubi primum» ibi Pontifex declaravit, eos, qui in posterum ausi fuerint docere vel defendere hanc praxim tanquam licitam, ipso facto incidere in excommunicationem summo Pontifici reservatam. — In Constit. «Ad eradicandum» Pontifex contra pravas opiniones eorum, qui docerent, eas Constitutiones solos Lusitanos respicere, declaravit, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum et temporum esse damnatam censeri debere.

[9]) Cfr. supra p. 755. not. 29; ad haec adjungere juvat: 1. medicum incurrere excommunicationem, qui rogatus duello assistit cum intentione citius pugnae finem imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi et curandi, et quidem etiam tunc, cum e domo vicina vel e loco propinquo sistat, paratus ad praebendum suum ministerium. 2. Idem procedere de confessario, si ita assistat *ex condicto,* respondit s. C. Inquis. 28. Maj. 1884 (Linz. Quartal-Schrift 1885 p. 365).

[10]) Cfr. supra Documentum III. num. XIII. et adnotationem. Animadverte insuper, obligationem denuntiandi sectarios, saltem quoad poenam excommunicationis, in hac Constit. limitari ad coriphaeos et duces tantum, si sint occulti. Cfr. Acta I. 193. 290. 301. et Const. Leonis XIII. «Humanum genus.» Cfr. etiam *Vering,* Archiv. t. 46. p. 26; t. 52. p. 74; t. 53. p. 325.

6. Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Const. *Decori* praescriptam.[11])

7. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque et eorum complices.

9. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniae realis ob ingressum in religionem.

11. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum,* 2. Jan. 1569.[12])

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos,* quarto calendas aprilis 1567; Innocentii IX. *Quae ab hac Sede,* pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam,* 26. Jun. 1592, et Alexandri VII. *Inter ceteras,* nono calendas novembris 1660,

---

[11]) S. Pius V. in allegata Constit. (d. 24. Jan. 1570) sancivit, nulla alia occasione, nulloque praetextu, «nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios ordinum superiores, quibus cura monasterii incumberet, etiam per episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exemta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis adprobata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere» — et hoc quidem sub poena excommunicationis Pontifici reservatae. Declaravit s. C. Inq. 22. Dec. 1880, quoad egressum monialium a clausura servandam esse Constit. s. Pii V. — — non obstante consuetudine contraria (e. g. si ipsis ex consuetudine immemorabili concedatur egressus ex causis gravibus, ab episcopo cognitis et probatis. Acta s. Sed. XV. p. 539).

[12]) Inter abusus, quos S. Pius V. in cit. Constit. enarrat, pertinet, quod quidam Hispaniarum praesules, longe ultra potestatis suae limites, litteras dederunt, quibus cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum fuit, quem voluerit sacerdotem sibi sumere, qui ipsum absolvere potuit a casibus etiam reservatis; quin etiam indulgentiae his ipsis litteris profuse et indiscrete concedebantur. Itemque Missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumtionem duorum vel plurium compatrum ad sacrum baptisma contra Concilii Trident. decretum, absolutionem a simoniae reatu Sedi Apost. reservatam tribuebant, praetexentes reparationem ecclesiarum et pias causas. Hujusmodi concessiones Pontifex in hac Const. damnat et irritat, nec non poenas sancit, sc. quoad episcopos suspensionem ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum, quoad inferiores episcopis excommunicationem, hanc et illam Papae reservatam. Ergo qui hoc articulo excommunicatione plectuntur, sunt episcopis inferiores.

alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.[13])

14. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris coemeteriis sive catacumbis Urbis Romanae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.[14])

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

1. Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium[15]) contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

2. Procurantes abortum, effectu sequuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae Sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros s. Officii, ejusve sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

---

[13]) In Const. «Admonet nos» a S. Pio V. excommunicantur omnes illi, qui per se vel per alios agere studeant sive insinuare vel suadere R. Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium, ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Hanc Constitutionem subsequentes Pontifices, in articulo nominati, enucleatius declararunt et confirmarunt.

[14]) Sic e. gr. omnes sunt excommunicati, qui auxilium vel favorem praestant audacissimo presbytero Cyrino Rinaldi, qui judex extinctae Monarchiae Siculae, licet a Summo Pontifice nominatim excommunicatus per litteras Apostolicas (Cfr. Acta IV. 118), nihilominus attentare pergit actus jurisdictionis violentos contra jus fasque.

[15]) Etiam quod dicitur *civile* s. C. Inq. 22. Dec. 1880 (Acta s. Sed. XV. 538).

3. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae* de Reb. eccl. non alienandis.[16])

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi,* 20. Aug. 1622 et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae,* 1. Jun. 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. De *editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latae Sententiae summo Pontifici reservatae.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit,[17]) absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

---

[16]) Cfr. supra § 226. in fin. — Reliquis censuris, quae in decretali «Ambitiosae» pronuntiantur, per hanc Pii IX. Const. abrogatis, censurae, quae remanet, sola est excommunicatio. Unde recte inferunt, *episcopos et abbates* alienantes, qui juxta Const. «Ambitiosae» incurrebant tantum interdictum ab ingressu ecclesiae, hodie immunes esse ab omni censura (*De Angelis* III. tit. 13. p. 281; *Lehmkuhl* II. p. 682. Cfr. Acta s. Sed. l. c.) — Incurritur excommunicatio, ubi licet facta beneplaciti Apost. reservatione, antequam illud impetretur, contractus executioni est mandatus s. C. C. 1795 *Pennacchi* Commentar. II. p. 134 — etiam si contractus ecclesiae utilis sit l. c. p. 129. Excipe, si evidens sit utilitas et negotium moram non patiatur. *Lehmkuhl* l. c. p. 281.

[17]) «Per notabile tempus» ait *Lucidi* visit. ss. lim. I. 164. «Intellige commorationem per aliquot (6) menses, seu talis temporis, propter quod in casu matrimonii testimonium *status liberi* requiritur.» *Lehmkuhl* II. n. 989.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt qui eumdem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto, nominatim denuntiato, aut haeretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe Roma commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo Urbana sacerdotum e Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt; Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae Sententiae reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici *speciali modo* reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario vel delegato judice, vel a jure interdictis, aut *nominatim excommunicato ad divina officia,* seu *ecclesiastica Sacramenta* vel *ecclesiasticam sepulturam admittentes,* interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscunque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque

Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscunque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacunque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit derogare intendimus et derogamus.[18])

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. VI. de Reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eisdem constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere ac reapse obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios; ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros

[18]) Ad quaesitum: «An praelati regulares *(ac regulares confessarii)* post Const. «Apost. Sedis» iisdem privilegiis gaudeant, quibus antea, i. e. an possint nec ne suos subditos absolvere a casibus *papalibus* in dicta bulla simpliciter reservatis — s. Poenit. 5. Dec. 1875 respondit: *Negative* salvis aliis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus.» (*Vering,* Archiv. t. 37. p. 475). — Possunt vero regulares absolvere a casibus per Papam *episcopis* reservatis (supra XXVIII. ab istis tribus «1. clericos in sacris» etc. *Lehmkuhl* l. c. n. 968.)

sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS Card. MATTEI, pro-datarius;
N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia
DOMINICUS BRUTI.

Loco † Plumbi.

I. Cugnoni.

VI.

Censurae latae sententiae a Concilio Tridentino decretae,

quas hodieque vigentes declaravit Pius IX. in praemissa Constitutione, excepta seu restricta excommunicatione quae in decreto Sess. IV. «de edit. et usu sacr. librorum» constituta est.

I. Excommunicantur:

1. Usurpatores bonorum ecclesiast. et jurium.[1]) Sess. 22. c. 11. de ref.

2. Magistratus, si ad instantiam episcopi non praebeant auxilium adversus contradictores clausurae monialium; itemque violantes earum clausuram. Sess. 25. c. 5. de regul.

3. Raptores mulierum eorumque socii Sess. 24. c. 6. de ref. matr.

4. Violantes libertatem matrimonii contrahendi. Ib. c. 9. de ref. matr.

[1]) Haec excommunicatio R. Pontifici est reservata.

5. Cogentes vel impedientes mulierem ad ingrediendum monasterium. Sess. 25. c. 18. de regul.[2])

6. Duellantes, vel duellum permittentes, adjuvantes, ei assistentes. Sess. 25. c. 19. de ref.

7. Docentes falsas propositiones, quae Sess. 13. can. 11. de Euchar. et Sess. 24. c. 1. de ref. referuntur.

II. Suspenduntur.

A. *Violantes canones de Ordinatione.*

1. Episcopi exercentes pontificalia in aliena dioecesi nisi de Ordinarii loci licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sunt ipso jure suspensi Sess. 6. c. 5. de ref.

2. Episcopus, ordinans subditum alienum sine litteris dimissoriis seu commendatiis proprii Ordinarii «a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire sit suspensus.» Sess. 23. c. 8. de ref.

3. Eadem etiam quoad episcopos, qui dicuntur titulares statuuntur. Sess. 14. c. 2. de ref.

4. Suspenduntur, qui infra annum vacantis sedis episcopalis ad majores ordines licet cum *capituli* dimissorialibus, sunt promoti, quin beneficio fuerint arctati; suspensione perdurante ad beneplacitum futuri praelati. Sess. 7. c. 10. de ref.

5. Suspensio ejusdem tenoris ad illos quoque extenditur, qui easdem litteras non a capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione episcopi, loco capituli sede vacante succedentibus impetrant. Concedentes autem dimissorias contra formam superioris (n. 4) decreti, «ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.» Sess. 23. c. 10. de ref.

6. Promoti per saltum. Hos esse suspensos, patet ex verbis Concilii (Sess. 23. c. 14. de ref.): «Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare.» (Cfr. supra § 66. 2. d.)

B. *Aliis ex causis suspenduntur.*

7. Sacerdotes, qui alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungunt aut benedicunt. Sess. 24. c. 1. de ref. matr.

8. Episcopi concubinarii, a synodo provinc. admoniti, se non emendantes. Sess. 25. c. 14. de ref.

---

[2]) Excipiuntur in textu casus in jure expressi, qui sunt duo, scil. c. 18 de convers. conjug. X. (III. 32) et c. 19. ibid.

III. Interdicuntur:

1. Capitulum dimissorias in casu supra posito (de suspensionibus n. 4) infra annum a die vacationis concedens. Sess. 7. c. 10. de ref.

2. Episcopi, qui non denuntiant episcopos illegitime absentes, ab ingressu ecclesiae interdicuntur. Sess. 6. c. 1. de ref.

VII.

Decretum s. Congregationis super statu regularium die 19. Mart. 1857.

Haec quae sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, et ab omnibus ad quos spectant ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte jubet, et contrariis quibuscunque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat:

Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum s. Concilii Tridentini, constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinis a s. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim, ab eodem Tridentino concilio statutam vel aliam majorem, quae forsan a statutis proprii ordinis a s. Sede approbatis requiruntur: et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in constitutione Clementis VIII. incipiente *in supremo* praefinita est.

Professi, post triennium a die quo vota simplicia emiserunt computandum si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse vero aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero superior provincialis ex justis et rationalibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta s. Congregationis super statu regularium, incipientia *Romani Pontifices et regulari disciplinae* anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam praesentium ad habitum admittentur . . . Datum Romae, ex s. Congregatione super statu regularium, die 19. martii, anno 1857.

VIII.

Formulae supplicationis pro obtinenda dispensatione super impedimentis matrimonii.

I. De modo exprimendi impedimenta cum necessariis adjunctis juxta stylum curiae.

«Sed quia oratores in secundo (vel: in secundo et tertio) consanguinitatis gradu in linea transversali conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte implere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione.» «Supplicant igitur etc.»

Vel: «Sed quia conjuncti sunt in primo et secundo consanguinitatis gradibus ex communi stipite et ex eo provenientibus, quia orator est patruus vel avunculus oratricis, vel quia oratrix est matertera vel amita oratoris etc.»

Vel: «quia oratores in secundo affinitatis gradu in linea transversali se attinent ex eo proveniente, quod orator prius habuerit matrem (sororem) oratricis, prout patet ex annexo schemate» aut: quod orator matrem (sororem) adhuc in vita superstitem (vel jam defunctam) carnaliter cognoverit.

Vel: «quia oratores ex uno stipite in quarto, ex altero in tertio consanguinitatis gradu conjuncti sunt.»

Vel: «quia orator sponsalia de futuro contraxit cum sorore sponsae, haecque sponsalia deinde mutuo consensu, eadem sorore ab oratore intacta et in nullo penitus attentata permanente, dissoluta fuerunt, desiderium suum etc.»

Vel: «quia dictus orator prolem oratricis e sacro fonte levavit» — stante matrimonio inter oratricem et ejus virum praedefunctum.

Vel: «oratores, carnis fragilitate devicti, data sibi invicem fide de matrimonio inter se, post obitum oratricis viri praefati, contrahendo, se carnaliter cognoverunt. Postea vero vir oratricis, neutro tamen eorum in ejus mortem machinante, ab humanis decessit.»

Vel (copula incestuosa interveniente): «oratores non quidem sub spe facilius obtinendi dispensationem, sed carnis fragilitate devicti sese carnaliter cognoverunt.»

Vel in eodem casu ubi supplicatur pro litteris *Perinde valere:* «Titius et Caja in tertio consanguinitatis gradu conjuncti dispensationem a Dataria (a Rev. Ordinario vi facultatum quinquenn.) obtinuerunt. Cum vero reticita fuit copula incestuosa inter oratores, non quidem sub spe facilitandi dispensationem sed impellente libidine habita (*vel:* cum ejusmodi copula patrata sit sive post petitam dispensationem, sive post illius expeditionem sed ante respectivam executionem), ideo oratores per me supplicant, ut praefatae dispensationis literae ob copulam reticitam (vel deinceps patratam) nullae et irritae gratiosissime revalidentur ad effec-

tum, ut dicti oratores licite et valide matrimonium contrahere in eoque permanere queant.» (*Sed nunc hoc non amplius habet usum.* Cfr. supra p. 631).

II. De modo exprimendi causas dispensationis juxta stylum curiae.

a) «Cum dicta oratrix in loco sui domicilii (*vel:* sive in loco domicilii sive in loco originis, ubi prius habitavit) propter illius angustiam virum non consanguineum aut alio impedimento affectum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt oratores matrimonialiter invicem copulari. Sed quia in secundo consanguinitatis gradu etc.»

b) Cum dicta oratrix dotem habuit minus competentem (indotata existat) juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator illam cum minus competente dote (sic indotatam) uxorem ducere intendat, etc.»

c) «Quod dicta oratrix vigesimum quartum aetatis annum et ultra agens (nata siquidem est die . . . mensis . . . anni . . .) hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit, cupiunt etc.» *Vel* «quia vidua junior est et in periculo incontinentiae versatur.»

d) Cum inter parentes dictorum oratorum graves inimicitiae ortae sint et de praesenti jam vigeant (*vel:* lites de rebus magni momenti ortae sint et ad praesens vigeant, *vel:* pax post graves lites inita per nuptias confirmari possit) aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi provenientes et ante illius tractatum exortae; certumque sit, si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiae (lites) hujusmodi omnino componerentur: pro illis igitur componendis ac pro bono pacis cupiunt oratores praedicti etc.»

e) «Quod ipsi scientes, se secundo affinitatis gradu esse invicem conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret Sedem Apost. ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, insimul familiariter conversati sunt; carnali tamen copula inter eos minime subsecuta, et nihilominus orta suspicio, licet falsa, quod ipsi oratores se carnaliter cognoverint. Cum autem (Sancte Pater!) praemissa publica existunt, et nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri; cupiunt etc.»

f) In casu impraegnationis sponsae juxta jam dicta exprimendum est, copulam non patratam esse ad facilitandam dispensationem, nec non mulierem diffamatam et innuptam remansuram, nisi matrimonium contrahatur.

g) «Nisi dispensatio concedatur, timendum foret, ne oratores in fide pervertantur et ab ea deficiant, cum in loco acatholicis mixto degant.»

h) «Oratores civiliter tantum contraxerunt (*vel:* est periculum, ne contrahant).»

i) Cum dicta oratrix vidua et (e. gr. quinque) filiis ex alio viro procreatis existat, et dictus orator illam uxorem ducere ejusque filios alere et gubernare intendat.

NB. Juvabit allegare orbitatem feminae a parentibus vel saltem a patre, quod sufficit, ut orphana vere dicatur.

Formularia quaedam supplicationis in extenso

juxta morem apud nos usitatum, quo Decani vel parochi supplicam non directe ad s. Sedem dirigunt, sed dispensationem mediante Ordinariatu, aut Ordinario petunt.

A. Pro matrimonio contrahendo.

α) In forma communi.

Reverendissime Ordinariatus!

Exponitur humiliter Reverendissimo Ordinariatui pro parte oratorum N. N. et N. N. ex oppido N. (qui orthodoxae fidei cultores existunt et in s. Romana ecclesia vivunt in eaque vivere et mori intendunt), quod cum dicta oratrix dotem habuit minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator cum dicta dote minus competente oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia (juxta schema reverenter advolutum) secundo gradu aequali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum ex hac parte adimplere non possunt. Ideo supplicant oratores pro gratia dispensationis clementissime procuranda, ut impedimento hoc non obstante matrimonium inter se publice servata forma Concilii Tridentini contrahere ac in eodem postmodum remanere libere ac licite valeant. Pro qua gratia gratias maximas aget ea, qua par est reverentia et devotione N. N., Decanus.

β) In forma pauperum.

Reverendissime Ordinariatus!

vel ab initio supplicationis inseritur: Exponitur nomine oratorum N. N. et N. N. «quod dicti oratores orthodoxae fidei cultores, vere pauperes et miserabiles et de labore suo et industria tantum viventes cupiunt matrimonialiter copulari;» vel in fine supplicationis additur: «Unde oratores, qui vere sunt pauperes et miserabiles, et de manuum suarum labore etc. per me humillime supplicant, ut dispensatio super hoc impedimento . . . gratiose procuretur.»

γ) *Alia pro eadem re formula ubi reticita fuit copula incestuosa in supplica ad Datariam missa.*

«Exponitur humillime . . . quod Titius et Caja, orthodoxae fidei cultores et dioecesis N. matrimonium invicem contrahere cupiunt. At vero cum secundo affinitatis gradu lineae transversae aequalis se attingant, hoc desiderium absque s. Sedis dispensatione adimplere non possunt. Unde cum adsit periculum perversionis a fide, nec non oratrix sit superadulta, locusque angustus, dispensationem super dicto impedimento a Dataria Apostolica obtinuerunt, sed reticita est copula incestuosa inter oratores, non quidem sub spe facilitandi dispensationem, sed impellente libidine habita. Unde oratores, qui vere sunt pauperes etc. *(ut supra)* per me humillime supplicant etc.» *(Cfr. supra p. XXVII. et 631.)*

δ) *Pro primo gradu affinitatis fornicariae.*

«Exponitur humillime . . . quod Titius orthodoxae fidei cultor et dioecesis N. in matrimonium ducere intendit Cajam, cum qua bona fide sponsalia iniit. At vero postea confessus mihi aperuit, se defunctam Cajae sororem carnaliter cognovisse. Cum autem absque scandalo et damno a sponsalibus resilire nequeat, orator, qui vere pauper est et miserabilis ac de manuum suarum labore . . . per me humillime supplicat, ut cum ipso super dicto impedimento benigne dispensetur etc.»

ε) *Casus affinitatis illegitimae primi gradus, quo oratores simul etiam dispensationem petunt a Dataria quia sunt invicem consanguinei.*

Eminentissime Domine!

Jacobus et Bertha, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Nunc vero Bertha, a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit:

1. quia aetate jam est provecta, nempe triginta annos nata;
2. quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat;
3. quia ex hac unione rixae familiarum probabiliter cessabunt.

Ambo supplicant Ss. D. Nostro in Dataria, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiae autem Vestrae humiliter supplicat oratrix, ut, non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite et valide matrimonium contrahere atque in eo contracto manere valeat. Pro qua gratia etc.

ζ) *Si episcopus dispenset vi quinquennalium.*

Reverendissime et Illustrissime Domine!

Exponitur humillime, quod oratores N. N. et N. N. ex parochia N. orthodoxae fidei cultores, invicem cupiunt matrimonium

contrahere. At vero cum quarto consanguinitatis gradu lineae transversae aequales sint conjuncti, ut ex apposito schemate patet, hoc desiderium absque dispensatione adimplere non possunt. Causae autem dispensandi sunt sequentes:

1. Oratrix est superadulta, nam nata est . . ., nec hactenus virum, cui nubere possit, invenit;
2. dotem fere nullam habet, cum nihil possideat et in domo famuletur;
3. aliquam patitur diffamationem, licet ipsa sit pia et religiosa, cum nimirum pater ejus se ipse interfecerit.

Quibus ex causis oratores, qui vere sunt pauperes et de labore manuum suarum et industria tantum vivunt, per me humiliter supplicant, ut dispensationis gratia ipsis concedatur. Pro qua gratia etc.

B. Pro matrimonio contracto.

1. In foro externo.

Petrus N. homo plebejus dioecesis N. vesana libidine victus, impraegnavit duas sorores, et ignarus impedimenti, de quo nihil unquam audivit, cum una illarum, Maria N. optima fide post factas consuetas denuntiationes in facie ecclesiae contraxit matrimonium. Cum autem post editos ab utraque foetus factum sit notorium, de matrimonii nullitate admoniti separati quidem fuerunt, tamen saepius convenientes plures interea proles ingenuerunt. Quia tamen sperari non potest, eos continenter victuros esse, nec non ut avertantur scandala, et prolium consulatur legitimitati, ideo facti vere poenitentes et contriti in visceribus Jesu Christi humillime supplicant pro benigna dispensatione manendi in matrimonio bona fide contracto cum prolium legitimatione etc. Quam gratiam etc.

2. Pro foro interno (immediate ad Poenitentiariam).

Eminentissime Domine!

Tiburtius, ignarus (vel conscius) impedimenti, contraxit secundum formam Concilii Tridentini matrimonium cum muliere, cujus sororem jam antea cognoverat, atque duos filios ex matrimonio hoc invalido suscepit; sed cum impedimentum sit occultum, ac propterea conjuges putativi nequeant sine scandalo separari, supplicant Eminentiam Vestram pro absolutione et dispensatione. Pro qua gratia etc. Eminentiae Vestrae

humillimus servus
N. N. Confessarius.

Responsum dignetur mittere Loriacum Dioecesis N. ad N. N. Beneficiatum (Confessarium). Foris vero in subscriptione: Ad summam s. Poenitentiariam (vel: Eminentissimo ac Rev. D. D. Cardinali Poenitentiario Majori Romam).

IX.

Ad pag. 594.

CONSANGUINITAS.

1. Schema lineae rectae cum suis gradibus et nominibus.

Majores. Voreltern. (Ascendentes.)

IV.

Abavus. Urgrossvater. Urahnherr.
Abavia. Urgrossmutter. Urahnfrau.

III.

Proavus. Urgrossvater. Urahnherr.
Proavia. Urgrossmutter. Urahnfrau.

II.

Avus. Grossvater. Ahnherr.
Avia. Grossmutter. Ahnfrau.

I.

Pater. Vater.
Mater. Mutter.

Titius. Titia.

I.

Filius. Sohn.
Filia. Tochter.

II.

Nepos. Enkel.
Neptis. Enkelin.

III.

Pronepos. Urenkel.
Proneptis. Urenkelin.

IV.

Abnepos. Ururenkel.
Abneptis. Ururenkelin.

Posteri. Nachkömmlinge. (Descendentes.)

2. Schema lineae obliquae.

I.

Frater. Bruder.
Soror. Schwester.

II.

Patruus. Vatersbruder. Onkel. Oheim (von väterl. Seite).
Amita. Vatersschwester. Tante. Muhme (von väterl. Seite).
Avunculus. Mutterbruder. Oheim. Onkel (von mütterl. Seite).
Matertera. Mutterschwester. Muhme. Tante (von mütterl. Seite).
Nepos (Neffe) / *Neptis* (Nichte) } ex fratre vel sorore. Bruders oder Schwester Kind.

III.

Magnus Patruus. Grossvaters Bruder. Grossonkel.
Magna Amita. Grossvaters Schwester. Grosstante.
Magnus Avunculus. Grossmutterbruder. Grossoheim.
Magna Matertera. Grossmutterschwester. Grossmuhme.
Pronepotes / *Proneptes* } ex fratre vel sorore. Bruders oder Schwester Enkel.

IV.

Magnus Propatruus. Urgrossvaters Bruder.
Magna Proamita. Urgrossvaters Schwester.
Magnus Proavunculus. Urgrossmutter-Bruder.
Magna Promatertera. Urgrossmutter-Schwester.
Abnepotes / *Abneptes* } ex fratre vel sorore. Bruders oder Schwester Enkelskinder.

3. Schema aliud ejusdem lineae.

I.

Fratres germani. Vollbürtige Brüder.

Sorores germanae. Vollbürtige Schwestern.

Fratres consanguinei. Halbbürtige Brüder (Halbbrüder) vom Vater aus.

Sorores consanguineae. Halbbürtige Schwestern vom Vater aus.

Fratres uterini. Halbbrüder von der Mutter aus.

Sorores uterinae. Halbschwestern von der Mutter aus.

II.

Patrueles seu fratrum liberi. Brüder-Kinder (Geschwister-Kinder).

Consobrini seu sororum liberi. Schwestern-Kinder.

Amitini seu fratris et sororis liberi. Bruders und Schwester Kinder.

III.

Patruelium liberi. Brüder Kindskinder (Geschwister-Enkel).

Consobrinorum liberi. Schwestern Kindskinder.

Amitinorum liberi. Bruders und Schwester Kindskinder.

NB. Isti omnes uno nomine vocari solent: *Sobrini* seu sobrini (consobrini) *secundi.*

IV.

Patruelium nepotes, neptes. Brüder Kindsenkel (Geschwister-Urenkel).

Consobrinorum nepotes, neptes. Schwestern Kindsenkel.

Amitinorum nepotes, neptes. Bruders und Schwester Kindsenkel.

NB. Isti uno nomine vocari solent: *Consobrini tertii.*

AFFINITAS.

Ad pag. 601.

1. Schema affinitatis in linea recta.

In ascendenti

Socer (uxoris vel mariti pater). Schwiegervater.

Socrus (uxoris vel mariti mater) Schwiegermutter.

Vitricus (vir matris). Stiefvater.

Noverca (uxor patris). Stiefmutter.

In descendenti

Gener (maritus filiae). Schwiegersohn. Eidam.

Nurus (uxor filii). Schwiegertochter. Schnur.

Privignus (filius ex alio conjuge). Stiefsohn.

Privigna (filia ex alio conjuge). Stieftochter.

2. Schema affinitatis in linea obliqua.

Levir (mariti frater). Schwager.

Glos (mariti soror). Schwägerin.

Uxorius (uxoris frater). Des Weibes Bruder.

Fratria (fratris uxor). Des Bruders Weib.

Sororius (sororis maritus). Der Schwester Mann.

Congeneri (duarum sororum mariti). Zweier Schwestern Männer.

Janitrices (duorum fratrum uxores). Zweier Brüder Ehefrauen.

X.

Gesetz vom 7. Mai 1874,*)

wodurch Bestimmungen zur Regelung der äusseren Verhältnisse der katholischen Kirche erlassen werden.

I. In Ansehung der kirchlichen Aemter und Pfründen.

§ 1. Für die Befähigung zur Erlangung kirchlicher Aemter und Pfründen sind die Staatsgesetze und die innerhalb derselben geltenden kirchlichen Vorschriften, sowie in besonderen Fällen die Stiftungsurkunden massgebend.

§ 2. Von Staatswegen wird zur Erlangung kirchlicher Aemter und Pfründen erfordert: die österreichische Staatsbürgerschaft; ein in sittlicher und staatsbürgerlicher Hinsicht vorwurfsfreies Verhalten; diejenige besondere Befähigung, welche für bestimmte kirchliche Aemter und Pfründen in den Staatsgesetzen vorgeschrieben ist.

Dieselben Eigenschaften werden bei jenen geistlichen Personen erfordert, welche zur Stellvertretung oder provisorischen Versehung dieser Aemter oder zur Hilfeleistung bei denselben berufen werden.

§ 3. Die Besetzung der Erzbisthümer und Bisthümer, dann der Canonicate an sämmtlichen Capiteln, sowie die Ernennung der bischöflichen Generalvikare erfolgt in der bisherigen Weise.

In Fällen, wo die Besetzung nicht auf landesfürstlicher Ernennung oder einer landesfürstlich bestätigten canonischen Wahl beruht, ist die für eines der genannten kirchlichen Aemter in Aussicht genommene Person der staatlichen Cultus-Verwaltung anzuzeigen.

Gegen eine von der letzteren erhobene Einsprache (§ 2) darf die Besetzung oder Ernennung nicht stattfinden.

§ 4. Hinsichtlich der von den Dioecesanbischöfen zu verleihenden kirchlichen Aemter und Pfründen bleibt das aus besonderen Titeln der Staatsgewalt oder sonst jemanden zustehende Recht, die Person zu bezeichnen, welcher das kirchliche Amt oder die kirchliche Pfründe verliehen werden soll, vorbehalten.

Alle derartigen, nicht unter einem Privatpatronate stehenden kirchlichen Aemter und Pfründen, welche ganz oder zum grösseren Theile aus dem Staatsschatze, dem Religionsfonde oder anderen öffentlichen Mitteln dotirt werden, können nur auf Grund einer *durch die Staatsgewalt vorgenommenen* Präsentation verliehen werden.

Im Verordnungswege wird bestimmt, durch welche Organe dieses Praesentationsrecht in den einzelnen Fällen auszuüben ist.

§ 5. Für die Besetzung erledigter Canonicate und weltgeistlicher Seelsorgspfründen ist ein Concurs auszuschreiben.

Die näheren Bestimmungen über denselben werden nach Einvernehmung der Bischöfe im Verordnungswege getroffen.

---

*) Censuimus hanc legem huc transcribendam esse, eoquod eandem, quantumvis injuriosam in ecclesiam, non liceat ignorare.

§ 6. In Fällen der freien Verleihung oder einer nicht vom Kaiser oder von den landesfürstlichen Behörden ausgehenden Präsentation, dann in dem Falle der Bestellung eines Pfarrverwesers für eine incorporirte Pfründe hat der Bischof die hiefür ausersehene Person der Landesbehörde anzuzeigen.

Der letzteren steht zu, dem Bischofe ihre Einwendungen unter Angabe der Gründe (§ 2) mitzutheilen.

Wird von der Landesbehörde binnen 30 Tagen nach geschehener Anzeige keine Einwendung erhoben, so steht der Instituirung des betreffenden Geistlichen oder der Besetzung der incorporirten Pfründe nichts im Wege.

Gegen eine von der Landes-Behörde erhobene Einwendung steht die Berufung an den Cultusminister offen.

Wird der Berufung nicht Folge gegeben, so darf die Instituirung oder Besetzung nicht stattfinden.

§ 7. Die Einsetzung der für kirchliche Aemter und Pfründen ernannten Personen in die mit diesen Aemtern und Pfründen verbundenen spirituellen Befugnisse steht den competenten kirchlichen Oberen zu.

Die Einführung in die mit diesen Aemtern und Pfründen verbundenen Einkünfte erfolgt durch die staatliche Cultusverwaltung unter Mitwirkung der Bischöfe und der Pfarrgemeinden und, sofern diese Aemter oder Pfründen einem Privatpatronate unterstehen, auch unter Mitwirkung der Kirchenpatrone.

Die Art und Weise dieser Mitwirkung wird nach Einvernehmung der Bischöfe im Verordnungswege geregelt.

§ 8. Wenn ein Inhaber eines kirchlichen Amtes oder einer kirchlichen Pfründe die österreichische Staatsbürgerschaft verliert oder wenn derselbe verbrecherischer oder solcher strafbarer Handlungen schuldig erkannt worden ist, die aus Gewinnsucht entstehen, gegen die Sittlichkeit verstossen oder zu öffentlichem Aergernisse gereichen, so hat die staatliche Cultusverwaltung seine Entfernung von dem Amte oder der Pfründe zu verlangen.

Hat sich ein Seelsorger eines Verhaltens schuldig gemacht, welches sein ferneres Verbleiben in dem kirchlichen Amte als der öffentlichen Ordnung gefährlich erscheinen lässt, so kann die staatliche Cultusverwaltung seine Entfernung von der Ausübung des kirchlichen Amtes verlangen.

Die vorstehenden Bestimmungen finden auch auf jene geistliche Personen Anwendung, welche zur Stellvertretung oder provisorischen Versehung dieser Aemter oder zur Hilfeleistung bei denselben berufen werden.

Wird dem Verlangen der Regierung seitens der kirchlichen Behörden in angemessener Frist nicht entsprochen, so ist das Amt oder die Pfründe für den staatlichen Bereich als erledigt anzusehen und hat die Regierung dafür zu sorgen, dass jene Geschäfte, welche die Staatsgesetze dem ordentlichen Seelsorger übertragen, von einer anderen von ihr bestellten Persönlichkeit insolange

versehen werden, bis das betreffende Kirchenamt in staatsgiltiger Weise neu besetzt ist.

In derselben Weise kann vorgegangen werden, wenn aus einem anderen Grunde die oben bezeichneten Geschäfte von dem ordentlichen Seelsorger nicht besorgt werden.

§ 9. In dem Falle eintretender Dienstuntauglichkeit eines selbstständigen Seelsorgers weltgeistlichen Standes ist im Einvernehmen der competenten staatlichen und kirchlichen Behörde die Entscheidung zu treffen, ob ein Provisor (Administrator) oder Hilfspriester zu bestellen oder der dienstuntaugliche Seelsorger nach Verzichtleistung auf die Pfründe in den Deficientenstand zu übernehmen ist.

§ 10. Für die durch § 9 nicht berührten Fälle der Verhinderung eines geistlichen Functionärs, sein Amt zu versehen, hat der zuständige kirchliche Obere rechtzeitig Vorsorge zu treffen.

Zu der betreffenden Verfügung ist die staatliche Zustimmung einzuholen, wenn in Folge derselben an einen öffentlichen oder unter öffentlicher Verwaltung stehenden Fonds ein Anspruch gestellt werden soll oder wenn es sich um eine bleibende Belastung der Pfründe handelt.

Auf dauernd bestellte Provisoren (Administratoren) eines kirchlichen Amtes (einer Commende u. dgl.) finden die Bestimmungen der §§ 6 und 8 Anwendung.

§ 11. Jede Erledigung eines kirchlichen Amtes oder einer kirchlichen Pfründe ist der Landesbehörde sofort anzuzeigen.

§ 12. Die Wiederbesetzung erledigter kirchlicher Aemter und Pfründen muss in der Regel innerhalb eines Jahres vom Zeitpunkte der Erledigung stattfinden.

Ausnahmsweise kann diese Frist mit Zustimmung der Landesbehörde verlängert werden.

§ 13. Privatverträge über die Succession in ein kirchliches Amt oder eine kirchliche Pfründe sind ungiltig.

II. In Ansehung der Ausübung der kirchlichen Amtsgewalt und der Seelsorge.

§ 14. Die Erzbischöfe, Bischöfe und bischöflichen Vicare verwalten die inneren kirchlichen Angelegenheiten ihrer Diözesen nach den kirchlichen Vorschriften, insoweit diese nicht den Staatsgesetzen widersprechen.

§ 15. Unbeschadet des Rechtes der Bischöfe, die Weihen auszuspenden, wird der Tischtitel aus dem Religions-Fonds nur solchen Klerikern gewährt, welche zur Erlangung kirchlicher Aemter befähigt sind (§ 2).

§ 16. Die Bischöfe sind verpflichtet, ihre Erlässe (Verordnungen, Instructionen, Hirtenbriefe etc.) zugleich mit deren Publikation der politischen Landesbehörde zur Kenntnissnahme mitzutheilen.

§ 17. Findet die Regierung, dass einer den öffentlichen Gottesdienst betreffenden kirchlichen Anordnung öffentliche Rücksichten entgegenstehen, so hat sie dieselben zu untersagen.

§ 18. Von der kirchlichen Amtsgewalt darf nur gegen Angehörige der Kirche und niemals zu dem Zwecke Gebrauch gemacht werden, um die Befolgung der Gesetze und behördlichen Anordnungen oder die freie Ausübung staatsbürgerlicher Rechte zu hindern.

§ 19. Bei Handhabung der kirchlichen Amtsgewalt darf kein äusserer Zwang ausgeübt werden.

§ 20. Zur Errichtung neuer Diözesen und Pfarrbezirke, zu einer Aenderung in der Abgrenzung der bestehenden, dann zur Errichtung, Theilung oder Vereinigung von Pfründen ist die staatliche Genehmigung erforderlich.

§ 21. Im Falle einer Umpfarrung wird der bisherige Pfarrer aller Ansprüche auf die den Parochianen als solchen obliegenden Leistungen verlustig, insoweit dem nicht privatrechtliche Titel entgegenstehen oder bei der Umpfarrung selbst etwas Anderes vereinbart wird.

Unter denselben Beschränkungen ist überall, wo bisher ungeachtet einer vorgekommenen Umpfarrung ein Recht auf derartige Leistungen dem früheren Pfarrer verblieben ist, dasselbe unbeschadet des persönlichen Bezugsanspruches des derzeitigen Pfarrers zu übertragen.

§ 22. Aenderungen in der Dotirung bestehender Seelsorgeämter, durch welche ein öffentlicher Fonds ohne Beschädigung der gesetzlichen Congruen und ohne Alterirung einer stiftungsmässigen Anordnung entlastet wird, können von der staatlichen Cultusverwaltung nach Einvernehmung des betreffenden Ordinariates verfügt werden. Doch soll mit derartigen Massnahmen in der Regel nur bei Gelegenheit eines Wechsels in der Person des Pfründners vorgegangen werden.

§ 23. Zur Einbringung von Abgaben oder anderen Leistungen für kirchliche Zwecke, welche den Kirchenangehörigen mit Zustimmung der Regierung auferlegt worden sind, wird die politische Execution gewährt.

Dies gilt auch von den fixen Gebühren für kirchliche Eheaufgebote, Trauungen und Leichenbegängnisse (Stolgebühren), sowie für pfarramtliche Ausfertigungen.

Personen, welche auf das Armenrecht Anspruch haben, sind von der Entrichtung der eben bezeichneten Gebühren befreit.

§ 24. Die Abänderung der bestehenden kirchlichen Stoltaxordnungen steht der Regierung nach Einvernehmung der Bischöfe zu.

§ 25. In der Regel darf kein pfarramtlicher Akt von der Vorausbezahlung der Stolgebühr abhängig gemacht werden.

Nur wenn derselbe in einer Form verlangt wird, welche einer höheren als der niedrigsten Stolgebühr unterliegt (z. B. Assistenz

mehrerer Priester beim Leichenbegängnisse), ist die hiefür entfallende höhere Gebühr über Verlangen im Vorhinein zu entrichten.

Bei pfarramtlichen Ausfertigungen kann die Entrichtung des etwa nöthigen Stempelbetrages im Vorhinein begehrt werden.

§ 26. Contraventionen gegen die Bestimmungen der Soltaxordnungen sind, sofern sich der Fall nicht zu einem strafgerichtlichen Vorgehen eignet, nach Anhörung des Ordinariates von den Verwaltungsbehörden mit Geldstrafen bis zum Betrage von 100 fl. zu ahnden.

Zugleich mit der Strafe ist die den Schuldigen treffende Ersatzleistung auszusprechen. Solche Ersatzerkenntnisse sind exekutionsfähig.

Bei wiederholtem Rückfalle kann die staatliche Cultusverwaltung verlangen, dass der betreffende Geistliche von der Ausübung seines kirchlichen Amtes entfernt werde (§ 8).

§ 27. Für die Durchführung kirchlicher Anordnungen und Entscheidungen wird ein staatlicher Beistand ausser dem Falle des § 23 in nachstehenden Fällen und nur in folgender Art gewährt:

a) Wenn zur Durchführung der von einem Kirchenvorsteher innerhalb seiner Amtsphäre verfügten Entsetzung oder Entfernung einzelner Personen von kirchlichen Aemtern und Pfründen äussere Vorkehrungen nöthig werden sollten, so können diese Vorkehrungen, so weit es erforderlich erscheint, über Ansuchen des Kirchenvorstehers von der Landesstelle unter der Voraussetzung getroffen werden, dass dem Erkenntnisse ein ordentliches Verfahren vorangegangen ist, und dass das Erkenntnis selbst weder den Staatsgesetzen, noch den im Staate geltenden kirchlichen Vorschriften widerspricht.

b) Desgleichen kann den Kirchenvorstehern zur Durchführung einer von ihnen beabsichtigten kirchenamtlichen Untersuchung gegen geistliche Personen der etwa nöthige staatliche Beistand dann gewährt werden, wenn zugleich mit dem Ansuchen um diesen Beistand dargethan wird, dass dieses Vorgehen rechtmässig und begründet ist.

Die Vernehmung von Personen, die nicht der katholischen Geistlichkeit angehören, kann nur durch die staatliche Behörde erfolgen.

§ 28. Wenn durch die Verfügung eines kirchlichen Obern ein Staatsgesetz verletzt wird, so kann der hiedurch in seinem Rechte Gekränkte sich an die Verwaltungsbehörde wenden, welche Abhilfe zu schaffen hat, soferne die Angelegenheit nicht auf den Civil- oder Strafrechtsweg zu überweisen ist; in letzterem Falle kann sie provisorische Verfügungen treffen.

§ 29. Wird ein katholischer Geistlicher wegen eines Verbrechens, Vergehens oder einer Uebertretung von einem Gerichte in Untersuchung gezogen, so liegt dem letzteren ob, an den zur Ausübung der kirchlichen Disciplin über den Geistlichen berufe-

nen kirchlichen Oberen die entsprechende Verständigung gelangen zu lassen.

Demselben ist sohin auch das gefällte Urtheil sammt den Entscheidungsgründen mitzutheilen.

Bei Verhaftung und Festhaltung katholischer Geistlicher sind jene Rücksichten zu beobachten, welche die ihrem Stande gebührende Achtung erheischt.

III. In Ansehung der katholisch-theologischen Fakultäten und der Heranbildung der Kandidaten des geistlichen Standes.

§ 30. Die Einrichtung der katholisch-theologischen Fakultäten wird durch ein besonderes Gesetz geregelt.

In gleicher Weise wird bestimmt, inwieweit der Staat den Kandidaten des geistlichen Standes eine besondere Art der Heranbildung vorschreibt.

IV. In Ansehung der klösterlichen Genossenschaften.

§ 31. Für die äusseren Rechtsverhältnisse der innerhalb der katholischen Kirche bestehenden klösterlichen Genossenschaften sind die für solche Genossenschaften überhaupt geltenden besonderen Bestimmungen massgebend.

V. In Ansehung des kirchlichen Patronates.

§ 32. Die Patronatsverhältnisse bleiben einer besonderen gesetzlichen Regelung vorbehalten. Bis dahin bleiben in Betreff dieser Verhältnisse die bisherigen Vorschriften bestehen.

Es hat jedoch bei Beurtheilung einzelner Fälle stets der Grundsatz zur Anwendung zu kommen, dass die Patronatslasten sich nur auf die unter dem Patronate stehende bestimmte Kirche oder Pfründe beziehen, und dass sie durch ein vermehrtes Cultusbedürfniss der dieser Kirche oder Pfründe zugewiesenen Gemeinde nicht vergrössert werden können.

§ 33. Streitigkeiten über die Frage, ob eine Kirche oder Pfründe einem Patronate unterliege oder ob hinsichtlich der letzteren das freie Besetzungsrecht des Bischofs eintrete, sind nach Einvernehmung der Kirchenbehörden von der staatlichen Cultusverwaltung im ordentlichen Instanzenzuge zu entscheiden.

Steht hingegen nur in Frage, wem ein Kirchen- oder Pfründenpatronat zukomme, so tritt die richterliche Kompetenz ein.

§ 34. Streitigkeiten über Leistungen, welche auf Grund eines bestehenden Patronates angesprochen werden, gehören in die instanzmässige Entscheidung der Cultus-Verwaltungsbehörden.

Nur in dem Falle, dass der Patron die von ihm behauptete gänzliche oder theilweise Freiheit von der Leistung aus besonderen privatrechtlichen Gründen ableiten will, hat der Rechtsweg einzutreten und steht den Verwaltungsbehörden nur die Anordnung eines etwa nöthigen Provisoriums zu (§ 56).

VI. In Ansehung der Pfarrgemeinden.

§ 35. Die Gesammtheit der in einem Pfarrbezirke wohnhaften Katholiken desselben Ritus bildet eine Pfarrgemeinde.

Alle einen kirchlichen Gegenstand betreffenden Rechte und Verbindlichkeiten, welche in den Gesetzen den Gemeinden zugesprochen oder auferlegt werden, gebühren und obliegen den Pfarrgemeinden. Nur Patronatsrechte können auch einer Ortsgemeinde als solcher zukommen.

§ 36. Insoweit für die Bedürfnisse einer Pfarrgemeinde nicht durch ein eigenes Vermögen derselben oder durch andere zu Gebote stehende kirchliche Mittel vorgesorgt erscheint, ist zur Bedeckung derselben eine Umlage auf die Mitglieder der Pfarrgemeinde auszuschreiben.

§ 37. Die näheren Vorschriften über die Constituirung und die Vertretung der Pfarrgemeinden, dann über die Besorgung der Angelegenheiten derselben werden durch ein besonderes Gesetz erlassen.

VII. In Ansehung des kirchlichen Vermögensrechtes.

§ 38. Für die Gebahrung mit kirchlichem Vermögen gilt als Regel, dass dasselbe den für gemeinnützige Stiftungen bestehenden staatlichen Schutz geniesst. Die staatliche Cultusverwaltung ist insbesondere befugt, die Erhaltung des Stammvermögens der Kirchen und kirchlichen Anstalten zu überwachen, sich jederzeit von dem Vorhandensein desselben die Ueberzeugung zu verschaffen und wegen Einbringung wahrgenommener Abgänge das Erforderliche einzuleiten.

Rücksichtlich der Frage des Eigenthums und sonstiger privatrechtlicher Verhältnisse bezüglich des Kirchen- und Pfründenvermögens sind die Bestimmungen des allgemeinen bürgerlichen Rechtes massgebend; im Falle eines Streites steht die Entscheidung den Gerichten zu.

§ 39. Bei allen Kirchen und kirchlichen Anstalten ist das eigene Vermögen derselben von dem Pfründenvermögen abzusondern und abgesondert zu verwalten und zu verrechnen.

§ 40. Für rechtliche Verpflichtungen, welche auf dem Kirchen- oder Pfründenvermögen haften, ist zunächst das Erträgniss, und erst, wenn dieses nicht ausreicht, die Substanz des Vermögens in Anspruch zu nehmen.

Wenn jedoch ausser dem Kirchen- und Pfründenvermögen noch andere Verpflichtete vorhanden sind, so hat für die bezügliche Leistung nur jener Theil der Vermögenssubstanz aufzukommen, dessen Erträgniss nicht für die laufenden Bedürfnisse der Kirche oder Pfründe benöthigt wird; der Rest ist von den übrigen Verpflichteten nach Massgabe ihrer Verpflichtung zu leisten.

§ 41. Die Verwaltung des Vermögens der Kirchen und der bei denselben bestehenden kirchlichen Anstalten (Stiftungen und

dergleichen) ist im Allgemeinen nach dem Grundsatze einzurichten, dass an derselben der Kirchenvorsteher sowie eine Vertretung derjenigen theilzunehmen hat, welchen bei Unzulänglichkeit jenes Vermögens die Bestreitung der Auslagen für die Kirchenbedürfnisse und die subsidäre Haftung für die Verpflichtungen der Kirche oder kirchlichen Anstalt obliegt.

§ 42. In Gemässheit des im § 41 aufgestellten Grundsatzes ist das Vermögen der Pfarrkirchen gemeinschaftlich von dem Pfarrvorsteher, der Pfarrgemeinde und dem Kirchenpatrone zu verwalten.

§ 43. Die nähere Ausführung der in den §§ 41 und 42 aufgestellten Grundsätze erfolgt durch ein besonderes Gesetz.

§ 44. Die Verwaltung des Bisthums-, Capitel- und Klostervermögens richtet sich unbeschadet des staatlichen Aufsichtsrechtes (§ 38) nach den diesfalls bestehenden statutarischen Anordnungen.

§ 45. Innerhalb der Grenzen der voranstehenden Bestimmungen verbleibt den Bischöfen und ihren Stellvertretern der ihnen nach den kirchlichen Vorschriften zukommende Einfluss auf die Verwaltung des in ihren Sprengeln befindlichen Kirchenvermögens, insoweit diese kirchlichen Vorschriften den Staatsgesetzen nicht widerstreiten.

§ 46. Das Pfründenvermögen wird von den geistlichen Nutzniessern der Pfründe unter Aufsicht der Patrone und unter der Oberaufsicht der Bischöfe und des Staates (§ 38) verwaltet.

Die rücksichtlich der Obsorge der Pfarrgemeinden über die Pfründengebäude bestehenden gesetzlichen Vorschriften bleiben aufrecht.

§ 47. Rein kirchliche Stiftungen verbleiben in der Verwaltung der kirchlichen Organe.

Ueber Zweifel hinsichtlich der kirchlichen Natur einer Stiftung entscheidet in letzter Instanz der Cultusminister.

§ 48. Zur Beurkundung von Rechtsgeschäften für eine Kirche oder kirchliche Anstalt wird die Fertigung des Kirchenvorstehers und mindestens zweier Mitglieder der im § 41 bezeichneten Vertretung erfordert.

§ 49. Erhebliche Veränderungen in der Substanz des Kirchen-, sowie des Pfründen- und Stiftungsvermögens müssen sofort der staatlichen Cultusverwaltung angezeigt werden.

§ 50. Bei der Fructificirung des Kirchen und Pfründenvermögens, sowie des Vermögens kirchlicher Anstalten (Stiftungen u. dgl. sind, was die Art der Anlage und die Bedingungen der Sicherstellung anbelangt, die Vorschriften massgebend, welche zu Gunsten der unter den besonderen Schutz der Gesetze gestellten Personen bestehen.

Bei wechselseitigen Unterstützungen zwischen Kirchen derselben Diözese können im Einverständnisse der staatlichen Cultusverwaltung und der Ordinariate aus besonders rücksichtswürdigen Gründen Ausnahmen von der voranstehenden Regel zugelassen werden.

§ 51. Die Bestimmungen der Ministerial-Verordnung vom 20. Juni 1860, R.-G.-Bl. Nr. 162, und vom 13. Juli 1860, R.-G.-Bl. Nr. 175, über Veräusserung und Belastung des Vermögens katholischer Kirchen, Pfründen und geistlicher Anstalten haben mit Ausschluss jener Anordnungen, wonach derartige Geschäfte der Genehmigung seitens der päpstlichen Curie unterliegen, fortzugelten.

§ 52. Bis zur Erlassung der besonderen Gesetze über die Verwaltung des Kirchen- und Pfründen-Vermögens (§§ 37 und 43) werden die zur Ausführung der Bestimmungen dieses Gesetzes nothwendigen Vorschriften im Verordnungswege erlassen.

§ 53. Hört eine einzelne kirchliche Gemeinschaft oder Anstalt, welche selbstständig Vermögen besessen hat, zu bestehen auf, so ist dieses Vermögen, soweit über dessen Verwendung nicht stiftungsmässige Anordnungen bestehen, dem Religionsfonds zuzuwenden.

§ 54. Wenn nach den Ueberschüssen, welche aus den Renten eines kirchlichen Vermögens durch eine längere Reihe von Jahren in Ersparung gebracht werden, mit Sicherheit anzunehmen ist, dass das betreffende Vermögen zu dem damit bewidmeten kirchlichen Zwecke nicht vollständig benöthigt wird, so kann die staatliche Cultusverwaltung nach Einvernehmung des betheiligten Ordinariates verfügen, dass der dem Durchschnitte der jährlichen Ueberschüsse entsprechende Theil des Vermögens anderen kirchlichen Zwecken, für welche eine genügende Dotation nicht vorhanden ist, zugewendet werde.

Doch ist in einem solchen Falle ohne Beeinträchtigung des von einem kirchlichen Individuum bereits erworbenen Bezugsrechtes vorzugehen.

In keinem Falle dürfen durch eine solche Verfügung nachweisbare stiftsbriefmässige Festsetzungeu verletzt werden.

§ 55. Streitigkeiten über die Verpflichtung zu Leistungen für Cultuszwecke werden, wenn eine solche Leistung aus dem allgemeinen Grunde der Zugehörigkeit zu einer kirchlichen Gemeinde in Anspruch genommen wird, von den Verwaltungsbehörden im ordentlichen Instanzenzuge, wenn sie hingegen aus einem besonderen Titel gefordert wird, von den Gerichten entschieden.

Wird die fragliche Leistung aus dem Titel des Patronates in Anspruch genommen, so richtet sich die Competenz zur Entscheidung nach den diesfalls bestehenden besonderen Vorschriften (§§ 33 und 34).

§ 56. Die Verwaltungsbehörden sind in allen Fällen solcher Streitigkeiten über Leistungen zu Cultuszwecken befugt, dort, wo es das dringende Interesse der Seelsorge erheischt, auf Grund des bisherigen ruhigen Besitzstandes oder, soweit derselbe nicht sofort ermittelt werden kann, auf Grund der summarisch erhobenen thatsächlichen und rechtlichen Verhältnisse ein Provisorium zu verordnen.

§ 57. Unbeschadet der voranstehenden Bestimmungen bleiben die Vorschriften in Kraft, welche in den einzelnen Königreichen und Ländern in Betreff der Herstellung und Erhaltung der katholischen Kirchen- und Pfründengebäude, dann der Beischaffung der Kirchenparamente, Einrichtung und Erfordernisse bestehen.

In den eben bezeichneten Angelegenheiten haben auch fernerhin die Verwaltungsbehörden, falls ein öffentlicher Fonds in Mitleidenschaft steht von Amtswegen, ausserdem aber auf Verlangen der betheiligten Parteien die zur Bestreitung der nothwendigen Auslage erforderlichen Einleitungen zu treffen.

Sie haben insbesondere, wenn eine Mehrheit von Leistungspflichtigen in Betracht kommt, eine mündliche Verhandlung (Concurrenzverhandlung) anzuordnen, bei welcher die Nothwendigkeit der Auslage festzustellen und sohin über die Art ihrer Bestreitung ein Einverständniss sämmtlicher Betheiligten anzustreben ist.

Lässt sich ein solches nicht erzielen, so ist über die in Streit gezogene Leistungspflicht auf Grund der bei oder seit der Verhandlung erhobenen thatsächlichen und rechtlichen Verhältnisse im regelmässigen Instanzenzuge, und zwar nach Beschaffenheit der Umstände entweder definitiv oder provisorisch zu erkennen (§§ 55 und 56).

§ 58. Die Einfünfte erledigter weltgeistlicher Pfründen fliessen in den Religionsfonds.

Die Vorschriften, durch welche die Pfründen einzelner weltgeistlicher Korporationen bisher von dieser Regel ausgenommen waren, sind aufgehoben.

VIII. In Ansehung der Staatsaufsicht über die kirchliche Verwaltung.

§ 60. Die staatliche Cultusverwaltung hat darüber zu wachen, dass die kirchlichen Organe ihren Wirkungskreis nicht überschreiten und den Bestimmungen des gegenwärtigen Gesetzes sowie den auf Grundlage desselben *von den staatlichen Behörden erlassenen Anordnungen auf jedem von ihnen kraft dieses Gesetzes gestellten Verlangen* nachkommen. Zu diesem Ende können die Behörden Geldbussen in einer den Vermögensverhältnissen angemessenen Höhe sowie sonst gesetzlich zulässige Zwangsmittel in Anwendung bringen.

INDEX

Nominum et Verborum.

Numerus paginam, n. subjectam notam designat.

A.

Abbates. Eorum electio 277. Benedictio 284. Pontificalia 398. Minores conferunt 191. Vocantur ad Concilia 447.
Abbatissarum benedictio 387.
Abortus procuratus irregularem facit 216.
Absolutio a censuris 728 cum reincidentia 729.
Absolutiones 349, 739.
Absolutio complicis 757.
Abusus baptismi 213.
— *ordinis* 213, 757.
— *ordinationis* 215.
— *Sacramenti poenitentiae* 757.
Acatholicorum conditio in Imperio Austriaco 168 seq. in provincia Tirolensi 172 n. 11.
— reditus ad ecclesiam 181.
— sepultura 689, 692.
— an subsint eccles. legibus 698 tenentur impedimento ligaminis 586.
Accessus in electione 285.
Accusatio matrimonii 664.
Acquisitio bonorum ecclesiasticorum 106, 766, 770.
Acta confoederationis Germanicae 60.
— Viennensia 60.
Actor in judiciis 715.
Actus judiciales prohibentur diebus festis 676, 677 not. 7.
Administratio bonorum eccles. 108, 772, 812 seq.
Admissio postulati ad praelaturam 283.
Adoptio nuptiarum impedimentum 599.
Adulterium matrimonium irritat 591.
— divortii perpetui causam praebet 667.
Advocatia ecclesiastica 116, 303, 320.
Aedificiorum eccles. reparatio 818, 824.
Aedituus a parocho assumendus 435 n. 9.
Aetas impedimentum matrimonii 582.
— politicum 613.
— requisita ad ordines 202.
Aetas ad beneficia 272.
— ad professionem religiosam 468, 470 n. 11.
— ad sponsalia 543, 547.
— ad matrimonium 582, 613.
— ut incurrantur poenae eccles. 726.
— pro mutatione religionis 183 n. 6.
Affinitas matrimonii impedimentum 601.
Alienatio bonorum eccles. 775.
Allocutio summi Pontificis 362.
Altare fixum et portatile 692.
— Ejusdem consecratio et execratio ib.
Alumnaticum 782.
Alternativa mensium 352.
Amortisationis leges 106, 770.
Angilramni capitula 43.
Annatae 782.
Annus normalis 164.
Annus luctus pro vidua 618.
Anselmi lucani collectio 45.
Appellatio multiplex 717.
— ad summum Pontificem 346.
— tanquam ab abusu 101.
— a judicio examinatorum synodalium 291.
— in processu 665, 717.
Apostasia triplex 213, 750, 756.
Apostolicae constitutiones 37.
Apostolicae Sedis Const. Pii IX. 729. in App. N. V.
Apostolici canones 37.
Arbor consanguinitatis 597. App. N. IX.
Archidiaconi 401, 415.
Archiepiscopi vid. Metropolita.
Archipresbyteri 401, 415.
Arrha sponsalitia 549.
Arrogatio adoptio perfecta 600.
Articuli cleri Gallicani 129.
Asylum Jus asyli 679.
Avaritia clericos inprimis maculat 643.

Auctoritas juris peritoeum 35.
— Congregationum Romanarum 56 n. 12.
Auditores Rotae Romanae 368.
Autochiri an ritu eccles. sepeliendi? 691.

B.

Baptismus 176.
— adultorum 180.
— Infantium 174.
— pertinet ad jura parochialia 429.
— Ejus abusus 213.
Baptismus dubius quoad matrim. contrahendum 585 n. 4.
Baptizare infantes acatholicorum num liceat? 156. An Judaeorum? 178.
Beatificatio et canonisatio 340.
Benedictiones ab episcopo peragendae 387 a parocho 431.
Benedictio nuptialis 648.
Beneficiatorum obligationes 294 quoad reditus beneficii impendendos 806.
— Jura intuitu beneficii sui 802.
Beneficiorum notis 254 genera 257, 300.
— historia 256 n. 5.
— mutua relatio 258.
— erectio 260.
— innovatio 262.
— unio 262.
— incorporatio 263, 422 n. 4. 437.
— divisio et dismembratio 264.
— diminutio 266.
— extinctio et suppressio 269.
— translatio 270.
— provisio canonica 271 seq.
— collatio ad ecclesiam spectat 104.
— collatio per summum Pontificem 351.
— cumulatio 259.
— resignatio 323.
— permutatio 327.
— reservationes 351.
— privatio 744.
Beneficium ecclesiasticum 254 seq.
Bigamia triplex 207.
Blasphemia 754.
Bona clericorum patrimonialia et beneficialia 802.
— ecclesiae necessaria 106. 759.
— eorum acquisitio 106, 766, 770, pro monasteriis 769.
— dominium quis habeat? 763.
— distributio in antiqua ecclesia 761.
— elocatio 816.
— administratio vid. Administratio.
— alienatio 775.
— inviolabilitas 788.
Bonifacii VIII. liber sextus 47.
Bonum triplex matrimonii 576, 654.
Breve eligibilitatis 279.
Brevia apostolica 23.
Bullae pontificae 23.
Bullarii Rom. auctoritas 57, 58.
Burchardi Wormatiensis collectio 45.

C.

Calices 693.
Camera apostolica 368.
Campanae 693.
Cancellaria apostolica 399.
Cancellariae regulae 58.
Canones apostolorum 37.
Canonici in capitulis 399.
— regulares 400.
— honorarii 403.
— domicellares 404.
— in herbis ib.
Canonicus poenitentiarius et theologus 402.
Capellae 682.
Capellani 439.
Capitula 398. Eorum constitutio 401, 403. Jura interna 405. Jura externa 407.
Capitularia regum Francorum 41.
Capituli nunc consensus nunc consilium requiritur 407.
Cardinales S. R. E. 360.
— ordinum protectores 481, 489.
Castitas a clericis servanda 241.
Casus reservare potest Pontifex 349.
— possunt episcopi 393.
— nec non praelati 398.
Catechesis 513.
Catechismi 513.
Cathedraticum 782.
Cauponae a clericis vitandae 242, 757 n. 36.
Causae ecclesiasticae 93, 711.
— mixtae 109.
— spiritualibus adnexae 713.
— majores 345.
— beneficiales 712.
— funerales ib.
— matrimoniales 535.
— piae 489.
Cavendi jus 116.
Censurae 725, 730 in Append. N. V.
Census antiquus 267.
Cessatio a divinis 738.
Character socialis ecclesiae 77.
Chirurgiae exercitium clericis prohibitum 207, 246.
Choropiscopi 412.
Clandestinitas impedimentum 638 seq.
Clausura regularium 455, 483.
Clementinae 47.

Clerici. Eorum ordinatio 191 seq.
— Privilegia 231 seq.
Clerici obligationes 238 seq.
— vestitus clericalis 248.
— quoad res politicas 245.
Coadjutores episcoporum 356, 414.
Codex Hadrianeus 40.
Coelibatus clericorum 250.
Coemeteria 684, 831 n. 10.
Coërcitio criminum 723.
Cognatio triplex matrimonium dirimit 594, 597, 599.
Cohabitatio clericorum cum mulieribus 241.
Cohabitatio sponsorum 635.
Collatio beneficii libera et necessaria 271, 286, 287.
Commendae 255 n. 3.
Communicatio in sacris cum acatholicis 152.
Competentiae privilegium 233.
Compromissum in electione 278.
Concilia, quid Papa circa illa? 356.
— provinc. novissima 62 n. 7.
Concilium quotuplex? momentum 442 seq. Varia concilia 443 seq. Eorum decreta quam vim habeant? 22, 25. Concilii Tridenl. auctoritas 51.
Concordata 26. Concordata principum et Viennensia 44.
— novissima 61 n. 6.
Concordatum Austriacum 61, 131. N. I.
Concubinatus 756. Clericorum 757.
Concursus parochialis 289.
Conditio militaris impedimentum politicum 615, 618.
Conditio sponsalibus adjecta 543, 552.
— matrimonio apposita 575.
Conditionis servilis impedimentum 571.
Conferentiae pastorales 453.
Confessarii monialium 478.
Confessiones acatholicae. Ecclesiae relatio ad eas 150 seq.
Confirmatio electionis 281.
Cnnfraternitates 494.
Congregatio Concilii Trident. 53.
Congregationes Curiae Romanae 365.
Congregationis Rituum decreta 56 n. 12.
Congregationes religiosae 458, 484 seq.
Congregationum relig. historia 484. erectio 483.
— Constitutio ib. jura interna 486. externa 487.
Congrua Clericorum 797.
Congruae augmentum 799.
Consecratio ecclesiarum 678.
— Episcopi 284.
— calicum et patenarum 694 n. 20.
Consensus facit nuptias 583, 639.
— politicus ad nuptias 617.
Consistorium Romanum 362.
— episcopale 418.
Constitutio ecclesiae 175. monarchica 71. hierarchica 75.
Constitutiones apostolicae 37.
Constitutiones summorum Pontificum. Eorum genera et auctoritas 23, 24.
Consuetudo fons juris canonici 31.
Convalidatio matrimonii 656.
— extraordinaria seu in radice 661.
Conventuum religiosorum erectio 102, 459.
Cooperatores 439. Eorum obligationes 441.
Copulatio 648.
Corpus juris canonici. Partes 44.
— Auctoritas 47. Modus allegandi 49.
Crematio cadaverum 685 n. 3.
Crimina eccles. et mixta vid. *Delicta.*
Criminis impedimentum 590.
Cultus acatholici 150 seq.
Cultus disparitas matrimonii impedimentum 584.
Cumulatio beneficiorum 299.
Curati 437.
Curia Romana 364.
Curiales 365.

D.

Dataria 369, 633.
Decanus in capitulis 401.
— ruralis 419.
Decimae 740, 792.
Decretales Gregorii IX. 46.
Degradatio clerici 747.
Delegati Apostolici 370.
Delegatio copulationis 642.
Delicta ecclesiastica 721, 750. mixta 721, 750. clericorum 756.
Denuntiationes matrimonii 587.
Depositio clerici 746.
Devolutionis jus quoad beneficia 271, 275, 352, 379.
Diaconi 64, 188, 190.
Dignitates in capitulis 402.
Diminutio beneficii 266.
Dimissoriales litterae 195.
Dioecesis 375, 383.
Dionysii Exigui collectio 40.
Dismembratio beneficii 264 seq.
Disparitas cultus 584.
Dispensatio legis 701.
— in forma gratiosa et commissoria 702.
— super proclamationibus 557.
— super impedimentis matrim. 619 seq. v. Ind. I.

Dispensatio superirregularitatibus 219.
Dispensationes, quas episcopi elargiri possunt 391, 621.
Dispositio de bonis ecclesiae 107, 763, 816.
— de bonis clericorum 803, 805.
Distributiones quotidianae 298.
Divinatio 754.
Divisio beneficii 264.
Divortium quoad thorum et mensam 666, 668.
Domicilium quoad ordines 194. quoad matrim. 560.
Dominium altum 132, 763.
Dominium ecclesiae honorum 763.
— clericorum 806 n. 14.
Domus religiosae 490 n. 1.
Donatio ecclesiae facta 767.
— mortis causa 770.
— juris patr. 313.
Duellum 689, 755.

E.

Ebrietas a clericis inprimis vitanda 242.
Ecclesia Christi 62, 63.
Ecclesia societas perfecta 77.
— independens 86.
Ecclesiarum exstructio 678. reparatio 818 seq.
— consecratio 678.
— execratio 680.
— pollutio 618.
Ecclesiae conditio in variis totius Orbis ditionibus 136 seq.
Educatio prolis, dum parentes relig. mutant 183 n. 6.
Electio episcoporum 276.
— canonica 276.
— summi Pontificis 284.
Effectus Ordinationis 238 seq.
— matrimonii 654.
Egressus ex religione 471.
Episcopatus an ordo distinctus a presbyteratu? 189, 190.
Episcopatuum erectio 353.
— immutatio 354.
Episcopi titulares 412.
Episcoporum electio 276.
— consecratio 284.
— jus eos instituendi, confirmandi et consecrandi 354.
— munus in genere 382.
— potestas in regulares exemptos 479.
— relatio ad Pontificem 72, 382.
Episcopus proprius intuitu oroinationis 193, 199.
Erectio beneficii 260.
— per transformationem 262.
Error impedimentum matrimonii 570.
Eucharistiae ss. expositio 388.
Examen ordinandorum triplex 228.
— promovendorum ad beneficia 289.
— pro concursu parochiali 289.
— recipiendorum ad statum religiosum 465.
— sponsorum 566.
Examinatores synodales 291, 451.
Excessus praelatorum 757.
Excommunicatio 731.
Excommunicatus vitandus et toleratus 733, 736.
— quoad jus patronatus 308, 322.
Execratio vid. *Ecclesia et Altare*.
Exemtiones 350, 396, 478.
Exercitia spiritualia ante ordines 127. a sacerdotibus quotannis obeunda 239. cum synodo dioecesana conjungenda 452 n. 7.
Exercitium religionis publicum et privatum 160.
Exorzismos proferre 389.
Expectativae beneficiorum 265, 351.
Expositi 439.
Extraneorum matrimonia 650.
Extravagantes 47, 49.
Extrema Unctio parocho reservata 429.

F.

Facultates theologicae 505.
Facultates quinquennales vid. *Q.*
Falcidia quarta 766 n. 1.
Famae defectus irregularitas 208.
Fassiones 800.
Febronii systema 130.
Festis diebus quaenam prohibeantur? 676.
Festos dies instituendi et abrogandi jus 339.
Forma contrahendi matrimonium 638.
— regiminis ecclesiastici 72.
— socialis ecclesiae 77.
— petendi dispensationem circa matrimonium 628.
Fulgentii Ferrandi collectio 40.
Functiones parochiales et sacerdotales 430.
Fundationes piae 490, 751.
Fundus religionis 790.
— studiorum 791.

G.

Gallicanum systema. Ejusdem indoles et historia 128.
Gradus doctoralis 506.
— consanguinitatis 595.
Gratiani decretum 45, 48.

Gregorii IX. collectio decretalium 46.
Gymnasia seu scholae mediae 110, 502.

H.

Habitus clericorum 248.
Hadriani collectio 40.
Haereditates beneficiatorum ex testamento 807. ab intestato 809.
Haeresis ejusque poenae 750.
— irregularem facit 212.
Haeretici an legibus eccles. subjaceant? 698.
— quoad jus patronatus 307.
Hierarchia 64. 75.
Homicidium causa irregularitatis 216.
Honestas clericorum 238 scq.
Honestas publica impedimentum matrimonii 602.
Horas canonicas recitandi obligatio 339, 294.
Hospitalia 492.
Hypothecae constitutio 776.

I.

Immunitas localis 679.
— personalis 236, 710, 722.
— realis 784.
Impedimenta matrimonii statuendi potestas 527 seq. quid statui competat? 530.
— dirimentia 570.
— impedimentia 605.
— politica 613. vid. Indicem I.
Imperantis officia relate ad ecclesiam 111. Jura 114.
Imperii s. institutio 65.
Impotentia impedimentum matrimonii 578.
Impuberes valide non contrahunt 582.
— an valide praesentare possint? 307.
Impuberum sponsalia 543.
Incapaces ad ordines quinam sint? 199.
Index librorum prohibitorum 518.
Indulgentiarum elargitio 347.
— s. Congregatio 366.
Infamia irregularitas 208.
Infantium baptismus 177, 178. infantium acatholicorum 156.
— Ordinatio 209.
Infideles relate ad ecclesiam 173. Legibus ecclesiae non subsunt 698.
Ingressus in ecclesiam per baptismum 176.
Innovatio beneficiorum 262.
Inscriptio matrimonii 649.
Inspectio ecclesiastica libere exercenda 98, 116.
— Papae competens 342.
Inspectio ab episcopis exercenda 389.
Instaltatio 287.
Instantiae judiciorum 717.
Instituta eccles. 493.
Institutio canonica 283, 287.
— authorizabilis et collativa 287.
— theologica 103.
— religiosa episcopo incumbens 387.
Instructio pro judiciis matrimonialibus 61, 539, 540.
Interdictum 738.
Interpretatio legum 699.
Interstitia 230.
Inventarium 804, 815.
Investitura 287.
Irregularitas 201. Irregularitates ex defectu 202. Ex delicto 211. Earum cessatio 218. dispensatio 219.
Isidori Hispalensis collectio 40.
— Mercatoris collectio 41.
Ivonis Carnot. pannormia ac decretum 45.

J.

Joannis Scholastici collectio 39.
Josephi II. Imper leges circa sacra 131.
— relate ad catholicos 168.
Judaei cur tolerentur? 173. Eorum jura ib. Conversatio cum iisdem 174 n. 6. quoad jus patronatus 307.
Judaeorum infantes an baptizari possint? Vid. *Infantes.*
Judex ordinarius et delegatus 714.
Judicandi potestas Papae competens 345.
— episcopis 392.
Judices synodales 451.
Judices in partibus 347.
Judicia synodalia 721.
Judiciorum eccles. libertas 101.
Judicii forma summaria 758 n. 41.
Judicium Ejus Notio et genera 714.
Jura ecclesiae fundamentalia 80.
— relate ad civitatem 82 seq.
— episcoporum 386 seq.
— parochorum 426 seq.
— stricte parochialia 429.
— summi Pontificis 333 seq.
— laicorum 184.
Jura majestatica 115.
Jura stolae 793.
Juramentum Papae praestandum 259.
Jurisdictio. Discrimen inter potestatem ordinis et jurisdictionis 66.
— fori interni et externi 69.
— ordinaria, vicaria, delegata 70.
— litigiosa 707. criminalis 717.
— an competat ecclesiae? 706, 711, 720. Ejus historia 708, 720.

Jurisdictio in causis matrimonialibus 535.
Jurisprudentia ecclesiastica 11.
Jus. Juris notio 1. Ejusdem nexus cum religione 4. Variae divisiones 6.
Jus advocatiae 116, 320.
— asyli 679.
— cavendi 116.
— civile 14.
— deportus 782.
— *devolutionis* quad beneficia 267, 352, 379.
— ecclesiae possidendi bona 759.
— lites agendi 762.
— *ecclesiasticum* 7 seq.
— *inspectionis* 98, 116.
— *eccl. leges ferendi* 98, 343.
— *judicandi et puniendi* 101.
— naturale 14, 30.
— *nominationis* Caesari competens 115 n. 1. 280.
— *nominandi* sejunctum a praesentatione 318.
— *patronatus* 301 seq.
— ejus historia 302.
— divisio 304.
— requisita ad acquirendnm 307.
— modi acquirendi 310 seq.
— jura patroni 315 seq.
— amissio juris patr. 320.
— reformandi 164, 165.
— spolii 782, 809.
Justitia 3.

L.

Laicorum jura 184.
Legata pia 767, 770.
Legati Romani Pontificis 369 seq.
Legislatio quoad matrimonium 526, 530.
— episcopo competens 391.
— summo Pontif. competens 343.
Legitimatio natorum varia 656.
Legitimi filii qui? 655.
Lex. Leges variae 694. Legum promulgatio 695. effectus 697. subjectum 698. interpretatio 699. cessatio 700. Leges libere ferre potest ecclesia 98. circa matrimonium 527. intuitu bonorum ecclesiasticorum 761.
Leges civiles in jure eccles. 25.
Lex civilis Austriaca quoad matrimonium 538.
— *dioecesana* et jurisdictionis 384.
— interconfess. Austr. 171 n. 9.
Libri parochiales 108, 433 not. 6.
— prohibiti 519.
Librorum censura 506, 508.
Licentia politica pro contrahendo matrimonio 617.
Ligamen impedimentum matrimonii 585.
Limitatio nova parochiarum 266.
Linea consanguinitatis 594.
Lites agendi jus 762.
Litterae commendatitiae 196.
— dimissoriales 195.
— formatae 196.
Liturgiam ordinandi jus 338.
Loca pia et *religiosa* 490. loca sacra 678.
Luctus viduarum 618.
Ludimagistri 499, 5s1 not. 8.
Lusus clericis prohibitus 247.

M.

Magia diabolica 754.
Magisterii s. institutio 65. administratio 345, 512.
Martini Braccarensis collectio 40.
Matrimonium quid sit? 524. Ejusdem proprietates, finis, materia et forma 524. minister 535. Variae species 541. Effectus 655. Convalidatio 661. Indissolubilitas 525, 586. Pertinet ad causas mixtas 110.
— infidelium 527 n. 2. 588.
— *ratum* tantum quando solvi possit? 587.
— *clandestinum* quando sit validum? 644.
— *civile* 536.
— *Austriacorum* extra patriam 652.
— *extraneorum* 650.
— *haereticorum* 645.
Metropolitae 378 seq.
Militia impedimentum politicum 615.
— clericis prohibita 245.
— an irregularem faciat 206.
— Clerici eximuntur a militia 236.
Ministrii s. institutio 65.
Minorennis quoad sponsalia 547.
Minorennitas impedimentum politicum 613.
Missae a peregrino celebrandae 434 n. 13.
— celebratio pro acatholicis 154.
— in oratoriis privatis 341, 393 n. 20. 393, 682.
Missae celebratio in oratoriis regularium 476.
— applicatio pro parochianis 426. An extra parochiam audiendo Missam satisfiat ecclesiae praecepto 428.

Missarum onera reducendi potestas 348.
— stipendia 795.
Missio ecclesiastica 506.
Monasteriorum erectio 104, 459.
— suppressio 104, 474.
Mutilatio irregularitatem adducit 207, 216, 218.

N.

Natales legitimi pro beneficio 272.
Natalium defectus 208. Quomodo tollatur ib. 220.
Negotia clericis prohibita 244.
Negotiatio clericis interdicta 244.
Nominandi jus ad beneficium 318.
Nominatio regia 280.
Novitiatus 466.
Novitiorum receptio 463.
— renuntiatio bonorum quando valeat? 467.
Nullitatis declaratio quoad matrim. 663.
— professionis religiosae 471.
Nuntii sedis Apostolicae 371.
Nuptiae secundae 673.

O.

Obedientiae canonicae juramentum 259.
Oblationes 760, 770.
Obligationes clericorum 238 seq. beneficiatorum 294. regularium 482.
Officium divinum recitare qui teneantur? 239. 294.
— ecclesiasticum quid sit? 255.
Onera nova beneficiis non imponenda 267.
— bonis ecclesiasticis imponere an liceat 781.
Opera diebus festis prohibita 676.
Optio ad beneficium 286 n. 1.
Oratio clericis praescripta 239.
Oratorium privatum 341, 395, 683.
— publicum 683.
Ordinariatus 418.
Ordinatio 187 seq.
Ordinationis abusus 215. locus 230. tempus 229.
Ordinum religiosorum admissio 104. erectio 459. adprobatio 349.
— suppressio 474.
Ordo quid? 188. Ordines *majores* et *minores* 188. Ordinis minister 191, 192. Ordinis abusus 213.
— impedimentum matrimonii 589.
Organoedus a parocho assumendus 435 n. 9.

P.

Pallium 377, 380.
Parochia quid? origo 422. Ejusdem indicia 425. nova limitatio 466. Parochiarum Austriacarum immutatio 264. 6.
Parochorum jura et officia 426 seq.
Parochiani quinam sint? 424.
Parochus quis? 423.
— major seu antiquus 437.
— primitivus 438.
— principalis seu habitualis ib. n. 5.
— proprius nupturientium 639.
Patriarchae 374 seq.
Patronatus vid. *Jus patronatus.*
Patronus. Ejusdem jura et obligationes 315. In specie obligatio concurrendi ad reparationem aedificiorum ecclesiasticorum 822. Patroni partes in administratione bonorum ecclesiae 320, 773.
Patrum ss. in jure ecclesiastico auctoritas 36.
Pauperum cura 432.
— instituta 492.
Pax Westphalica 59, 165.
Peculium regularium 482 n. 4.
Pensio beneficio imponenda 267, 325.
Permutatio beneficiorum 327.
Personae fictae in jure 490.
Personatus 402.
Photii syntagma et nomocanon 39.
Pia corpora 491.
Piae causae 390.
Placetum regium 99.
Poena conventionalis sponsalibus apposita 548.
Poenae ecclesiasticae variae 744.
— habitum clericalem non deferentium 249.
— ob residentiae neglectum 298.
— nubentium contra leges civiles 616, 618.
Poenae contra laicos 744.
— contra clericos ib.
Poenitentiae sacramentum a parocho administrandum 430. a regularibus 477.
Poenitentiaria Apostolica 369. 634.
Pollutio templi 681.
Pontifex Romanus supremus legislator 23, 343. judex 345. dispensator et privilegiator 344.
Pontificalia ornamenta 395. 398.
Pontificis Romani electio 484.
— jura in genere 333.
— Auctoritas 63. 71.
— Infallibilitas 336.
— Jura magisterii 336 seq.

Pontificis jura ministerii 338.
— imperii 342.
— honorifica 356.
— tituli varii 357.
— potestas temporalis 357.
Portio canonica v. Procuratio.
Possessio beneficii annua, triennalis 287.
Postulatio praelatorum 279.
Potestas indirecta ecclesiae in temporalia 114 n. 18. 124.
— magisterii, ministerii et imperii 65.
— Jurisdictionis et ordinis 66.
— ordinaria, mandata et delegata 70.
— superiorum relig. dominativa et jurisdictionalis 481.
— legislativa ecclesiae 694 seq.
Potestates duae praesunt rebus humanis 82. Earum differentiae 84. Mutua relatio ad invicem 93 seq.
Praedicatio 386, 426, 476, 512.
Praelati Curiae Romanae 364.
— exemti 396.
— regulares 481.
Praemonstratensium privilegium quoad beneficia 475.
Praeparatio ad statum clericalem 507.
Praepositus in capitulis 401.
Praescriptio contra ecclesias 767.
— centenaria 767.
— immemorialis quoad jus patronatus 311.
— juris patronatus contra ecclesiam 311. contra alium patronum 313.
Praesentandi jus 315 seq.
Presbyteri 64.
Primates 370, 377.
Primitiae 760.
Privatio beneficii 744.
— fructuum beneficii 298.
Privilegia clericorum 231.
— in antiqua ecclesia 122.
Privilegium quid et quotuplex? 702.
— canonis 231. competentiae 233. immunitatis 234. servitiorum 236. fori 238.
Privilegia episcoporum 395.
— ecclesiae in bonorum acquisitione 746.
— regularium 478.
Processus informativus et definitivus 282.
— probatorius in causis nullitatis 664.
— summariis in judiciis 758 n. 41.
— in causis separationis 666.
Proclamationes matrimonii 587 seq. 605.
Procuratio canonica 390, 783.
Professio fidei emittenda a novo beneficiato 294.
— ab aliis 514.
— religiosa 466. Ejusdem nullitatis declaratio 471.
Promulgatio legum 695.
Propaganda i. e. Congregatio de propaganda fide 337, 366.
Propagatio fidei 337, 512.
Protonotarii apostolici 364.
Provisio beneficiorum 271, 286.
Provisor seu *administrator* vacantis beneficii 329, 438.
— in spiritualibus 439.
Pseudo-Isidori decretales 41.

Q.

Quaestiones fidei definire potest Papa 336. non item episcopus 386.
Qualificatio propositionum 518.
Quarta falcidia 766 n. 1.
Quasi-domicilii notio, acquisitio, amissio 560.
Quindennia 782.
Quinquennales facultates pro foro interno in Append. N. III.
— pro foro externo ib. N. IV.

R.

Raptus crimen 755.
— matrimonii impedimentum 592.
Ratio studiorum in Seminariis 511 n. 8.
Rationes intercalares 331.
Reclamatio contra nova sponsalia 554.
Reconciliatio ecclesiae pollutae 681.
Reditus acatholicorum ad ecclesiam 181.
Reformatio regularium 481.
Regesta 39.
Reginonis Prumiensis collectio 45.
Regulae et constitutiones religiosorum 458 n. 10.
Regulares 453.
Regularium jura interna 480. externa 475.
— jus testandi 811.
Relationes ad Papam faciendae 342.
Religio dominans, recepta, tolerata, reprobata 161 n. 11.
Religio mixta matrimonii impedimentum 584, 608.
Religiosi dispersi 474 n. 8.
Reparatio aedificiorum ecclesiasticorum 818 seq.
Res ecclesiasticae 93, 711.
Rescripta Pontificia 24 n. 8.
Residentia beneficiatorum 295.
Resignatio beneficii 323.

Resignatio episcopatus 326.
Restitutio ob resultum a sponsalibus 555.
— in integrum, ubi irrita est professio religiosa 472.
— in favorem ecclesiae 781.
Rota Romana 367. Rotalium decisionum auctoritas 36 n. 5.

S.

Sacramenta num a catholicis administranda 155. Eorum administrationem determinare spectat ad Pontificem 339. suscipianda ante nuptias 635.
Sacramentalia an acatholicis conferenda? 157.
Sacrilegium 754.
Saecularisatio bonorum ecclesiae 107.
— regularium 473.
Sanatio matrimonii in radice 661.
Schisma irregularem facit 213.
— poenis obnoxium 750.
Scholae dominicales 499.
— elementares 110, 500.
— humaniorum 502.
— a quo dirigi debeant 500.
Scholarum inspectio 432.
Scholasticus in capitulis 401.
Scientia requisita ad ordines 204.
— ad beneficium 273.
Scriptores juris eccles. 16.
S. Scriptura fons juris canonici 20.
— lectio 515.
Scrutinium electionis 278.
— ordinandorum triplex 228.
Secretaria Brevium et Secretaria Status 369.
Seminaria 507.
Separatio a thoro et mensa 666 seq.
Sepultura ecclesiastica 684.
— pertinet ad jura parochorum 430.
— quibus sit neganda 688.
Servitia communia 782.
Servitiorum privilegium 236.
Signatura gratiae 368.
— justitiae 368.
Sigilli sacramentalis fractio 757.
Silvae ad beneficium pertinentes 803.
Simonia 750. Ejusdem poenae 752.
Sollicitatio ad turpia in confessionali 757.
Solutio matrimonii irriti 663.
Spolii jus 782, 809.
Sponsalia 542 seq. vid. Indicem I.
Statuta quid sint? 25. Quis condere possit? 695.
Status indifferentis principium est reprobandum 118. Ecclesia in statu indifferenti 121. Status pares 161.
Status religiosi essentia 453. Formae 456.
Stolae jura 793.
Studia litteraria clericorum 240.
Stylus curiae 37.
Subdiaconi, subdiaconatus 190, 230, 253.
Subsidium charitativum 783.
Successio haereditaria in bona clericorum 807 seq. in bona regularium 471 n. 13; 473 n. 6; 811.
— in jus patronatus 312.
Suffraganei episcopi 379, 413 n. 3.
Suffragia in electionibus 277.
— in Conciliis 446, 448.
Suicidae privantur sepultura ecclesiastica 691.
Suppressio beneficii 269.
— ordinis religiosi 474 n. 8.
Suspensio 740. ab informata conscientia 741.
Syllabi Pii IX. auctoritas 58.
Symbola fidei 513.
Synodalia judicia seu placita 389 n. 3. 721.
Synodus dioecesana 449. Synodi dioec. novissimae 62 n. 8.
Systema Gallicanum 128.
Systemata ecclesiae Protestantium 127.

T.

Tabernae a clericis vitandae 242. 757 n. 36.
Taxae cancellariae episcopalis 783.
— obtento beneficio solvendae 785.
Tempus clausum matrimonii impedimentum 605.
— ordinationis 229.
— luctus imped. polit. 618.
Testamenta clericorum 807.
— religiosorum 811.
— pia 767, 770.
Testes matrimonii 642.
— synodales 389 n. 3. 451.
Testimonia ad copulationem afferenda 637.
Testimonium pro admissione ad habitum religiosum 452.
Titulus ordinationis 220. quadruplex 223.
— mensae in Imperio Austriaco 225.
Tolerantia dogmatica 150.
— christiana 152.
— politica 158.
Tonsura 187, 189.
Traditio fons juris eccles. 30.
Transitus ad alium ordinem 472.
Translatio beneficii 327.
— beneficiati 327.
— episcoporum 355.

Tributa bonis eccles. imposita 781, 783.
Tridentinum Concilium 51.
Tutela religionis est officium principium 111.
Turnus quoad beneficium 286 n. 1.

U.

Unio beneficiorum 262.
Unitas ecclesiae duplex 333.
— religiosa in provincia Tirolensi 172. n. 11.
Universitates studiorum 504.
Usucapio juris patr. 321.
Usuraria pravitas 756.
Usus forensis 36.

V.

Vacatio beneficiorum 272. 323. Observanda tempore vacationis 229.
Vagorum parochus proprius 640.
Vasa sacra 693.
Venatio clericis prohibita 247.
Vestimenta sacra 693.
Vestitus clericalis 248.
Veteres catholici 167 n. 9. 336.
Vetitum ecclesiae 606.
Viaticum a parocho ministrandum 429.
Vicarii apostolici 369.
— parochorum 436.
Vicarius apostolicus castrensis 373.
— capitularis 408.
— generalis 416.
— in pontificalibus 412.
Vigilantia pastoralis 421, 431.
Virtutes a clericis imprimis sectandae 241.
Vis et metus impedimentum 573.
Visitatio dioecesana 389.
— liminum 342.
Visitatores 329, 389 n. 3.
Vita canonica 399.
Vitrici ecclesiae 813, 815.
Voluntatum piarum mutatio 348.
Votorum solemnium et simplicium differentia 456.
— simplicium effectus 469 n. 9—11.
— solutio per Pontificem 347.
Votum simplex impedit matrimonium 606.
— solemne dirimit matrimonium 590.

W.

Westphalicae pacis stipulationes quoad acatholicos 163.

INDEX.

PROLEGOMENA.

Pag.

§ 1. Notio et origo juris 1
§ 2. Diversae juris species 6
§ 3. Juris ecclesiastici notio 7
§ 4. Jus canonicum quatenus est disciplina peculiaris 10
§ 5. Scientiae subsidiariae juris canonici 13
§ 6. De juris canonici adminiculis 15
§ 7. Ordo dicendorum 18

PARS GENERALIS.

LIBER I.

De fontibus juris ecclesiastici.

§ 8. Praenotanda 19

SECTIO I.

Enumeratio fontium juris canonici et auctoritas.

A. Fontes scripti.

§ 9. 1. S. scriptura 20
§ 10. 2. Conciliorum decreta et summorum Pontificum constitutiones . 22
§ 11. Fontes juris eccles. particularis 25

B. Fontes juris canonici non scripti.

§ 12. 1. Jus naturae 2. Traditio et 3. Consuetudo 30
§ 13. Reliqui fontes non scripti 35

SECTIO II.

Historia fontium juris canonici.

§ 14. Jus antiquum usque ad Gratiani decretum 37
§ 15. Jus novum. Corpus juris canonici 44
§ 16. Auctoritas C. J. C. et modus allegandi 48
§ 17. Jus novissimum. Concilium Tridentinum 51
§ 18. De auctoritate Congregationis concilii Tridentini 53
§ 19. Recentiores summorum Pontificum constitutiones 57
§ 20. Fontes juris particularis novissimi 59

LIBER II.

Principia generalia juris canonici.

§ 21. Conspectus dicendorum 62

Pag.

SECTIO I.

De jure ecclesiae fundamentali.

§ 22. Ecclesia catholica ejusque organismus exterior 63
§ 23. Potestas ecclesiastica. I. Magisterium, ministerium et imperium 64
§ 24. II. Potestas ordinis et jurisdictionis 66
§ 25. Constitutio ecclesiae I. monarchica 71
§ 26. Constitutio ecclesiae II. hierarchica 75
§ 27. Forma ecclesiae socialis 76
§ 28. Jura praecipua fundamentalia seu essentialia 80

SECTIO II.

De jure sociali ecclesiae quoad extraneos.

§ 29. Materiae conspectus et divisio 81

CAPUT I.

De mutuo ecclesiae et civitatis nexu.

ARTICULUS I.

Principia generalia hunc nexum concernentia.

§ 30. Binae potestates distinctae rebus humanis praesunt 82
§ 31. Binae potestates sunt ab invicem independentes 86
§ 32. Concordia et mutuum auxilium sacerdotii et imperii 90

ARTICULUS II.

Mutua utriusque potestatis jura singillatim determinantur.

§ 33. Principium et basis pro secernendis utriusque societatis juribus 93
§ 34. Causae mere ecclesiasticae 1. quoad magisterium et ministerium 96
§ 35. 2. Quoad disciplinam 98
§ 36. Continuatio. 3. Quoad personas et bona ecclesiastica 103
§ 37. Causae mixtae 109
§ 38. De officiis imperantium relate ad ecclesiam 111
§ 39. De juribus civitatis relate ad ecclesiam 114
§ 40. De conditione et juribus ecclesiae in statu indifferente . . . 118

ARTICULUS III.

Historia rationum ecclesiae et status.

§ 41. Arcta utriusque reipublicae consociatio praesertim medio aevo intenta 121
§ 42. Abalienatio et scissio utriusque potestatis 125
§ 43. Dominatio status in ecclesiam 127
§ 44. Status rerum a Josepho II in Austria adductus 131
§ 45. De mutua ecclesiae et civitatis relatione tempore novissimo . 133
§ 46. Ecclesiae conditio in praesenti. I. In imperio Austriaco-Hungarico 136
§ 47. II. Ecclesiae conditio in regno Borussiae et in imperio germanico 141
§ 48. III. Conditio ecclesiae in reliquis territoriis 145

CAPUT II.

De relatione ecclesiae ad asseclas aliorum christiani nominis cultuum.

§ 49. Praemonenda 150

ARTICULUS I.

Principia generalia quoad relationem ecclesiae ad dissidentes.

§ 50. Regulae dogmaticae circa hanc rem. Tolerantia dogmatica et christiana 150

Pag.
§ 51. De communicatione in sacris cum acatholicis 152
§ 52. Tolerantia politica 158

ARTICULUS II.

Conspectus historicus mutui nexus ecclesiam inter et alias confessiones.

§ 53. Ab exordio ecclesiae usque ad pacem Westphalicam 161
§ 54. Mutationes tempore post pacem Westphalicam inductae . . . 165
§ 55. Jura Acatholicorum in Austria 168

CAPUT III.

De relatione ecclesiae ad infideles.

§ 56. Relatio ad infideles in genere, et speciatim ad Judaeos . . . 172

PARS SPECIALIS.

LIBER I.

De ecclesiae constitutione et juribus ad eam pertinentibus.

§ 57. Materiae conspectus 175

SECTIO I.

De statu ecclesiae communi seu laicali.

§ 58. De ingressu in ecclesiam per baptisma 176
§ 59. Reditus acatholicorum ad ecclesiam catholicam 181
§ 60. De juribus laicorum 184

SECTIO II.

De statu clericali.

CAPUT I.

De aditu ad statum clericalem seu de ordinatione.

§ 61. Generalia de sacramento ordinis 187
§ 62. Requisita ex parte ministri ordinationis 191
§ 63. De litteris dimissoriis et testimonialibus 195
§ 64. De requisitis in ordinando. Incapacitas et irregularitas . . . 199
§ 65. De irregularitatibus ex defectu 202
§ 66. Irregularitates ex delicto 211
§ 67. De cessatione irregularitatum 218
§ 68. De titulo ordinationis 220
§ 69. De adjunctis ordinationis 227

CAPUT II.

De effectibus ordinationis.

§ 70. I. De privilegiis, et in specie de immunitate clericorum . . . 231
§ 71. II. De obligationibus clericorum. 1. Praecipua virtutis subsidia 238
§ 72. 2. Sanctiones canonicae quoad principales ecclesiasticorum virtutes 241
§ 73. 3. Occupationes et delectationes clericis prohibitae 244
§ 74. 4. De vestitu clericali 248
§ 75. 5. De coelibatu clericorum 250

Pag.

SECTIO III.

De statu ecclesiastico eximie tali, seu de sacris officiis et beneficiis.

CAPUT I.

De officiis et beneficiis ecclesiasticis in genere.

§ 76. Notio et divisio officiorum et beneficiorum 254
§ 77. Officiorum ecclesiasticorum mutua relatio ad invicem 258
§ 78. De erectione beneficiorum 260
§ 79. De innovatione beneficiorum 262

CAPUT II.

De beneficiorum provisione canonica.

§ 80. Generalia 271
§ 81. Requisita ad provisionem 272
§ 82. De beneficiorum majorum provisione canonica. I. De personae idoneae designatione 276
§ 83. II. Confirmatio electi, admissio postulati, et novi episcopi consecratio 281
§ 84. De electione summi Pontificis 284
§ 85. De provisione beneficiorum minorum 286
§ 86. De examine promovendorum ad beneficia 289
§ 87. De beneficiatorum obligationibus, et in specie de residentia . 294
§ 88. De prohibita beneficiorum cumulatione 299
§ 89. De jure patronatus. Generalia 301
§ 90. Requisita generalia ad acquirendum jus p. 307
§ 91. Modi, quibus j. p. originaliter acquiritur 310
§ 92. De modis j. p. in alios transfundendi 312
§ 93. De patroni juribus et obligationibus 315
§ 94. De admissione juris patronatus 320

CAPUT III.

De modis vacandi et amittendi beneficia.

§ 95. 1. Ipso jure. 2. Resignatione 323
§ 96. 3. Permutatione beneficiorum. 4. Translatione 327
§ 97. Observanda vacante beneficio 329

SECTIO IV.

De magistratuum ecclesiasticorum gradatione hierarchica.

§ 98. Materiae conspectus 332

CAPUT I.

De Romano Pontifice ejusque adjutoribus.

§ 99. De juribus summi Pontificis in genere 333
§ 100. I. Jura summi Pontificis respectu magisterii 335
§ 101. II. Jura Pontificis respectu s. ministerii 338
§ 102. III. Jura Pontificis respectu s. imperii. 1. Jus supremae inspectionis 342
§ 103. 2. Jura cum Potestate Pontificis legislativa cohaerentia . . . 343
§ 104. 3. Potestas Rom. Pontificis judiciaria 345
§ 105. 4. Alia jura cum summa ligandi et solvendi potestate connexa 347
§ 106. 5. Jura Pontificis relate ad beneficia et bona ecclesiastica . . 350
§ 107. Jura Pontificis relate ad dioeceses et episcopos 353
§ 108. IV. Pontificis jura honorifica et reliquae praerogativae . . . 356
§ 109. De Cardinalibus 360

Pag.
§ 110. De curia Romana. 1. De S. R. E. Cardinalium Congregationibus 364
§ 111. 2. De diversis Romanis tribunalibus 367
§ 112. De legatis et vicariis Rom. Pontificis 369

CAPUT II.

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis.

§ 113. Generalia. 1. De Patriarchis et Primatibus 374
§ 114. De Metropolitis 378

CAPUT III.

De episcopis eorumque adjutoribus.

§ 115. De munere episcoporum generatim 382
§ 116. De juribus et officiis episcoporum 1. quoad doctrinam et institutionem 386
§ 117. 2. Quoad cultum divinum 387
§ 118. 3. De episcoporum juribus quoad regimen externum 389
§ 119. 4. De juribus episcoporum honorificis 394
§ 120. De exemtionibus et de praelatis inferioribus 396
§ 121. De episcoporum adjutoribus. I. De capitulis cathedralibus. Eorundem historia 398
§ 122. Capitulorum constitutio et jure interna 401
§ 123. De juribus capituli ad extra 407
§ 124. II. De reliquis episcoporum adjutoribus in sede episcopali . . 412
§ 125. III. De episcoporum adjutoribus per tractus minores distributis. 1. De decanis ruralibus 419
§ 126. 2. De parochis. Generalia 422
§ 127. Jura et officia parochorum circa religiosam instructionem et s. ministerium 426
§ 128. Parochorum munia et negotia ad extra 431
§ 129. De parochorum vicariis et adjutoribus 436

CAPUT IV.

De praesulum ecclesiasticorum conjunctione in conciliis.

§ 130. Notiones praeviae 441
§ 131. De conciliis generalibus 443
§ 132. De conciliis nationalibus et provincialibus 446
§ 133. De synodo dioecesana 449
§ 134. Appendix: De conferentiis pastoralibus 452

SECTIO V.

De statu religioso.

§ 135. De status religiosi essentia et variis formis 453
§ 136. De norma erigendi novas familias religiosas novosque eorum conventus 459
§ 137. Modus ingrediendi statum religiosum. I. Novitiorum receptio 463
§ 138. II. De novitiatu. III. De professione 466
§ 139. Egressus ex religione 471
§ 140. Jura regularium praecipua ad extra 475
§ 141. Regularium jura praecipua ad intra 480
§ 142. In specie de religiosis congregationibus 484

SECTIO VI.

De minoribus in ecclesia societatibus et institutis.

§ 143. Generalia. Piae causae et pia corpora 489
§ 144. De hospitalibus et aliis piis locis 492

Pag.
§ 145. De confraternitatibus 494
§ 146. De scholis 498
§ 147. De Seminariis 507

LIBER II.

De gubernatione ecclesiae et de juribus ad eam pertinentibus.

§ 148. Rerum nexus et conspectus 512

SECTIO I.

De administrando s. magisterio.

§ 149. De functionibus s. magisterium respicientibus 512
§ 150. De cautionibus praeventivis contra errores in fide 513
§ 151. De mediis ad reprimendos errores jam exortos 517

SECTIO II.

De administrando s. ministerio.

SUBSECTIO I.

De Sacramentis.

TRACTATUS I.

De sex prioribus Sacramentis (Remissive).

TRACTATUS II.

De matrimonio.

§ 152. Praemonenda 522

CAPUT I.

Notiones generales de matrimonio.

§ 153. Principia dogmatica de matrimonio 524
§ 154. Jus legislationis respectu matromonii ecclesiae competens . . 526
§ 155. Potestas legislativa civitati quoad matrimonium competens . 530
§ 156. Jurisdictio in causis matrimonialibus 535
§ 157. Quales hodie sint leges civiles respectu matrimonii 536
§ 158. Variae matrimonii species et nomina 541

CAPUT II.

De matrimonio contrahendo.

ARTICULUS I.

De sponsalibus.

§ 159. Sponsalium notio et requisita ad valorem 542
§ 160. De sponsalium effectibus 549
§ 161. De sponsalium dissolutione 551
§ 162. Reclamatio contra nuptias ob sponsalia priora, restitutio ob resultum a sponsalibus 554

ARTICULUS II.

De proclamationibus et de examine sponsorum.

§ 163. Necessitas proclamationum et dispensatio ab iisdem 557
§ 164. De circumstantiis proclamationum 559
§ 165. De examine sponsorum 566

Pag.

ARTICULUS III.

De impedimentis matrimonii.

§ 166. Generalia 568

PUNCTUM I.

De impedimentis dirimentibus.

A. De iis, quae sunt juris privati.

§ 167. Error 570
§ 168. Vis et metus 573
§ 169. Defectus conditionis appositae 575
§ 170. Impotentia 578

B. De impedimentis dirimentibus, quae sunt publici juris.

§ 171. Impubertas, defectus aptitudinis ad consentiendum et de simulato consensu 582
§ 172. Disparitas cultus 584
§ 173. Ligamen 585
§ 174. Ordo sacer et votum solemne 589
§ 175. Crimen 590
§ 176. Raptus 592
§ 177. Cognatio naturalis 594
§ 178. Cognatio spiritualis et legalis 597
§ 179. Affinitas 601
§ 180. Publica honestas 602

PUNCTUM II.

De impedimentis impedientibus.

§ 181. Proclamationum omissio, sponsalia, tempus sacratum, ecclesiae vetitum 605
§ 182. Votum simplex 606
§ 183. Impedimentum mixtae religionis 608

Appendix de impedimentis politicis.

§ 184. Impedimenta politica irritantia 613
§ 185. Impedimenta civilia mere prohibentia 617

ARTICULUS IV.

De impedimentorum dispensatione.

§ 186. Notiones praeviae 619
§ 187. Quibus competat facultas dispensandi 621
§ 188. De causis dispensationum 624
§ 189. Modus et forma dispensationem petendi 628
§ 190. De executione dispensationum 633

ARTICULUS V.

De celebratione nuptiarum.

§ 191. Quaenam immediate ante copulationem obervanda sint . . . 635
§ 192. Forma essentialis in matrimonio contrahendo 638
§ 193. Quaenam ad formam essentialem accedere debeant 648
§ 194. Matrimonia extraneorum in Austriaco imperio nec non civium Austriacorum in terris alienis 650

Pag.

CAPUT III.

De matrimonio contracto.

ARTICULUS I.

De effectibus matrimonii contracti.

§ 195. Quinam potissimum sint matrimonii effectus 654

ARTICULUS II.

De matrimonio invalide contracto.

§ 196. I. De convalidatione matrimonii 1. ordinaria 656
§ 197. 2. De convalidatione extraordinaria seu in radice 661
§ 198. II. De nullitatis declaratione 663

ARTICULUS III.

De separatione a thoro et mensa.

§ 199. De causis separationis 666
§ 200. De modo procedendi in causis divortii 670

ARTICULUS IV.

De secundis nuptiis.

§ 201. Quaenam cautiones pro contrahendis secundis nuptiis praescribantur 673

SUBSECTIO II.

De praecipuis divini cultus adjunctis.

§ 202. I. De temporibus sacris 676
§ 203. II. De locis sacris. 1. De ecclesiis consecrandis et reconciliandis earumque immunitate 678
§ 204. 2. De capellis 682
§ 205. 3. De coemeteriis et sepulturis 684
§ 206. III. De rebus sacris 692

SECTIO III.

De exercenda potestate s. imperii.

CAPUT I.

De potestate legislatoria.

§ 207. Quales sint conditiones legis ecclesiasticae 694
§ 208. De legum effectu et subjecto 697
§ 209. De legum ecclesiasticarum interpretatione 699
§ 210. De cessatione legum ecclesiasticarum et de dispensationibus . 700
§ 211. De privilegiis 702

CAPUT II.

De jurisdictione ecclesiastica.

§ 212. Notiones praeviae 706

ARTICULUS I.

De jurisdictione ecclesiastico-litigiosa.

§ 213. Quonam ambitu olim patuerit jurisdictio eccles. litigiose . . 707
§ 214. Quaenam res hodie ad forum ecclesiae litigiosum spectent . 711
§ 215. De judiciis 714

Pag.

ARTICULUS II.

De jurisdictione ecclesiastico-criminali.

§ 216. I. De natura, fundamento et sphaera jurisdictionis ecclesiastico-criminalis 717
§ 217. II. De mediis coërcitionis seu de poenis ecclesiasticis. 1. Generalia 723
§ 218. 2. De censuris in specie. a) De excommunicatione 730
§ 219. b) De interdicto et c) de suspensione 738
§ 220. 3. De poenis proprie talibus 744
§ 221. III. De delictis ecclesiasticis 750

CAPUT III.

De rebus ecclesiae temporalibus.

ARTICULUS I.

De bonis ecclesiae in genere.

§ 222. De jure ecclesiae bona temporalia habendi et leges desuper ferendi 759
§ 223. Quis dominium bonorum ecclesiae temporalium habeat . . 763
§ 224. De bonorum ecclesiasticorum acquisitione 766
§ 225. De bonorum ecclesiasticorum administratione 772
§ 226. De bonorum ecclesiasticorum alienatione 775
§ 227. De oneribus tum personis tum bonis ecclesiasticis imponendis 781
§ 228. De bonorum ecclesiasticorum inviolabilitate 786
§ 229. De fundis communibus, in specie de fundo religionis et studiorum 790

ARTICULUS II.

De bonis ac reditibus clericorum.

§ 230. De singulis proventuum clericalium speciebus 792
§ 231. De portione congrua cleri 797
§ 232. De juribus beneficiatorum intuitu beneficii sui 802
§ 233. De defunctorum clericorum haereditatibus 807

ARTICULUS III.

De bonis ac reditibus ecclesiarum.

§ 234. De personis, a quibus ecclesiarum bona administrantur . . . 812
§ 235. De modo administrandi ecclesiae peculium 815
§ 236. De reparandis aedificiis ecclesiasticis. 1. Ex jure communi . 818
§ 237. 2. Ex jure particulari 824
Appendix I

Corrigenda et addenda:

Pag.
6 lin. 9 (ab infra) pro divina lege **divini.**
17 „ 10 not. 4 post 1880 insere: **H. Lämmer**, Institutionen des kath. K.-R. Freiburg 1886; **Zitelli**, Apparatus juris eccl. Romae 1886.
32 „ 2 pro qua lege **quae.**
49 „ 15 (ab infra) pro disciplina lege **disciplinae.**
100 „ 7 (ab infra) pro invigilet lege **invigilent.**
101 not. 9 lin. 12 pro catholicis lege **catholici.**
103 not. 13 et 104 not. 2, 142 not. 2 et 3 ac saepius deinceps notandum est, leges Borussiae libertati ecclesiae contrarias novissime quoad plura in melius mutatas esse. Orbatis dioecesibus episcopi, parochiis curiones praepositi sunt; impedimenta, quae episcopis in regenda disciplina obstabant, amota; quatuor seminaria restituta, duo alia instituendi facultas data; aliqui ordines religiosi revocati (Leonis XIII. ad archiep. Colonien. 7. Apr. 1887).
123 lin. 12 (ab infra) pro et lege **eo.**
127 „ 7 pro sed lege **se.**
147 „ 4 (ab infra) pro indebita lege **in debita.**
162 „ 6 pro an lege **ad**; lin. 8 pro ad lege **an.**
202 „ 8 post **poena** insere: **tamen certe est sequela peccati et proinde quasi naturalis poena.**
214 „ 3 pro se lege **a se.**
244 not. 5 lin. 1 pro excommunicare lege **excommunicari.**
285 lin. 6 (ab infra) pro scrutino lege **scrutinio**; item lin. 9.
296 „ 12 (ab infra) pro bonis lege **bonus.**
302 „ penult. pro dominum lege **dominium.**
303 „ 6 pro interventi lege **interventu.**
305 „ ult. pro gentilium lege **gentilitium**; item 306 lin. 1 not. 12.
305 „ 6 nota 9 pro et lege **est.**
306 not. 14 (ab infra) lin. 3 pro haec lege **hac.**
312 lin. 10 pro si lege **se.**
320 „ 11 pro esse lege **sese.**
333 „ 21 pro metropolis lege **metropolitis**; item pag. 353 lin. 12.
334 not. 3 lin. 3 (ab infra) pro et lege **ad.**
337 ab initio lin. 14 insere **ratio**; not. 8 litt. 9 verbi ultimi pertinet ad vocabulum ult. lin. 2.
347 lin. 11 pro at lege **et.**
352 „ 1 not. 10 pro laicis lege **laici.**
354 „ 12 (ab infra) pro habere lege **haberi.**
355 „ 6 (ab infra) pro jus lege **jam**; not. 8 lin. 6 pro episcopus lege **episcopos.**
357 „ 15 lege **suburbicarii**; lin. 6 lege **principum.**
359 „ 6 pro secularius lege **saecularis.**
360 „ 4 not. 8 pro secute lege **secuta.**
370 „ 15 (ab infra) pro tuendam lege **tuendum.**
381 „ 8 (ab infra) post provinciam dele **inter.**
391 „ 3 pro continentur lege **continetur**; lin. 6 pro concedere lege **condere.**
391 „ 2 et 3 rot. 12 lege **nundinas.**
395 n. 3 ad a nota: non satisfacere praecepto qui audiunt Missam eppi **titularis** in ejus altari portatili celebratam, exceptis personis eppo in actu necessariis s. C. C. 22. Aug. 1818. Gardellini n. 4547 (**Zitelli**, Apparatus juris eccl. p. 108).
406 lin. 1 lege **praecipiendi**; lin. 8 (ab infra) lege **singulares.**
411 „ 11 pro ipse lege **ipsi**; lin. 7 (ab infra) lege **constituta.**
412 „ 4 not. 2 pro occurrant lege **occurrunt.**
421 „ 3 pro conservationem lege **conversationem.**
424 „ 1 pro ac lege **at.**
429 „ 2 not. 17 pro trino lege **trina.**
431 „ 3 not. 26 pro independentibus lege **dependentibus.**
474 „ 13 pro professis lege **professus.**
502 „ 7 not. 9 pro advertere lege **adverte**; ib. lin. penult. pro acceptit lege **accepit.**
503 „ penult. not. 12 pro concursis lege **concursus.**
505 „ 8 (ab infra) pro annulli lege **annuli** (quod et alibi corrigendum est).
545 „ 8 (ab infra) pro exorta lege **extorta.**
562 „ 12 pro admittit lege **amittit.**
583 „ penult. not. 5 pro remitti lege **admitti.**
593 „ 2 (ab infra) pro recensetur lege **censetur**; ibid. lin. 7 (ab infra) pro invitus lege **invitis**
598 „ 3 not. 2 pro alligatur lege **allegatur.**
609 „ 13 pro religionis lege **regionis.**
652 „ 2 not. 6 pro affere lege **afferre.**
656 „ 7 rot. 7 pro testore lege **gestore.**
661 „ 6 not. 14 pro En lege **Et.**
680 „ 5 pro separationes lege **reparationes.**
724 „ 8 not. 2 post etiam insere **Tridentinum.**
739 „ 8 (ab infra) pro interdum lege **interdictum.**
763 „ 1 not. 14 pro decionibus lege **decisionibus.**
768 „ 15 pro definiri lege **definire.**
775 „ 20 not. 10 pro patronis lege **patroni.**
785 „ 9 (ab infra) pro valeant lege **valent.**
793 „ 1 not. 3 pro decret. lege **decreta.**
809 „ 9 (ab infra) post Pontificum insere **ordinationibus.**
811 „ 4 pro relicta lege **relictas.**
813 „ 4 (ab infra) not. 1 pro **Sed** lege **Verum.**
825 „ 1 not. 1 pro fundis lege **fundus.**
827 „ 13 not. 6 pro Sed aliis decretis lege **Juxta alia quoque decreta.**

NB. Leviora quaedam errata non sunt correcta, e. gr. si quandoque vocales falso permutantur; si bina vice paginae aut §§ haud recte indicantur; si ex incuria typographi vel duo vocabuli in unum contrahuntur aut unum separatur in duo.